

IOH. HENRICUS BOECLERUS
Sacr. Cæs. Mai. et Elect. Mogunt. Consiliarius, Com.
Palat. Histor. Prof. Publ. et Capit. Thom. Canonicus.

JOANNIS HENRICI BOECLERI,

Sac. Cæs. Maj. & Elect. Mogunt. Consiliarij, Com. Pal. Cæs. Hist. in Argent. Univ. Prof. Publ. & Cap. Thom. Canonici,

ORATIONES
ET
PROGRAMMATA ACADEMICA
cum quibusdam ejus
POEMATIBUS.







ARGENTORATI,

Sumptibus JO. REINHOLDI DULSSECKERI,

MDCCV.

Serenißimo ac Celsißimo Principi ac Domino,

DOMINO
JOHANNI
ERNESTO

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac

Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravensburg, Domino in Ravenstein &c. &c.

Domino meo Clementißimo,

Vita, Salus, Gloria!

Serenissime ac Celsissime Princeps, Domine Clementissime,



Nnus volvitur iste tertius, cum mihi spectaculo frui contigit, singulari & admirabili, & quod vix nostri sæculi esse credide-rint, qui nomine detracto commemoratum accipient. Exiverat domo, excelsissimæ stirpis ac indolis Princeps

Iuventutis; neque tum primum, ſed ſæpius ante & poſtea, ampliſſimæ terrarum Germaniæ provincias ſingulas, diſſimulato generis ſplendore, peregrinando obibat, comite haud ſemper uno, nunquam autem non electiſſimis viris uti ſolitus. Ætas tantum quod adoleſcentiam ingreſſa; facies virtutis avitæ ac laudis domeſticæ luculentis notis perſignata; vox virilis; mores ad elegantiam ultro compoſiti, gravitatem inſuper humanitate condiebant. Animum per ea ſigna dicam, quæ privata audentia intelligi ac enunciari fas eſt. Multus illi de Deo & rebus divinis ſermo: non quo curioſi, religionis limites violant, ſed quo pii, magnitudinem animi ad publica attollunt. Præbebo me ridendum profanis animabus, quibus nunquam niſi obtentui ſunt tam ſancta nomina, ſi ex animi ſententia dixero: ſummi viri non omen aut ſignum, ſed pignus & fidem me hinc potiſſimum animadvertiſſe, vidiſſe, exoſculatum eſſe. Requirebat à gravibus Theologis, diſciplinam Eccleſiæ, mores Chriſtiani gregis, ſpem ac metum futuri temporis: intentus

iis,

ıis, quæ dicebantur; lætus depromtis conſiliis, prudens eligendis exemplis. Scires, gentile bonum, pleniſſimas pietate ſententias; quibus mens ſuam cum cælo neceſſitudinem ubique ſentiens, hilari vigoris conſuetudine omnem vitæ habitum illuſtrabat. In templis ſapientiæ, audire doctores, inſpicere libros, recognoſcere imagines; præſenti æſtimatione præterita penſare & comparare: quicquid raritate inſuper aut vetuſtate notabile, per domos quoque indagare, conſpectu demiſſi ab auguſto Heroum ſatu ſanguinis ex inopinato admirabundos hoſpites, neque felicitatem ſuam tum niſi præſagientis animi motu & divinatione ſcientes, beare: hic illi labor, hæc expedita in horas induſtria, hæc inſatiabilis voluptas. Artificum opera, jam noſcere memoriter & contendere viſus eſt. Non illi, ſicuti cottidiani aduentores ſolent, ſatis erat, ædem aliquam primariam, aut armamentarium percurriſſe (in quibus tamen ipſis ea ſibi viſenda diſpoſuerat, quæ pleroſque prætereunt) ſed, quicquid in operibus publicis, invento, uſu, ingenio auctorum nobile, non tam

ad

ad ostentationem extat, quam inter exempla asservatur, recludi sibi ac demonstrari voluit. Nunc formas operum, & machinarum, quibus pace belloque usus pretium facit, perspicaci oculo perlustravit: nunc, quæ munimenta, quo provisu, qua molientium industria surgerent, meditatus est. Parvæ sæpe rei, non parva est observatio. Sic auri argentique signandi, sic molarum varii generis versandarum, ea alicubi instrumenta aptantur, is apparatus, ea dispositio cernitur, ut sibi suæque patriæ non possint nihil adjumenti circumspicere, qui Rempublicam majoribus quidem rebus artibusque regi, minoribus autem, ut copiis locuples sit, ægre carere, meminerunt. Magni certe ingenii proprium est, suo singula loco ita complecti, ut nihil rerum publice privatimq; salubrium neglectum videatur. Quî enim præstantiora transmitteret, quem illa prima specie levia quoque advertunt? Leges cujusque civitatis & mores, civium ordines & instituta, disciplinam curiæ, consilii copiam, negotiorum ordinem, diligentiam, procurationem, accurate indagabat JULUS ille, Heroum

sobo-

ſoboles, cujus tum lateri hæſiſſe, in felicitatis parte numero. Quo præſidio diuturni, quod Germaniam afflictavit, belli, moderatores reipublicæ vel minas declinaſſent; vel ex vicino incendia, depuliſſent; quæ inter partium certamina ſecuritas, quod in periculis remedium, aut domi repertum, aut foris ſubnatum, aut fatorum induſtria proviſum donatumque eſſet, interrogabat. Quibus opibus pax invaleſcere, qua ſpe in poſteros deſtinari poſſet, explorabat. Nec minus; quæ mercimonia unde augmentum caperent: quæ ſubſidia tenuiores civium ſolarentur aut levarent, ne fœnebris tabes fidem concuteret, & ſingulos quidem fortunis, rempublicam vero tranquillitate deſpoliaret. Multum gaudebat præclare conſtitutis: neque ſine altiore ſenſu, civilis modi æquabile temperamentum, cum diverſi generis formula componebat: atque inter hæc, nunquam non de grandis illius contextus, quo Germania in unius corporis molem ligatur, rationibus, vel bene congruentibus, vel, ut in tanta amplitudine, per varia diſconvenientibus ſe-

dulo cogitabat. Adduxerat tum fortuna virum militari laude in primis florentem: cum quo literis agere illustrissimus peregrinator noster constituerat. Is, primo aspectu, exsplendescentis undique generositatis indicio, amplius sibi venerandum, quam nominis involucrum postulabat, hoc incrementum intellexit. Quam lætus ille audivit, reposcentem consilia belli, fortunam & artem præliorum, viros & arma considerantem studio, æstimantem judicio, qui ætate peradolescens, curas anmosque viriles longe lateque demonstrabat! Et quid poterat hic in argumentum sermonis venire, quin auctoritas domestica, & imperatoriæ artes ad summum in familia progressæ fastigium, colloquentium & audientium animos dulcedinis ac venerationis implerent? Distinguebat jucunditatem nobilissimæ consuetudinis, literarum peritia, & imbuta, modo gravitatis genio, modo lepore hilaritatis lingua: Gallice, apud peritos; ubi tempus & res suadebat, Latine facunda. Ea denique illis diebus vidi, memorique animo reposui,

posui, quæ designatæ aliquantum in hoc volumine Germanici Cæsaris peregrinationi, nisi quod ibi matura, hic prima adolescentia, rebus formam & modum dedit, merentur comparari. Si præsertim accedant documenta tam divini ingenii, Magnorum Principum aulis visendis alibi occupati. nostra enim oratio ad unum locum pertinet.

Licuerit autem mihi, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, apud Tuas aures hactenus illa commemoratione perfungi, quem præ ceteris omnibus scio exempli hujus nobilitatem intelligere. Quam non vulgaris consilii est, antequam in Galliam, in Italiam eatur, Germaniam suam perspexisse, ubi præcipuus peregrinationis fructus offertur? Quis de rebus exteris recte judicat, qui domesticas ignorat? Illud autem singulare, sed rectissimi, ut arbitror, inventi est, quod per intervalla, atque ita maturius, itinera ejuscemodi suscipiuntur: quæ felicitate indolis, & co-

mitum ac rectorum opera, ad illustris institutionis disciplinam aptari, referri, adjungi queant; ut ne laxata quidem aut interrupta studiorum, quæ magnam fortunam juvant ac decent, serie, ad metam civilis prudentiæ & robustæ virtutis perveniatur. Ita futurum est, ut Peregrinator noster potius ipse exteris, quam omnia exterorum ipsi admirationi sint.

A Te profecto, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, cui & ingenuæ artes totius orbis disciplinam ac notitiam tradiderunt, & primæ sortis ingenium nihil occlusum esse patitur, & peregrinationis vere illustris documenta majorem quam pro ætate sapientiam conciliarunt, omnia ea expectare fas est, quibus Germaniæ felicitas ornetur, atque augusta Heroicæ Domus merita in ævum propagentur. Exempli autem quod primus dedisti, non laudatoribus modo dignis, sed felicibus præsertim imitatoribus (ita precor) perpetuum

tuum celebraberis. Accipe facilis ac clemens, SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, votum

CELSITUDINI TUÆ

Argentorati 5. April.
1658.

devoti perpetuum
famuli

Joh. Henr. Bœcleri.



Lectori Benivolo S. P.

Quæ in Academia, exercendis commilitonibus ab anno vicesimo amplius, proposueram, ne ab aliis me invito ac ignaro, quod cœpit fieri, denuo publicarentur, in unum, & alterum volumen colligere, Tibique, Lector benivole, significare institui, ne meum credere sustineres, quod illis non continebitur. Multa nec ignobili argumento circumferuntur, quorum Scriptores, ingenio florentissimi juvenes, me nihil aliud quam consilium, interdum ne id quidem præbente, suopte Marte rem gesserunt: aliqua etiam veniam ætatis ultro, & primum inspecta, exposcunt. Sed hoc fato fere Academici doctores conflictantur, ut vel ipsorum, vel aliorum nomini fiat injuria, quotiens eodem censu omnia, quibus ex necessitudine muneris moderatores adfuere, habentur. Eorum autem, qui mihi operam suo quisque tempore dederunt, in publicandis istis dissertationibus, quæ nunc exeunt, laudari nomina hic debebant. verum ego aliam dispexi occasionem, qua consuetudinis nostræ Academicæ, & quos laborum socios fortuna obtulerit, explanatior consignaretur memoria. Vale Lector Benivole.

Ad

Ad Lectorem


Præfatio.

PRodeunt denuò, B. L. DISSERTATIONES BOECLERIANÆ, olim ipso Auctore curante, uno fasciculo junctim editæ, sed in minore exemplarium copia à multis hactenus desideratæ. Etenim ut ejus Viri omnia, ita hæc laborum Ejus Academicorum pignora, in pretio habere nondum desiit orbis eruditus: cui iteratâ hac Editione gratificari non abs re visum est. Et nos quidem illum multiplicis eruditionis thesaurum, cujus usus jam fieri cœperat arctior, non integrum modò & qualis olim comparuit, sed insuper haud parvâ accessione, ex ipsius Auctoris opibus locupletatum exhibemus. Jis enim quas prior collectio habebat, Dissertationibus adjunctæ sunt plurimæ aliæ, antehac nonnisi semel & seorsim impressæ; quarum nonnullæ ob raritatem adeò delitescebant, ut vix in hac Urbe, id est, natali earum solo, reperiri singula exemplaria potuerint. Est præterea, qui utentium commodis haud parum inserviet, additus Index, quo prior Editio carebat. Excipient propediem hunc Tomum I. aliæ sub eodem nomine Dissertationes, partim Auctorem BOECLERUM agnoscentes, partim sub auspiciis Ejus habitæ: tum Orationes Ejusdem & Programmata. Quæ omnia ut politioris literaturæ amantibus ultrò se commendant, ita vino vendibili non opus erit suspensâ hederâ. Vale L. B.

SERIES DISSERTATIONUM

PEregrinatio Germanici.
De Notitia Reipublicæ.
De Eloquentia Viri Civilis.
De Auſpicio Regio.
Calculus Minervæ.
De Religione Mandati.
De Potentia Civitatum.
Timur, vulgò Tamerlanes.
In Fl. Joſephi Antiquitates Judaicas Exercitatio.
In Philonis Judæi Legationem ad Cajum, Schediaſma.
Exercitationum Rhetoricarum ſpecimen.
Thraſybulus pacificator, ſ. de Amneſtia.
De Elegantia moris Civilis & Aulici.
Ad L. Annæi Flori lib. IV. Annotatio.
In Pſalmum LXXXII. Philologia.
De Paſſagiis.
Judex unus & multi, ſ. de Judiciis.
De Lexicis.
Commentationes Plinianæ.
De Dominio Eminente.
De Actis Civitatis.
De Menſura Pretii.
Lex, qua Ingrati datur actio.
Miles Captivus.
Quies in turbis.
De Colloquiis & Congreſſibus Principum.
Votum Imperatorium.
De Ingeniis Optimatium.
Clearchus & Satyrus, primi Heracleæ Ponticæ Tyranni.
Foederis Romanorum cum Antiocho icti formula.
Hiſtoria Principum Schola.
De Utilitate ex Hiſtoriæ Univerſalis contextu capienda.

D. B. I.



D. B. I.

DE PEREGRINATIONE GERMANICI CÆSARIS.

Peregrinatio Germanici describitur: incusatur, ac defenditur: in exemplum partitè proponitur.

PEregrinatio Germanici Cæsaris à Tacito præsertim diligentius descripta, exemplum nobile præbet Principibus Juventutis, sive Illustribus hominibus, quorum studia & mores, ipsa nascendi conditione, & fortunæ eminentioris gradu ad Rempublicam pertinent: ut peregre non sine consilio exeant, non sine profectu redeant. Ad horum proposita, prout quisque de cæteris, ingenio, eventu, officio propius admovetur: ita uberius parciusve, felicius aut difficilius, tanti decoris laudem participat.

Dicuntur Principes, & qui rerum summam tenent, tum quoque peregrinari, quando eos negotia imperii, à Regia sua evocant: vel ad propiora, sicut Tiberii *suburbana peregrinatio* Historico memoratur; vel ad longinquiora, sicut Augustus *provincias* etiam remotiores, belli conficiendi, rerumque ordinandarum causa, *sæpius adiisse* memoratur. Magistratuum etiam, & Legatorum, qui-

que aliis nominibus reipublicæ administrandæ adhibentur, susceptam in longinqua ex mandato profectionem, tali appellatione designari videas. In quo ipso genere Germanici Cæsaris iter collocandum fuerit. Cum enim Tiberius Cæsar suetis legionibus abstrahere fortissimum juvenem destinasset, non ingratum ei accidit, quod res in Oriente turbatæ, speciosum titulum præbuerunt apud Senatum differendi: *non posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi: nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse.* Quo factum est, *ut decreto patrum permitterentur Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur, majusque imperium quoquo adiisset, quam his qui sorte aut missu Principis obtinerent.* Ita ex peregrinatione Germanica, in peregrinationem aliam specie honoris dimittitur; novisque provinciis, quantum ad secretas Tiberii artes attinet, ideo imponitur, ut novis involveretur casibus. Sicut ergo antea maximis nomine publico præfuit exercitibus; ita nunc extraordinario & amplissimo cum imperio in transmarinas provincias contendit.

Tac. 2. A. 43.

Sed non hoc est præcipuè, quod huic dissertationi præscripsimus. Præterquam enim, quod Reipublicæ negotiis, quam debebat & poterat, operam dedit, etiam rebus raritate, aut vetustate notabilibus visendis animum intendit, singularique studio, quæ uspiam pulcra, quæ cognitu digna celebrarentur, perscrutatus est. Igitur tum in cetero itinere, ac itineris diverticulis, tribuit ei Tacitus *cupidinem veteres locos & fama celebratos noscendi*; tum in Ægyptum quoque profectum memorat *cognoscendæ antiquitatis.* Hæc est peregrinatio, ut sic dicam, in Peregrinatione illa publica; hoc studium; cujus artes & consilia in exemplum ire cupimus: si modo audemus laudare, quod non uno nomine reprehendi posse videtur.

2. A. 54.
2. A. 59.

Jam enim audio quosdam in Germanicum torquere, quod de Alexandro *Curtius* in re simili usurpavit. *Cupido*, inquit, *haud injusta quidem, ceterum intempestiva incesserat, non interiora modo Ægypti, sed etiam Æthiopiam invisere. Memnonis Tithonique celebrata regia, cognoscendæ vetustatis avidum*

4. 8.

avidum trahebat pene extra terminos Solis. Sed imminens bellum, cujus multo major supererat moles, otiosa peregrinationi tempora exemerat. Pacem provinciis reddere ac tueri, sociorum desideria audire, magistratuum mores emendare, reique Romanæ decus ac securitatem diurnis nocturnisque curis firmare; hæc præcepta Germanico erant. illud etiam vetitum, & arcanis dominationis legibus adversum: sepositos Ægypti recessus irrumpere. Incusavit eam profectionem, non immerito, Aula; acerrimè increpuit Princeps: neque Historicus, utut Germanico valde æquus, potuit excusare. Fatetur enim, famem in Ægypto exortam, & *curam provinciæ*, obtentui sumtam. 2. A. 59 & 60.

Non efficiunt hæc tamen, ut nihil pro Germanico dici queat. cujus institutum, cum Alexandri exemplo, præter nobilitatem indolis & amorem sciendi, nihil commune habet. Rex, qui Orientis imperium pridem animo hauserat, nihilque minus in ea re, quam moram hactenus pati potuerat, non injuria suis ipse propositis disconvenire visus est, quando instantioribus curis, nunc quidem sic speciosum otium, ut postea luxuriam prævertit. Curt. 5. 7. At publicis Germanici curis, nullum ex peregrinatione impedimentum objectum esse, *cuncta socialia prospere composita*, quod Tacitus memorat, satis testantur. Honesta 2. A. 62. oratione uteretur, qui gravissimis laboribus pulcerrimum levamentum decore interpositum affirmaret: sed in exemplo Germanici, id quod minimum est, diceret. Adeo nihil publice otiosum in hoc ipso otio, si appellare ita placet, fuit. Quoquo venit, suæ Reipublicæ auctoritatem secum favorabili spectaculo circumtulit: Romani reuerentiam imperii insinuavit animis, commendavit populis: tanquam si à Romano cœlo salutaris genius, ad refovendos beneficio, gratia, virtute, amicos subjectosque, nec minus ad pelliciendos iisdem artibus inimicos, descendisset. Quid? quod ipsa cognitio, & exploratio rerum, vel ad naturæ opes, vel ad civilis vitæ artes pertinentium, Regiarum & Principalium curarum sive pars, sive adjumentum est; adeoque Reipublicæ administratores

Geogr. 17. vel maxime decet. Laudat eo nomine, doctissimus *Strabo* ex Ægyptiis Regibus Sesostrin, atque Ptolemæos, præcipuè Philadelphum, τὰς φιλειδήμονας, cognitionis rerum apprime studiosos; alios autem, contentione hujus exempli arguit, ut bonis investigandæ naturæ & antiquitatis occasionibus instrumentisque segniter usos, ac in eo parum philosophiæ, cujus amorem præ se ferebant, memores. Quantum ad Tiberii reprehensionem attinet, quin ab inimico & suspicaci animo profecta sit, nemini dubium esse potest. Itaque *Suetonius* inter specimina ejus malignitatis, qua Germanico obtrectavit, hoc ipsum retulit. De Tib. 52. At enim vetabantur, ut ante dictum est, viri illustres, Ægyptum, nisi permissu Principis, ingredi! Certe: sed cum Germanico omnes transmarinæ provinciæ mandarentur, Ægyptus non excepta est. Prudentiæ igitur forte in hac re, non fidei ac obsequii, limites, si quid deerratum est, non satis caute custodiverit Germanicus: quod infensi Patrui criminationes prævidere ac vitare neglexisset.

Nobis interea honorificum erit, in comitatu Heroïs Peregrinatoris conspici, ejus observatione & disciplina erudiri, moribus informari, auspicio ad interiora cognitionis & sapientiæ penetralia adhiberi. Quod si enim Lib. 1. Poëtæ, ut est apud *Strabonem*, Heroum illos faciunt prudentissimos, qui multas regiones, multas gentes peragrarunt: quanto peritiori nos poterimus duce gloriari, quem non ex fabulosis libris ac temporibus, velut ex infernis umbris excitatum; sed ex media celeberrimi ævi populique luce exsplendescentem, Heroica ultro virtus fortunaque demonstravit?

Solent autem Veteres tum Græci tum Latini Scriptores, plerumque omnem peregrinatoris occupationem, satis communi ac pervagata *Cognitionis* appellatione concludere. Cujus ut hoc loco singularis ac propria vis intelligatur, operæ pretium fuerit, ad singulas negotii partes animum attendere; atque non quidem emendicatis à schola formulis, sed accommodata ad quotidianam vitæ con-

consuetudinem sententia, talis cognitionis in Germanico STUDIUM, ARGUMENTUM, FRUCTUM commentari.

STUDIUM COGNOSCENDI,

In peregrinatore, quali ingenio suscitari, quali disciplina informari gaudeat, quibusdam præsentioris documenti speciminibus ostenditur.

Eximium ergo hoc *cognoscendi studium*, quo Peregrinatoris idonei animus teneri solet, postquam se excellentis naturæ beneficio suscitaverit, non potest, quin exquisita quadam disciplina erudiri, & ad sui fiduciam propositi flagrantissime cupiat confirmari. Hoc voluit, cum *ingenium* Germanico *Tranquillus* tribuit, *utroque eloquentiæ doctrinaque genere excellens.* Cum enim ingeniorum alia, uni ut sapientiæ, ita civilis vitæ parti studeant; alia, ut quidque de ceteris affinitate conjunctius est, complecti cupiant: non nisi primæ sortis indolem, ad omnia respicere, omnibus sufficere, comperimus. Noverat Germanicus, & sæpe legerat illam veluti tesseram sapientiæ ad domum Augustam pertinentis: *Calig. 3.*

Tu regere imperio populos Romane memento
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem: *Virg. 6. Æn.*
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Neque tamen eo minus, ut orator, poëta, indagator naturæ præstantissimus haberetur, meruit. Nasonis illa, non studium laudatoris, sed fidem historiæ exprimunt:

Nam modo bella geris, numeris modo bella coërces: *Ovid. 4. de Ponto*
Quodque aliis opus est, hoc tibi lusus erit. *8. adde 1. Fast.*

Amplissimam scilicet ingenii & expeditam facultatem, discendi ratio bene composita ita dispensabat, ut quantum sapientiæ universæ præsidiis, quantum apertis ejus ornamentis, quantum arcanis adminiculis deberetur, pru-

 dens

dens æstimatio pensaret; eo successu, quem iterum Poëta explicat:

Sic tibi nec docti desunt, nec Principis artes:
Mista sed est animo cum Jove Musa tuo.

Quæ res eo plus admirationis habet, quo minus otii illustrissimo Juveni, inter perpetua bella & gravissimas occupationes educto, contigerat.

Ab hac gravis constantisque ingenii altitudine, plurimum abest illud hominum genus, quos naturalis mobilitas, quasi ad omnigenam sciendi lubidinem, inquietis stimulis solicitat; domesticorum incuriosos, externis inhiantes; nihil diu, omnia obiter agentes; nullo delectu, nulla contentione rerum assuetos; ingenium in oculis, animum in lingua, virtutem in vultu gestantes; opinionem pro disciplina profectuque amplexos. In his, quod inane est ineptumque, modo clare apparet, modo peritia inspicientis opus habet, ut curiosi moris genius à solerte cognoscendi studio dignoscatur. sicut genuinos gemmarum nitores, ab adulterinæ lucis fallacia, si præsertim ab arte aliquid præsidii mutuetur, non nisi artifices discernunt. Habet autem omnis morum notatio, diversas in eodem genere formas; modoque non uno ad unius nominis mensuram terminatur. Cujus rei documentum tota passim dissertatio dabit. nunc enim in grege curiosorum variè distincto, satis habebimus communem notam indicasse, quam *Theophrastus* in tali homine expressit: *Solet*, inquiens, *viam praire, quam ignoret ipse; cujus quidem exitum mox invenire nequeat.* Plane quasi ut Vates, cecinisset de plerisque curiosis potius quam studiosis Peregrinatoribus; post itinera multa & impendia, nulla consilii melioris arte administrata, omnibus consulere, omnibus viam monstrare, cum sibi semitam non sapiant, cupientibus. Sed nobis adversus importunam horum auctoritatem, potentior auctor Germanicus Cæsar obtigit.

Charact. Eth. περὶ περιεργίας.

Ille enim non ingenio tantum & varia scientia, sed moribus insuper ac erudita virtute instructissimus, quid

ubique cognitu pulcrum, quid æmulatu decorum, quos in usus, quam per artem valeret, neutiquam ignorare poterat. In cujus exempli honorem interrogare hic peritos velim: an fieri omnino possit, ut ex peregrinatione, earum sibi quisquam rerum cognitionem penitiorem promittat, quas antea (sive de sciendis, sive de imitandis loquamur) prorsus ignoraverat, aut vix obiter cogitaverat? Potestne, inquam, fieri, ut, qui mathematica non attigit, aliquod operæ pretium faciat, ex consuetudine nobilis cujusdam mathematici: ut, si quis in Italia incidisset in Galilæum de Galilæis, & Kircherum; in Gallia in Mersennum & Gassendum? Quid enim profecisti, si vidisti? & quid sciscitareris, aut ultro oblatum caperes de rebus, quarum inscientia laboras? Artem certe nemo nisi artifici revelat, vel artis amatori. Sed amorem artis, citra peritiam aliquam artis, nemini contingere ajunt, qui accurate loquuntur. Quid tibi cum præstantissimis palatiis, cum simulacris, imaginibus, signis, tabulis, si architecturæ, plastices, statuariæ, picturæ imperitus es? An sufficit dicere, hoc loco, hac die, hanc imaginem, hoc opus vidi? Si enim pergat aliquis percontari: quid eximium sit in eo, quod videris? respondebis forte: eos, qui artem intelligunt, in hanc aut istam sententiam pronuntiasse. Hic, non cuivis promtum est quidvis credere: si præsertim recordemur, excellentissimæ artis opera Peregrinatoribus plerumque rudium hominum ministerio demonstrari; aut, ubi idoneus interpres obtigit, non nisi erudite interrogantibus explicari.

Viderit aliquis illustre, quod Mantuæ olim monstrabatur, certamen artis antiquæ & novæ: cum Michaël Angelus Bonarota è Lunensi marmore Cupidinem dormientem tanto sculpsit artificio, ut nihil ad perfectionem addi posse videretur, quamdiu non comparabatur cum exemplo vetustissimi operis, quod exprimendum sibi magnus artifex desumserat; & hoc ordine ostendi voluerat, ut inde luculento argumento constaret, quantum hodierna ætas, etiam in exactissimo profectu, antiquitati concederet,

deret. Scilicet, hujus argumenti consequentiam, ut nunc ita cum scholis loquamur, parum intellexit, qui neque artem, neque artificem noscere ac discernere didicerit. Magna mihi copia est memorandi, quotiens contemtui & irrisui fuerint, quotiens occasione & disciplina cognoscendi res raras exciderint, quorum profani per imperitiam oculi animique, ab illis quasi mysteriis arcendi putabantur.

Id si in operibus manu factis & artificum laboribus usuvenire solet: quid existimandum est accidere in rebus ab exteriori spectaculo remotis, & ad civilem prudentiam pertinentibus. Scilicet tu mihi statum reipublicæ condisces, tu mores gentium judicabis, tu arcanas consiliorum regulas penetrabis, nisi attuleris animum talis studii tractatu non vulgari subactum atque præparatum? Sicut enim res exiguas, ipsasque quasi atomos corporum, ex quibus omnia coalescere multi crediderunt, usu non discreveris, nisi adhibito microscopio aliquo (cujus concinnandi rationem Cornelio Drebbelio debemus) figura, color, omnisque species, ex illa subtilitatis caligine, in plenam conspectus humani lucem educatur: ita subtilissimum Reipublicæ contextum, & celantia suos nexus vincula, & involuta tot artificiosis tenebris mysteria, qui citra facem politici intellectus, introspici posse autumat, is eadem opera sine pennis volare instituat, opinor. Jam alienos mores arbitrari, qui suos non composuit, qui vitæ totius modum ignorat, non video equidem, quomodo possit. Veniat ad elegantes & politiori consuetudine suetos homines, Peregrinator incultus, abnormis, ad exemplum vel Gnathonis vel Thrasonis vel Æschini in comœdia, factus: periisse sibi omnem virtutis exercendæ, omnem humani moris usurpandi occasionem dolebunt, donec inauspicatos ejusmodi adventores amoliti fuerint.

Erunt forte, qui duas nobis hæc annotantibus res opponi debere existiment. Primum enim, ob hoc peregrinationes suscipi dicent, ut mores emolliantur, ut artes discantur; iniqua igitur lege à profecturo postulari, quæ

quæ in reducem convenire demum videantur. Deinde nemini tale otium ante peregrinationem contingere conquerentur, quod disciplinæ tam diffusæ, præparationi tam accuratæ sufficiat. At vero, da mihi animum, non præterpropter vitam, sed in ipsa vita versari cupidum, suæ originis memorem, honesti alicujus propositi amore stimulatum: & ego monstrabo tibi, quantum sit vectigal in parsimonia temporis, quantum habeat hodie disciplinæ vita Academica, si tanquam in Academia vivatur. Non potuerunt hoc unquam capere,

Queis pulcrum fuit in medios dormire dies, Horat. Ep. I. 2.

ac cetera facere, quæ Poëta commemorat. Sed si ejusdem consilio, tam inertis ac turpis otii

fomenta relinquere posses, I, 2.
Quo te cælestis sapientia duceret, ires.

Et jam inter commilitones, læto celeusmate, in solennem tesseram valeret, quod sequitur:

Hoc opus, hoc studium parvi properemus & ampli,
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.

De cetero, multum temporis suæ peregrinationi decernat necesse est, qui in loca peregrina omne profectus sui rudimentum seu tyrocinium differt: neque peregrinari, ad exempla quæ proposuimus, videbitur. Cumque in heroico Germanici ingenio, plurimas omnino dotes artesque, quibus itinera sua moderatus est, reperiamus; non debemus, nisi perfectum specimen commendare studio peregrinandi incensis. Patet observatio Peregrinatoris per immensam rerum varietatem, sicut postea dicetur. itaque instructu indigere amplissimo, abunde intelligitur. Sive autem plus ex tali profectu, sive minus tuis propositis, fatis, temporibus destinaveris; nihil solidi, nihil perfecti in spe habebis, nisi ad rem tantam prævia te cognitio, quam signavi, præparaverit.

Qui ergo hanc plane omittunt, non merentur in illustri cum Germanico peregrinantium cœtu locum adipisci: conspectiore etiam ob id inertiâ notabiles, quod hodie, peragrato totiens orbe, descriptisque ac depictis, quæ

uſpiam eximia, nemini ſubſidiorum ac inſtrumentorum copia deeſſe poteſt. Mirari utique ſatis nequeas, ſi peregrinationibus inhient, qui ne vulgaris quidem ac tralatitii conſilii diſciplinâ muniuntur. Quis enim neſcit illa in omnibus libellis, in omnium civilium hominum præceptis obvia: Peregrinatori addiſcendam prius linguam ejus gentis, in qua utiliter velit verſari; cognoſcendam hiſtoriam cum Geographia & Genealogiis; legendos, qui de ſtatu reipublicæ habentur, commentarios: ne de quærendis, ſi pote, comitibus ducibusque itinerum expertis uſuque eruditis, aliquid dicam. Actum ageret, puto, qui ad iſta etiam in vulgus notiſſima Peregrinatores cohortari inſtitueret. Ineſſe tamen in his aliqua non æque vulgaria aut in obvio poſita, opportunum fuerit, ſi hoc loco oſtendatur.

Incipiemus de *Hiſtoria* gentium præcognoſcendâ. Nam circa linguæ ſtudium planiora ſunt pleraque, quàm ut annotatione noſtra opus habeant. Hiſtoria igitur, vel *loca* deſcribit; vel *familias* recenſet; vel *mores & rempublicam* interpretatur; vel *tempora & fortunam*, rerum geſtarum ſerie conſignat; vel *memorabilia alia* exhibet. Nihil ex his prætermiſerit, qui ſtudioſi Peregrinatoris munia meditatur. Quamvis autem non deſint ſcriptores, qui conjunctim omnia polliceantur; ſicut in contexta & pragmatica gentis cujusque hiſtoria, & nonnullis itinerum commentariis videre licet; ſupinæ tamen negligentiæ fuerit, ignorare, quæ de ſingulis partibus ſeorſum tradita ſunt. In *Geographicis* certe, ſine uſu Globi & Tabularum, nihil ſatis clare apparebit. Sed tractari volunt Tabulæ, mathematicâ intelligentiâ. cujus etiam illud præmium feres, ut diſcernere poſſis ejusdem regionis varias deſcriptiones. Non enim ſuffecerit, *Atlantis* illius humeris, cui hodie terrarum orbis onus impoſuerunt, ſecure confidere; cum plurimæ Tabulæ aliunde requirendæ ſint, in quibus Geographia illa publicis voluminibus celebrata, emendatur ac ſuppletur. Ita, ex *Hydrographia Furnerii* alicujus, facile erit animadvertere, quid priorum curis ætas junior adſtru-

adſtruxerit: ex laudatiſſimis magni illius *Fabricii Peireſcii* pro inſtauranda & perficienda Geographia conatibus, à *Petro Gaſſendo* deſcriptis, pronum erit judicare, quid in longitudine locorum accurate ratiocinanda, invenienda & deſignanda deficiat.

In hydrographicis chartis, ſive eas intueamur, quæ *Speculi Nautici ſeu maritimi* nomine veniunt, ſive alias; eſt cur mireris ſæpe & deprædices diligentiam. At ubi in itineris maritimis, *manuſcriptos Nautarum commentarios*, quibus itinera ſingula accuratiſſima ſolicitudine minutatim conſignant, inſpexeris: exemplum capere licebit, quantum de rebus ejusmodi peregrinantium obſervationi relictum ſit. Id quod extra navigationem quoque procedet, ſi quis in gentibus maritimis agens, celebrioribus navarchis ſe familiarius adjungat, *eorumque diaria*, præſertim ſi loca rariora adierunt, aut novi aliquid detexerunt, prece aut pretio (nam & id factum novimus ab iis qui hæc ſtudia curioſius amant) impetrare ſatagat. quin enim ſemper aliquid reperturus ſit, quod in hydrographia typis deſcripta, aut etiam in tot Navigationum editis commentariis fruſtra quæratur, non eſt dubitationi locus.

Neſcio an mores ſeculi pati queant, ſi de veteri & nova Geographia utiliſſime conjungenda, mentionem inferam. In quo genere, poſt *Ortelij conatus Geographicos in Veteri orbe* nuper iterum editos, & cum ceteris hodiernum ſchema referentibus conferendos, *Brietij Parallela Geographica*, rem alias non ita facilem, quantum fás eſt, in expedito ponent. Nam, ut ad *Strabones, Ptolemæos, Dionyſios*, *Arrianos*, itemque *Melas*, *Plinios*, *Solinos*, *alioſque*, hodie Peregrinatorem ablegemus, quam non ſit conſultum, omnes vident. Illud potius haud raro miratus ſum, quod relictis *Pauli Merulæ nobiliſſimis deſcriptionibus Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ* (nam cetera, quæ deſtinaverat, opera, acerba tanti viri mors intercœpit) quævis potius *Itineraria*, ut vocant, plerique eligunt,[m] Καὶ γὰρ εἰ μὴ δυνατὸν, κατὰ τὴν ὑπόθεσιν τὴν τοιαύτην ἅπαντα ἀκριβοῦν, διὰ τὸ εἶναι πολιτικώτερον, τέως ἐπὶ τοσοῦτον ἐφ᾽ ὅσον καὶ τῷ πολιτικῷ παρακολουθεῖν, *Strabo l. 1.*

δυνατὸν, προσήκοι ἂν εἰκότως. Si enim fieri nequit, ut accuratam per omnia hujus argumenti cognitionem indipiscaris, eò quod latius per civilis vitæ disciplinam diffunditur; eatenus tamen prodire convenit, quatenus capere potest, qui reipublicæ administrationi deditus est. Ad quam *Strabonis* regulam convenire videatur, quod de *Merulæ* scriptis dixi; nec enim valde diffusa sunt, & antiqua recentibus copulant, & Geographiam multa historiarum luce illustrant. Hominibus plane illiteratis, aut perpetua Bacchanalia viventibus, nihil hic scribimus. At, si mediocriter literatus, neque nullo ingenio præditus, unicum mensem in Italia peregrinari voluerit, antequam in Italiam pedem intulerit, non *Merulæ* modo, sed *Philippi Cluverij & Schotti Italiam*, cum *præcipuis Itinerariis*, quæ vocantur, & *summario Italicæ historiæ*, familiariter cognoscere, atque ex iis libellum apodemicum & memorialem sibi conficere poterit. Idem de reliquis populis ac regionibus sentire fas est.

In ipsis porro *Itinerariis*, quæ non Geographiam modo, sed multa de rebus scitu dignis plerumque pollicentur, caute versandum est. Inserunt se illis libris, favores & odia, præconceptæ domi de peregrinis populis rebusque opiniones. Hinc est, quod res Germanicas, Galli & Itali, vix unquam ad liquidum intuentur aut describunt: obversante eorum oculis animisque tanquam nube elati illius fastidii, quo omnem Septentrionem contemnunt. Ex adverso, Germani, nimia exterarum rerum admiratione, in majus aliquando augent, quorum splendor oculos non satis præparatos perstrinxit. Frequentissima labes, à festinabunda indagatione, & fortuitis indigenarum asseverationibus, in libros peregrinantium immigrat. Versatur in manibus hominum *Iter Germanicum*, *Danielis Eremitæ Itali*, quod in legatione Ducis Florentini ad plerasque Aulas Germaniæ, anno hujus seculi nono confecit. In hoc nihil sibi aliud videtur habuisse propositum, quam ut vitia aularum censorio supercilio exagitaret; quæ autem alia cognitionem ac æstimationem merebantur, aut suo pretio celebrari debebant, alto silentio involveret:

sive

ſive affectus domo allatus ei pro colorato vitro fuit, per quod nullius rei verus color conſpici poterat; ſive introſpectam quoque præſtantiam diſſimulare, artificii neſcio cujus pars viſa eſt. Si enim dicas, pleraque eum cetera neglexiſſe, id quoque quo pertineat, non eget demonſtratione. Generoſius quidem animo afficiebatur *Illuſtrißimus Dux Rohanaus*, cum *Iter* ſuum deſcriberet: ſed quin & ipſe non ſemel deceptus ſit, quin affectui aliquando obtemperaverit, exactiorisque inquiſitionis vel cura, vel, quod malim credere, occaſione ac otio caruerit, nemo negabit opinor, ex iis, qui intelligunt quæ legunt. De illis nihil attinet dicere, qui *Itineraria* ſua fabulis, ſuperſtitione, ambitione philoſophandi corruperunt. quod in itineribus præcipue, quæ à paucis & raro ſuſcipiuntur, fieri amat.

Sed hoc ipſum ſcilicet, non parum excitabit induſtriam Peregrinatoris, ſi, quæ legerit antea, in re præſenti examinare, quidque veri aut falſi habeant, experiri, & præſertim omiſſa ſupplere contendat. Id enim non circa *Itineraria* modo, ſed circa *Deſcriptiones peculiares Status & Reipublicæ* faciendum eſſe, ratio & experientia dictat. Circumferuntur in hoc argumenti genere, *Boteri Politia Regia, Philippi Honorij Theſaurus, Gaſparis Ens Relationes, Gotfridi Archontologia Coſmica, & Reſpublicæ ab Elzeviriis editæ.* Verum, qui Reipublicæ alicujus interiorem ſibi notitiam comparare cupit, quantis opus habeat ſubſidiis, poſtea ſuo loco indicabitur. nunc ſatis erit monuiſſe, de crebris & multiplicibus mutationibus, quas tempus & fortuna in civitatis ſtatum inferunt, ejusque adeo deſcriptionem nunquam diu uno eodemque ſinunt pretio æſtimari.

Familiarum cognitionem, pauciores appetunt, iidemque prudentiores. Nam cæteri non intelligunt, quantum Peregrinatoris interſit, vel ad pericula quædam declinanda, vel ad ſubſidia comparanda, in numerato habere nobiles familias, earumque prærogativas. Ac in Principum quidem familiis, etiamſi ſequeſtrentur adulatorum inventa & eruditorum quorundam ineptiæ, latet arcanus

civilis in orbe commercii contextus: qui inter discordes animos & dissociabilia studia, increscentemque quotidie pereundi perdendique lubidinem, suis quibusdam vinculis, ex divinæ decreto providentiæ, quantum ultima ferre possunt tempora, adversus omnimodam dissolutionem valebit, opinor, atque perennabit. Itaque nec divelli potest, si quis seria Peregrinationis subsidia circumspiciat, ista cognitio; sive *Henninges* aliquis per *Theatri Genealogici* scenas nos circumducat; sive *Albizius Stemmata Europaeorum Principum* compendiario conspectu exhibeat. Nam Genealogica scripta, singulis familiis & nationibus destinata, tum quoad Principes, tum quoad Nobilitatem ceteram, Bibliothecam pene queunt facere; & in ipsa Peregrinatione rectius tanquam in patria sua quæruntur noscunturque. id quod ne tum quidem satis feliciter tractabitur, nisi quæ in literas relata sunt, cum hominum peritorum commentariis ineditis & narrationibus conferantur; & aliena, id est, imperitiæ temporum, schemati domuum, artificio gentilitio debita, à veritate genuina secernantur. Editum est, ut uno sed illustri exemplo res declaretur, *Theatrum Nobilitatis Suecanæ*: quo exteri securius utuntur. At in Suecia, multi auctoris errores annotati comperiuntur, multa deliquia. cujus rei fidem abunde mihi fecerunt, inspecti non sine admiratione commentarii *Illustrissimæ Matronæ Catharinæ Boot*; quos grande illud sui sexus ornamentum, & nobilitatis Suecicæ gemma, tanto studio, diligentia, dispositione sua manu exaravit, &, quantum ad insignia attinet, depinxit, ut comparatum his laboribus *Theatrum*, quod dixi, vel defectu notitiæ plenioris, vel tractationis securitate, plane vilescat. Itaque spero futurum, ut à popularibus & propinquis exoretur Generosissima Domina, ne suam, ne patriæ nobilitatis gloriam, publicæ orbis notitiæ diu subtractam velit.

Antiquitates, & memorabilia cetera, sicut hodie, in cultioribus Europæ regnis provinciisque, multa industria & copia publicari novimus, ita non possit non negligens

gligens videri Peregrinator, qui talium monumentorum inquiſitionem, ante iter ſuſceptum, atque ubi ad manum non poſſunt ſtatim præſto eſſe, in ipſo itinere omittat. Quanto feliciori cognitione oculis præſentia ſubjiciet illa antiquitatis & artis miracula, qui (ut iterum exemplis utamur) *in Galeria Juſtiniana*, *in Galeria Richeliana* præcognoverit typis æneis ita repræſentata, ut & ante ſpectaculum, diſciplinam præbeant, & poſtea, memoriæ inſerviant? Quæ Romæ ſpectatu digna ſint, indicabunt tibi varii typi, varii libri, *Romam Antiquam*, *Romam Hodiernam*, *Romam Subterraneam*, *Jacobi Lauri*, *Boſii*, aliorumque induſtriâ exhibentes. Idem in aliis provinciis, Urbibusque nobilioribus factitatum conſtat. Quibus monumentis, tanquam indice Peregrinator ſerius utetur: ad exemplum *Peireſkij*; de cujus peregrinatione *Gaſſendus* refert: *quod plurima, quæ inter legendum auctores adnotaverat, in commentarios relata circumgeſtaverit.* Sicut & *deferre ſolitus erat ſelecta quædam numiſmata, quæ conferret cum ſtatuis, explorans cujusque ætatem & agnoſcens plerumque manum: cum ea foret ſolertia, ut momento diſcerneret, quid revera, quidque ex ſola imitatione foret antiquum.* *l. 1. de Vita Peir.*

De *annalibus* cujusque gentis ante Peregrinationem legendis, obvia ſunt eruditorum virorum monita; verſantur in omnium manibus ſcriptorum indices, & conſignati in hos uſus tituli. Prope eſt, ut miſerum dicam Peregrinatorem, certe operi ſuſcepto imparem, qui de uſu hiſtoriarum & lectione tum demum admonendus eſt: cum tota quodammodo Peregrinatio, diſciplina hiſtorica ſit; quæ & nova cottidie cognitione animum imbuat, & res ante cognitas, altius infigat. Quam in rem, appoſite ad Baronem Stupechium in Gallia tum peregrinantem, *Hugo Grotius epiſtola nondum edita* ſcribit: *Et ſane* *a. 1630.* *quum ad Ligerim acceſſiſſes, committendum Tibi non fuit, quin una conſpiceres tractum illum pulcherrimum & uber Galliæ, ripam dico utramque Ligeris, quæ à Bleſa ad Andes extenditur. Narratio tua meam mihi adoleſcentiam in memoriam revocavit. Nam & ego, quum eſſem in florido ætatis vere, vidi*

vidi summa cum voluptate & inviam illam arcem Ambaxiam; in qua Ludovicus XI. fuimet captivus fuit;

& quod bissena turre superbit opus.

Cum vero per se dulce est, hac præsertim anni tempestate, mutare cœlum, & vario rerum conspectu frui; tum vero res ipsas gestas altius infigit animo, locorum consideratio: quippe cum & illam, quæ arte traditur, memoriam, ex positu atque ordine locorum natam primum, veteres tradiderint.

Sed fortasse vetera hæc sunt, Germanico scilicet aliquo digna; ab hodiernis vero moribus longius remota: in quos nimis quadrat *Joannis Caselij* querela; *Peregrinationem tribus potissimum rebus inutilem vanamque fieri; cum & nimis Juvenes sunt, qui peregrinantur; & literarum præsidio carent; & scopum sibi certum non proposuerunt.* Contra hos mores, quid possumus facere rectius, quam vetustatem laudare? in qua non legimus, nobiles adolescentes, nisi in contubernio & comitatu magnorum Ducum atque Legatorum, peregre profectos, ut sub illis quasi magistris militiam, ac civilem prudentiam condiscerent. Quid enim sibi relictus in re tanti momenti proficiat, qui ex indole ætatis, non vane notatur Poëtæ

In Epist. ad Steinberg.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix?

Horat. in arte poet.

Non ignoramus, in ætate adolescentiori etiam aliquando fulgere eximiam virtutis indolem: sed rarioris exempli ista laus est. Itaque certiora præsidia à literis peti debebant; illis nimirum, quæ ad virtutem ac prudentiam duces sunt & magistræ. Sine virtutis enim ac prudentiæ auspicio, Peregrinationem omnem non inutilem modo sed periculosam esse, antiquitas

Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem,
qui domitor Trojæ, multorum PROVIDUS *Urbes*
& mores hominum inspexit.

Horat. epist. 1, 2.

Quis & qualis, providus ille Ulysses? Talis omnino, in quem conveniant illa ejusdem Poëtæ:

qui

qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis, art. Poët.
quo sit amore parens, quo frater amandus & hospes,
quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
partes in bellum missi ducis:

dissimilimus denique sociis suis, qui in eadem peregrinatione, cum animum bonis artibus non induissent, eventu non eodem usi sunt.

Sirenum votes, & Circes pocula nosti,
Quæ si cum SOCIIS STULTUS CUPIDUSQUE *bibisset,* V. 1, 2.
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors;
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Ulysses enim à patria; socij, à bona mente peregrinabantur. Ille, finem animo certum suaque virtute & sapientia dignum destinaverat: Hi sine proposito, sine consilio, ut alienæ peregrinationis additamenta ferebantur; venti mutabilis spolia, & inanes fortunæ ludentis pilæ, quatenus ductoris ope non servarentur, futuri.

Hodie ipsa multitudo peregrinantium, argumentum est peregrinationis non bene institutæ. Curritur ad Academias promiscuo cœtu, & in studia mittitur confusanea peregrinatorum turba: in qua sunt homines, nullo ingenio, nulla virtutis indole à vulgi fæce redemti: hi literatorum tandem nomina, munia, præmia invadunt, exemplo publice noxio. Sed de ista Peregrinatione Academica hodierni moris, alius fuerit forte quærendus dicendi locus. Nisi quod vel hinc intelligi potest, quid ab altera illa, quæ ad exteros instituitur, peregrinatione expectandum sit. Si enim Academiæ, quæ omnem peregrinaturo disciplinam debebant conciliare, profanos non excludunt: mirari nemo potest, quod tota videmus agmina inde in exterorum terras, non aliter tanquam in officinas licentiæ, luxus, voluptatum, deliciarum temere discurrere. Quibus cum serius nullus scopus sit propositus, frustra de studiis ad scopum ducentibus sermonem feceris.

Neque de iis nunc etiam differemus, qui scopum sibi sane, sed simplicem, & unius studii cognitione ter-

minandum proposuerunt. Ut, si quis Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ cognoscendæ caussa, extra Germaniam proficiscatur. In quo genere quæstionum, ante omnia constituendum foret, quantis domi præsidiis abundemus: ut deinde procedat dubitatio, quid foris quærendum, an & quibus periculis impensisve redimendum: itemque, utrum hujus quidem studij sectatores plus emolumenti, alia tractantes, minus auxilij sperare possint. Qua occasione, obiter & aliud agendo, iis, qui sermones nobiscum conferre volent, considerandum proponimus : *Annon Medicinæ deditus, plures & majores ceteris, quos signavimus, peregrinandi extra Germaniam caussas habeat ?* Interim satis meminimus, de Illustrium personarum peregrinatione susceptam esse tractationem : in quibus cognoscendi studium ample patet, & per omnia civilis vitæ præsidia ac ornamenta se porrigit. Igitur jam ante dictum est, plurimarum artium scientiam, quanta majoribus intento contingere potest, optandam esse. Inprimis autem *civilem prudentiam*, aureum illum ramum putamus, cujus ope non inferorum regna, quæ Poëtæ finxerunt, peragrare, sed totius mundanæ civitatis spatia, tuto, feliciter, utiliter conficere fas sit.

Ceterum, dum civilis prudentiæ studium peregrinaturo tantopere commendamus, usitata omnibus, paucissimis intellecta voce utimur; totamque vitæ publicæ privatimque regendæ ac ornandæ disciplinam eo sensu
A. 4, 33. conplectimur, quo *Tacitus* noster dixit : Hanc esse, *quæ honesta ab deterioribus, utilia ab noxijs discerneret.* Nam quod interdum *Politicæ* munus, solius utilitatis & consilij tractatu definitur, ad vocabuli distinctionem pertinet, quo adstrictius nonnulli utuntur. Cum autem nihil utile videri debeat, nisi quod honestum est: omnisque deliberandi ratio, ab eo, quod justum, æquum, licitum esse constat, tanquam à capite repetenda sit : satis apparet, insolubili nexu, honestorum scientiam cohærere illis, quæ docent, quid ex usu sit facere. Misera enim fuerit prudentia, opinor, quæ dubitet, rectene fiant, quæcunque publice

publice aut privatim agenda veniunt. Adest æterni Juris regula, in ipso jure naturæ promulgata, &, post corruptionis primævæ depravationem, in morali lege repetita: adsunt nobilissimæ amplissimæque hujus juris explicationes, & ad singularia applicationes, literis θεοπνεύστοις traditæ: adsunt, quæ ex immotis istis principiis, evidenter ac necessario consequuntur, decreta & præcepta: in quibus eruendis aut usurpandis, si qui non recte versantur (quod discretu facile est, si ad immotam & irrefragabilem, quam dixi, regulam, singulorum philosophia exigatur) non debet propterea convitiis, tanquam cœno, conspurcari & turbari ipse unicus fons omnium legum civilium, quas nonnulli, ut solum canonem adhiberi oportere, opinantur. Queritur vir citra controversiam doctissimus *Michael Piccartus, quod Bodinus Politicam & Architectonicam scientiam de gradu & dignitate sua dejecerit, dum ad jus Romanum Gallicumque solum hanc doctrinam restrinxit.* *comm. in pol. Arist lib. 4. c. 15.* Cujus generis errores Bodino, homini ingeniosissimo, sed confusioris eruditionis, fere solennes sunt: neque immerito doctorum virorum disputationibus convelluntur. at disputare cum iis, qui tam horribiliter eruditi sunt, ut revera nesciant, quid prudentia, aut quid civilis prudentia sit, quam infanda probrorum fœditate interim commaculatum eunt, nemo viros cordatos, nemo me jusserit. Rogandus potius est Deus, ut tandem intra suam pelliculam quiescere, nec ceteros homines pro fungis habere, doceat illos, qui aliis laboribus, nec immerito, intenti, hæc studia vix perfunctorie, ac confusim, adeoque perverse attaminarunt potius, quam tractarunt. Proxima Principibus & Rebuspublicis cura erit, ne in Academiis, ubi non hoc aut illud genus, sed universitas studiorum quæritur, ullius scientiæ amatoribus liceat alias disciplinas opprimere, aut sub nescio quibus titulis in pulverem scholasticum quasi defodere, quo minus earum salubritas in communis patriæ usus queat emanare.

Loquimur hactenus de iis studiis, quæ Peregrinatoris

 ris

ris animum in cognitione propoſita, non uno adjumenti genere, moderari ac inſtruere poſſunt. Cur ergo *Theologiam* diſtulimus nominare? cujus ope niſi fulciatur ubique & confirmetur civilis quoque prudentia, ad uſus deſtinatos haud perinde valebit; ſicut ſæpe Politices ſtudioſos monui, & exemplis illuſtribus, puto, ex amatiſſimo mihi ſtudiorum genere docui. Non eſt quidem ab omnibus expectandum, aut poſtulandum, ut Theologiâ accuratius ita nominari ſolitâ, ante peregrinationem penitus imbuantur. id enim eorum eſſe, dicent, qui ſacris literis omnem vitam, omnem operam dicare conſtituerunt; ſibi autem ſufficere, doctrinæ Chriſtianæ purioris, per capita ſummatim traditæ cognitionem. Hîc interrogandi ſunt, quid *cognitionis* vocabulo intelligant? Nimis enim, proh dolor! negligenter in religionis diſciplina plerique verſantur: adeo in ſacris literis intelligendis hebetes, adeo in momentis & vinculis doctrinæ Chriſtianæ conſerendis & aſſerendis rudes, ut quavis aura peregrina aſflante, huc illuc fluctuent, ſuæque inſcitiæ pœnas dent, non ſibi modo, ſed ſæculo fatales. cum interim cauſſari nequeant, occaſionem ſibi defuiſſe, ad confirmandum ſolidiori religionis intellectu animum, adverſus Peregrinationum hodiernarum pericula. Et hac quidem ſanctiſſima officij neceſſitudine omnes obſtringi conſtat. De cetero, quanta eſt, quæ in Academijs ultro offertur diſciplina, ut ex magni alicujus Theologi ore, aliquid interioris Theologiæ in controverſis religionis quæſtionibus, etiam ij non difficulter queant haurire, qui totos ſe his ſtudiis dare nequeunt? Ducebat huc ipſa Pietas, virtutum omnium anima & moderatrix: quæ niſi Peregrinatoris conſilia ordinet, ſtudia erudiat, mores componat, jam perierit nobis, quicquid bonæ ſpei, aut diſciplinæ, de Peregrinatione ordinanda animo concepimus.

Satis enim, ut arbitror, ex iis, quæ ſubinde inſperſa ſunt, judicari poterit; quicquid de ingenio & diſciplina Peregrinatoris diſputatum eſt, eo pertinere, ut à generoſa virtutis indole, omnia cognoſcendi auſpicia, &

proſi-

proficiendi præſidia repetantur. Sicut autem ethnicis familiare eſt, Religionem aliis virtutibus, ut partem contribuere; ita nos omnes virtutes reliquas, Religionis partes conſtituimus, eaque nominata nunc complectimur: exemplo ſanctioris philoſophiæ, quam in divino Moſe *Euſebius* commendat. Quem ſi magis explicate ſenſum debeamus dicere, ſumma diſputationis noſtræ huc redibit: *Fas eſſe, ut Peregrinator illuſtris, demiſſo gratoq; animo, coram Deo reputet, quod ingenium, in quos uſus, à Divina benignitate acceperit; eidemque pie ſupplicet, ne induſtriam aut occaſionem excolendi naturam, deficere patiatur. Et quoniam, tum ante Peregrinationem, tum in Peregrinatione, diſciplina multiplex, converſatio anceps, finis ubique idem proponitur; cottidie in conſilium & auxilium vocare convenerit ſupremum Numen. cujus unius ope, nobile cognoſcendi ſtudium ſelecto pabulo alatur, inoffenſa conſuetudine augeatur, & in reipublicæ uſum ac decus, pleno profectu exuberet.* *Præparat. Ev. lib. 8. c. 8.*

Supervacaneum pæne fuerit, ſingillatim hic tanquam in limine conſiderare, ordinaria illa hujus ſtudij inſtrumenta: *Notitiam, Judicium, Memoriam.* Rectius enim in ipſo opere animadvertere, ac in Peregrinationis tractatu; quantum poſſit, *converſandi cupiditas, percontandi ſedulitas, examinandi ſolertia; comparandi, meditandi, commentandiq; aſſiduitas:* quæque hujus generis alia curioſum Peregrinatorem juvant ac decent. Unum addam monitum: *ne memoriæ quantumvis felici fidat Peregrinator, niſi maximam ſui laboris partem velit perdere.* Sicut igitur ante diximus, *libellum conficiendum eſſe, in quo cognoſcenda & inquirenda circumferantur;* ita *in diario altero, cognita, viſa, audita, quanta fieri poteſt ſolicitudine conſignentur oportet.* Utriusque diligentiæ *Peireskius* ille ſpecimen dabit, quem perfectum Peregrinatoris exemplar ſupra cœpimus laudare. Is ſcilicet *Itinerarium ſuo ſibi marte apparavat, ſtatueratq; non ſic ex urbe in urbem recta pergere; quin, ſi hinc inde aliqua notatu digna memorentur, divertere illuc pro libitu poſſet. Hinc ſeſe nunquam in extraneorum comitatum ſponte adhibuit; & ubi ſe alij ipſi adjunxerunt, urbana quadam excu-* *Gaſſend. in Vit. Peir. l. 1.*

fatione sejunctionem brevi faciendam prævenit. Quæ autem viderat, studiosissime in tabulas memoriales retulit. *Sic inscriptionum etiam omnium* (utar iterum verbis Gassendi) *quæ saperent antiquitatem, habere voluit apographa. Rursus codices mss. seu Vaticanos, Farnesianos, seu alios, non quantum quidem libuit, sed quantum tamen licuit, evolvit: & quotquot inter cæteros maxime rari visi sunt, adnotavit in tabulis. Sic adnotavit etiam vasa, pondera, mensuras, cælaturas, nummismata, simulacra, imagines, & quicquid demum notatu dignum occurrit, in Metallothecis, iconothecis, in promtuarijs, Musæis, Xystis, Pergulisq; varijs.* Cui fini, cum *delineationes rerum memorabilium habere vellet, deduxit pictores, qui non modo statuas, intemerataq; alia opera, sed truncos etiam & ruinas ædificiorum veterum, quæ occurrerent, adumbrarent.* Atque ita faciendum fuerit, per omne cognitionis Peregrinatori propositæ argumentum: de quo nunc aliquid annotandum est.

COGNITIONIS *Peregrinatori propositæ* ARGUMENTUM *per partes nobiliores expenditur: præmissaque Germanici historia huc pertinente, ad usum familiarem ac interiorem quadam observationis & meditationis repræsentatione attemperatur.*

Sicut autem cognoscendi studium, in Germanico summum fuisse instruxissimumque, partim ex historia scimus, partim ex tot artibus ac virtutibus, quibus adornatus fuit, tum ex ingenio aulæ temporisque, accuratissima agendi discendique consuetudine singulariter præcellentis, haud difficulter colligimus: ita præsentior nobis disciplina in ipso peregrinationis negotio, & cognitionis

nis intentioris opere, per omne ampliſſimi argumenti genus, panditur. Agite enim, ſequamur Heroem noſtrum, *Româ in Illyrium tendentem; inde viſo in Dalmatia fratre Druſo, per mare Hadriaticum & mox Jonium, in Achaiam pervectum. Hinc Athenas, deinde Eubœam petiit: è qua tramiſit Lesbum. tum extrema Aſiæ Perinthumque ac Byzantium Thracias urbes; mox Propontidis anguſtias, & os Ponticum intravit. in regreſſu ſacra Samothracum viſere niſus, cum alio depulſus eſſet, quæque oblata erant, luſtraſſet* (hic enim deficit hiſtoria *Taciti*, inepte & fruſtra negante ac emendante *Ludovico Aureliano*) *relegit Aſiam, appulitq; Colophona. Poſtea Rhodum itum eſt. Mox ad Armenios reipublicæ negotia Germanicum vocarunt. Sequitur Ægyptiacum iter: unde remeans in Syriam, Antiochiæ morbo implicitus Heros longiore vita digniſſimus ſuum diem obiit.* Tac. 2. A. 53. 54. 55. 56. 2. A. 59. 60. 61. 69. 72.

Nec inſuave, nec intempeſtivum eſſet, totius itineris hujus ſeriem animadvertendo proſequi, &, quæ tum temporis ſingulis in locis cognitione digna celebrabantur, annotando repetere. Neque enim dubitandum eſt, quin omnia diligentiſſime perſcrutatus ſit Germanicus, quæ *Tacitus* generatim *Celebritatis & Antiquitatis* titulis, multa rerum diverſitate ac veritate membratim diſtinguendis, annotavit. Sed manebimus in iis, quæ Hiſtoria voluit conſpectiora eſſe; vel in *cognitione*, vel in *converſatione* tanti Herois: ad cujus exemplum aliqua deinde non inutiliter forte, in gratiam Peregrinatorum illuſtrium, ſubjici poterunt.

Quando igitur Germanicus rebus Ægyptiorum noſcendis, *Sacerdotum opera uſus* memoratur, ſtatim illud ἀποδημικὸν ἀκρόαμα, *Diſce à peritis*, nobis in mentem venit. Veriſſimo equidem Arabum proverbio jactatur: *ſapiens à quolibet diſcit*: quod & ipſum peregrinantibus vice legis eſſe debet. ſed à quolibet ſcilicet, juxta cujuslibet captum, ab agricola res ruſticas, à nautis ventos, à milite prælia, à negotiatore mercaturam, diſcendum eſt. ne dicam, fecundum & ſollertem peregrinatorem, dum nullum genus hominum aut colloquiorum, quatenus licet, negligit, etiam ex fortuito, ex temerario errantium ſermone haud parum proficere. Interim, quærendi inprimis 2. A. 60, 4.

primis sunt, qui scientia rerum & experientia, & ætate præstantes, suæ quisque patriæ res disserere queant. Ægyptiorum sacerdotes, ut *ἄνδρας φιλοσόφους καὶ ἀστρονόμους* *viros sapientes & sideralis scientiæ peritos, Regumq; convictu assuetos, Strabo & Herodotus* (qui eis multum suæ historiæ debere fatetur) describunt. Et quanquam *Strabo*, his temporibus, antiquæ eruditionis laudem valde imminutam notet, nonnullos tamen eximios subinde repertos, nolim negare. atque hinc fortassis in ipso Germanici exemplo, non obscuro *ex senioribus Sacerdotum* delectu, *unus* interpres assumitur. *Homeri* sapientia huc spectat, quando Ulyssi suo, ad exploranda loca peregrina, & cognoscendas res gentium digredienti, vel Mercurium, vel sapientem virum, comitem, monitorem, magistrum, interpretem occurrere facit.

lib. 17.
lib. 2.
Vide Philostr. Heroica. & Jul. in Euseb.

Monuit me *Herodoti* exemplum, in Peregrinatione sua ad scribendam historiam varia ab idoneis hominibus subsidia conquirentis: ut de recentiore *Thuani* studio cogitem. Nam & ille, non tantum, *plura se in literis hominum literatorum & amicorum consuetudine, quam proprio labore profecisse*, ingenue non semel testatur: sed etiam ad opus historicum, cum undiquaque materiam compararet, *per peregrinationes in adolescentia, virorum illustrium tota Europa aut per literas aut coram contraxisse familiaritatem, Gallorum inprimis, qui res magnas sub regibus gesserunt*, commemorat. In quo genere convictionis magna prudentia & cautione utendum est. sunt enim magnis quoque viris sui nævi, suæ artes. alius studio partium, alius odio nationis, nonnulli certo ingenii proposito, adventoribus nec patere nec intelligi volunt: si præsertim desit artificium incantandi, ut sic dicam, penetrabilia carmina, quibus è latebris extrahantur animorum secreta. Invenies etiam aliquando *Cardanum* aliquem senem, qui dicat, *quid mihi cum hominibus? In brevi utique vita parum superest ad nugas. quam enim partem dedero illis? contemplationis? injustus sim & impius. Scribendi? stultus. Ut redeam ad labores quos subterfugere poteram? otij parricida mei, ut &c, si exercitationis, somni, domesti-*

Comment. de Vit. l. 1.
lib. 5.
Cardan. de Vit. propr. cap. 15.

domesticorum negotiorum. Deinde cum quibus? amicis? frustra: operam enim meam desiderabunt, non colloquia. aliis? quorsum? peritis? illi plus multo forsan existimabunt se scire, quam ego. &, si sciant, contentio erit de genere, si velim discere. quorsum? si docere, erit impudentia & prodigalitas, sua effundere, ut nil nisi odium quaeras. An etiam uni soli, an multis simul? si multis, quando finis? si uni, an tibi is Deus erit? movebis etiam aliis invidiam, ut rursus in pelagus cogaris descendere turbulentum: loquentur etiam plures simul, & clam te irridebunt: multis occasionibus te expones nullo lucro.

Ab his ergo, qui omnes excludunt, nullum fuerit periculum, majus ab illis, qui omnes admittunt, imo arripiunt; ut θαυμαστὰ ἀκύσματα speciosasque de variis rebus fabulas longe lateque propagent, & peregrinantium aures, modo loquacitate, modo inepta sedulitate, modo famigeratione fascinent. Qui enim semper hoc agunt, ut aliud aut nihil agere alios doceant, vanitati suæ tandem decoram speciem, ac veluti sanioris habitus colorem appingunt. Qui his nugis & nugatoribus vacare sustinent, illis non erat peregre eundum, ut sumptuosius tempori illuderent; atque interea ignorarent viros, illustribus meritis non magis ad ornatum sæculi, quam politiori convictu ad commoda adeuntium factos: quorum colloquia, notitiæ, amicitiæ, præcipuo peregrinationis labore impendioque emi debuerant. Hæc enim vera Peregrinatoris schola est: eximiorum in unaquaque gente hominum, modo experientia & usu, modo doctrina, erudiri; hujus comitate foveri, illius familiaritate æstimari: præsentis profectus rationes, cum futuris utilitatibus, felicitate sapiendi connectere. Quid homini Reipublicæ gerendæ nato factoque ad laudem insignius, ad agendas res efficacius, quam electis virorum idoneorum notitiis, quas Latinitatem insuper habentes *correspondentias* vocant, undique subsidia, nec cognitionis modo, sed negotiorum, comparata & prompta habere? Atqui Peregrinationis iste labor erat, ista provisio: absentium industriæ vix umquam ad votum successura. An hoc facile

cile est, inquis? Næ facile; sed intelligentibus, sed bene moratis, & de propositi melioris fructu semper cogitantibus. Itali illius acerbum sed verum est verbum, quando nonnemini de Italorum minus familiari convictu conquerenti, *At vos Peregrinatores,* respondit, *cujus hominis consuetudine in Italia uti soletis, præterquam cauponum, mercatorum, lenonum?* Dictum sapienti sat est.

Inter alias Peregrinationis curas, Germanicus (ut ad hunc redeamus) etiam *Colophona appulit,* ut *Clarij Apollinis oraculo uteretur;* quod describit *Tacitus.* cui *Strabo* addendus est. *Religio* poterat videri, quod celebratam oraculi sedem adire ac venerari voluit; neque dubitandum est, quin hac in re suum in Deos & Sacra studium vel pascere vel erudire concupiverit. Quomodo enim, qui omnis argumenti humani scenam sibi perlustrandam destinaverat, ab illa cognitione abstinendum judicaret, quæ tantum famæ, auctoritatisque nullibi non obtineret? Quod si etiam credidit oraculo, idque magni æstimavit, non jam Religionem in eo, sed *curiosam superstitionem* agnoverim; tanto Heroë indignam. Certe, ut exitium ipsi prædiceretur, nullo opus erat Apolline; nemo enim id melius, quam ipse sibi vaticinari poterat: non ignarus quæ Patrui mens, quæ artes, qui in scelus stimuli. Jam quid est, quod *per ambages* & inclinatura quo ducerentur verba Clarius ille deus respondet? suspecta cuivis non stulte cogitanti poterat videri ista obscuritas. Nisi tamen *mos oraculorum* (de quo Historicus) hic quoque dictat, reverentius esse credere, quam disputare. At vero illum ipsum morem, fraudis nomine suspectum non paucis fuisse, & esse debuisse, non poterat Germanicus ignorare, vel ex iis, quæ *Cicero* circa divinationes disquisivit. Nihil dicam de versibus, forte, si extarent, inconcinno satis & absurdo habitu, deridiculo futuris: Nihil de exemplis magnorum virorum, qui jam olim artes & imposturas ejusmodi & deprehenderant, & contempserant: nihil de cacodæmonum præstigiis, quos illam Sacerdotum ignorantiam facile potuisse supplere, Germanicus haud nescivit.

2. *A.* 54. *lib.* 14.

vit. quanquam, ut huc deveniretur, quid opus erat? cum, quod prædictum est, ex fama & multa veri similitudine potuerit fere conjectari. ambiguorum autem ejusmodi carminum in varios usus copiosa suppellex rudibus illis Sacerdotibus, citra omnem miraculi suspicionem, præsto esse poterat.

Videamus, quid hodie Peregrinatoribus nostris, *circa religionem*, in more sit positum. Quam negligenter instructi plerique peregre proficiscantur, ante dequesti sumus. Ejus rei memores decebat utique secum habitare, neque altum sapere. At illi, faciles & incautas omnibus aures præbent: speciosasque de religione fabulas, quia refutare per ignorantiam nequeunt, pro oraculis habent. Quo fit, ut non modo de una religionis formula in aliam secure transeatur, sed inter religionem veram & nullam sæpe id tantum temporis intersit, quo peregrinus aër hauritur. Ponam unum specimen, ex quo cetera pronum est intelligere. Prima & unica omnis religionis regula est, verbi divini auctoritas: quam nemo sanus detrectare potest, quotiens credendorum singula claris apertisque verbis animadvertit exhiberi. Interrogato ergo alicui, *de resurrectione carnis*, postquam clarissima ex utriusque Fœderis tabulis testimonia attulerit, sophista occentabit: annon illa verba in V. T. quibus tu resurrectionem ex mortuis clarissime putas signari, satis apte de liberatione aliqua ex ærumnis, captivitate, aliisque malis poterunt capi? Atque ita in ceteris semper, nec sine colore aliquo, illa nænia audietur: quid me cogit hoc potius, quam illo sensu scripturam exaudire? quidni ita liceat capere? Stupui non semel, ad impetum tam futilem, inexpugnabili munimento se evolutos fateri homines, qui nolebant videri futiles. Nihil dicam, de prohibita ejusmodi arbitraria scripturarum sacrarum interpretatione. Si ullius interpretationis ratio, ex naturali modo intellectus humani, tibi cognita esset, eadem opera scires, vim ac indolem dictorum non deserendam esse citra necessitatem; quæque illa necessitas esset, non ignorares:

adeoque nullo negotio ſperneres ineruditam iſtam næniam; quæ ſi valere debeat, nullus in ullo divinæ humanæque ſcripturæ genere certus remaneret ſenſus. Quod ſi autem, prima iſta omnis intelligentiæ rudimenta negle-xiſti; meminiſſe debebas, illud antiquum: ne Sutor ultra crepidam. Quid? tune omni doctrina ſolidiore vacuus & Theologiæ rudis, hominum eruditorum & callidorum ſtrophas, & σοφὰ φάρμακα, ineptiſſimo ill[illegible] judicandi genere excipies: vera puto, quia mih[illegible] invenio quod contradicam? Pro quo, res in[illegible] te hortabatur, ut ratiocinareris: *Ego, quia [illegible] ingenium, illa commentatione, illis artibus, quibus [illegible] falſo verum diſcernitur, & controverſiæ dijudican[illegible], non exercui; temerarium facinus putare debeo, ſi mihi arrogarem judicium de cauſſa religionis & Theologorum diſputationibus: quippe qui ſciam, & manibus cottidie palpare queam, falſiſſima & abſurdiſſima quadam refutari à me plane non poſſe. Unde nil mirum, ſi & veriſſima nequeam defendere. Cur ergo aures animumq́; accommodarem curioſis & ſubtilibus, de ſapientia Dei, de potentia Dei, quæſtionibus* (nam & hi ſolemnes Peregrinatoribus ineruditis ſcopuli objiciuntur) *cum in rebus cottidianis & vulgaribus non raro hæream? De Hiſtoria autem Eccleſiaſtica, quæ mihi afferuntur, qualia ſint, juxta cum ignariſſimis ſcio; qui nunquam vaſtum illud pelagus ingreſſus ſim, ac ne à portu quidem aſpexerim.*

Si hac cautione Peregrinatores uterentur, futurum erat, ut de pleniore Chriſtianæ veritatis diſciplina ſibi potius deinceps cogitandum, quam ad corruptam religionem, deſultoria levitate feſtinandum putarent. Quantum autem ad ſtatum religionis in unaquaque gente penitius noſcendum attinet, non video, quemadmodum illa cura, niſi erudito eximie & pie prudenti Peregrinatori, delegari poſſit. Sumat, qui judicium in eo argumenti genere cupit exercere, *Honorij Reggij (Georgij Hornij) de ſtatu Religionis in Anglia commentarium*; & meditetur: quomodo optaſſet ipſe in ſingulis partibus, deſcriptionem inſtitui; quid putaſſet hic illic amplius requirendum; Unde cognitionis exactioris momenta erui, quo con-

contextu, in suos necti articulos potuerint. Sed hæc altioris indaginis sunt. Nobis propositum erat, Peregrinatores, ne quid temere, præcipitanter, aut per assentationem, in religionis negotio, cujus tenerrima est tractatio, admitterent, obtestari. De omni enim, cum diversæ religioni addictis, religiosis ac civilibus hominibus, convictu, definitus dissertationi modus non patitur, ut agamus.

Sicut nec de *Curiosis artibus*, quas nonnulli Peregrinatores ut oracula sibi expetunt, sermonem ordiri licet. Non esset alias difficile ostendere, pleraque *nugis & imposturis* abundare, quæ sub tali titulo hodie involvuntur: frustraque ab illis tractari, qui nec eruditione, nec sollertia ad discernendas naturæ vires, ad æstimanda subtilis ingenii inventa sunt instructi: tempori denique, melioribus vitæque utilioribus disciplinis destinato injuriam fieri, attendendo illis rebus, quæ plurimos, modo sub arcanæ scientiæ & secretioris philosophiæ, modo sub naturalis magiæ imagine, ad verissimas superstitiones & curiosæ impietatis sacra imbuunt. Potuissemus ab Astrologia initium facere: quam, donec Theologi scripturis, philosophi rationibus oppugnarunt, semper occasionem suspicandi sibi relictam caussati sunt aliqui, quasi non satis illi mysteria mathematicarum scientiarum intelligerent. At postquam inter Principes doctissimorum Mathematicorum suspiciendus, *Petrus Gassendus*, omnes Astrologiæ apotelesmaticæ hypotheses, singulasque artificij curiose structi partes, in propria domo, ut sic dicam, domesticisque viribus, vanitatis convicit ac funditus delevit: non video, cur repertis frugibus, glande pasci velint, quicunque probatum dare nequeunt, glandes frugibus meliores esse. nisi enim id propediem fiat, exequias ire tempus est *stultæ illi filiæ, quæ suo apud magnates quæstu sapientem matrem* (ex *Keppleri* dicto) *alere consueverat*. Huic ergo curiosarum artium principi extinctæ, haud gravatim ceteræ matæotechniæ, si instituti ratio ferret funus apparare, consepelirentur.

in Phil. Ep. tom. 2.

Tac. 2. A. 60, 3. Sed vocat nos ad meliora Germanicus, *Thebarum Ægyptiacarum memoriis* intentus. apud quarum vestigia *manebant structis molibus literæ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexa.* Moles illas, *Obeliscos* vocat *Strabo*, in quibus fuerint
lib. 17. ἀναγεγραφαὶ δηλοῦσαι τὸν πλοῦτον τῶν πάλαι βασιλέων καὶ τὴν ἐπικράτειαν, *inscriptiones quibus Regum priorum opes viresque ostenderentur.* Antiquissimum memoriæ genus *columnæ* & obelisci. Sethi columnas *Josephus* memorat: Jovis Tri-
ἀρχαιολ. 1. 3. phylij *auream columnam, in qua gesta sua perscripserit, ut mo-*
Inst. 1. 11. *numenta essent posteris rerum suarum*, ex Euhemero *Lactantius* refert. Ægyptiis autem cumprimis tribuit *Josephus*
contra Apion. 1. ἀρχαιοτάτην καὶ μονιμωτάτην τὸ μνήμης τὴν παράδοσιν, *antiquissimam & durabilem ad posteros traditam memoriam,* quam luculentius commendat in hæc verba: καὶ πολλὴν ἐποιήσαντο πρόνοιαν τοῦ μηδὲν ἄμνηστον τῶν παρ' αὐτοῖς πραττομένων παραλιπεῖν, ἀλλ' ἐν δημοσίαις ἀναγραφαῖς ὑπὸ τῶν σοφωτάτων ἀεὶ καθιεροῦσθαι. *Maximopere dederunt operam, ne quid rerum suarum indictum prætermitteretur, sed publica scriptura à sapientissimis semper hominibus, memoriæ consecraretur.* Quales autem *literæ Ægyptiæ*, de quibus historicus mentionem facit? Haud dubie intelliguntur notæ illæ *hieroglyphicæ*, quas *Apuleius* & *Ammianus Marcellinus* vocant *ignorabiles.*
Hist. nat. 36. 8. Clarius ad nostrum locum *Plinius*: *etenim sculpturæ illa effigiesque, quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ.* loquitur autem de obeliscis Ægyptiis, ac nominatim Thebaicis; imo de illo ipso Obelisco Ramsis (f. Ramisis) Regis, cujus tempora & opes *Tacitus* inscriptas & Germanico expositas refert. Specimen aliquod talium literarum habemus in vetustissima *Tabula Ænea seu mensa Isiaca*, quam anno superioris sæculi LIX ex *Torquati Bembi Musæo Æneas Vicus Parmensis*, viriculo feliciter assecutus omnia, expressit editque; *Laurentius* autem *Pignorius* tandem erudite peculiari libello explicavit.

Ipsam scripturam literis Ægyptiis consignatam ita exponit *Tacitus*: *Habitasse* Thebis *quondam septingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya, Æthiopia, Medisque & Persis, & Bactriano ac Scytha potitum;*

quæque

quasque terras Suri Armeniiq́ & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperiò tenuisse. legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorumq́, & dona templis ebur, atque odores, quasque copias frumenti & omnium utensilium quæque natio penderet: haud minus magnifica, quam nunc vi Parthorum, aut potentia Romana jubentur. Quibus verbis accurata exhibetur Thebarum notitia; & qualis observandi studio deditis exempli loco esse queat, cum de statu seu descriptione Reipublicæ quæritur. *Rhamse*, qui hic ponitur, regnante, Ilium captum esse, *Plinius* auctor est. 36, 8. Si is est cap. 12. Rhampsinitus, de quo *in Euterpe Herodotus*, tempus non disconvenit. Sub Proteo enim Helenam in Ægyptum venisse ferunt: Proteo autem Rhampsinitum successisse. Nec alius Regum opulentior memoratur. Cum hæc legeret Germanicus, non dubitandum est, quin de rerum humanarum instabilitate & diversis vicibus cogitaverit: quasi quis verbis *Philonis Judæi* diceret: Αἴγυπτός ποτε πολλῶν ἐθνῶν ἡγεμονίαν εἶχεν, ἀλλὰ νῦν ἐςὶ δούλη, περὶ Ιωσήφ *Ægyptus quondam multas gentes imperio tenuit; nunc ipsa servit.* Neque superfuisset hæc ipsa comparationis instituendæ materies, nisi *admiratio operis* (obelisci) *effecisset, ut cum Thebas expugnaret Cambyses Rex, ventumq́ esset incendio ad crepidines obelisci, extingui ignem juberet molis reverentia, qui urbis nullam habuerat,* teste *Plinio.* Postea, moli quoque tam celebratæ hist. nat. fatum venit: ut jam amplius, & plenius cum *Philone* po- 36, 9. tuerit dici: ἐπηνδοξεῖ πόλις λαμπρὸν καὶ ἐπιμήκιστον Αἴγυπτος, ἀλλ' ὅτι ἀτρ. τῶ ὡς νέφος αὐτῆς ἡ μεγάλη παρῆλθεν εὐπραγία. θείων. *Multum sibi quondam amplitudine & majestate sua placuit Ægyptus, sed felicitas ejus tanquam nubes præteriit.* Tales enim cogitationes in animo Peregrinatoris, ipsa rerum celebritas excitat; atque nunc præteriti memoriam temporis, nunc mutationum vices, sortemque hominum meditanda subjicit. id quod vel reliqua Germanici exempla ostenderunt, cum sinus *Actiaca victoria inclutos, & sacratas ab Augusto manubias, castraq́ Antonij, cum recordatione majorum suorum adiit,* 2. A. 53. *magnamq́ illic imaginem tristium lætorumq́ reperit;* itemque

cum

1. A. 61. & 62. cum ante id tempus, locum *Varianæ cladis* ſpectavit: niſi obeliſcus Thebaicus nos adhuc retineret.

Dum enim *notitiam Reipublicæ accuratius deſcriptam* oſtentat, Peregrinatores de præcipuo ſui ſtudij argumento admonere poteſt. In Prudentia civili comparanda, hoc eſt nobile præ cæteris ſubſidium, ſi *interiorem Regnorum, aularum, rerumpublicarum cognitionem* tibi proponas animo: non ſane in columnis hodie deſcriptam, neque illis libellis, quos ante nominavimus, niſi per rudiores lineas & formas non diu ſibi conſtantes, expreſſam; ſed ex ipſo negotiorum tractatu, ex tabulariis publicis, ex conſiliorum viſceribus penitiſſimaque inſpectione momentorum ſtatus eruendam. 1. offic. 25. *Ciceronis* equidem præcepto *Peregrini & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio inquirere, minimeq́; in aliena eſſe republica curioſum.* Certe ſi rebus alienis importuno arbitratu ſe Peregrinator ingerat, dedecori ſe exponet & periculo, quod ne tum quidem vitabitur, ſi innoxiam curioſitatem, neque alienis tractandis, ſed ad ſua olim tractanda noſcendis intentam, tempore locoque minus idoneo exerceas. Non pacebunt tibi duræ, ſed præſertim peregrinis, Archivi fores: niſi quatenus emittunt publicantque ea, quibus ſtatum ſuum extrinſecus conſpici cupiunt. Quanquam non deſint plane exempla penetrabilis in hoc genere induſtriæ: quæ nunc non ſine ratione queunt præteriri. Sed reperiuntur fortaſſe ubique viri, omnem ſuæ reipublicæ aulæve conditionem ingenio uſuque complexi: qui nefas non putabunt, cum Peregrinatore digno & capace, conciliandisque illuſtribus amicitiis per virtutis indolem apto, ſermones de republica accuratiores & ſecretiore ſapientia plenos cædere. Fiet hoc inprimis, ſi Peregrinator reipublicæ deſtinatus, generis nobilitatem idoneis, quas dixi, artibus ita conſpicuam fecerit, ut qualis in civili negotio tractando ſit futurus, prævideri quodammodo poſſit. Tales enim juvenes animis curisque virilibus, maximus quisque virorum civilium, in varios uſus futuri temporis, familiarius adhibet, mutuamque

tuamque ſibi aut reipublicæ ſuæ operam, non ſimplici augurandi ſollertia, tacite veluti paciſcitur. Nam figura elegantioris ſtili non utar, qua præſtantes naturas arcano animorum conſenſu invicem dicunt conciliari.

Proximas in hoc ſtudio partes, *publica actorum ſcriptura* vindicat: quando controverſiæ & tractationes ad interiora Reipublicæ pertinentes conquiruntur. Hæc enim atque talia, ubi ſemel in diſceptationem ivere, non poſſunt agitari, quin myſteria ſtatus, ut ita dicam, introſpiciantur, & ſacra civitatis commoveantur. Verum, in conquirendis potioribus & rarioribus ejuscemodi monumentis, non minimum laboris & ſollertiæ requiritur. Pertinent huc etiam *Magnorum Legatorum commentarij*; vel ideo legendi, ut nobilibus exemplis diſcatur, quantum reconditæ obſervationis habeat notitia reipublicæ alicujus; ad cujus intimas ſcilicet rationes Legati curæ conformantur. Teſtentur de hac diſciplina, illuſtria opera, *Legationum Philippi Canaij*, *Literarum Arnoldi Oſſati*; & in arctiore ſcriptura *Caroli Paſchalij Legatio Rhatica*: quæque ad hanc formam alia componuntur. Quod ſi in diverſam partem exemplum quæritur, prorſus ſingularis eſt caſus viri illuſtriſſimi *Pauli Foxij Gallici ad Pontificem R. ſuperiore ſæculo Legati*: cui magno ſcilicet & Regii & proprii nominis detrimento ſtetit, quod ab animadvertendo aulæ Pontificiæ ingenio, iis rebus nixæ, quibus alii ſtatus intereunt, hominum callidiorum artibus paſſus eſt ſe abduci. Commemorat notabiliter *Thuanus*, arcani totius particeps *in commentariis de vita ſua*. *lib.1.*

Atque his labyrinthis quem Theſeum, quæ Ariadna ſatis expediet? Amat aula multis involucris tegi, coloreſque ſubinde mutat: ſuo ingenio dicam an artificio? Quod ſicut varie ludit, & diſtrahit contuentium aciem: ita non minus ample patet Fortunæ ludentis mobilitas, quæ ex non opinato, modo aperte, modo oblique occulteque novum aulæ vultum fingit. Non enim dixerim, illum notitiam aulæ alicujus adeptum, qui talia cognovit, quæ in formulam aut regulam ire poſſunt. Placuit ſane, atq;

E post

post *Albericum Gentilem* & *Carolum Paschalium*, studiosius erudire Legatum visus est *Fridericus de Marselaer*; quod inter alia, *habitum Aulæ Cæsareæ, Hispanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Pontificiæ, Ottomannicæ* stilo signare voluit. Sunt ista ejusmodi, ut ignorari non debeant. Sed Peregrinatori meo, facile talem plerarumque aularum cognitionem promiserim. Interiorem autem, tamque sæpe commutabilem, & ad momenta politici tractatus propius valentem notitiam, altioris in explorando indaginis, in æstimando judicij esse, nemo abnuerit eorum, qui capere possunt, quod dicitur. Pauci interim sunt, pauci, qui

clara suæ possunt præpandere lumina menti,
res quibus occultas penitus convisere possint.

Neque est, quod à nobis postuletur, ut in multa caligine positam hanc argumenti partem, orationis lumine illustremus. totius enim operis res esset, non compendiariæ annotationis, quam exorsi sumus.

Igitur nec ceteris Ægyptiis miraculis, quibus Germanicus animum intendit, immoramur. In quibus *Pyramides*; non magis mole operis, quam *pecuniæ regum otiosa ac stulta ostentatione nobiles*, si *Plinij* judicium sequimur: *tum receptacula Nili, fossæq; & lacus*, de quibus plerique, qui Ægyptum descripserunt: ut &, de *Memnonis saxea effigie, vocalem sonum reddente*, cujus historiam tot fabulæ obscurant. Notarunt pleraque diligenter *Schottus ad Ortelium de expeditione Alexandri, & Raderus ad Curtium. Philostrato* ibi memorato, addendæ sunt inprimis etiam *Callistrati ἐκφράσεις, εἰς Μέμνονος ἄγαλμα*, sive *expositiones, titulo, in statuam Memnonis.* Fuisse autem Memnoniam statuam, non mechanico aliquo artificio ad sonum edendum fabrefactam, sed *magice consecratam*, *Vetus Juvenalis Scholiastes* monet; & exemplis illustrat *Claudius Salmasius in notis ad Vopisci Aurelianum.* De cetero, jam ante innuere voluimus, *Antiquitatum variarum cognitionem* eo prosequendam studio, quod historiæ temporum, inventis artificum, interpretationi propositorum politicorum in quavis republica, lucem queat inferre. Sicut nec ipsa naturæ opera

2. A. 61.

Hist. nat. 36. 12.

4. 8, 4.

ad 15. Sat.

opera tam otiose contemplabitur Peregrinator noster, sicut vulgo moris est. Ecce tibi è Gallia *Franciscum Candalem*, rara & laudabili industria, dum apud Benearnenses aquas superiori sæculo moratur, stimulatum, ad conscendendum varia machinarum & instrumentorum ope Pyrenæorum montium, qua altissimi sunt, cacumen: ut dioptræ subsidio rationem altitudinis iniret, omnibusque de ea re cogitandi, novaque experimenta cum veterum de altitudine montium sententia conferendi, occasionem suppeditaret; sicut *Thuanus* suavissime describit. Ita, si ad Ægyptum respicimus, de natura Nili, de animalibus & similibus rebus, quicunque illuc adiere, novimus disquisivisse. *Comm. de Vit. lib. 2.*

An inter peregrinandum aliquis etiam esse *studiis* potest locus? Equidem studiorum nomine, omnem queas Peregrinatoris cognitionem laudare. Sed nunc illo loquendi genere non utimur, cum interrogamus, *an studiis quoque vacare possit Peregrinator?* Ponam tamen aliqua exempla, quæ singulari temporis redimendi & dispensandi peritia, id est, virtute Peregrinatoribus unice apta præcellunt. De Paulo Foxio ita *Thuanus: ex quo Parisiensi Senatu excessit, & Legationibus operam suam addixit, sic vitam instituerat, ut peractis negotiis, quæ summa cura & diligentia administrabat, nullam sibi horam perire sineret, quam seriis studiis non impenderet:* videri digna sunt, quæ sequuntur de anagnostis in Aristotele & Cicerone, tum de modo tractandi eos libros. Franciscum autem Cardinalem Turnonium *idem Historicus* memorat, *duxisse in Italia & peregrinationibus comites, homines literis præstantes, & tanta cura fovisse, ut Arnoldus Ferrerius, qui in ejus familia, diu ex numero eo fuerat, dicere soleret, nunquam se domi tam placide & assidue studuisse, quam dum Turnonium sequeretur. sic enim illi in comitatu aulico usum fuisse, ut simulatq; ex equo descendisset, conclave philologis suis destinatum ante omnia adiret, & inspiceret, an capsa librorum, quæ peculiaribus mulis portabantur, &, ne mora fieret, cum iis, qui lectum & supellectilem charthaceam suam portabant, pariter incedebant, advecta essent: quibus advectis & mensis cum* *Comment. de Vit. 1.* *de Vit. l. 2.*

sedilibus appositis ad studium illos hortari, ipsum vero ad regem, cui in summa rerum imperij serviebat, pergere solitum fuisse; ad prandium vero cum mensa ejus cunctis extraneis magnifice pateret, cœnam ad paucos & familiares contractam fuisse, cui Philologos suos adhibebat. Beatiorum & illustriorum exempla, scio me ponere; quorum mensuram paucis contingit implere. Ad illud autem, quod dicam, omnibus æque Peregrinatoribus respondendum arbitror: *Velitne, qui aliquid memoratu dignum in studiis profecit, per aliquot peregrinationis annos, eorum tractatu, non sine certo decrementi, ac defectus damno, abstinere? Fieri ne possit, ut e. g. facultas Latine scribendi semel comparata, si tantum intervallum interjiciatur, quo à lectione politiori & scriptione cessaverit, non intereat?* Quam in rem, ut hoc obiter addamus, utile fuerit, *Philippi Sidneij* studium imitari, qui *Hubertum Languetum* delegerat, cujus literas subinde provocaret & repensaret, ut collatis utrinque rerum scitu dignarum observationibus, nobile scribendi commercium aleretur. Quid porro, ipsa peregrinatio ex se legendum cottidie ac commentandum Peregrinatori, qui ullius boni propositi se memorem præbet, objiciat, ex iis quæ dicta sunt, satis intelligitur.

Tempus est, ut videamus, qua *consuetudine* usus sit Germanicus, quo *rerum modo conversationem & convictionem* suam cum aliis, ubique temperaverit: Ex iis enim, quæ historia suggerit, cetera colligas licet. *Cicero* totam cum aliis vivendi dexteritatem *Decori* appellatione complecti solet. Licet enim in omni genere virtutis id spectari velit, maximam tamen ejus vim in hac parte inesse statuit, quæ in consuetudine vitæ & usu convictuque mutuo versatur.
1. offic. 28. satur. quatenus scilicet, ut ipse loquitur, *movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine & constantia & moderatione dictorum omnium atque factorum. Tacitus*, in Germanico ad certos titulos retulit, summamque hujus laudis præsertim notabili charactere signavit in hunc mo-
2. A. 72. 3. dum: *Magna illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuq; & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat.* Huic elogio exempla

exempla è Peregrinatione subjici debent: quando legatis Parthorum, *de societate Romanorum Parthorumq; magnifice; de adventu regis & cultu sui, cum decore ac modestia respondit*: quando *fœderi sociæ & vetustæ Athenarum urbi dedit, ut uno lictore uteretur*: quando apud Ægyptios, *multa in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectu & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello* (ex Livio præcipue 29, 19.) *constat*: quando *Regis Nabatæorum convivio* comiter interfuit. Multæ commentationis materies in exemplo est: sive prudentiæ in conversatione regulam, sive civiles morum notas, sive virtutis perite dispensatæ formam habitumque spectemus. Mixta quoque gravitati decore comitas, civilitas, popularitas, non anguste patent, si exequi instituas artificij quodam naturalis congruentiæ genio instructi seriem. Principis autem dignitas, inter hospitij familiaritatem, inter remissiones & curarum laxamenta, in ipsa, ut ita dicam, turba, & vulgi strepitu, salva semper & incorrupta, sublimi splendore eminet.

2. A. 59. 2.

2. A. 57. 6.

Quando tamen subsistere ad singula non licet, id saltem honori illustris argumenti dabimus, ut Peregrinatoris animum quodam stimulo ad virtutis expeditam eruditamq; familiaritatem incitare videamur voluisse. Primum tibi in *mores* Peregrinatore dignos auspicium erit, *recte de moribus hominum judicare*: ne te fallat vitium specie virtutis & umbra; ne statim omnia admireris, & quicquid peregrinum est, temere domesticis præferas. Catonis vocem, experientia quondam oraculum fecit: *satis esse ingenia Græcorum inspicere, non perdiscere.* Germanis, Gallia est, quod Romanis Græcia, quæ plus mali vanique moris, quam probæ doctrinæ in Italiam invexit. Solent, qui hodie moribus componendis Peregrinatorum studia attemperant, Galliam primo loco nominare; ut agilitas illa & mobilitas, usque ad ineptias promta, deinde Italica gravitate emendetur, & ad modum decentis mixturæ redigatur. Atque hoc plerumque est, quod Peregrinatione domum refer-

Plin. hist. nat. 29, 1.

refertur; exterior quædam morum elegantia. si modo & illa, degeneri specie non vitiatur. At certe peregrina nequitia, turpitudo, vanitas abunde condiscitur, cunctisque peregre redeuntium sarcinis sollenne complementum infulcitur: ridentibus saise, quos incaute admiramur. Abi ad Italos, & eorum ingenia perdisce: pulcro ex illa schola testimonio dimittendus, ut *Germanum Italico genio imbutum, malum sub humana forma dæmonem*, noto in vulgus dicterio celebrent.

Perit nimirum, quicquid studij in moribus ponitur, nisi erudita pietate gubernetur. Ipsa quoque exterior elegantia, nihil sani coloris habet, nisi interiore animi consilio, tamquam luce illuminetur. Jam illa, quam in Germanico prædicavimus, humanitas, illa comitas; quid laudis habere potest, si fortuitæ consuetudini tantum datur, si alieni exempli impetu rapitur, varietate fluctuat, fuco inficitur? Ne fallaris, ô bone; plerique id agunt, ut vultum potius quam animum componant; ut in verbo potius, & imagine, quam in bene constitutis laudati moris rationibus omnem civilis consuetudinis famam reponant. Plena histrionali studio cuncta reperies: neque spectare modo, sed actitare fabulas necessum erit. hic vero, ut sobrium te, ut vigilem præbeas, operam dabis. Quotiens cogeris vestem induere, affectum sumere aut ponere, personam sustinere aut mutare, ex ingenio loci ac temporum; totiens animum serva tuum & unum, qui tegi interim mavult, quam ostentari. itaque sermoni, ut servo imperabit, haud sane indulgenter. Laudare facilius est & magis innoxium, quando id agitur ut semper subesse ratio videatur. reprehendere, nunquam foris tutum. Colloquium non verborum profluentia, sed opportunitas sensuum moderetur, suavitas morum commendet; procul pugnaci strepitu, aut contentionis vel minima suspicione. Amare peregre, semper stultitia, sæpe etiam miseria est. Si quis Peregrinatori meo dicat illud quod valde nonnullis placuit; *vitia non prodesse nisi ut venena, quibus adversus ipsamet vitia utendum sit*

pro

pro antidotis: meminisse eum velim, incuriosos & subtiliores virtutis artes non edoctos ita loqui; cum nulli non vitio paratum certius ex honesto remedium habeatur. Cum vitandi sint, quicunque notabili morum deformitate turpantur, scelesti, invidi, stulti, loquaces, iracundi, superbi; non est majus tamen quam ab irrisoribus periculum.

Hieronymus Cardanus filiis suis notas fugiendorum hominum ita designavit: *Longobardo rubro, Hetrusco lusco, Veneto claudo, Hispano longo & procero, mulieri barbatæ, viro crispo, Græco ulli confidere nolite.* Item: *Cavete à blæsis, variis, strabis, valgis, compernibus, meretricibus, & nimium blandis hominibus: sunt enim proditores & avari, aut irrisores. Cavete illum qui verbo suo vel alieno subridet, deceptor enim est.* Ego oculis tantum non tribuerim: quibus, ut exploratoribus; animo autem judice, utendum est. Explorandi officio tum recte fungentur oculi, si non tam lineamenta corporum, & habitum naturæ fortunæve, quam indicia animorum, in vultus, in gestus, in ipsas simulationes atque dissimulationes nunquam non erumpentia, sciant denotare. Si me Peregrinator interroget, quid primum, quid secundum, quid tertium in convictu & conversatione hominum poni debeat; non absurde forsitan ad singula, *notitiam animorum* nominarem. Sed hoc addendum est, quod pauci cogitant: alienos mores animosque nemo bene noscet, qui suæ mentis notitiam parum accurate tractaverit. Et quis, inquies, nescit seipsum? imo vero, paucissimi sciunt seipsos. Hinc est, quod plerique peregrinantium, non tam à domo & patria, quam à se ipsi peregrinantur. Sera hujus rei agnitio; crebrior tamen, quam confessio. Rarus candor, errores peregrinationis suæ, quam præcipuum auctoritatis instrumentum fere habent, eliminare; quod tempestive & in loco fecit *Methodi Apodemicæ scriptor.*

Libello præ. ad Fil.

Theodor. Zvving.

Quod si graviore tibi opus est magistro, qui te doceat, quantum omnis urbanæ vitæ, aulicique moris consuetudo prætendat simulacri, admittat lenocinii, comminisca-

miniſcatur artificij; ſive potius, quantum illa ſcena compoſite ſtructa, ſpecioſe adornata diſtet à veris & ſolidis vitæ agendæ artibus; illuſtrem virum, multaque experientia ſenem laudabo *Guiliemum Budæum*; cujus memora-
lib. 1. bili commentario *de tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum*, ſignanter hæc philoſophia inſeritur. Multa ſunt in eo genere, quæ ſplendorem, decus, pretium autem nullum habent, niſi interior illa & ſanctior vis moderatrix adſit, quam propius à cælo ſuſpendit Deus, quotiens civium moribus civitatis felicitas diſponitur. Sicut interim nullam gentem ſine exceptione vel laudaveris vel vituperaveris (alterum enim aſſentatoris, alterum Sycophantæ eſt) ita nullum hominum genus tam communibus notis ſignari poſſe putabis, quin diverſa exempla habeat. Biantis illud
in VII. Sap. tamen animo non excidat, de quo *Auſonius*:

Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Quod eſt Latinum: Plures hominum ſunt mali.
Sed imperitos ſcito, quos dixit malos.

Ita quidem ille, odium ex interpretatione planiori veritus, mitigat; ſed mox ἐν σχήματι ἐξηγήσεως εἰρωνικῆς ridendo dicere verum non dubitat. audiendus tibi vel maxime, qui peregrinaris, ut ἀνεξικακίαν ſeu virtutem malos ferre doctam, pro ſcuto amplectaris.

Sed quis modus ſermonis, ſi per ambages vitæ peregrinatorem noſtrum velimus circumducere? Pauca adjiciam, quibus ſtudij apodemici pleraque dirigi conſentaneum eſt. Peregrinatio error eſt, vanitas, & quidvis potius, quam liberale ſtudium, niſi per omnia memineris, ad civilem ſocietatem, quicquid vivitur, & vivendo diſcitur quæriturque, ita referri, ut civis, imo hominis nomine indignus ſit, qui ejus rationes & propoſita vel negligit vel violat. Hujus porro ſocietatis rationes, non fingi ad opiniones nationum gentiumque, ſed ad ſummi Rectoris mentem formari oportere: non enim civitas tantum inter Chriſtianos quæritur, ſed Dei civitas; neque felicitas civitatis alia in mundo eſt, præterquam quæ Deum habet auctorem. Qua ſit via ad hanc metam conten-

tendendum, quid domi eo nomine agendum, quid peregre comparandum, inferendumque, brevis regula est, si in conspectu Dei nos peregrinari, nunquam obliviscamur. Ita enim dabitur opera, ne apud peregrinas Sirenes domi esse, apud patrias deinde Musas peregrinari cupiamus. Magno animo opus habet Peregrinator: non enim alius capax est disciplinæ, de qua loquimur. sed elatio animi & superbia mentitur magnitudinem, non præstat: omnemque profectum altiorem minuit, aut impedit. Parvi pravique proprium est animi, de Peregrinatore proditorem patriæ facere. Tales sunt, qui peregrinas scorias domestico auro præferunt; & sinceritatem patrij moris extraneo fuco corrumpunt; avitas denique virtutes, novis undique convectis vitiis obruunt extingvuntque. Nimirum, sicut mertibus probis intactisque destituti, improbas & obsoletas mangonico studio adornant: ita veris Peregrinationis opibus parandis impares, quisquilias & sordes collectas in pretio haberi cupiunt. Sed qui exemplis sæculi se permiserunt totos, surdas ad ejusmodi monita aures habent: errant, non peregrinantur; transeunt vitam, non vivunt. quibus, ut ad se redeant, bonam mentem precamur; & ad ea, quæ ultimo dissertationis loco disposuimus, progredimur.

COGNITIONIS *Peregrinando quæsitæ* FRUCTUS *summatim delineatur.*

Argumentum cognitionis omnisque ejus observationis, cui peregrinantes intentos esse juvat, latissime per omnem vitam, imo per omnem naturæ amplitudinem patet; id quod ostendere *Tabellis, & exemplis singularum Urbium* aggressus est, quem ante laudavi, *Zvvingerus.* Sed nobis opulentioris methodi videtur designatio, quam curiosi Peregrinatoris ingenio inscribit, illa sciendi cupiditas, nihil inobservatum dimittere solita; suumque singulis

gulis rebus, vel in præsidiis, vel in ornamentis vitæ, usum admetiri gnara. Sufficiat, inde pauca quædam, ad excitandum potius quam condocefaciendum Peregrinatorem, delibasse. Nec de *Fructu* omnis ejusmodi cognitionis prolixe admonendus est, qui meminit, vitæ discendum, vitæ domi, vitæ peregre studendum: vitæ, inquam, tum privatæ, tum publicæ. Aut, si brevius agendum sit, Reipublicæ caussa, in qua privata omnia continentur, peregrinandum esse dicemus. Qui ergo ex Peregrinatione sua instructior scientia, cultior moribus, promtior actu, prudentior usu, ad rempublicam gerendam ornandamque accesserit, is demum illustris Peregrinatoris mensuram judicabitur implevisse, fructumque sui laboris exoptatum reportasse: sive *Experientia* elogio is nominetur, sive quibuscumque aliis titulis, ad promptius elegantiusque tractandam civilis vitæ consuetudinem pertinentibus, insigniatur.

Quantus in hoc genere laudis Germanicus fuerit, cujus tota fere vita peregrinationum studio fructuque exsplenduit, Historia signate deprædicat: neque dubitare nos sinit, qualem res Romana Principem fuisset habitura: cui hoc ipsum sub tyranno fuit exitio, quod dignissimus imperio visus est omnibus, antequam imperaret. Disputarunt olim, *an aliqua sit ars vitæ; an ea doceri possit; an habenti sit utilis?* Quæ sicut apud *Sextum Empiricum* ad scholam magis quam ad vitam accommodata disquisitione agitantur: ita Peregrinatoris nostri exemplum loco responsionis & demonstrationis constitui posse opinamur. Qui literarum caussa peregrinantur, eximios doctores audivisse ac eruditionem insignem reportasse, instar opimi fructus habent. *Euclides Socraticus* currit de nocte ad præceptorem suum; periculumque flagranti studio suo objectum astu declinat, apud *Gellium.* Tullius Cicero, non contentus his doctoribus, quorum ei copia in urbe contigerat, *Achaiam quoque & Asiam peragrat, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur,* sicut ipse in *Bruto*, & ex eo *Fabius* refert. Idem Tullius, Marcum filium

hypoth. pyrrh. l. 3. & advers. mathem. lib. 10.


c. 10.

cap. 91. Dia-

filium *Athenas ad Cratippum tanquam ad mercaturam bonarum artium* proficisci jubet. Cujus generis plurima possent adferri specimina, nisi jam antea hunc locum in aliud tempus placuisset differre. Illud unum nunc voluimus dicere: sicut doctrinæ opes cumulare student, qui literarum caussa peregrinantur: ita civilis illa peregrinatio & illustribus hominibus apta, de qua hactenus agimus, artem artium; tractandæ scilicet vitæ publicè privatimque, graviter, decore, promte, adeoque ad honestatem & usum socialis conjunctionis accommodate; sibi propositam habet. *lib. orat. c.30. 1. offic. 2.*

Ab hoc scopo non mirum est excidere illos, qui nec animo moribusque emendati, nec disciplinis idoneis instituti, nec proposito graviore instigati, temere ad peregrinandum discurrunt; Socraticamque tandem censuram merentur. *Nam Socratem, querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: Non immerito hoc tibi evenit; tecum enim peregrinabaris.* Dixi hoc verbis *Seneca*: qui alibi rem eandem iterum narrat explicatque: *Premit te eadem caussa, quæ expulit. quid terrarum juvare novitas potest? quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactatio. Quæris, quare te fuga ista non adjuvet? tecum fugis.* Quid ergo? *sapientia, rerum omnium maxima, in itinere colligetur?* Ita quærit rursus Seneca. nos respondebimus; nisi in animum genio ac disciplina meliore præparatum, prudentiam veram non intrare. Addemusque, hujus demonstrationis ergo, exemplum *Ponceti* illius: qui superiore sæculo ob Peregrinationum variarum famam Carolo IX. Galliarum Regi innotuit; atque consiliis turbarum componendarum adhibitus, prudentiæ peregrinationibus quæsitæ infelicissimum specimen dedit: quando Regiam imperij Gallici administrationem ad Turcici dominatus exemplum reformari, iis rationibus suasit, quæ facile ostenderent; neque religionis, neque fidei, ulliusve honesti moris curam in animo vagæ calliditati intento, nec judicandis rerum temporumque momentis assueto, locum unquam habuisse. *ep. 104. ep. 28. Thuan. lib. 57.*

Esset sane non alienum ab re proposita, enarrare ac describere; quæ pro exoptatis fructibus, mala in rem Germanicam Peregrinationes nostratium intulerint: quidque publice hinc, quid privatim detrimenti ceperimus. Sed, cum omnia cogitamus, major forte ratio fuerit, domestica infortunia silentio operire. Faxit Deus, ne, quod in terrarum orbe passim accidit, cives Germani in posterum, post obitas varie peregrinationes, perpetuo in patria sua errore peregrinentur! Potuisset etiam sermo institui, de reportandis redimendisque rerum notabilium omnis generis speciminibus. cum præsertim nemo fere lautioris fortunæ peregrinator non aliquas merces exoticas secum referat, delectu non semper felici. Verum, expleto annotationis & paginarum modo, tandem hic subsistendum est.



DE

II.

DE NOTITIA REIPUBLICÆ.

ad

C. CORN. TACITI IV. ANNAL. 33.

De Notitia Reipublicæ Taciti sententia proponitur. Notitia communis declaratur; quatenus non ita est expedita, sive in simplicibus, sive in mixtis formis: præsertim ubi mixta ex tribus specimen quæritur. caussæ difficultatis aliæ annotantur.

INscitiâ *Reipublicæ ut alienæ*, corruptam rerum Romanarum historiam esse, præsertim ex quo sublata libertate, nova imperitandi forma obtinere cœpit, initio Historiarum *Tacitus* animadvertit. Nostra ætas non tam memoriarum suarum & annalium damna, quam publicæ tranquillitatis primo vulnera, inde clades, & mille mala deplorat, postquam alicubi terrarum, ignorantia Reipublicæ in vulgarem, sive errorem, sive affectum transiit apud eos, qui reipublicæ tractandæ non adjutores modo sed auctores haberi cupiebant. Erit igitur fortassis nec inutile nec intempestivum, si ex nobili dissertatione C. Cornelij Taciti, cum annali quarto fere medio, propositum sui operis noscendæ Reipublicæ potissimum destinati exponit, quæ huc pertinent ita consideremus, ut copiosam & integri voluminis materiam inchoasse tantum, ac veluti vestigia ac lineamenta quædam ostendisse videamur.

Ait Historicus: *viro vere civili atque reipublicæ intellectum usumque professo, nullum potius sapientiæ talis institutum* 4. A. 33.

aut

aut argumentum proponi, quam interiorem reipublicæ suæ notitiam; sive in Principatu, sive in Procerum, aut Populi regimine vivatur. eam vero notitiam præcipue historia comparari. se utiq; in Annalibus condendis id consilij secutum esse, atque, ut Principatus sive singularis imperij Romæ à Cæsaribus instituti cognitionem lectoribus historiæ Augustæ conciliaret, studiose elaborasse.

Communis & vulgaris notitia rerumpublicarum, sicut obvia disciplina percipi putatur, ita ad institutum nostrum & Taciti judicium eximie non pertinet. nisi quod, civilium rerum studiosis sub exemplo hujus philosophiæ, quantum à profectu solidiore plerumque absint, qui multum sapere videntur, demonstrari oportere judicamus. In definiendis quippe, distinguendis, numerandis, comparandis generibus regiminis civilis, nemo non disertus & eruditus esse gaudet. At ubi in rem præsentem ventum est, quàm sunt pauci, qui valeant discernere rempublicam à republica, qui constanter ac æquabiliter definire audeant, quod de statu habituque civitatum ac populorum quæritur? De Romana Republica, ex quo Reges habere desiit, usque ad id tempus, quo sub Cæsarum nomine institutum est denuo regnum, etiam docti & prudentes dubitarunt: dum alij, ut de optimatum Regimine pronuntiant; nonnulli populo omnem imperij vim tribuunt, quidam ex diversis constitutam formam; neque hi tamen omnes eodem modo interpretantur. Neque aliter evenire solet circa Venetorum Rempublicam: quæ cum vere & proprie optimatum auctoritate regatur, plurimi mixtum regiminis genus describunt, & quodam modo commentantur. Licebit ita progredi observando (neque enim deest magna vis exemplorum) ut intelligatur, non esse tam in promtu plerisque, vel ex primis civilis doctrinæ elementis respondere, quotiens, qua formâ reipublicæ hæc aut illa civitas utatur, in quæstione ponitur. Et videtur hoc tamen in lata quadam & exteriore notitia ponendum, si quis sciat, hunc populum jure regio gubernari; illi optimates præesse; in isto omnes omnia posse.

Nam

Nam ubi diviſo imperij jure miſcetur regiminis forma, facilius, certe frequentius aberratur. Atque hic ſcilicet eſt campus diſputationum curioſarum, in quo vel palmam vel luſum quæri, prout quis ſcholæ aut vitæ rationibus eſt addictior, ſatis conſtat. Inveniuntur, qui ad uſum & exempla civitatum parum intenti, nimis refugiunt omnem imperij communicationem. His, ut obtinere in civili doctrina videantur, quod volunt, adjumenta ex naturæ obſcuritate emendicare neceſſe eſt, in quibus ſuæ cauſſæ præſidium conſtituant. Sunt ex diverſo, qui temperatas mixtasque è diverſis formis respublicas tanto ſtudio affectuque proſequuntur, ut ubique credant ſe reperire ſtatum, qualem ſuæ philoſophiæ propoſito ſemel conſentaneum deſtinarunt. Videmus aliquid tale accidiſſe illis, qui optimum regiminis genus decreverunt, quod ex omnibus imperandi formis veluti delectum temperatumque eſſet. Exempla enim, quibus interdum utuntur, parum convenire tali propoſito poſſunt. Ita magnus ille *Polybius*, in Conſulibus Romanis, vim re- *lib. 6.* giam; in ſenatu optimatium imperium; in multitudine, populi poteſtatem, diſpenſato partitim jure, agnoſcit, ut conficiat; præſtantiſſimam eſſe Romanam Rempublicam, in qua omne genus regiminis permixta virtute ineſſet.

Sed qui ex rerum uſu actuque prudentiæ rationes diſponunt, abunde vident, fingi potius quam formari poſſe, illam temperationem reipublicæ, in qua unaquæque ex tribus, quod habet eximium & perfectum, conferat atque contribuat: *τὸ εἰλικρινὲς τῇ συγκειμένῃ ἐκ τριῶν εἰδῶν ἑκάστης πολιτείας συντεταγμένης*, ut loquitur *auctor libri de Republica*, apud *Photium*. Itaque *Tacitus* noſter, cum tres *Biblioth.* uſitatiores reipublicæ formas (*εἴδη φανερώτατα* plane ad *cod. 37.* mentem Hiſtorici vocat *Dio Chryſoſtomus*) nominaſſet, ju- *orat. 3.* dicio vere pragmatico addit: *Delecta ex his & conſtituta rei- de regn.* *publicæ forma laudari facilius quàm evenire, vel ſi evenit, haud diuturna eſſe poteſt.* De tribus uſitatiſſimis imperiorum formis ita pronuntiat Tacitus, ut alias non neget, ſed judicet;

dicet; neque omnem mixturam tollat, sed unum mixturæ genus examinet. modestâ autem censurâ philosophiam eorum declinat, qui in argumento civilis operis & quod actionibus hominum moribusque continetur, nimium sectantur ἀκρίβειαν quandam & perfectionem omnibus numeris absolutam. Hi, dum ubique non nisi quod optimum est quærunt, faciliùs in libris rempublicam quàm in civitate ædificant. quod Platoni totiens Aristoteles objicit. Hic enim non speciosa dictu sed effectu promta aut certe non nimis ardua quæruntur. Tali ferme sententiâ iis respondet *Dio Chrysostomus*, qui δημοκρατίαν ad perfectæ virtutis civilis ac felicitatis laudem adornare solent: ἐπιεικὲς ὄνομα καὶ πρᾶον εἴπερ ἦν δυνατόν. *civile*, inquit, *& moderatum nomen est popularis imperij, si tam facile constitui quam laudari posset.* Accedit fragilitas & inconstantia illius mixtæ ex omnibus compositæque formæ. quo fit, ut vel numerari inter nomina civili societati & usui accommodata, vel optimi regiminis nomine insigniri desinat. Atque hoc judicium Taciti, in hunc diem adeo comprobavit experientia, ut non possit dari exemplum notabile Reipublicæ vere ex tribus illis formis constitutæ. Nam quod prudentissimus *Contarenus* in Republica Veneta hujus rei imaginem facunde designat, in eo licet agnoscere imitationem exempli Polybiani, & philosophiam ad laudandum potius, quàm sententiam ad judicandum comparatam. id quod amplius æstimari poterit ex iis, quæ mox circa mixtas formas annotabimus. Qui confœderati Belgij exemplum huc referunt, vel exteriori rerum specie falluntur, vel ingenio indulgent.

Reperias etiam, qui de forma suæ Reipublicæ ita differunt in publicum, sicut utilitas imperantium, aut proposita & arcana status, sive etiam studium animi affectusque suadere videntur. Ne de consuetudine populari dicam. cujus vocabula vix immutant prudentes. Est, cum ipso tractatu reipublicæ invaluerunt certe formulæ modique agendi ac loquendi, quibus non describitur, sed figura exteriore tegitur civitatis disciplina. A quâ sæpius

pius, nec unas ob cauſas, longe abhorret ipſa adminiſtratio rerũ & habitus imperii, qualis ſe primum intuentibus offert.

Jam, ubi vel occulte mutatur, vel aperta vi vertitur ſtatus reipublicæ, quotiens ſolenne ſchema novi imperii adornatur, ſimulatio antiqui? Ea propter abunde errabit, quisquis de forma regiminis ex verborum ſpecie, aut exteriore adminiſtrationis civilis habitu, judicium repetere inſtituerit. cum præſertim nulla ferme poſſit nominari reſpublica, quin ſui ſtatus jura, variis ſimulacris, tanquã rem ſacram ſcilicet, religioſis involucris veſtiverit ac prætexuerit.

Qui hoc intelligunt, de mixtis formis nec facile, nec temere pronuntiabunt. Non enim ſtatim miſceri aut communicari regimen putandum eſt, quod ex diverſis aliquid temperamenti mutuatur. Quin imo in omne genus imperii, communis aliqua ratio & uſus, ejuſmodi moderamen invexit, ut Regnum plerumque Ariſtocraticis rationibus temperari; Optimatum jura, in communionem quandam cum Populo deſcendere videantur. nam de Multitudinis imperio certum eſt, Democratiam vix inveniri aut conſervari poſſe, niſi optimatum auctoritate probe attemperatam. ut fortaſſe fruſtra nonnulli tantopere in Democratias invehantur. quales enim ipſi animo concipiunt, id eſt, crudas & meras, ſicut conſiſtere nequeunt, ita vix hodie dantur.

Cum autem, non ſpecie ſed revera miſcentur regiminis formæ, nova difficultas in dignoſcendo judicandoque exoritur. Inſtabilis enim & inæqualis ejuſmodi reip. habitus, etiam prudentum ſententias diſtrahit. In libera Republica Romana (nam hoc exemplo *Tacitus* rem declarat) quamvis ſenatus populique communia jura mixtam conſtituiſſent imperii diſciplinam: tamen, quia modo Patres multum prævalebant, ſæpius populares partes, altiùs quam pro modo communicati juris eminebant; igitur neque ſtatim neque omnibus in expedito fuit, inſtitutamne primum formulam, an poſtea nec bono more ſubnatam, potius reſpicerent aut appellarent? præcipue, cum ſatis appareret, non diu in eodem ſtatu res manſuras, ſed vel ad mixtum genus reditura omnia, vel certe neutram partem ita conceſſuram alteri imperio, ut ſpem recuperandi

amitteret. Hæc quia non ſine aliquo ſtrepitu & rerum animorumque perturbatione geruntur, poſt eventum facilius, & apud poſteros, quam in re præſenti, qualia ſint, animadvertuntur. Nonnunquam, inæqualiter ab initio ſtatim conſtituta communicatione dubitari ſolet, an mixti regiminis nomen mereatur is rerum ſtatus, an vero quæ pars plus poteſt, ea & titulum Reipublicæ & habitum conciliet.

His fere cauſis evenire poteſt, ut implicetur quæſtio, qua nihil expeditius primo aſpectu videtur, cum quâ forma regiminis reſpublica aliqua gubernetur, reſpondendum eſt. Quippe illa comunis notitia reipublicæ participat aliquid de interiori cognitione, quotiens non temere aut vage tractanda eſt.

Interior notitia reipublicæ exemplis Romani imperii à Tacito delarata, varietate temporis metienda eſt: ſive, cum tranſitu rerum forma regiminis mutatur, ſive cum manet. unde hæc prudentia viro civili & reip. accòmmodato propria eſt, qui eximio elogio callidus temporum *ab Hiſtorico dicitur. Inſerta obiter de appellatione* Politici *præmunitio. Theophraſti* Πολιτικὰ πρὸς τὺς καιρὺς. *Quomodo comparetur talis cognitio reipublicæ. Quam ſit utilis & neceſſaria.*

Interior autem illa notitia reipublicæ à *Tacito* ſeorſum veluti exemplis à Rep. Romana per diverſa regiminis genera propoſitis deſcribitur. In ſtatu libertatis, ſicut antea dictum eſt, communicato inter populum & ſenatum imperandi

randi jure, vix unquam diu potuit teneri moderatus ille & concors civitatis status, quin sua uterque ordo jura amplificare & supra alterum valere contenderet. Neque alius illorum certaminum eventus fuit, quàm, ut modo *plebs valida esset*, modo *patres pollerent*, quod *Tacitus* hoc loco annotat. Sed hæc certamina externis subinde periculis & assiduis terroribus domesticam concordiam resarcientibus, non divulsere rempublicam. Stetit alterna ordinum potestate, donec crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis, secura jam potentia, morem popularium partium & senatus factionum, ac deinde omnium malarum artium invexit. Ibi rursus antiqua certamina, sed longe violentius & periculosius exarsere: *modo turbulenti tribuni, modo consules prævalidi* (quod iterum *Tacitus* alibi notat) non jam 2. H. 38. alternum populi & optimatium imperium, sed dominationis importunæ & tandem libertatem eversuræ vices referebant. Ita bellis civilibus mox exortis, diuque per easdem vices revolutis successit Principatus & unius imperium, sub mitiori nomine vim prorsus regiam complexum.

Igitur *ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; senatusque & optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur: sic converso statu, neque alia rerum quam si unus imperitet, hac* (quæ Annales Taciti memorant) *conquiri tradique in rem fuit.* Hæc verba Taciti satis ostendunt: interiorem reipublicæ notitiam variari temporibus, nec in una republica semper unam esse. Evidens id quidem est, quando ex mixto in simplicem statum, ex forma in formam transit respublica, ut quæ modo Aristocratia utebatur, deinceps Democratiam, alio tempore Regnum suscipiat. Quamquam tum quoque ipsa momenta temporis, quibus mutatio talis accidit, observare, arduum & sæpe anceps est, sicut eam cautionem paulo ante attigimus. Et alias, magnis documentis copiosam commendavimus historiam sæculi, quod à Gracchanis tumultibus ad formatum ab Augusto Principatum res Romana numerat:

 sicut

ſicut præſertim à *Cicerone, Dione, Appiano, Plutarcho, Cæſare* deſcribitur. quibus non minimum momenti adjeceris, ex iis, quæ *Saluſtius, Suetonius, Tacitus,* ſubinde brevi mentione, ſed gravi judicio perſtrinxere. Quis prudentium illis temporibus ſatis prudens? quis perſpicacium ſatis oculatus? Dum magnus ille orbis Reipublicæ lento & operoſo tractu vertitur, moveri ſuo ſtatu ſapientiam, & agitari & perturbari conſentaneum eſt. modo caligine involvuntur illæ machinæ, quæ occulto attrectatu & arcano impulſu movent totam molem: modo ipſa motio, trepidationem ſtantibus, confuſionem titubantibus, ſtuporem jacentibus & inertiâ reſurgendi depreſſis, injicit. nunc tempeſtatis ſævitia viſum ſenſumque obruit; nunc varie ſpecioſa Iris & allicit obtutum oculorum & diſtrahit. Itaque hoc intervallum fuit, quod in Notitia Reipublicæ aliquis imitatione Varronianæ Chronologiæ ἄδηλον ſive obſcurum dixerit & incertum.

Interim, etiam cum manet Reipublicæ forma, neque converſio publici ſtatus imminet, ſubinde aliqua inducit tempus ac inſinuat nova, ſingularia, denique ad habitum regiminis pertinentia. Ita comparata eſt natura civilis diſciplinæ, ut intendi, remitti, temperari, augeri, deflecti, varieque immutari, id eſt temporibus obſequi gaudeat. Omnis enim illa varietas, temporis quaſi partus eſt, ſicut poſtea rectius declarabitur.

Hinc eſt, quod intelligentia uſuque temporum, tanquam fine, omnem hanc interiorem Reip. notitiam, adeoque prudentiæ civilis laudem, quæ inde naſcitur, terminavit Hiſtoricus noſter. *Callidi temporum, & ſapientes credebantur,* inquit, qui rempublicam ſuam expedito in omnia rerum, hominum, temporum momenta judicio proviſuque perdidicerant. Elogium poſuit, quo non aliud poteſt eſſe viro vere civili convenientius & glorioſius. ſui ſæculi, ſuæ reipublicæ, ſuorum tempororum homo ſit neceſſe eſt, quem ſapientis & politici nomen honeſtare debet.

Nam, ut à vocabulo Politici, poſtquam in publicam omnis civilis adminiſtrationis in Europa formulam ivit, per-

pertinaciter abstineamus, nulla idonea ratio permittit; & vel antiquissima *Ciceronis* nostri auctoritas dissuadet: qui multis in locis, vix satis commode & signate efferri, quæ dicenda erant judicavit, nisi vocem πολιτικῦ adhiberet. Quod autem homines inepti modo inscitiæ suæ specimina, modo variæ vanitatis argumenta talis honore tituli cupiunt describere, id obstare non debet, quo minus meliori ratione exemploque locum inveniat vox, vel suo jure recipienda, si adhuc in usum vulgi non venisset, vel postquam vulgo recepta est, immerito aspernanda. Si enim temeritas abutentium, etiam bona verba potest nobis invisa reddere, quid futurum est de nobilissima Critici appellatione, quam flagitiis haud minoribus, non unum genus hominum in hunc diem temerare solent? Ne de omnium honestissimarum artium ac scientiarum nominibus, quibus hæc ratiocinatio infamiam minitatur, nunc dicamus. Et in Academiis quidem, in tota docendi gravitate libenter debemus ac diligenter ore Veterum sensuque philosophari: ita tamen, ut præsentis sæculi verbis aliquando sive allicere sive erudire homines, sicut cujusque animo aptum est, haud nefas esse reputemus. Cum præsertim latere nequeat, quomodo aliter malimus loqui, ubi doctrinæ causâ pauca sæculo verba indulgemus: verum illa appellatio, quam tali præmunitione à calumnia in hoc transitu vindicare voluimus, fortasse non opus habet, novitatem suam excusare.

Itaque ad id redimus, quod cœpimus dicere: Virum civilem & sapientem, cognitionem suæ reip. temporibus metiri atque gubernare debere. cui proposito valde conveniret *Theophrasti* alicujus disciplina. Hujus enim summi viri opus extitisse scimus, Πολιτικὰ πρὸς τοὺς καιρούς, in quo haud dubie pro insigni & prudentiæ & eloquentiæ facultate, qua pollebat, ostenderat, *quæ essent in republica inclinationes rerum & momenta temporum, quibus esset moderandum utcunque res postularet.* ut *Ciceronis* nostri verbis declaremus inscriptionem operis Theophrastei, cujus jacturam deploramus.

Verum, quis ſuccedet, inquies, in locum Theophraſti, & unde omnino interiorem illam reip. cognitionem repetere, quave diſciplina inſtruere tandem poterimus? ſi Tacitum audimus, Hiſtoria eſt, quæ nobiliſſimam hanc civilis ſapientiæ partem nobis promittit. Eſt quidem (neque diſſimulamus) naturalis quoque obſervandi judicandique ſollertia, quâ decora ingenia, tum ceteram reip. ſuæ conditionem, tum rationem & inclinationem temporum, cum quibus reipublicæ habitus ſubinde variatur, pervidere, diſcernere, comprehendere ſolent. neque profecto ab hac diligentia inquirendi, perſpiciendi, notandi, unquam ceſſare licuerit homini in republica ita verſaturo, ut noſcat rempublicam. Sed quam ſit rara hæc facultas, quam ſerus & exiguus hac via profectus, cottidiano rerum vitæque uſu ſatis conſtat. Et hoc eſt, quod *Tacitus* dicit: *pauci prudentia, honeſta ab deterioribus, utilia ab noxiis diſcernunt: plures aliorum eventis docentur.* Imo illi ipſi *pauci*, id eſt, eximiæ ſingulareſque naturæ, quibus prima ingenii animique ſors contigit, penitius feliciuſque in recondita ſuæ reipublicæ introſpicient, ſi prudentiam ingenitam, hiſtoriæ tanquam lumine adjuvare non neglexerint. Quî autem negligant? nobiliſſimo cuique ingenio amor & ſtudium non hiſtoriæ minus quam reipublicæ, tam alte infigitur, ut evelli nequeat. adeo conciliatione aut commendatione opus non eſt.

Cum autem Hiſtoriam, potiſſimum noſcendæ reipublicæ inſtrumentum commendat *Tacitus*, & ſuam exempli ergo nominat, palam eſt, nobilia illa, decoris tantum ingeniis pari prudentiæ & ſermonis facultate condita monumenta deſignari. Non deſunt enim, qui inſcitia reipublicæ ſuam hiſtoriam & lectoris judicium pervertunt. Et debebat equidem omni hiſtoriæ propoſitum eſſe, ut habitum reip. temporumque, quibus dicendis occupatur, accurata quadam & interiore notitia, qualem hic ſpectamus, declararet. verum, cum alius Scriptorum magis diligenter & feliciter, alius minus exacte huc reſpexerit, omni laudatione ſuperior eſt *Taciti* in hoc genere calamus. qui nihil

nihil omisit in *Annalibus*, quod ad ingenium Principatus & Principum, ad consilia & artes dominationis, ad habitum denique rei Romanæ, qualis per ea tempora erat, pertineret. Atque in hoc instituto, non voluptati sed profectui lectoris inserviendum sibi duxit, diserte testatus, profutura sane illa primo aspectu levia quæ scriberet, quamvis minimum oblectationis afferant. In momentis enim reipublicæ pernoscendis, curiosa quadam subtilitate, non tam speciosa & jucunda quam recondita & abstrusa, sæpius requirenda sunt. quæ cum dispergantur locis, nec ad usum tamen sui valeant, nisi sub uno quasi integroque conspectu posita, excogitata est & usurpata Historicis ratio, quâ vel initio operum, vel in serie narrationis, quæsita occasione, rempublicam semel describerent, partesque singulas, quibus modis habitæ sint, recenserent: statum imperii, habitum animorum, apud diversas partes, apud singulos ordines, denotarent. Id Tacito, id optimo cuique olim & hodie usitatum, quamvis insigni præparatione animum legentis erudire possit, longe tamen plura sunt & interiora, quæ veluti ex ipso reipublicæ tractatu, contexto actionibus, disposito exemplis, perscripto formulis, annotatio prudentis Historici suppeditat.

Idem de reliquis noscendæ reipublicæ præsidiis judicandum: quorum nullum cum Historiæ virtute & institutione comparaveris. Experientiæ enim & ejus observationis, qua quis suæ aut alienæ reip. peritiam quærit, tarda multisque obsepta inpedimentis, & vix unquam plena est disciplina. Neque in peregrinatione, quæ experientiæ pars censetur, tantum adjumenti est, quin curiosos in alienis rebus oculos persæpe deludi, credulitatem plerumque decipi, cognitionem qualemcunque ipsa temporum rerumque mutatione irritam reddi necesse sit. Jam, quantum ad monumenta publica attinet, ut nihil dicamus de antiquissimis columnis memorialibus (liceat ita vocare) quales Sethi, *Iosephus*; Jovis Triphylii, *Lactantius ex Evhemero*; Thebanorum in Egypto *Tacitus* memorant: commentarii quidem & acta cujusque reipublicæ, quæ

Ἀρχεῖα

Ἀρχεῖον aut Archivum posteriores dixere, ad notitiam, quæ nunc laudatur, plurimum queunt conferre; neque quidquam in hoc studii professusque genere, magis jactari aut ambiri solet. Sed Historia res delectas ex acervo, signatas insuper judicio exhibet: quæ vel aliam in actis formam induunt, præsertim cum publicantur; vel conquisitione solicita vix ad intelligentiam reip. ordinandam congregantur. Superest eorum diligentia, qui Respublicas totas literis & operibus descripsere. Equidem ex quo sapientia literis coli cœpit, peritissimus quisque eruditorum, Descriptiones Rerum publicarum ediderunt. Laudant hoc nomine *Diogenes Laertius* & *Photius*, summos viros; in his *Aristotelem*, *Theophrastum*, *Xenophontem*, *Heraclidem Ponticum*, *Nicolaum Damascenum*, aliosque. nec omiserunt hoc industriæ genus propiores ætates, satisque noti sunt eorum conatus, qui descriptiones omnium imperiorum & rerumpublicarum totius orbis à variis scriptoribus compositas, magnis voluminibus collegerunt. De quibus descriptoribus ne quis plura sibi polliceatur quam par est, non ignorandum est: paucissimas illarum satis erudite diligenterque constructas esse. reliquæ fortuitis auctoribus laboribusque æstimantur. In multis opes tantum imperii describuntur; earum rerum, quæ ad statum habitumque regiminis pertinent, parva aut nulla mentione facta. Et quia interiora sui status momenta publicari, vix æquo interdum animo ferunt Respublicæ, fieri solet, ut ii, qui veram & accuratam cognitionem patrii regiminis sunt adepti, descriptionibus ejusmodi abstineant; ne faciant, quod publice ingratum esse posset. Quid? quod in imperiis semper aliquid immutatur. Hæc ratio magnos viros movet, ut sæpe parum credant consultum esse, publicari descriptiones rerumpublicarum: ne homines talibus rerum vicibus & formis judicandis impares, dum ad unum omnia tempus exigunt, erroribus implicentur, nec sibi nec reipublicæ profuturis. Illi certe vehementer errant, qui descriptiones statuum & imperiorum ex designata semel formula & libris, quales supra nominavimus, semper repeti debere statuerunt. Unde-

Undecunque interim repetatur, certum est, interiore illa cognitione reipublicæ nihil ad civilis actus nominisq; laudem præsentius esse atque efficacius. *Ad consilium de republica dandum, caput est nosse rempublicam,* inquit *Cicero*. Consilium de republica capere vel dare, suma est omnis prudentiæ. Consilium de republica, Principis est, ut auctoris, ut domini. sive apud plures residet majestas, consilii semper majestatis auspicia sequitur. Nam quod minister Principi, Senator Reipublicæ dat consilium, non est privati muneris ista sors, sed fortunæ publicæ, quæ suæ amplitudini ex privatis nominibus accommodat, quicquid ratio imperandi postulat. Manet interim proprium & peculiare imperantibus, rerumque summæ divinitus præfectis, consulere de republica & consulere reipublicæ. cujus officii caput est, ut hoc iterum cum Cicerone dicamus, *nosse rempublicam.* 2. de orat.

Omne imperandi auspicium, consilium, artificium, ex reip. penitius inspectæ momentis ordinatur, neque alia potius imperatoria est virtus, quàm in præsenti semper conspectu positam habere civitatis disciplinam, immergere perspicaces oculos in omnem civilis status contextum, notare vices temporum, fatorum, negotiorum; judicio complecti quæ cerni noluit, provisu ad abdita pertingere, genium reipublicæ, nunquam adversarium, semper autem familiarem sibi reddere. Falluntur, qui ex libellis & curiosorum hominum discursibus, sicut appellari volunt, nosci posse autumant, quibus reipublicæ habitus gubernatur aut custoditur. Præsentioris disciplinæ est ille profectus, quem hora & dies extemporalibus intervallis distinguunt & novi semper eventus componunt.

Jam, quibus civilis obsequii gloria relicta est, licet quædam de habitu reipublicæ, imperantium scientiæ singulariter debita, nescire salva officii sui necessitudine possint, & interdum fortasse debeant, præcipui tamen de cetero muneris putabunt, nosse rempublicam; vel ad fidem boni civis conservandam, vel ad artes obedientiæ ex usu publico privatoque tractandas. Nunquam fere desunt rebuspublicis elati, inquieti, perniciosi cives, qui civilem disci-

disciplinam longe aliter describunt, quàm par erat. His respublica, tanquam imago cerea, varie fingitur, flectitur, coloratur. quo fit, ut in errorem inducantur, quibuscunque ad veram reip. cognitionem acquirendam vel ingenium vel industria defuit. Quàm vero sint miseri errores, qui de republica contra remp. errantur, assiduis bellorum civilium perturbationibus, apud multas gentes, alicubi etiam infami omnibusque inaudito sæculis parricidio, in hunc diem comprobatum est.

Cognitio reipublicæ interior in Democratia, summa prudentiæ Democraticæ. Natura vulgi. Tractatio vulgi. popularis gubernandi & vivendi ratio. Τὸ δημοκρατικῶς πολιτεύεσθαι. *Virtus Democratica sive popularitas. Lex Democratica, sive regula status popularis.* Σοφίσματα, *virtus & prudentia popularis, distinguuntur à Demagogica calliditate & Tribunitia importunitate. Auctores & Doctores harum rerum.*

Describit jam Tacitus interiorem reip. cognitionem in singulis regiminis formis. Et populari quidem imperio, *olim plebe valida*, inquit, *noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur.* Vult notitiam interiorem reip. ad usum & tractationem reip. ingenio, & vi prudentiæ, quæ nunquam otiosum aut in contemplatione inani positum nomen est, accommodari. Itaque si virum sapientem in imperio populi quærimus, non aliter eum ex mente Taciti describemus, quàm qui naturam & conditionem populi rerumque popularium accurate calleat; & natas exinde civiliter vivendi &

& civilia administrandi rationes, ut res & usus & tempus postulat, usurpare ac dispensare doctus sit. Summa enim prudentiæ & actionis popularis definiri illa sapientia potest, quam nos cognitionem Democratiæ interiorem appellavimus. quasi quis ex *Livio* sub exemplo Icilii alicujus nominaret *virum rerum popularium peritum*, & adderet deinde, consummandæ descriptionis causa Sextios, Licinios, Fabios, *jam tot annorum usu artifices tractandi animos plebis.* Idem scilicet diceret, quod hic *Tacitus* spectat, cum *nosci* à viro Democratico ait oportere *naturam vulgi, & quibus modis temperanter habeatur.* *III, 11.* *VI, 36.*

Annotandum aliquid de utroque: de natura vulgi, & de tractatione vulgi. Natura vulgi in studio civilis prudentiæ, non unam subit considerationem. Communi enim notitia & universe, inter fundamenta totius disciplinæ, vel in unius, vel in plurium imperio, naturam vulgi noscendam, *Justus Lipsius*, proposito insuper specimine ejus notitiæ, tradidit. Verum in prudentia Democratica, ut nunc ita vocitemus, præter illam communem cognitionem, quæ tamen abesse nec debet nec potest, peculiari modo noscendum est, ut se habeat natura vulgi circa reip. administrationem in statu populari. *IV, pol. 5.*

Imperium populi juxta libertatem est; imo populus omnis sui voti, actus, πολιτείας finem sibi proponit libertatem, in eaque omne decus, omnem felicitatem constituit. Ut eximie huc pertineat illud *Ciceronis: quid tam populare, quam libertas?* Eam libertatem vero metiri solet, tum licentia faciendi & statuendi pro arbitratu, tum æqualitate juris sive τῶν ἐν πόλει δικαίων. quorum illud, rerum summam & τὸ κύριον populo vindicat: hoc, formulam & ordinem constituendi regendique status, in multitudinem dispensat. Atque hæc, cum ex eorum genere sint, quæ moderatione constant & temperatis finibus, in vulgo autem nihil modicum reperiatur, hinc & formandæ in civilem habitum multitudinis & tractandæ difficultas emergit. *Libertatem enim, quæ media est, nec spernere modice nec habere sciunt;* sicut *Livius* naturam vulgi sententiâ obiter explicanda describit, *XXIV, 25.*

Libertatis ſtudium natura inſitum omnibus, ſicut acribus ſtimulis vulgi animos effodit, ita poſtquam conſuetudine aut vi cum jugo ſervitutis permutata eſt, non elangueſcit modo ille affectus ſed extinguitur. Hoc eſt, quod *immodice ſperni libertas* dicitur: cum nullum liberi ſpiritus ſpecimen, nulla honeſtæ libertatis cura apud vim metuentes aut ſegnitie enerves ſupereſt. Ex diverſo, cum potitur libertate populus, ſubinde rem nobiliſſimam, ſed quæ ceſſat ſalubris eſſe poſtquam deſiit eſſe moderata, agitat, perturbat, præcipitat; ut nec civitati formam nec civibus regulam amplius dare idonea ſit. Proſpicit libertati & eam munit, ſed ſine modo. *Livio* id rurſus animadverſum (an enim in hoc argumento alius nobis potior auctor eſſe debet?)
II, 2. qui ab initio mutatæ reipublicæ, *libertatis*, inquit, *tunc prima cura erat; ac neſcio an nimis undique eam minimis quoque rebus muniendo modum exceſſerint.* Vindicat ſibi populus rerum ſummam & majeſtatis curâ ex quavis occaſione tangitur, ſed ſine modo. Quoscunque enim obſtare ſuæ potentiæ auctoritatique credit, odit & perſequitur. Hic ſuſpiciones perpetuæ & ſiniſtri rumores, calumniæ, invidiæ, inimicitiæ in eminentes illuſtresque viros, ut non minus periculum ex magna quàm ex mala fama apud populum his immineat. Hinc Roma, quotiens popularis erat, ingratæ civitatis elogium multiplicatis nominibus meruit. Hinc Athenienſium teſtula vix aliter quàm magnorum virorum injuriis inſcripta ad poſteros noſcitur. Æqualitatem juris & ſtatus concupiſcit populus: ſed ſine modo. *Vult enim æquari ſumma infimis, nihil excelſum, nihil quod ſupra cetera emineat, in civitate eſſe.*
Liv. II, 9. Non vane id increpant & quaſi vaticinantur Tarquinii: quorum non cauſam, ſed ſententiam hic laudare convenit. In mixta republica, optimates, non ſocios ſed adverſarios credit populus, adeoque ad certandum cum his valde pronus, præſertim ubi de honoribus & poteſtate agitur, ſemper plus ultra tendit. In comitiis regnum exercere, libidinem animi non leges ſequi ſolet. Bellum facile ſumit, ſed tædio onerum militarium mox langueſcit, ſicut nec in aliis magnis conſiliis conſtantia utitur & ratione; ſed ex rebus incertiſſi-

mis

mis animos sumit ac sæpe levissimis causis ponit. Amat vehementer sed non minus temere deserit ac prodit Sycophantas ac Demagogos, qui idem hic præstant, quod in regno adulatores. Denique quodcunque infinita unius dominatio sibi proponit immodicum, id in populi ingenium convenire dixeris, sicut prudenter & accurate *Aristoteles* notavit. qui & Homericum illud, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη non male de populi dominatu & ingenio dominandi cupido accipi posse existimat. verum nos quibusdam notis potius indicare naturam vulgi, quàm describere constituimus. cum præsertim hæc & talia passim tradantur, & in communem notitiam facile succedant. majoris operæ est, & prudentiæ interioris, vel observare vel commentari, quomodo iste habitus animorum multitudinis pro re nata ex conditione temporum & negotiorum indole, suos motus, suas vices, suas varietates in republica exerat. IV. pol. 4.

Dicendum nunc est aliquid de altero, quo *Tacitus* cognitionem reip. in populari imperio definivit, nimirum de tractatione vulgi, sive, *quibus modis natura vulgi temperanter habeatur*. Libertatis natura, ut ante dictum est, moderatione temperari amat: vulgi natura immodicis delectatur. Itaque prudentiæ Democraticæ vis pleraque in eo versabitur, ut naturam vulgi immoderatam ad libertatis indolem moderatam attemperet. aliter nec beata civium vita, nec libertas, quæ populo proposita, obtinebitur. Verum hæc duo tam pugnantia, temperamentum libertatis & intemperantiam popularis ingenii, in congruentiam civilem ad salutem reipub. & firmitatem democratiæ contemperare; opus est perdifficile prudentiæ & virtutis, quam popularem vocamus. Et in constituenda quidem democratia, vel maxime provideri debet, ut natura vulgi temperanter possit haberi. Præstabunt hoc leges accurate repertæ, & sanctissime perscriptæ, quibus populus cum summa potestate, potestatis modum accipit, i. e. cum majestas quidem & summa potestas est penes populum, sed populus ipse legibus sancte receptis ad talem administrandi rationem, quæ licentiæ populari viam præcludit, & τὸ μέτριον

τῦ πολιτεύματος sive civilem temperatamque æquabiliter reip. gerendæ consuetudinem conservat. Ita qui dominus rerum est populus, ipse sibi dominam constituit legem: quæ nisi principium ἀρχιτεκτονικὸν, ut hoc ex scholis mutuemur, in Democratia habeatur, jam vitiosus erit status, quod Philosophorum princeps diserte monet. Accedere debet ipsius formulæ quoddam temperamentum Aristocraticum, ut Democratia ad honestatem quandam civilem, quasi ἀριστοκρατικῶς & virtute moreque optimatium componatur. Nam promiscuam hominum colluviem libertati parum idoneam, merito *Livius* confirmat, ubi tempus institutæ Romanorum libertatis considerat, ac fecem Romuli talem non fuisse judicat, quæ jam tum potuerit δημοκρατεῖσθαι. Cognoscentur hæc melius ex Solonis & Lycurgi, qui respublicas liberas condiderunt, sapientiâ, quam infeliciter alii neglexerunt.

L. 1.

Verum nobis potius animadvertendum videtur, quomodo in gerenda Democratia, natura vulgi temperanter sit habenda; cum institutio popularis imperii, alium forte locum requirat. Hic non possumus non *Plutarchi* sententiam recordari, qui communem Aristocratiæ & Democratiæ administrandæ difficultatem descripturus, κρατούμεναι, inquit, κρατοῦσι, καὶ φερόμεναι φέρουσι πολιτικὸν, οὐκ ἔχοντα τὴν ἰσχὺν βέβαιον ἐπὶ τούτου, παρ' ὧν ἔχει τὸ ἰσχύον. Sed quo magis hæ respublicæ imperanti imperant, virumque civilem, dum ibi res gerit, agunt feruntque, ut vix habeat solidum munimentum cui innitatur: eo majori observatione, cura, vigilantia tractandæ sunt. In unius imperio, omnia ut auctorem certum, ita regulam vix dubitabilem quodammodo agnoscunt. nisi quod suis quoque varietatibus illud genus prudentiæ & πολιτείας involvitur. Sed τὸ δημοκρατικῶς & ἀριστοκρατικῶς πολιτεύεσθαι aliâ quadam ratione intricatur, de qua Plutarchus queritur. Nihil interim tam est arduum, quod non vincat aut mitiget virtus & prudentia popularis. Quid magis alienum à rationibus popularis libertatis, quam collata in unum singularis auctoritas aut summa reip. veluti unius tutelæ permissa? & tamen non

de trib. imp. form.

vane

vane de Atheniensibus Græcus orator gloriatur: *ὃ, τε δῆμος* *Aristides in*
ὅν τινα εὕροι που τῶν πολλῶν ὑπερέχοντα, ἐθελοντὴς ἑαυτοῦ προϊστάμενος καὶ *Panath.*
χρώμενος οἷον ἄρχοντι διηνεκεῖ. populus si quem reperiret reliquis
præstantiorem, sua sponte sibi hunc præfecit & tanquam perpetuo
principe usus est. Efficere hoc potuit, & Romæ quoque effecit, virtus Democratica sive popularitas, quâ tamen nihil est vel calumniarum capacius, vel tractatu solicitius. Magnum in Fabiis elogium, quod *populares* dicuntur apud
Historicum, sed hoc *nulla nisi salubri reipublicæ arte.* Neque *Liv. II, 47.*
enim sufficit morum facilitas & humanitas ad explendum hujus laudis officium; sed magnitudine insuper animi &
cauta quadam prudentia opus est. Divine *Cicero: In libe-* *1. de offic. 25.*
ris populis & in juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas & altitudo animi, quæ dicitur. Idem, qui sæpius monet, nullam esse popularitatem ferendam, nisi quæ suas rationes ad reipublicæ & universorum utilitatem accommodet. *Intellectum est*, (inquit in *IV. Catilinaria*) *quid intersit inter lenitatem concionatorum, & animum vere popularem, saluti publicæ consulentem.* Quod si ratio instituti ferret, producendus in medium esset Valerius ille Poplicosa, quem & virum & legislatorem popularem celebrat Antiquitas. Neque desunt tamen, quæ in ejus *πολιτεία δημοκρατικὴ* non im-
merito sapientes reprehendunt. Apud *Plutarchum* Aristo- *in Nicia.*
teles tres existimat fuisse aliquando Athenis optimos cives, *καὶ πατρικὴν ἔχοντας εὔνοιαν καὶ φιλίαν πρὸς τὸν δῆμον.* qui patrio plane affectu amicitiaque populum complexi sint: Niciam, Thucydidem, Theramenem. Sed recte contradicit Plutarchus, de Theramenis popularitate, qui *Cothurni* cognomento notatus est, *διὰ τὸ μὴ μόνιμον ἀλλὰ καὶ ἐπαμφοτερίζον ἀεὶ τῇ προαιρέσει τῆς πολιτείας, quod mobilis & inconstans in gerenda rep. totus partium esset & factionum, quarum modo illi modo isti studebat.* Et quidem *ex usu suo, fidem in postremis habens*, sicut præter historiam *Thucididis*, & accusationem *Lysiæ, Aristophanis Scholiastes* annotat. Fit sane, ut, vel in mixto regimine, cum altera pars increscit, vel in commutatione reipublicæ, ubi à priore forma in alium statum declinat, temporibus inservire, non modo necessitatis sed

&

& virtutis sit. neque hoc absuit à mente *Taciti*, cùm *callidos temporum* in digressione hactenus laudata commendaret. Sed tum ita dispensanda atque commutanda est Aristocratica & Democratica virtus, ut non tam studiosi populi aut optimi cujusque, quàm universorum videamur.

Dicendum fortasse aliquid hic fuisset de legibus sive regulis status Democratici, in quibus tractandis non minima pars prudentiæ, quæ hic quæritur, consistit. Talia fuerunt Romæ, quæ de excludendo in perpetuum regno, de corpore civis Romani, de provocatione ad populum, de tribunitia potestate, de modo juris magistratibus concessi constituta sunt. E quibus *tribunitium telum & provocatio ad populum, duæ arces Libertatis* apud *Livium* dicuntur.
III, 45. quamvis constet tribunitiam potestatem varie incusari posse, ut apud *Ciceronem* disputatur, *tertio de legibus.* Nec dubitat *Florus* omnium seditionum causas ad κακοπολιτείαν tribunorum referre.
c. 9. 10. 11.
III, 13.

Quapropter Tribunitia illa importunitas & Demagogica calliditas, à prudentia Democratica plurimum abeunt: neque temperanter habere naturam populi, sed ad omnes affectus motusque intemperantiam exacuere student. Describit Demagogos *Sallustius*, *duces multitudinum, qui remp. pretio vexare soliti erant.* si *pretio* adjunxeris ambitionem & dominationis studium, pravamque animi libidinem; tum exhauseris mentem Historici: interpretandam amplius collectis in unum quasi notis Demagogicis apud *Pollucem titulo* περὶ ψόγυ ῥήτορος καὶ δημαγωγοῦ. solet enim *Pollux* (ut hunc scriptorem obiter commendem) eruditissimo delectu non verborum magis quàm sententiarum congregare sub titulos argumentorum, quicquid naturam rei declarare potest. sicut vel hoc exemplo constabit, si quis *Isocrati*, *Demostheni*, aliisque *Græcis Oratoribus* tradita super Demagogis & Sycophantis, ad ἐκλογὰς Pollucis contenderit. Etiam oratio Quintii apud *Livium*, mores Demagogicos summatim depingit. *Tribuni*, inquit, *vocis verborumque quantum voletis ingerent, & criminum, in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. Natura hoc ita comparatum est, ut qui apud mul-*
Catil. 50.
IV, 4.
III, 68.

multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit, cujus mens nihil præter publicum commodum videt. nisi forte assentatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis nec in otio esse sinunt, vestra vos causa stimulare putatis. concitati, aut honori aut quæstui illis estis. Et quia in concordia ordinum nullos se usquam esse vident, malæ rei se quam nullius, turbarum ac seditionum duces esse volunt. Qui exemplis hæc demonstrata mavult cognoscere, illi bella & artes Tribunorum abunde enarrabit Liviana historia passim. nobis enim festinandum est.

Nisi quod in hoc transcursu, arcana quæ vocant & σοφίσματα & simulacra Democratica verbo tangi debere censemus. Nam ad tractationem vulgi sive ad temperanter habendam vulgi naturam, illa quoque cognitio pertinet. Est quidem illa ratio tractandæ reip. quæ fit κρύφα καὶ δι' ἀπορρήτων, occulte & per arcana, regno & Principatui quodammodo propria: cum in libertate pleraque palam & conscia multitudine senatuque gerere oporteat. quod *Dio Cassius* in comparatione utriusque status non frustra observat. Accedit, quod arcanum vere Democraticum non potest esse nisi vel in mente institutoque legislatoris, vel adversus optimates, vel paucos, vel adversus alienam rempublicam. Ex his nullum genus, arcanis artibus, quas accurate dixeris Democraticas, id est, quas Democratia ad tuendum suum statum ex se invenit & in se exercet, accensueris. Quæ enim adversus optimates aut unius imperium struuntur, vix possunt latere eos, quibus opponuntur, tanquam prudentiores. Quæ autem populus in populari rep. gerit, arcana esse non possunt gerentibus. Jam, quæ simulacra Democratica appellantur, id est, quæ objiciuntur populo imaginis caussa, sive, quibus populus decipitur, ut credat se habere & accipere, quod penes alios est, vel ab optimatibus in mixto statu, vel à paucis, potentiam sibi in populari statu molientibus, vel à Demagogis, quorum institutum non aliam omnino quàm ὀλιγαρχικὴν διάθεσιν habet, usurpantur; adeoque non sunt artes populi, sed in populum. Sed nimirum dictum est antea, non facile bonam Democratiam nisi Aristocratice temperatam inveniri.

Unde *Isocrates in Panathenaico*, Athenis quoque civitati maxime populari tribuit *δημοκρατίαν οὐ τὴν εἰκῇ πολιτευομένην καὶ νομίζουσαν τὴν μὲν ἀκολασίαν, ἐλευθερίαν· τὴν δὲ ἐξουσίαν ὅ, τι βούλεταί τις ποιεῖν, εὐδαιμονίαν· ἀλλὰ τὴν τοῖς τοιούτοις μὲν ἐπιτιμῶσαν, ἀριστοκρατίᾳ δὲ χρωμένην. non qua temere administraretur, & petulantiam pro libertate, licentiam faciendi quod libet, pro felicitate amplecteretur: sed qua his atque talibus, adversa, optimatium auctoritatem suis rebus adhiberet.* Igitur viri insignes variis artibus, modo blandientes modo simulantes ac dissimulantes, naturam populi, ne suis ipse commodis adversetur, aut publicam salutem præcipitet, moderantur. Ipsi etiam magistratus vere populares, Tribuni, Prætores, Oratores, & quocunque nomine appellantur, quos suæ libertati & reip. tuendæ populus imponit, non prudenter modo sed & *δημοκρατικῶς* videbuntur suo officio fungi, si apud populum nonnulla simulaverint, impetumque ejus variis commentis ad salutem publicam attemperaverint. Quæ *Clapmarius* sub nomine Arcanorum & simulacrorum Democraticorum congessit, ex iis fere quæ diximus, judicari possunt ac discerni.

Ceterum hæc atque talia, quibus cognitio Reip. popularis, & prudentia Democratica censetur, rectissime repetentur ex *Aristotelicæ Politicæ libris quarto & sexto præcipue*: & ex *Atticis Oratoribus*, inter quos *Demosthenes* singulariter commendandus est rerum popularium studiosis. Ex Historicis neminem *Thucydidi* in hoc argumento prætuleris. Hinc, *Halicarnasseus*, & *Plutarchi quædam vitæ* nominari debent. *Polybius* in utroque genere Aristocraticæ ac Democraticæ institutionis præcellit; sicut in Latinis *Livius*. Vix enim, præsertim in historia Romana, separari possunt, quæ ad popularem & quæ ad optimatium *πολιτείαν* pertinent. id quod etiam de prædictis quibusdam intelligendum est. Cum Democratiæ veræ, vel ex mutatione temporum, vel ex temperamento sui status, *τὰ ἀριστοκρατικὰ* nunquam non admiserint, Tribunitias conciones, & certamina partis popularis cum optimatibus peculiariter atque denuo signare fas est. Qualia in *Sallustio* quoque eximie memorantur.

Cornelii

Cornelii Nepotis non prætereundæ ſunt vitæ, copioſâ diſciplina populari in illa brevitate ſua illuſtres. Jam *Cicero* unus quid omiſit rerum ad popularem aut optimatium prudentiam pertinentium? Adjungi debet Hiſtoria civitatum, quæ populari aut mixto imperio utuntur, ut priſca novis illuſtrentur.

Ingenia Senatus & Optimatium, ex Livio potiſſimum declarata. Quintius, Camillus, & alii laudati. Oligarchici mores perſtricti. Studia parandæ interiori cognitioni Ariſtocratiæ, & prudentiæ quæ circa eam, accommodata.

Cum patres pollerent, ſummam prudentiæ & laudem perdiſcendis *ſenatus & optimatium ingeniis* definitam eſſe, Hiſtoricus affirmat. In eo profectu cognitio interior reipublicæ Ariſtocraticæ, adeoque diſciplina *τῆς ἀριστοκρατικῆς πολιτείας* i. e. ſapientia optimatium regimini debita & apta collocari debet.

Ingeniorum voce Hiſtoricus erudite utitur: quaſi quis diceret cum explicatione: *per ingenia ſenatus & optimatium,* hic notari omnia illa propoſita, ſtudia, propenſiones, inclinationes, inventa, artes, regulas, mores, quibus viri vere Ariſtocratici, ad ſtatum Ariſtocratiæ vel formandum, vel firmandum & adminiſtrandum, ſuarum actionum habitum & *πολιτείαν* inſtituunt aut componunt.

Hanc animorum *διάθεσιν* inchoat interdum *Natura*; perficit, & in nonnullis acquirit *Induſtria*: pro conditione officii, temporis, exempli, neceſſitudinis, quæ in uſu civilis vitæ unicuique obtingunt. *Suetonius* inſigni ſententiâ notavit in vita Tiberii: *Notiſſimum eſt, Claudios omnes,*

excepto uno, optimates assertoresque unicos dignitatis & potentiæ patriciorum semper fuisse; atque adversus plebem adeo violentos & contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit; nonnulli in altercatione & jurgio tribunos plebis pulsaverint.

Qui locus, tùm probe definit Aristocraticam indolem, studio potentiæ, & dignitatis optimatium; tùm, quàm facile degeneret illud studium in violentiam, contumaciam, oligarchicos spiritus, insigni exemplo ostendit. Aristocratiæ origo & natura, ad eminentiam quandam, præstantiam, dignitatem pertinet. Illa autem nomina vel virtutis sunt; vel rerum virtuti similiùm: ideoque non nisi moderatis vigent rationibus, immodicis autem corrumpuntur. Quo fit, ut virtus Aristocratica, semper popularitate quadam misceri ac temperari gaudeat, sicut sequentia docebunt.

Conjungit *optimates* & *senatum*, Tacitus. Neque enim in Republ. Romana, cum Aristocratia valuit aut prævaluit, alius fuit optimatium ordo, quàm senatus: quare etiam, cum de mixto regimine sermo est, pars Aristocratica apud ceteros scriptores *patrum senatusque* titulo indicari solet. Nam alias distingui in hoc argumento oportere, *senatum*, & *optimates*, non semel *Bodinus* monet: cum neque statim *optimates* sint, qui *senatus* nomine appellantur; neque in statu optimatium semper idem utroque vocabulo notetur.

Cæterum in describendo Aristocraticæ dignitatis & potentiæ studio, semper ita ad naturam & indolem Aristocratiæ debemus respicere, ut vitiosum credamus, quicquid cum ea parum conciliari potest. Quanquam ergo haud dubie in Platonis πολιτείᾳ creanda occupari videntur, qui optimatium regimen non nisi ex optimis ac eminentissimæ virtutis viris constituunt: dubitari tamen nequit, quin accuratissimis legibus virtus ac honestas optimatium sancienda sit. Valeat hic νόμῳ ἀριστοκρατικὸς de Senatu; *is ordo vitio careto, ceteris specimen esto*: & formula censoribus præscripta; *probrum in senatu non relinquunto*.

Cic. 3. de ll.

Cum-

Cumque omnia in hoc statu ad gravitatem & auctoritatem referenda sint; maximum opus & consilii summa in eo esse debet, ut legitimum intervallum inter populum & optimates constituatur & custodiatur. Licet enim in vera Aristocratia majestas Aristocratica Patrum eadem sit, quæ regis in regno, si vim & naturam rei spectes: tamen forma & facies & schema plurimum discrepat, atque ad civilem æqualitatem propius accedit. Rex è sublimi venerandus conspicitur: optimates è proximo & inter cives præfulgent. Hinc omnis regia species invisa in optimatibus. quod exemplo Xvirorum *Livius* ostendit. *III, 36.*

Est equidem ratio status Aristocratici præcipua, plebem à communione honorum & potestatis excludere. Verum id consilium vix unquam feliciter proveniet, nisi populo tam voluntas imperandi, quàm facultas adimatur. quod fit nonnunquam temperatione quadam Democraticâ: sæpius per simulacra Democratica, quæ vocant. De quibus alii. Ita *Bodinus* laudat remp. Venetam, quod cum plebe communicet minores aliquot magistratus & curationes; locupletiores autem è plebe affinitatibus conciliet Patriciis, & pecunias mutuo ab ipsis sumat. Unde tamen mixtus status non emergit. quamquam *Contarenus* arte quadam politica eam fabulam in vulgus dispersit: Sicut nuper libellus *de ratione constituta Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ*, credulis & imperitis, puto, persuasum ivit; Democratia hodie rem Britannicam contineri.

Quotiens igitur auctoritas Patrum & sanctitas in majus extollitur & ascititia specie exornatur: semper studendum præcipiunt Politici, ne quid nimis; id est, ne populus sentiat & credat, in contemtum sui aut injuriam talia usurpari. Exempla habemus in caussa auspiciorum, & matrimoniorum apud Romanos. Auspicia quidem adeo propria patribus erant, ut non solum, quos populus creabat patricios magistratus, non aliter quam auspicato crearet: sed patres quoque ipsi sine suffragio populi, auspicato Interregem proderent; & privatim auspicia haberent, quæ plebeji ne in magistratibus quidem habebant. Sed in hac re inculcanda

canda non temperatum est verbis ad contemtum plebis pertinentibus. Sicut & in caussa matrimoniorum accidit. Illustris locus est apud *Livium* 4, 3 5.

Dum de honoribus sermo est, non videtur omittenda ars illa, qua optimates usi sunt in submovenda à magistratibus plebe. Verba *Historici* sunt: *Artem adhibitam ferunt à patriciis, quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis, tædio sordium in quibusdam insignium, populum à plebejis avertissent.* Et postea: *itaque sicut priore anno per indignissimos ex plebejis candidatos, omnium etiam dignorum tædium fecerant, sic tum primoribus patrum splendore gratiaque ad petendum præparatis omnia loca obtinuere, ne cui plebejo aditus esset.*

Liv. IV. 56. & 57.

Nimirum universa ἀντιπραγία ἀριστοκρατικὴ adversus plebem, quantum fieri potest, occulte potius quàm aperte exercenda; neque speciem certaminis aut oppositionis, sed formam studii in Rempub. & populum habere debebat. Id quod in mixto tamen statu sæpe arduum est. Inter duo quippe ancipitia, cedendo indulgendoque interdum placatur populus; sicut apud *Livium* modestia, æquitas altitudoque animi in populo laudatur, quando contentus fuit, quod ratio habita plebejorum in comitiis esset, omnesque patricios tribunos mil. consulari potestate, creavit: interdum vero cedendo indulgendoque ad plus petendum irritatur. sicut sæpius accidit. *Adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, ut deprimat alium, in difficili est; cavendoque ne metuant homines metuendos ultro se efficiunt: & injuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, injungimus aliis.* quod gravissimum *Livii* de tali statu judicium est.

IV. 6.

III. 65.

Talia porro certamina in factiones degenerant: inter quas Aristocraticæ auctoritati nihil tutum, nihil firmum. Hinc non dubitat *Sallustius* pronuntiare; *in ejusmodi certaminibus semper nobilitatis opes diminutas, & jus populi amplificatum esse.* Verissimo in summam judicio. Hinc omnes patriciorum artes pæne consumtæ apud Romanos: neque tamen in tranquillo potuit locari respublica, quin statim prior tempestas resurgeret.

Orat. 2. de rep. ord.

In

In illis porro certaminibus, sæpius moderatio optimatium laudari potest, quàm asperitas. Si enim non magis Patriciis, imperii, quàm populo, libertatis, modus est; tum fieri necesse est, quod ipsi optimates conqueruntur, ubi rogant Appium, *ut tantam consularem majestatem esse vellet, quanta in concordi civitate esse posset: dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil esse relictum virium in medio, distractam laceratamque remp. per magistratus: magis, quorum in manu sit, quàm ut incolumis sit, quæri.* *Liv. III. 67. adde Sallust. Iugurth. 41.*

Erat sanè sollennis ars Patriciorum in contentionibus ejusmodi, tribunos disjungere, & aliquem ex collegio tribunorum suis partibus conciliare, ut intercessione ejus, ceterorum collegarum adversus patres molitiones reprimerentur. Qua de re Appius Claudius apud *Livium victam tribunitiam potestatem in præsentia re ipsa, exemplo in perpetuum quando inventum sit, suis ipsam viribus dissolui: neque enim unquam defuturum qui gratiam melioris partis bono publico velit quæsitam; & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore, & unum vel adversus omnes satis esse.* *II, 4. & 50.* Neque tamen id telum Aristocraticum, gliscente certaminis pertinacia, valuit. Sicut discas licet ex *Liv.* 6. 35. & 36.

Præcipuum itaque firmamentum omnis Aristocratiæ, est concordia ordinum, si mixtus sit status: aut optimatium inter se, si pura sit Aristocratia. Hinc leges severissimæ sanctissimæque ferendæ sunt, quibus inter optimates concordia illibata sanciatur; aut, ubi labare cœpit, prius, quàm in nervum res erumpat, reconcinnetur. Non enim sæpe potest sperari, nisi legibus sanciatur, egregia illa moderatio, quam in Patribus & magistratibus *Livius* describit, ubi collegæ Camilli fatentur: *sibi destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium, neque quicquam de majestate sua detractum credere, quod majestati ejus viri concessissent.* *VI, 6.* Vereque tum jactatum est à Patribus: *se bene sperare & de bello & de pace universaque republica; nec dictatura unquam opus fore Reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat; tam concordibus animis junctos, parere atque imperare juxta paratos, laudemque*

potius

potius conferentes in medium; quam ex communi ad se trahentes. conferri meretur nobile exemplum *lib. 3. cap. 70.*

Huic concordiæ vehementer conducet, si singulorum optimatium ambitioni obex ponatur. In quam rem complures sunt artes: cum magnis imperiis & magistratibus modus imponitur, ex collegarum jure æquato: cum honorum inania eo magis multiplicantur, quo plus potestati detrahitur: cum censura optimatium actionibus destinatur, an se teneant intra concessa legibus, quas nunquam impune transgredi licebit: cum largitiones vetantur: cum disciplina curiæ severissime & compositissime sancitur; ne altercationibus curiæ ad factiones veniatur: cum nobilium familiarum jura, moderandæ potentiæ ordinantur. id
Semestr. 7. 3. quod exemplo Reip. Venetæ illustrat *Langlaus*, ubi de duobus fratribus in eodem collegio disserit.

Bodinus in præcipuis consiliis Aristocraticis autumat, optimatum cœtui magistratum aliquem perpetuum (ex optimatibus scilicet constitutum) præesse oportere, veluti cardinem fixum, in quo civitas, magistratibus perpetua varietate mutatis, acquiescat. Sed modus imponendus est juris, cuicunque nullus temporis imponitur. Sicut & in altero, quod commendari solet, non absimili invento: de rebus summis & imperii arcanis, inter paucos optimatium tractandis, cum in turba perturbatior sit magnorum consiliorum exitus. In his atque talibus cautione opus est, ut ad Aristocratiæ moderatam temperatamque naturam omnia referantur. Facili enim declinatione vel populi rationibus, vel paucorum libidini nimis indulgetur, atque ab optimatium πολιτείᾳ, quæ mediis rebus viget, discedi-tur. Nam *populi imperium, juxta libertatem; paucorum domi-*
VI. A. 42. *natio regiæ libidini propior est.* ut illud *Taciti* ad nostrum sensum, inflectamus paululum.

Quæ hactenus, velut in exemplum posuimus, satis queunt ostendere, *ingenia senatus, & optimatium*, sive illum animorum studiorumque habitum, qui Aristocratiæ maxime est consentaneus. *Cicero in oratione pro Sextio*, pro *optimatibus* habet, qui Reip. student, ejusque dignitatem & secu-

ſecuritatem optimis conſiliis, artibus & actionibus juvare & ornare ſibi proponunt. Ut præcipuus Character Ariſtocraticus (liceat ita loqui) ſit reipub. ſe totum tradere, inque ejus commodis & negotiis, omnem ſuam operam dignitatemque conſtituere. Ita enim ſecerni licet è vulgo, cui reſpublica parum curæ.

Exiſtimat quidem *Bodinus*, Tullium in illa deſcriptione optimatium, cauſæ ſuæ ſervire, cum virtutes & vitia civium ad intelligendas deſignandaſque formas rerumpub. non pertineant. Verum, ut nunc nil dicamus, quid veri falſive habeat illa *Bodini* ratio, certum eſt, cum de prudentia tractandæ reipublicæ, ſicut formam cujusque regiminis juvat & decet, quæritur, *optimates, populares, & ſingularis imperii peritos*, conſideratis ingenii dotibus, animique artibus, quas ad hoc inſtitutum adferunt, deſcribi oportere. Quo ſenſu rectè dixeris, viro vero Ariſtocratico convenire, ſtudium dignitatis, curam famæ, auctoritatis parandæ firmandæque diligentiam, gravitatem, magnitudinem animi, conſtantiam, fidem, amorem Reipubl. moderationem, prudentiam, honeſtas artes, literas, eloquentiam, & quæ ſunt ejus generis. quamvis enim in omni regimine, his nominibus locus ſit; tamen alia, atque alia ratio eſt, prout in diverſis imperandi formis reipublicæ tractandæ adhibentur.

Verum iſta melius forte, in ipſo magnorum virorum actu, vitaque cernuntur, quales nunc omnino producendi eſſent, niſi ſcripturæ modus calamum cohiberet. Quid apud *Livium*, Quintio illo ἀριστοκρατικώτερον? cujus elogium ſummatim eſt cognoſcere, in illo patrum judicio, cum rebus creperis, omnes in unum verſi, ut vindicem majeſtatis Romanæ intuerentur, & primores patrum dicerent: *dignam* III.79.
(quam habuerat) *concionem imperio conſulari, dignam tot conſulatibus ante actis, dignam vita omni, plena honorum ſæpe geſtorum, ſæpius meritorum. alios conſules, aut per proditionem dignitatis patrum, plebi adulatos, aut acerbe tuendo jura ordinis, aſperiores domando multitudinem fuiſſe: T. Quintium orationem memorem majeſtatis Patrum concordiaque ordinum & temporum inprimis habuiſſe.*

buisse. Hæc sunt ipsa illa quibus optimatium prudentiam, & πολιτείαν instrui hactenus optavimus. Nec dissentit à priori laude quintus tanti viri consulatus, de quo *Historicus : Æquavit, quod haud facile est, Quintius consul togatus, armati gloriam collegæ : quatenus concordiæ pacisque domesticam curam jura infimis summisque moderando, ita tenuit, ut & patres severum consulem & plebs comem crediderint. & adversus tribunos auctoritate plura, quam certamine tenuit. Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaque omnis consulariter acta verendum pene ipsum magis quam honorem faciebant.*

IV, 2.

Jam si per singulos ire liceret, quàm est viro principe digna Camilli gravitas, Sempronii constantia, Menenii moderatio, qua in omni vita pariter patribus ac plebi carus & utilis fuit ? Juvaret etiam cognoscere, quomodo deverterint à vero tramite hujus laudis nimia lenitate Æmilius, & fortasse Servilius : nimia severitate Coriolanus & Appiorum quidam. Nam plures Appii, cum optimates haberi magno studio vellent, in oligarchicos mores & consilia paucorum dominationi quam optimatium dignitati aptiora, lapsi sunt. Historici pleraque, *superbia* & *violentia* nominibus complectuntur, quibus & alias injusta imperia notari solent. Characterem hominis ὀλιγαρχικοῦ etiam *Theophrastus* composuerat. Sed vitiis scatent, quæ fragmenta habemus. *Casaubonus*, *optimatium* vocabulo expressit, non quatenus virtutis, sed factionis nomen est. nam si quis sententias *Theophrasti* conferat cum aliis scriptoribus (vel *Pollucem* vide III, 6.) non dubitabit, contemptu plebis, affectatione honorum, jactabundâ elatione, & similibus, signari res à virtute Aristocratica optimatium plurimum alienas.

Cæterum, ejusmodi notationes magna exemplorum varietate Historia suppeditabit, tum aliarum gentium, tum Romanorum, præsertim ab eo tempore, quo pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellati, non ob merita in remp. omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus

tissimus & injuriâ validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ita *Sallustius* describit illa certamina potentium, quæ per omnes τῆς ὀλιγαρχίας gradus, vices, species rempub. in unius manum denique tradiderunt.

Quæ hactenus de perdiscendis optimatium ingeniis attigimus, præter *Aristotelis & Platonis Politica*, uberius peti possunt ex Græcis Latinisque scriptoribus, qui liberarum civitatum res declarant, vel ubi democratia, vel ubi aristocratia, vel ubi ex utraque mixta reip. forma obtinuit. Non enim reperitur Democratia apud veteres, quin Aristocratica quædam temperamenta ibi vel usurpata, vel consultata sint. ne de mutationibus & mutationum tentamentis dicamus: quibus Attica Respublica est agitata. Hujus enim res eximie huc pertinent. Itaque ex Historicis *Thucydides*, ex oratoribus *Demosthenes* & *Isocrates* diligenter versandi. Romanæ Reipublicæ negotia ab exactis regibus ad monarchiam Cæsarum, *Halicarnasseo*, *Plutarcho*, *Dioni*, aliisque descripta habemus. Sed *Livius* singulariter hic est commendandus: ex quo solo peti potest, quicquid ad Aristocraticam prudentiam pertinet. In *Sallustio* quoque non parum hujus disciplinæ superest. *Ciceronis* scripta, *orationes præsertim* & *Epistolæ*, thesauros ingentes philosophiæ ejus, de qua agimus, recondunt. ne ad plura nunc eamus.

In recentioribus, duo sunt incomparabilia exempla: *Republica Veneta vere Aristocratica*, & *Status Imperii Germanici* ex Aristocratia & Monarchia mixti. Utriusque ergo generis scripta studiose versare debet is, cui Aristocraticam prudentiam perdiscere opus est. Si tamen prius tantum disciplinæ politicæ hauserit, ut de formis rerum publicarum, earumque rationibus accurate judicare possit. Res est enim, privatim inutilis, publice persæpe noxia, meditari & disserere tanti momenti negotia, absque illius doctrinæ ope, sine qua nihil rite judicaveris. Quantus est, heu quantus eorum numerus, qui de statu Reipub. temere, imperiteque disputant, cum revera nullius omnino formæ constitutionem animo satis perceptam cognitamque

 habeant,

habeant, neque verborum formulas, à jurium potestate, speciem à re denique queant discernere? multo minus actionum publicarum fontes ac professiones definire.

In Historiis legendis, eximiam merentur observationem illæ orationes Aristocraticæ: de quibus vere possis dicere, quod de Pompejo ad Atticum scribens *Tullius* extulit: *tum Pompejus μαλ᾽ ἀριστοκρατικῶς locutus est, senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri semperque visam esse, respondit; & id multis verbis.* Quamquam & in Principum orationibus aliquando illa imago usurpatur. Quid de optimatibus aut pro senatu fingi potest splendidius illa oratione Othonis, quam *Tacitus primo Historiarum* expressit? Similia alibi notavimus.

1. Ep. 14.

Et quia optimatibus singulari quadam ratione virtus senatoria vindicatur, dubitari nequit, quin huc referri possint, quæ *Laurentius Grimalius de optimo senatore*, & alii instituto simili de virorum civili munere dignitateque fungentium artibus composuerunt: ut & qui optimatium ingenia etiam in Principatu scrutantur & describunt. quale specimen *Barclajus, in icone animorum* prodidit. Sed nobis de diverso regiminis genere hactenus sermo fuit.

Notitia Principatus quibusdam notis indicatur. quam singulari arte judicioque Tacitus exequitur. Alia cognitio reipublicæ, breviario & instrumento imperii comprehensa clausulæ loco attingitur.

Superest Notitia Principatus, cujus causâ de ceteris formis mentionem sibi faciendam *Tacitus* judicavit. Ad hanc quæ pertinent, conquisita sibi prudenti observatione, & in *Annalibus* tradita, profitetur. Nobis non licet modum dissertationis excedere. Itaque tangemus hac vice, quæ plena

na designatione tractari non possunt. Sufficiet huic proposito exemplum Principatus Romani, de quo Historicus loquitur.


Cum extinctæ libertati successisset Principatus Cæsarum, neque tum neque postea cuivis in promtu fuit, accurate judicare de converso statu civitatis, quia singulari dominantium artificio, imago antiquitatis & simulacra libertatis in curia, & ad populum (sicut ubique notat Tacitus explicatque) repræsentabantur. Hinc periculosus error, quo de jure populi, de jure senatus, id est, de rebus, quæ pridem in unum cesserant, dubitatum atque disputatum est. At qui meliori ingenio consilioque notitiam reipublicæ tractabant, facile animadvertebant, pelliciendis hominum mentibus, imperioque confirmando, aut dissimulandis altioribus propositis, qualibus nunquam vacant sive bonorum sive malorum Principum mentes, istam scenam adornari: cum Principibus interim una esset ingenii propositique ratio, tueri jus & majestatem sui loci, summumque rerum judicium sibi vindicare sine arbitrio, sine socio, sine auctore. Discrepabant in eo, quod nonnulli sine fine dominationem sibi destinabant: alii civilem conditionis humanæ morem in summâ potestate interpretanda, rectioris propositi ducebant. Neque omnibus eadem, sed nec uni semper eadem ad hanc metam via. Modo, egregiis artibus, sollerti provisu, vigilantia, magnitudine animi, modestia, civilitate, gravitate, id negotii gerebatur: modo prava calliditas, superbia, sævitia, inter instrumenta regni censebantur. est, cum inter bona malaque mixtus vel ambiguus regnandi habitus, seculo & statui formam dedit: ne de iis nunc eventis dicamus, quorum nullum in sermone vocabulum, nulla in exteriore scena species, sed interior in arcanis prudentiæ penetralibus vis quærenda, sive etiam ne quærenda quidem erat. nisi quod Tacito singulari fortuna patuit illud Romani palatii τεχνέςυον, in quo putabatur habitare diva nescio quæ πολυώνυμος, apud Proteum Thetis, apud Paridem Helena, apud Ulyssem Penelope: cui quicquid privatim placuit, publice ratio status fuit.

Hinc longa & per miram subtilitatem contexta arcanorum series, domum Principis, reipublicæ innectebat, confundebat, opponebat: prout affectio dominantium, aut ingenii libido, aut temporis illecebra permovit. Vices enim boni malique regiminis, non breves modo & instabiles, sed variæ, & per omnes animorum negotiorumque motus, intervalla, impetus, implicitæ, Principis & Tyranni formam fatumque subinde commutabant. Magnæ tum solertiæ opus, scire, quid civilis obsequii virtus postularet, quid tempus & fortuna imperaret, quid ex omni parte liceret aut deceret. Quid? quod de ingeniis Principum, & intima regnorum virtute judicare, semper arduum, aliquando nefas, nec raro inutile. quo fit, ut non minori pietate, quàm sapientia opus sit ad notitiam Principatus complectendam, quanta in privatos cadit. In quo genere demonstrationis, *Tacitus* sine exemplo præcellit, si quis in rem præsentem venire, & vel in Principatu Tiberiano, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis erudite discernere paratus sit. Illuc enim omnino delegandi sunt, quibus hic scripturæ modus nequit satisfacere.

Et hæc quidem hactenus de noscenda Republicâ. Alia & diversa est cognitio Reipub. quàm *Cicero* senatori commendat: *Est senatori necessarium, nosse rempublicam; idque late patet: quid habeat militum, quid valeat ærario; quos socios respub. habeat, quos amicos, quos stipendiarios; quâ quisque sit lege, conditione, fœdere; tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum.* Sed de hac scientia, *Tacito* quoque laudatâ, alibi egimus.

3. de LL. 18.

1. A. 11.
4. A. 4. &c.



DE

III.

DE ELOQUENTIA VIRI CIVILIS

Dissertatio

AD TACITI XIII. ANNAL. CAP. 3.

NObilis est *Digressio Taciti*, quam de civili Principum Romanorum eloquentia instituit, cum annali tertio decimo funus Claudii, & laudationem funebrem à successore Nerone habitam descripsisset. Quia enim Seneca illam orationem *multo cultu* composuerat (*ut fuit illi viro amœnum ingenium, & temporis illius auribus accommodatum*) factum est, ut *annotarent seniores, quibus otiosum est vetera & præsentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent. Neronem alienæ facundiæ eguisse. Nam dictator Cæsar* (ita pergit Historicus) *summis oratoribus æmulus: Et Augusto prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit.*

Ut ad hunc locum aliquid annotaremus, nata nobis ex ratione muneris occasio est. Et, quanquam de *Principum facundia* potissimum hic sermo sit: maluimus tamen commentationi nostræ indicem & fines paulo productiores dare. De *Eloquentia* scilicet *Politici* agentibus, fas erit, tum ipsos præcipue Principes, civilis prudentiæ & muneris nomine; tum ex ceteris, cuicunque altior reip. intellectus aut usus est, elogii communis nota honestare.

Civilem scientiam tribus debere rebus censeri, judicat *Carolus Paschalius: cognitione juris, peritia historiarum, eloquentia.* *in legat. cap. 15.* Et sane (ut de eloquentia nunc tantum agamus) Politici nomen tribuere ei, qui non possit vel loquendo vel scribendo, vel utroque modo negotia civilia, prout

par

par & opus est, explicare, nulla idonea ratio permittit. Id quod tam manifestam habet evidentiam, ut abuti otio videri possim, si magnum & perpetuum eloquentiæ in omni vita actuque civili usum instituam probatum ire.

Sicut autem virtutes ipsæ, cum certis vitæ generibus ac officiis tribuuntur, non jam sub communes locos cadunt, sed in singularem observationem eunt, ut aliter de regis, aliter de hominis virtute loquendum sit: ita quamquam nullum veræ eloquentiæ genus, à viro civili plane alienum sit, peculiarem tamen ex proposito ingenioque actionis civilis æstimationem subit oratio, cum velut in medio rerum usu & negotiorum consuetudine, de *eloquentia Politici* (sive *politicam* velis appellare) suscipitur cogitatio. Neque enim hic spectamus aliud, quam eam sermonis & scripturæ facultatem, qua viri Rempublicam intelligentes aut tractantes, res civiles, pro earum ingenio, habitu, ceterisque momentis, apte & decore, adeoque ad obtinendam politici actus vim & dignitatem accomodate exprimunt. Sive quis malit dicere: Eloquentiam Politici ubiq; in usu civilis vitæ, cum Prudentia Politici paria facere, ejusq; rationes animo provisas, judicio comprehensas, proposito destinatas, quanta fieri potest dexteritate orationis assequi, & commode explicare.

Invenias quidem, apud quosdam, Politicum, non alium quam Oratorem dici. Nota sunt Fabii verba in procemio operis: *vir ille vere civilis & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius est profecto quam Orator.* Quem etiam Cicero ex omnibus Sapientibus, *auctorem publici consilii, & regendæ civitatis ducem, & sententiæ atque eloquentiæ Principem in senatu, in populo, in caussis publicis*, facit. Sed qui sic disputant, eloquentiæ in rep. usum generaliter ac universe cupiunt extollere, ut conficiant illam Ciceroni tractatam alibi sententiam: *Sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus.* Itaque ostendunt *multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias, eloquentia comparatas.* percensent exempla maximarum rerum gestarum, quæ sine eloquentia non potuissent

1. de Invent. 1.
Fab. 2. 16.
Cic. Brut. 14.

potuissent geri: numerant rerumpub. principes, quibus in præcipua operum, eloquentia vel pro instrumento, vel pro telo fuit. Adjiciunt honores eloquentiæ habitos. quis enim nescit, in Græcis civitatibus, primam semper Oratoris dignitatem fuisse? Nec aliter visum Romanis, qui ceteris gentibus peritiores in tractanda repub. haberi voluerunt. *Nam quis unquam dubitavit* (inquit rursum Cicero) *quin in* *in orator. 14.* *rep. nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque rebus: secundas juris scientia?* Horum sententia nunc non amplius utimur, quam ut denuo, quod ante diximus, declaretur: ab optimis exemplis & rationibus clarissimorum Politicorum abire, qui nomen Politici sine eloquentia sibi videntur tueri posse.

Florebat sane plurimum Romæ forensis illa eloquentia, ad quam pleraq; studia diu referebantur. Et sicut inter rudimenta futuri Politici (perseverabimus enim hoc vocabulo uti) actiones fori numerabantur: ita laboris plurimũ ponebatur, in eo genere orationis, quod ad explicandam ingenii ubertatem, ad publicanda soleñiore apparatu studia, ad gratiam denique & auctoritatẽ prorsus accomodatum videretur. Unde etiam in Scholis Rhetorum, pleraque institutio & exercitatio dicendi, in *Controversiis* substitit. nisi quod *suasoriis* etiam insudatum est: quæ jam πολιτικώτερον aliquid promittunt, si ad usum curiæ & deliberationum civilium referantur. nam foro & judiciis sua denique mansit seorsum occupatio, distinctumque est forensis facundiæ elogium, à politica eloquentia, quæ in ceteris reipub. partibus tractandis consultandisque cernebatur. *Suet. Cl. Rhet. 1. Fab. 2. 10*

Certe Senatorias orationes, sententias, consilia, etiam *Cicero* sic distinguit à fori actionibus, ut in his, Jurisconsulti & oratoris, in illis Politici laudem videatur quærere. *Fuit mihi commodum* (ita scribit ad Atticum) *quod in* *epist. 2. 1.* *eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, & quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut mea quoque essent orationes, quæ Consulares nominarentur.* Idem existimare fas est, de concionibus habitis ad

L Popu-

Populum: qui in republica libera in vicem ſenatus ſucceſſit, conſiliique publici dominus & arbiter eſt. Hinc Demoſthenes ille, cujus modo mentio facta, tanti Politici nomen meruit. ne de reliquis Athenienſium aliarumque civitatum Græcarum oratoribus dicam: quos magis illuſtrarunt orationes de republica, quam de cauſſis forenſibus.

in Vit. Rhet. lib. I. De Lycurgo *Plutarchus*: ἐπολιτεύσατο ἐπιφανῶς καὶ λέγων καὶ πράττων· *in rep. gerenda, actu juxta & oratione, ſive verbis factiſque magnificus erat.* Plane ut Periclem *Thucydides* λέγειν τε καὶ πράττειν δυνατώτατον, *agendo dicendoque validum & efficacem*, vocat. Eloquentiam inter artes laudeſque Politici utraque ſententia ponit: nec quamvis tamen, ſed Politicam. quam non argumento tantum æſtimaveris, ſed perſonæ inſuper conditione, ac dicendi genere, quod paulo poſt requirendum nobis erit. *Ipſum* enim *eloquentiæ genus alios aliud decet. Eſt quod Principes deceat, aliis non conceſſeris. Imperatorum ac triumphalium ſeparata eſt aliqua ex parte ratio eloquentiæ: ſicut Pompejus abunde diſertus rerum ſuarum narrator, & hic qui bello civili ſe interfecit Cato, eloquens ſenator fuit.* *II. Inſtit. or. I.* Qua de re amplius diſputat *Fabius*. Pertinet huc elogium L. Torquati, *quem tu non tam cito Rhetorem dixiſſes (etſi non* *in Brut. 76. c.* *deerat oratio) quam ut Græci dicunt* πολιτικόν: judice *Tullio*. qui *ib. cap. 45.* & Lentulum ait, *eloquentiæ ſatis habuiſſe, ad rempubl. duntaxat quod opus eſſet.* itemque C. Lælio *eloquentiæ tantum* tribuit, *quod eſſet in rebus privatis amicis ejus, in repub. ipſius dignitati ſatis.* Quæ loca nobis oſtendunt, perſonæ non minimam eſſe conſiderationem, cum de civili eloquentia quærimus.

Quanquam eſt omnino quidam dicendi character, ſive quædam dictionis forma, quæ τύπος πολιτικὸς deſignatur. Ejus *2. de Ideis.* Auctorem facit Rhamnuſium Antiphontem, *Hermogenes*: *Plu-* *Vit. Rhet.* *tarchus* autem Iſocratem eo nomine laudat, *quod primus* ἐριστικοὺς λόγους *orationes contentioſas à civilibus ſejunxerit, maximeque* λόγοις πολιτικοῖς *ſtuduerit.* Ejuſdem ſtudii teſtimonio Democharem honeſtat, κατὰ τοὺς πολιτικοὺς λόγους οὐδενὸς χείρω, *nemine inferiorem in civilibus orationibus* prædicans. Nec abludunt, quæ de Iſæo ſcribit. Certe Athenis Schola conſtituta eſt πολιτικῶν λόγων, πολιτικὸς θρόνος ſive *cathedra eloquentiæ politicæ*, ſicut

Cre-

Cresollius in theatro Rhetorum ostendit. *lib. 1. c. 3.* Unde homines reipublicæ destinati, tales potissimum magistros sibi deligebant. quod vel Julii Augustique Cæsarum exemplis, quæ Taciti locus huic dissertationi præscriptus commendat, declarari potest. Quid enim aliud spectavit Julius, cum Rhodum profectus Apollonio Molonis clarissimo tum dicendi magistro operam daret, quam ut civilem eloquentiam perficeret, ad quam eum natura ducebat? ita *Plutarchus* in historia *Suet. Jul. 4.* ejus disciplinæ notat: λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ *in Cæs.* Καῖσαρ ἄριστα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα τὴν φύσιν· *fertur Cæsar maxime accommodatam civili eloquentia naturam habuisse, eamque summo studio excoluisse.* Augustus autem cum à Julio Apolloniam missus esset, id præsertim in mandatis habuit, ut inter cetera studia, quibus ad summæ fortunæ cultum instruuntur singulares naturæ, diligentissime daret operam eloquentiæ: politicæ scilicet, habili, gerendis rebus aptæ, *Dio 45.* denique cujus exemplum Cæsar ipse, πολιτικώτατα sive modo maxime politico disertus, præmonstraverat.

Prius autem, quam de natura eloquentiæ & orationis Politicæ pressius agamus, dissimulandum non est, πολιτικοὺς λόγους apud Græcos, sæpe forenses notare orationes, quas nos antea ratione instituti à vere politicis distinximus. Plerumque tamen intelligitur hac voce forma dicendi ad usum actumque rerum nata, quæ in foro etiam præcipuum laudis tulit. Itaque *Hermogenes*, qui copiosissime, & ut solet, accuratissime τύπον πολιτικὸν ac λόγον πολιτικόν, formam orationis politicæ explicavit, *& in judiciis, & in curia senatuque, & in comitiis sive concione*, cum ad populum habetur sermo, characteris politici usum requirit atque commendat: ejus tamen nominis dignitatem semper τῷ σοφιστικῷ καὶ λογογραφικῷ, scholasticæ & declamatrici eloquentiæ, ut sic dicam, orationique ad ostentationem factæ, ita opponit, sicut otiosum à serio abjungi solet. *Dionysius* quoque *Longinus*, electissimæ artis magister, cum libellum κριτικώτατον de sublimi dicendi genere auspicatur, virorum politicorum judicio stare vult suas annotationes aut cadere, εἴ τι δὴ δοκοῦμεν ἀνδράσι πολιτικοῖς τεθεωρηκέναι χρήσιμον, *si forte studium*

meum, inquit, *Politicis viris queam approbare.* Non loqui eum de peritia fori, totum argumento est opusculum, quo omne scriptorum genus, ad partes vocat, quatenus à vita civili & moris humani consuetudine, adeoque intelligentia politica, abhorrentia scripserunt.

Scilicet in Græcia viri civilis officium, quoties id universe & in amplitudine sua spectatur, æstimabatur his partibus: si in judiciis defendere, vel accusare; in senatu & concione populi, suadere, dissuadere, hortari, laudare, castigare; id est, per omnes reipub. partes, pro re & loco & tempore, eloquentiam expedire vir politicus posset. Sic apud Romanos postea omnis facundia hominum in rep. versantium, agendis caussis in foro, explicandis consiliis in curia, habendis concionibus ad populum continebatur. Nisi quod sub Principatu, illa liberæ reip. facundia, vel usu vel pretio sui, itemque formâ, aliquid diversitatis & mutationis admisit. Porro sicut in his omnibus officiis, adeoque etiam in forensi eloquentia, genus orationis politicæ locum habebat, quantum ad rationes artis attinet: ita consuetudine loquendi, judicandique, potius cetera reip. argumenta, politici nominis honorem vindicarunt, sicut ante diximus: partim quod gravitas & civilitas, ut sic dicam, prudentiæ minus in forensi strepitu & litibus se explicaret; partim quod forensis eloquentiæ studiosi à magnorum & Politicorum virorum exemplis moribusque plurimum abirent, atque dignitati, quæ primum in omni titulo politico auspicium facit, minus prospere aut constanter servirent. Itaque nihil tam speciose de *virili & oratoria eloquentia* in foro prædicare Aper in nobili & noto Fabii
cap. 5. *Dialogo* potuit: quin Materno relinqueret satis materiæ, ad
cap. 12. insectandam *lucrosam & sanguinantem eloquentiam.*

Si quis autem cupiat formam orationis politicæ describere, non alienum sane fuerit, repetere ex magistrorum libris, quæcunque illi *de perspicuitate, de moribus & virtutum notis, de veritate & nativa indole, de industria & velocitate, de magnitudine, de severitate, de vigore, gravitate, splendore, venustate*, aliisque stili civilis laudibus copiose diligenterque

tradi-

tradiderunt. ſunt enim hæc ejusmodi, ut interdum omnia, ſæpius aliqua aut ſingula viri Politici orationem vel conſtituant, vel commendent: ſicut vel ex ſolis nominibus exiſtimari poteſt. Verum nobis non eſt animus, per præcepta Rhetorum nunc lectorem circumducere. quin potius hoc agamus, ut ſimplici, & ex ipſo communis vitæ uſu reperita diſſertatione, Eloquentiam viri civilis, quatenus verbis non licet, exemplis quibusdam deſignemus.

Huic inſtituto ſuffecerit forte, ſi formam orationis civilis potiſſimum *perſpicuitate, nativa ſimplicitate, & congruenti dignitate definiverimus.* ita nondum effeceris orationem Politicam, inquies: cum in quovis argumento talis ſtilus poſſit reperiri? Certe. Sed iſtas notas, ſicut ſupra repeti poteſt, referri exigique volumus ad genium & indolem actus publici & civilis vitæ conſuetudinem: ut hæc demum oratio nobis vere civilis ſit, quæ virtutem ſuam intimis negotiorum civilium rationibus, & naturis actionum, tanquam unico exemplo, quam aptiſſime dexterrimeque conformavit. Hinc enim judicandi, & appellandi hanc eloquentiam, auſpicia peti debent. Ex quo etiam apparet, accuratam ſubintelligi rerum civilium intelligentiam in eo, cui aliquid hujus laudis tribuendum eſt. ut valide huc pertineat illud *Ciceronis in Bruto: Dicere bene nemo poteſt, niſi qui prudenter intelligit.* *cap. 6.* Quare politica oratio, non niſi in Politico i.e. in viro reip. intellectum aut uſum habente, locum habet: ut fiat, *Eloquentia Politici*, quod præſcripſimus.

Intelligentiam autem & prudentiam viri civilis, cum hic requirimus, aliquid præter hæc nomina exaudiri volumus, etiam cum non nominamus. Ut enim intellectus rerum civilium, & prudentia ad effectum hujus eloquentiæ, quam quærimus, perveniat, ſingulari opus eſt judicii rectitudine, & expedita ratiocinatione ſenſus communis: à cujus conſuetudine ſubtiliſſima ſæpe ingenia, oratione actuque, nimium quantum devertunt. Naturæ prima ac præcipua ea ſors eſt, quatenus de viro civili loquimur. Hæc viri, qui & rerum & verborum notitia inſtructus eſt, mentem informat concipiendis, orationem enuntiandis ſen-

tentiis: hæc contextum ordinat: hæc effingit speciem & vultum, qualis juvat & decet. Hæc omnium artificum præcepta superat: à quibus ad optimam & certissimam magistram provocat, naturam rerum. hinc omnem congruentiæ modum, artem, successum deducit. Itaque non sufficit ad eloquentiam Politici, bene dixisse, ornate scripsisse, graviter commentatum esse. Bene enim & graviter & ornate nemo utitur oratione civili, nisi qui ita utitur, sicut rei præsentis tractatio postulat, sicut actionis genius recipit, sicut institutum negotii admittit. Potest quis facundus esse, cum in locos communes degreditur, cum negotia civilia, quibus incidit, universe & sub late patentibus titulis concipit. at Politici eloquentia nihil minus quam per communia expeditur: plurimumque discrepant campi Rhetorum, disputationes Philosophorum, & Politicorum natæ ex ipsis rebus curæ. Tetigit ipsum eloquentiæ civilis genium &
lib. 1. notam interiorem *Thucydides*, ubi Themistoclem laudat, *κράτιστον αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα qui promte posset oratione expedire, quæ opus erant, sive quæ res postulabat.* neque tacuit naturæ felicis & Practicæ, ut interdum vocari solet, facultatem, è cujus arcano sinu, eloquentiæ tam rebus accommodatæ congruentisque opes profluebant.

Sed redeundum nobis est ad *Perspicuitatem* illam, quam in omni eloquentia civili vel maxime requirimus. Multum sibi permisit plerumque schola, in obscuranda oratione, veluti per speciem artis auctoritatisque. sed civilis vitæ lucem, ut alibi monemus, dedecent stili tenebræ, quibus sincera rerum indoles plurimum corrumpitur, aut certe candor actionis infuscatur. Hinc aliqui pressam subtilitatem, & circumcisam brevitatem unice amplexi sunt: quo nomine ex
Dionys. Hal. veteribus Lysias præcipue commendatur. Sed nec sola debet perspicua existimari Lysiaca dicendi ratio: nec Attica veterum subtilitas tam expedita semper fuit & aperta, ut nihil desiderarent, qui judicio in talibus valuerunt. Nota
cap. 16 & 17. sunt quæ *Cicero in Bruto* & *Plinius in epistola quadam ad Tacitum,*
lib. 1. ep. 20. disputant. Sicut nec ex diverso, perspicuus semper est, qui diffuso & copioso orationis ambitu perspicuitatis studium

dium consectatur. Nam dilucidæ apertæque orationis virtus, non tam modo verborum, quam explicatione rerum continetur.

Imo ne intelligi quidem à nobis debet perspicuitas absque *nativa* illa *simplicitate*, quæ excludit nimium artis studium, & quidquid supra ac infra rem est, reique animo conceptæ habitum. Præterquam enim quod *omni orationi debet insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus color; sive naturalis non fucatus nitor*: cumprimis *pragmatico homini fugienda omnis nimia concinnitas*, sicut notanter monet Tullius. Hinc *Marcus Seneca* de Dorione: *dixit rem paulo elatiorem, quam pressa & civilis oratio recipit.* cui scilicet omnia immodica, detorta, affectata, prorsus repugnant. Possis interdum de nonnullis dicere, quod *Plinius* sensu paulum diverso de oratore sui sæculi dixit: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat. Majore animo aggredienda est eloquentia* (adhibeamus aptissima *Fabii* verba) *quæ si toto corpore valet, ungues polire & capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. Sed evenit plerumque, ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia sunt optima, minime arcessita, & simplicibus atq; ab ipsa veritate profectis similia. Nam illa quæ curam fatentur, ficta atq; composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur, & fidem amittunt.* Legi omnino debent, quæ his continuantur, ubi *Ciceronis* quoque sententia commendatur, qui *maximum in dicendo vitium esse* statuit, *à vulgari genere orationis, atque consuetudine communis sensus abhorrere.* Cujus rei suspicionem ut à se moliretur, in alteram partem excessit Albutius Silus orator & rhetor, apud *Suetonium. Declamabat* enim *genere vario: modo splendide atque adornate. tum, ne usquequaque Scholasticus existimaretur, circumcise ac sordide & tantummodo trivialibus verbis.*

Cic. 3. de or. 52. & Brut. 91.

in orator. 25.

contr. 8. lib. 1.

Lib. 9. ep. 26.

proœm. lib. 8.

declar. rhet. 6.

Lapsus à vero est utique, dum Politicus videri voluit, sordide dicendo: quasi fortuita garrulitas, posset auctoritas existimari. Possumus quidem & hic *oratores* politicos à *dicentibus*, *eloquentes* à *sedulis*, distinguere, exemplo Ciceronis: sed quis dubitet, universe in eloquentia Politici requirendam esse *Dignitatem* orationis, proposito & formæ rei *congruentem*

gruentem? cum præsertim apud recte judicantes, omnis politicæ appellationis ratio, dignitate quadam rei studiique æstimari soleat ac describi. Plerumque ergo, *ex ore* Politici *verbum nullum nisi aut elegans aut grave exire* debet, quotiens Reipublicæ negotia ex dignitate gerenda susceperit: quippe quæ non aliter quam *optimis sententiis, verbisque lectissime dicenda* videntur. Et quidni Materno aut Secundo hic locus sit? quos *Fabius* prædicat: *gravitati summum nitorem & cultum verborum miscuisse. Aderant, electio inventionis, ordo rerum; quotiens caussa poscebat, ubertas; quotiens permittebatur, brevitas: compositionis decor, sententiarum planitas. Exprimebant affectus, temperabant libertatem,* aliaq; magnorum oratorum munia dextre obibant. Nam ab his mutuatur Politicus noster, quidquid eloquendis suis negotiis comodum reperit: adeoque vel maxime illud commune præceptum, ut *humilia subtiliter summisseque, magna graviter, mediocria temperate* dicat. in quo plena sermonis politici dignitas versatur.

Cic. or. 39. Cic. or. 68. in Dial. de or. 26. Cic. or. 29.

Itaque, licet oratio politica sæpius præferat notam hominis de re magis, quam de *verbis* laborantis, eaque non ingrata pragmaticis viris soleat esse negligentia, meminisse tamen debemus, etiam *negligentiam quandam esse diligentem*: sicut in loco & tempore, formam venustæ mulieris nihil æque commendat, quam ipsa formæ neglectio. Quare, cum omnia vel candoris vel ruboris fucati medicamenta, cum calamistris, repellentur, elegantia & munditia remanebit: *sermo purus erit: dilucide planeque dicetur, quid deceat circumspicietur.* Cumque omnis *eloquentiæ origo verborum delectu contineatur,* virum civilem minime decuerint verba sordida, barbara, obsoleta, talia denique quæ vel ignorantiam utentis, vel minutam industriam prodant. Quanquam autem *verborum bonorum usus non arte, sed quasi naturali sensu judicetur* plerumque, *satisque ornata sint verba, quæ res ipsa peperisse videtur:* non plane tamen nulla est observationis, & studii ratio habenda, donec ipsa nos exercitatio eo deduxerit, ut sensu statim percipiamus, quæ intellectum, quæ ornatum adjuvent. nam ad hanc regulam omnis verborum non vitiosorum æstimatio exigi debet.

Cic. or. 23. Cic. Brut. 7. Cic. 3. de or. 37 & 2. de or. 34. Fab. VIII, 3.

Plus interim curæ ſententiis deberi, quam verbis, Politici exiſtimant. Et quod de conſultandi deliberandique ratione dixit *Cicero*: totam orationem ſimplicem & gravem, & *ſententiis debere ornatiorem eſſe, quam verbis*: id ad viri civilis eloquentiam univerſe quodam modo accommodaveris. Hic enim dominantur probabiles, civiles, moratæ, graveſque ſententiæ. Contra ea Sophiſtæ magis *concinnas* quam *probabiles* ſententias exquirunt. Quod non eo monemus, ut *ornatæ ſententiarum concinnitati*, alibi *Tullio* laudatæ locum in oratione civili adimamus: ſed ut ubique à declamatorum ſtudio propoſitum viri civilis ſejungamus. Hinc *M. Seneca controverſia VIII, lib. I. Sententiam laudat, quæ non in declamatione tantum poſſit placere, ſed etiam in ſolidiore aliquo ſcripti genere*. Et *Suaſoria V. Sententia diſertiſſima*, inquit, *quæ vel in oratione vel in hiſtoria ponatur*. Sed de ſententiarum quidem generibus vitiiſque & virtutibus nihil attinet hic diſputare. id unum ſatis habeo monuiſſe, eas maxime ſententias Politico vitandas, quæ à nativa rerum indole, & actus civilis dignitate longius abeunt, ad Sophiſticam vero oſtentationem, & affectatam mollitiem propius accedunt. Tales ſunt *minuti corruptique ſenſiculi, & extra rem petiti*: *minimæ inventiunculæ, quæ excuſſæ riſum habent, inventæ facie ingenii blandiuntur*: Surdini *prædulces & infractæ ſententiæ*: Victoris Statorii, *decentiſſimi generis ſtulta ſententia*. Sic Silo Pompejus non effugit cenſuram *Senecæ*, cum *cacozeliæ genere humillimo & ſordidiſſimo, quod detractione aut adjectione unius ſyllabæ facit ſenſum, ſententiam dixit*. Glyconem vero *adjectione ſupervacua atque tumida ſententiam perdere ſolitum*: Triarium quoque, *dum ſententiam puerilem captat, inepte dixiſſe*, idem ſummus Criticus notat. Ejuſmodi ſententiarum ineptiæ procul debent à civili eloquentia abeſſe: quæ ne illas quidem admittit *ſententias conciſas, & interdum non ſatis apertas, cum brevitate, tum nimio acumine*: quibus tamen plurimi etiam hodie delectantur.

Partit. or. 27. — *Cic. or. 19.* — *Brut. 95.* — *Vid. Fab. VIII. 5.* — *Indid.* — *Sen. Suaſor. ult.* — *Suaſ. 2.* — *Suaſor. ult.* — *Suaſ. 1.* — *Contr. 6. lib. 1.* — *Cic. Brut. 17.*

Quod de ſententiis dictum eſt, id vel maxime ad totam orationis compoſitionem, contextumque pertinet. Nihil hic umbraticum, nihil molle, nihil nimium, & ab

aurea mediocritate remotum tolerari poteſt. Igitur non civiliter, ſed ſophiſtice haberi eloquentes debent, qui *laſcivia verborum, levitate ſententiarum, & licentia compoſitionis, hiſtrionales modos exprimunt.* Falluntur enim plurimum, qui vitioſum & corruptum dicendi genus, *quod aut verborum licentia reſultat, aut puerilibus ſententiolis laſcivit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis bacchatur, aut caſuris, ſi leviter excutiantur, floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet, aut ſpecie libertatis inſanit*: magis exiſtimant populare atque plauſibile. Nec vitia modo iſta plurimum à dignitate Stili Politici devertunt: ſed etiam quidquid valde pictum & florens eſt, ita ut elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifeſto deprehenſum appareat. Quod ſi enim Tullius à forenſi eloquentia talem cultum excluſit, quanto magis viri civilis facundia, quæ minus ſibi quam forenſis permittit, modum tenere debebit? Verba ſummi Auctoris ſunt, *in Oratore: eſt quoddam etiam inſigne & florens orationis pictum & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. Hoc totum è ſophiſtarum fontibus defluxit in forum; ſed ſpretum à ſubtilibus, repulſum à gravibus, in ea de qua loquor mediocritate conſedit.*

Fab. in dial. 26.

Id. inſtit. or. XII, 10.

cap. 27.

Licet autem in foro etiam, modus & ratio temperamenti quæratur, tamen caſtigatioris notæ eloquentiam, cetera civilis actus conſuetudo poſtulat, ſicut cœpimus dicere. Cum enim fori actiones, etiam in moderato oratore, retineant *pugnacem & quaſi bellatorium ſtilum*, reliqua Politicorum oratio *liberior & pacatior*, quam pro conſuetudine oratorum, & fori, eſſe debet. Igitur duplex illa oratoris virtus, *una ſubtiliter diſputandi ad docendum, altera graviter agendi ad animos audientium permovendos*; in uſu Politicæ eloquentiæ ad talem redigitur orationis modum: qui diſputando movere, agendo docere, neque interim tam diſputare aut agere, quam utriusque officii fructum ſuo quodam ac proprio dictionis genere videatur complecti.

Plin. ep. VII. 9.

Cic. Brut. 31.

Ibid. 23.

Non unus interim eloquentiæ civilis vultus eſt: quippe quam variant immutantque ſæculi genius, habitus actionum, mores dicentium, aut ſcribentium; materia, con-

ſilium

filium ex re natum, quæque sunt id genus alia. Igitur sive cum Rhetoribus genera constituas dictionis Asiaticæ, Rhodiæ, Atticæ; sive per infinitas & peculiares singillatim formas & exempla circumferas animum: non deerunt negotia, tempora, personæ, quibus aliam atque aliam undiquaque speciem sermonis, modo illo Politico, quem hic spectamus, accommodes. *Homerus* respectu Politico Ulyssi vim, Nestori suavitatem, Menelao concinnitatem, celebres eloquentiæ notas tribuit: quas subinde magni Auctores, suæ in hoc genere meditationis argumentum faciunt. Sed sub istis titulis multa concluditur, & tot nominibus pæne, quot naturis, distinguenda varietas. Quæ enim in vultibus humanis, eadem in oratione animadvertitur diversitas: ut in maxima similitudine aliqua plerumque insit dissimilitudo. Verum, quia ad eloquentiam universe spectatam hæc disputatio pertinet, satius erit ad ea progredi, quæ proprie destinavimus. *Cic. Brut. 10. & 13. Plin. ep. 1, 20.*

Quamquam ipsa *Taciti* dissertatio, nobis exempla diversitatis suppeditat, in eloquentia Principum, quos commendat. Nam primum *Dictator Cæsar summis oratoribus æmulus fuit.* Quod elogium & judicium Historici affirmari potest, præsertim per ea, quæ Tullius subinde tradidit, cum *negat se videre, cui Cæsar debeat cedere*: eique *elegantem, splendidam quoque ac etiam magnificam ac generosam quodam modo dicendi rationem tribuit.* In quibus verbis agnoscamus licet characteres politicos: quorum omnis cætera virtus ad τὸ Γεννᾶιον, sive generosum quiddam, exigi amat. Licet interim apud me plus admirationis habeat, *nuda illa & recta venustas*, quæ absque omni cura aliquid accuratum; absque omni ornatu, aliquid speciosum refert. Quo nomine *Commentarii ejus de bello Gallico & civili* sine exemplo præcellunt. Tale ego dicendi genus viro Politico vel maxime optandũ dixerim: cum & plurimum dignitatis, & minimum ostentationis, explicationem vero incomparabilem habeat. Vix potest juvenili ætati persuaderi, quod dico: quippe animis ad colorum & apparatus novitatem pronis, quæcunque diversa sunt, deteriora videntur. Operæ tamen faciet *Brut. 75. Suet. Cæs. 55. & 56.*

pretium, qui ab ætate sua mature impetraverit, ut expertis credat, quantum præstantiæ, non statim apparentis insit in stilo Cæsaris: longeque majoris operis esse, tale dicendi genus, quàm apparatissimas orationes, imitando consequi. *in Rhet. Vit.* Verissime enim de Cæsare dixeris, quod *Plutarchus* de Lysia; *δοκεῖ δὲ κατὰ τὴν λέξιν εὔκολος εἶναι, δυσμίμητος ὤν. facilis sermone videtur, sed imitatu difficilis est.* Quapropter rectissimo consilio, *Δωρ. βασιλ. lib. 2.* Magnus ille *Jacobus* Britanniæ Rex, inter ethnicos Historicos, neminem magis commendavit filio, quam Julium Cæsarem: *cum ob dictionis suavitatem, tum ob materiæ dignitatem.*

Ab hoc non multum divertit Augusti eloquentia, de quo *Tacitus* noster: *Augusto prompta & profluens, quæ Principem deceret, eloquentia fuit.* *IV. A. 61.* Tribuit alibi Tacitus Q. Haterio, in oratione, *canorum* aliquid & *profluens*: sed ex eo genere eloquentiæ, quod impetu magis quam cura viget, & audientibus forsan in præsentia probari, posteritatis autem censuram ferre non potest. *de or. III. 7.* Apud *Ciceronem* quoque *profluens quiddam habuit Carbo, & canorum.* quem locum haud dubie in animo habuit Tacitus, cum ista de Haterio scriberet. Quin etiam, aliquando *eloquentiam & oratoriam vim inani quadam profluentia loquendi imitari videtur*, animadvertente *cap. 23.* *Tullio in partitionibus.* Sed Augusti, de quo loquimur, *prompta & profluens eloquentia* præcipuo & vere politico laudis genere celebranda est. Nullibi hærere, nihil moleste, nihil morose loqui aut scribere: oratione facili & expedita, non aliter quam habili instrumento artifex utitur, promte negotia quæcunque tractare & explicare: hæc profluentis eloquentiæ, & in politicam absolutionem adornatæ opera sunt. Ergo longe plus Augusto tribuit Tacitus, quam Secundo *cap. 2.* *Fabius*, cum *in dialogo* scribit: *Secundo purus & pressus, & in quantum satis erat, profluens sermo non deerat.* Cum enim præcipua sit orationis virtus explicatio: *profluens* quiddam requiritur & expeditum, ne intelligentia rerum interpelletur, quotiens dictionis cursus obhærescit. Equidem tam sterilis ingenii vix quisquam compertus est, quin post operam eloquentiæ datam, multa profluenti sermone possit explanare;

planare; Sed in pluribus hæret, & luctatur, non sine fastidio hominum, & intertrimento negotiorum. At vero Augustum, vel à suspicione ejus rei & naturæ & studii promtioris ratio, in eloquentia politica plurimum liberavit.

Genus enim eloquendi secutus est elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Sueton. Aug. 86. Ejusdem disciplinæ auctor suæ domui fuit, *ne moleste scriberent & loquerentur.* Hæc & cetera in hanc sententiam, qui apud *Suetonium* legit, non potest non amare prudentiam summi Principis: quo, cum nemo melius intelligeret rerum humanarum actionumq; recessus, & abdita suisque varietatibus involuta mysteria: summo sibi cavendum opere duxit, ne orationis ambagibus clauderet, quæ non nisi aperta & in lucem exposita, finem humani propositi consequuntur. Hæc prima Augusto cura. proxima diligentiam stili, sive potius, auctoritatem Principis spectat. Quamvis enim *non deficeret ad subita extemporali facultate, neque in Senatu, neque apud Populum, neque apud milites locutus est unquam, nisi meditata & composita oratione. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Livia sua graviores, nonnisi in scriptis, & è libello habebat: ne plus minusve loqueretur ex tempore.* Ibid. cap. 84. Rideret forte aliquis plus satis promtus, tam minutam industriam; sed ratio magna & gravis est, & quæ magnum faceret auctorem, etiam si per se tantus non esset. Politici actus dignitatem non decet, quidquid superfluit aut deficit in sermone: & à Principe præsertim, oracula expectantur, non verba. Quare nec illud diligentiæ simul ac temporis compendium sperni debet, quo *instituit recitare omnia: ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret.* Notari omnino hæc à nobis debuerunt, ut promptam, sed cautam; profluentem, sed non diffluentem; Principis denique tot rebus intenti, non otiosi Sophistæ eloquentiam, amplius & propius inspiciendam meminerimus.

Sicut autem Principi maxime judicavit *Tacitus* convenire Augusti eloquentiam; ita Tiberio quoque, licet for-

mam orationis longe diversam secuto, non adimit laudem eloquentis Principis. Nam & hic, inquit, *artem callebat, qua verba expenderet. tum validus sensibus, aut consulto ambiguus.* oratio sequitur hominum naturam: & Tiberium, indole atque consuetudine cunctabundum, profundum, in se reductum, sui obtegentem, simulatorem, non alia magis eloquentia decuit. Etiam ætatis rationem habet, in reputatione hujus exempli, *Lipsius*: ut & negotiorum, quæ interdum more Tiberiano tractari desiderant. Certe auctoritatem habent verba sensu tincta, orationis virtus altis nixa radicibus, & sententiæ penetrantes, & nihil invalidum, aut remissum.

Not. ad 1. pol. 10.

Sed quid ambiguo sermone fiet, quem antea à Politici eloquentia plurimum abesse jussimus? Primum non præteriri debet posita à Tacito nota, cum Tiberium, *consulto* ambiguum vocat. Ergo non incidit in obscuritatem quandam ignoratione aut vitio eruditionis, sed nonnunquam ultro tale genus sententiarum elegit. In studio sane eloquentiæ negari non potest, quin aliquando *affectatione & morositate nimia obscurarit stilum, ut ex tempore quàm à cura præstantior haberetur.* quo nomine etiam ab Augusto subinde reprehensus est, cum *obsoletas & reconditas voces aucuparetur*: sicut ex *Tranquillo* discimus. Sed hanc morositatem mitigavit ratio & ætas, & usus publicarum curarum, successitque valida illa, & altiori genio imbuta eloquentia, in qua quidquid ambiguum fuit, proposito & consilio interiori debetur. id quod porro notandum est. *Consulto ambigua* fuit Tiberii eloquentia, quia Rationi status, quam vocant, alte involuta & implicita fuit. De qua re, totoq; usu ambigui sermonis in politicis negotiis, non repeto nunc, quæ alibi scripsimus. Detur talis oratio, ut sub exemplo loquamur, Philippo II. Hispan. Regi: nec alia potius conveniet tanti Principis ingenio, & prudentiæ in alto recessu constitutæ. Præcipue autem notaverim, *ambiguum*, de quo *Tacitus* loquitur, & cujus passim in Principatu Tiberiano specimina ponit, *proprie non orationis esse obscuritatem*; per ea provenientem, quibus perspicuitas sermonis impeditur:

Sueton. Tib. 70. & Aug. 86.

Annot. ad Tac. 1. A. 7. & 11.

Sed

Sed *rerum occultationem*, cum quamvis dilucidis verbis, aliquid ex negotio ipso subtrahitur, forma non sua proponitur, parum conciliatur, aut quovis modo immutatur. Si quæ superest vitii suspicio, ponas suadeo in eo vitii genere, quod cum aliis vitio detur, certas personas ultro decet, & in argumentum commendationis transit.

De Caligula & Claudio ita pergit *Tacitus* notare: *Etiam C. Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres.* Et in Caligulæ quidem eloquentia, præcipue huc pertinet & dictioni politicæ maxime convenit, quod refert *Suetonius*, eum à *leniore & comtiore scribendi genere*, adeo abhorruisse, ut ne *Seneca* quidem veniam daret. Habet id judicium de Seneca, aliquid malignitatis, qua erga alios quoque Scriptores usus est: de cetero tamen arguit studium civilioris & virilioris eloquentiæ, ex disciplina aulæ Romanæ haustum, cui Augustus, ut prædiximus, hanc legem commendaverat. Etiam *promtum* facit Suetonius: *quantumvis*, inquit, *facundus & promtus.* Qua de re antea in virtutibus orationis politicæ mentionem fecimus. Claudii eloquentia ad meditata & laborata opera restringitur: in quibus ipsis tamen, non *ineleganter* quidem, sed subinde *inepte* versatus est: id est, plus eruditionis, quam prudentiæ (sine qua politica eloquentia nulla est) ostendit. Usitate autem & plerumque *sermonis rerumque tantam negligentiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire ac cogitare existimaretur.*

Calig. 53. *cap. 34.* *Sueton. Claud. 41. Ibid. 40.*

Interim non defecit oratio ad exprimenda, quæ vellet. Id quod Tacitus, sive potius, apud Tacitum, Prudentiores & Politici viri in Principe requirunt. *Seniores* enim illi, *quibus otiosum erat vetera & præsentia contendere*, non sunt vulgaris vel conditionis vel ingenii homines: sed diligentes reipublicæ speculatores, quales hodie interdum honorifice usurpato vocabulo *curiosos* dicunt. Hi de novo Principe judicabant ex prioribus exemplis: neque decorum Neroni existimabant, quod studiis parum ad res gerendas facientibus, vividum animum & ætatem suam occupasset;

eloquen-

eloquentiæ autem studia adeo neglexisset, ut *aliena facundia*; cum in publico loquendum esset, *egeret*. Sed quod ab initio reprehensionem Prudentum incurrit, postea in genus moris aulici transiit, ut pleræque Principum *orationes*, *edicta*, *jussiones*, *epistolæ*, *rescripta*, *constitutiones*, alieno non ore modo recitarentur, sed ingenio etiam formarentur. Sicut ex historiæ Augustæ scriptoribus, & fragmentis in jure civili R. reliquis, cuique pronum est intelligere. Atque hanc consuetudinem universi pæne Principes orbis usque in hunc diem receperunt: in quorum historia & Principatu rarissime invenias exempla eloquentiæ, quæ ipsum Principem habeant auctorem. Inter caussas hujus rei, negari non potest, quin etiam referenda sit, ipsius doctrinæ solidioris & ad usus civiles promtæ raritas: dum paucissimi mortalium pares & cunctas ad singulare imperium artes solent afferre, sicut alibi disputavimus. Sed cum infiniti Principis labores variis indigeant adminiculis ministeriisque, scriptura publica plerumque, tanquam opus ministris debitum, à Principe juberi potius quam administrari amat. cum præsertim auctoritatis ratio subsit, in hoc genere moris. Quamquam hic titulus non raro pro schemate & obtentu est rei, cujus indicium non equidem oratio nostra, sed publica & communis experientia facit. Manet interim verum firmumque, inter magnas & utiles Principis dotes esse, si aliena non semper opus habeat eloquentia.

Annot. 3. & 5. ad c. 11. lib. 1 A. Tacit. adde Lipsii Pol. 3. 5.

Qualis porro sit ac esse debeat, vultus eloquentiæ in orationibus Principum & scriptura publica, & quam intime is stilus cum rationibus tractandi imperii ac politicis artificiis consiliisque cohæreat, demonstravimus breviter *in Annotatis ad priora Taciti*, cum de *edicto Tiberii* Senatum convocantis, & *honora Principum oratione* ageremus. Quamvis enim in elogiis Principalis eloquentiæ, etiam *imperatoria brevitas* à Tacito memoretur, quæ nude scilicet & absque explicatione rem proponit: tamen hæc ipsa simplicitas gaudet verborum delectu & gravitate. nec omnium negotiorum eadem est ratio; denique cum de usu rei quæritur, ipsa nos

Annot. 5. ad cap. 7. & ann. 7. ad c. 11. lib. A. Tacit, 1. H. 18.

nos comparatio ad id ducit, quod est optimum. Drusus Principis Romani filius, milites seditiosos non infeliciter alloquitur, *quanquam rudis dicendi.* Scilicet *nobilitas ingenita,* sive generosus animus facile, quæ opus erant, suggerens, pro facundia fuit. Sed eodem tempore, Germanicus magna facundia seditiosos castigat emendatque. Vespasianus quoque, Princeps consalutatus, apud milites *militariter loquitur,* absque comtu & arte, quæ tum parum tempestiva erat: & Corbuloni, egregio Duci non defuit *magnifica* oratio, quamvis non tam eloquentia, quam *auctoritate* constaret, *quæ viro militari pro facundia fuit.* Nihilo tamen minus & *Onosander in Strategico*, & *Leo in Tacticis*, bono Duci eloquentiæ studium & usum commendant. Interim eloquentiam in loco spernere, maximum eloquentis argumentum est: neque occultari facundia, nisi per artes facundiæ, potest.

Tac. 1. A. 29.
1. A. 39. & 41. 2. H. 80. 11. A. 20.
Onos. 1. 10.

Redeamus ad Politici eloquentiam universe spectatam: de qua forte cupiat aliquis quærere, an etiam hodie illius possit usus esse, qui priscis temporibus fuit. Equidem cum seculi genius inde post renatas literas, à nullo studiorum genere, plane abhorreat; injuriam, certe convicium fecerimus nostræ ætati, si rei tam utilis vel ignorantiam, vel incuriam ei tribuamus. Licet interim non possint dubitare, quibus fata studiorum paulo propius innotuerunt, observari quasdam vices in propensionibus hominum, qui modo ardentius, modo remissius, denique segnius in aliquo studii genere versantur. Fieri quoque nonnunquam videmus, ut æmulatio aliorum studiorum, politioribus & in alto reconditis literis, umbram & caliginem ad quoddam tempus inducat. Emergunt tamen, & in orbem suum conspectiore forma redeunt, ea vicissitudine, quæ res humanas versabit, dum homines erunt. Certe quatenus societatis humanæ & in ea civilium actionum commercia patent, eloquentia non minus, quam prudentia, se ordinaria utilitate porrigit: nisi quis dememinisse queat, orationem tam esse instrumentum socialis vitæ quam rationem; atque adeo utramque summo studio excolendam esse civilis

vitæ deditis: inter quos præcellere cupiunt, qui Politici appellantur.

Et de Principibus quidem, jam dictum est. In reliquis, præsertim *Consiliarii & Legati* (in quæ nomina hodie omne politicarum artium compendium conferunt) vindicant sibi eloquentiæ politicæ laudes. Rectissime fors fecerit, qui his vocabulis omnes rerum magnarum præfectos atque tractatores, comprehenderit. nam ab his præscribitur plerumque ceteræ eloquentiæ formula, quæ reliquorum ministrorum, & qui aliquam reip. partem attingunt, observatione magis, quam arte custodienda est. Interim Senatoriæ & consiliatricis prudentiæ proprium hoc non adjumentum modo, sed telum est. Est enim Consiliarii non suadere modo ac dicere, quid faciendum aut omittendum: Sed etiam explicare, quomodo, & cur ita sentiendum decernendumque sit: an & qua ratione, id quod inchoatur, Reip. utile, aut gloriosum, temporibus accommodatum, statui & status consiliis conveniens, ceteris denique melius aptiusque sit: an & quo pacto, quibus opibus artibusque effectum dari possit, quod consultatur. Hæc atque talia, etiamsi omnia ornamenta & artificia locupletandæ orationis abesse jubeas, insigni tamen opus habent eloquentia, ut explicetur natura rerum, negotiorumque forma & habitus, quatenus ad intelligendum unice requiritur. Igitur Historici, quos pragmaticos vocamus, magnarum rerum consultores non aliter fere, in theatrum producunt, quam insignibus orationibus, quibus sua consilia explicant, instructos. ut omittam eorum monita, qui *de Consiliariis*, minus efficaci ratione præcepta & regulas tradiderunt. Ne longe abeamus, notum satis est, quid de præcipuo nuper rerum Gallicarum adjutore, artibus politicis instructissimo homine, *Bartholomæus Gramondus* tradat. cui hac in parte communis fama, & res pridem ipsa fidem fecerat; gravissima quæque & singularia consilia, cum primum vel absurdam, vel alienam speciem haberent, prudenti facundia consultoris, omnium assensum laudemque meruisse, adeo ut pro unicis & optimis haberentur.

De Legatorum eloquentia eximie *Paulus Manutius*, ad celebrem tum temporis Legatum Gallicum Jo. Monlucium disputat. *Nunc in Oratorum*, inquit, *nomine, quod eximium semper fuit, nihilo minor, atque haud scio an etiam major, quam priscis illis temporibus, dignitas & amplitudo est. mittuntur à Regibus ad Reges, aut liberas civitates, qui non de stillicidiis agant, non de jure fundi; quarum rerum controversias qui perite & copiose disceptarunt, scimus olim habitos esse eloquentes; sed ea tractent, quæ prudenter disputata, otium gentibus constituere, dignitatem imperii conservare, terminos proferre possunt. hoc qui præstat, eum ego veteribus oratoribus non comparo solum, sed etiam antepono. Illi caussas agebant, primum apud judices sorte ductos, deinde apud eos judices, quibus de re aliena, non de sua judicantibus persuadere orator sive hoc, sive illud haud magno negotio posset. nunc agitur in consilio lectissimorum virorum: agitur iis de rebus, unde ad eos ipsos, qui judicant, maximum potest emolumentum sive damnum redundare: cum & de publica re judicent, & in publica, extra quam nihil est, privata cujusque continetur. his probare quod velis, eo majoris ingenii videtur esse, quo difficilius ab artificio capitur prudentia.* Merebantur adscribi verba hominis eruditissimi, magno judicio & elegantia verissime enuntiata: quibus (ut propter imperitiores rursum auctoritate & quidem recenti muniamus sententiam) interpretem adjungere possumus, *Fredericum de Marselaer*, qui *Legatum* suum sine eloquentia ne intelligi quidem vult, *dissertatione XXV. libri prioris.*

Præfat. in Cicer. lib. oratorias.

In omni denique tractatione civilium negotiorum, nulla gens nominari potest, quin patrii saltem sermonis facundiam, pro modo ingenii, aut captu sæculi coluerit. Ne peregrina tantum miremur, apud Germanos insignis prorsus eloquentia politica, studio virorum rempubl. tractantium, cum fastigio rerum Germanicarum, usque ad fastigium effloruit: neque profecto, ex quo imperii Germanici majestas increvit, defuerunt rebuspublicis ac Principibus gravissima ingenia, quæ linguam patriam præsertim à propioribus seculis, puro, eleganti, magnifico sermone instruerent. Sicut publica temporum acta, & monu-

menta partim ſubinde vulgata, partim in tabulariis & Archivis aſſervata, locupletiſſime teſtari poſſunt. Itaque ſicut rectiſſime faciunt, qui confuſionem ſermonis, & invecta immodice ac parum feliciter, hoc ipſo ſæculo, peregrina emblemata, abominantur: ita reſtitutionis & emendationis auſpicium non aliunde melius peti aut juſtius poteſt, quam ab exemplis, quæ laudavimus. Sunt in manibus, præſertim eorum, quibus reſpublicæ ſua credunt negotia ac monumenta, ſcripturæ optimæ, elegantiſſimæ, graviſſimæ, maximeque politicæ, ineditæ juxta & vulgatæ. Quidquid bonarum vocum, notabilium formularum, decori contextus, deeſſe cuiquam perite cogitanti videri poteſt, nihil dubito inde reſtitui poſſe. Quin etiam elanguit pridem & proſcriptum eſt ex aulis nimium illud novitatis atque confuſionis ſtudium: quod magno impetu, ſicut & Monetarium malum, aliaque nonnulla, ingruere, cito & late vagari, neque ita multo poſt vaneſcere vidimus. Non deſunt, inquam, jam graves eloquentiæ vernaculæ auctores, inter viros Politicos; de quorum ſtudio nunc agitur.

Quod, neſcio, an ſecum reputent ii, qui, extra Poëſin, in novis & ſæpe miris vocibus fingendis nimis ſecure occupantur: & dum Germanicis quidem vocabulis ſtudent, varias interim loquendi formulas, Latinæ aliisque linguis proprias, repugnante genio vernaculæ, & gravitate contextus invita, magno numero inferciunt, & tamen interim longe diverſum ab eo, quod faciunt, facere videri cupiunt. Quæ dum attingo, nihil aliud quam venerationem & obſervantiam profiteor, tot eximiis illuſtribusque viris debitam, qui hoc & ſuperioribus aliquot ſæculis ſumma, & nunquam ſilenda in hoc argumento, linguæ Germanicæ peritia inſignes fuerunt: ut non verear credere, nos ſatis amplis doctoribus inſtructos eſſe, ſi non negligamus ipſi aut neſciamus noſtros theſauros. De cetero neminis labores aut ſententias examinat aut judicat hæc admonitio: ſit per me, ſuum cuique pulcrum: dummodo virorum de patria præclariſſime meritorum gloria, ab oblivioſo ſilentio vindicetur. Sed & illud ſemel ac ſerio

teſtor,

testor, me loqui de rebus ad communem & civilem vitam spectantibus: ad quas scilicet politica eloquentia pertingit. nam quid opus est alio nunc mentem aut manum vertere? Posteritas cuique argumentum & regula vel modestiæ vel diligentiæ erit. Posteros interim nemo cogitabit prudenter, nisi qui majores pie reverebitur.

Sicut autem hodie, sua cuique genti vernacula eloquentia excolitur: ita Latina, quæ omnibus politis nationibus quodam modo communis est, in vita politica, usuque civili, non adeo floret. Præcipua ratio ex historia imperii Romani repetenda est. cum illius incrementis celsissime floruit, & cum regnatricis Urbis majestate paria fecit Latina facundia. mutatis postea fortuna imperii & moribus, etiam fortunæ ornamenta & instrumenta cessere: donec translata in Græciam imperii sede, crebrisque in Italia consecutis vastationibus, nullus antiquæ eloquentiæ color superfuit. Qualis in repub. stilus obtinuerit, vel *Cassiodorus* nos docere potest. Etiam quæ prudenter cogitata erant, difficulter & magno molimine, interdum per ambages enuntiabantur. Quanquam ne hoc quidem fine res stetit, multoque magis horrida fuerunt, quæ in alta literarum nocte, circa negotia publica, scriptis prodita habemus. Instauratis avorum nostrorum memoria, liberalibus doctrinis, vix tamen aliquid in usu politico circa Latinam linguam mutatum est: si excipias magnos quosdam & doctos Politicos, qui interdum gravitatis & eruditionis, quæ Politicam facundiam deceret, specimina satis quidem luculenta, sed in consuetudinem & usum communem non itura, dederunt. Quamvis enim Imperii Romani reliquiis, graves ob caussas, custodia & cura Latini sermonis convenire videatur; ultra fatum tamen captumque temporum non proceditur: neque in ruderibus fulgere potest, quod proprium culminis ornamentum fuit. Accedunt notissimi hodie mores Scholarum: in quibus plurimi eorum, qui vitæ pragmaticæ scopum sibi proposuerunt, neglectis aut vix obiter libatis ceterarum doctrinarum præsidiis, soli attendunt juri civili. Nisi quod eximia ingenia, felicitate naturæ,

& cogitandi sollertia, tum gravissimorum JCtorum consilio, subinde se vindicarunt ab ista studiorum cruditate, veteris Satyrici sale non immerito perstricta. Si quis in ipsa ratione docendi nonnunquam aliqua existimet fuisse, quæ ab expedita & civili eloquentia vel abducerent, vel absterrerent, forte non erraverit.

Sed numeremus licet inter omina felicioris sæculi (cujus spem ex quovis augurio utinam non vane, captamus) quod Latinæ quoque eloquentiæ, ejusque civili formæ, suus honor non ubique hac tempestate negatur. Præter viros enim, qui pæne antiquis comparanda scribunt, præclara passim ingenia, cum ceteris dotibus artibusque habilem facundiam reipub. vel commodant vel destinant. Et licet universe de Eloquentia Politici, in quavis scilicet lingua, instituta hæc sit disputatio: non absurde tamen ad Latinam, quæ exempli vicem in cetera præbeat, respexerimus, in iis, quæ dicenda restant. Attigimus ante, diversam eloquentiæ civilis formam, temporum genio haud raro deberi. Et hoc voluit *Tacitus*, cum in loco, quem explicamus, Senecæ orationem amœnitate & comtu *illius temporis auribus accommodatam* judicavit. Non enim privatos modo cujusque, sed *publicos civitatis mores sequitur oratio.* sicut late & erudite disputat ipse *Seneca epistola* CXIV. Hinc gravitatem & constantiam sæculi comitatur adornata in stabilem dignitatem eloquentia: dissolutam vivendi disciplinam, fluxum & molle dicendi genus refert: curam elegantiæ, diligentiæque in agendis & tractandis negotiis, politico & exacto sermone æstimaveris. Itaque quod nostra ætate plurimis corrupta oratio placet, hinc non vane collegeris, mores quoque à recto desciviſſe. Sed nobis nunc sermo est de rectioribus ingeniis judiciisque cordatorum hominum, de quibus quæritur: qualis eloquentiæ Politicæ habitus, vel quatenus præcellit, vel quatenus merito toleratur, hodie designandus sit? Sive quæ orationis politicæ consuetudo nostris temporibus non ingrata sit?

Primum ergo, nimis solicita verborum diligentia, quæ plane nullam vocem, nisi antiquissimis & optimis auctoribus

bus usurpatam admittit, non est nostri sæculi. Omnino enim in multis rebus cedendum consuetudini est, præsertim in appellationibus officiorum, aut formulis civilis actus, sicut *in præfatione de induciis Belgicis* bene disputat *Baudius.* Taceo, quod inter ipsos eruditos adeo non convenit, de auctoritate sermonis Latini contrahenda, aut amplificanda, ut qui ab initio hujus sæculi floruere, non idem senserint cum iis, quos nunc adulto sæculo miramur. Itaque Politico, sicut peritis Oratoribus, sæpe in oratione, magna ratio pro auctoritate est. Neque sic projicitur cura munditiæ, sed temperatur. Sententiæ hodie præsertim placent agiles, subtiles, acutæ, *ex abdito* emicantes: si modo nihil officiant claritati & facilitati. *Cic, Or. 24.* Hinc diverso studio, cacozeli affectato declamationum acumine; & eloquentes, quæsita, qua licet, Atticorum subtilitate, aures sæculi propitiare conantur. Interim tota facies orationis, publico colore tingi, & plus fiduciæ, quam artis; plus familiaritatis, quam apparatus habere debet. Elucebit tamen semper aliquid notabile, quod de rebus vulgaribus non vulgari sententia dictum accipiatur: ipsaque familiaris consuetudo, interiore quodam consilio, & altiore genio gubernari videbitur.

Mirifice etiam, & novo quodam more, ornatus translatæ comparatæque orationis æstimatur, si nimirum civiles, & probabiles, & inventi gratiam potius quam curam & novitatem habentes similitudines adhibeantur. Quid suavius, aut magis politicum, *Francisci Baconis de Verulamio* historia: quam potissima gratia, perpetuæ & feliciter congruenterque translatæ comparationes condiunt. Hoc enim de industria exemplum nominare libet rei, quam descriptione, etiam curiosa; vix satis commendaveris. Renovatur denique antiqui moris usus, quem in Augusti vita *Tranquillus* descripsit. Is enim *præcepta & exempla publice vel privatim salubria, ad verbum excerpta ex præclaris auctoribus, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus mittebat, prout quique monitione indigerent.* Ferant laudem imitationis minime servilis, qui nostra

nostra ætate, ut exempli gratia loquamur, C. Taciti gravissimas sententias, vel suæ orationi de negotiis civilibus tam apte, tam decore inseruerunt, ut domi natæ viderentur: vel in respondendo, colloquendo, deliberando, gravissimarum momenta rerum, his tanquam oraculis, breviter signanterque expediverunt. In utroque genere viros summos possemus nominare, si opus esset.

Attulimus hactenus, quæ Eloquentiam Politici in universum, quodam modo declarare, & ab aliis dicendi generibus distinguere forsitan possunt. Superest, ut exemplis auctoribusque talis eloquentiæ laudatis; inquisitisque, quibus insitere, viis; tum, quæ dicta sunt planius ostendantur, tum ratio comparandi talem facultatem in propatulo constituatur. Exemplis enim, præsertim propius inspectis & singillatim consideratis, nullum in rebus arduis potentius discendi docendique genus est. Agemus, ut in prioribus, breviter & simpliciter, neque aliud magis, quam candorem lectoris non plane imperiti respiciemus.

In constituendis Politicæ eloquentiæ exemplis, haud dubie primus debetur locus *Historicis*. Quia enim, ut ante declaratum est, omnis Eloquentia Politici debet inaffectata venustate præfulgere, & ex consuetudine civilis vitæ notitiaque, fiduciam potius quam artem ostentare, nullum certe scriptionis genus nominari potest, quod plus publici coloris saporisque, ut sic dicam, referat, quam Historia, prudenter eleganterque composita. Ad oratorum quippe facultatem qui Politicum vocant, illi meminisse debent, in præstantibus Historicis, non dicam, oratoriam vim reperiri (quamvis id dici potest, & à veterum doctissimis dictum est) sed *ex oratoria eloquentia modum retineri*. Intellige modum, qui civilem actum decet, vitæque & rebus, non scholæ & famæ, mensuram sui operis accommodat.

Tales in Latinis (quorum, ratione instituti, præcipue facienda est mentio) non habemus multos. Dicemus hac occasione de singulis aliquid. Quamvis enim Bonorum Scripto-

Scriptorum nomina, totiens jam commendata inter eruditos, ad decus & usum sui abunde valeant, nemo tamen debebit vitio nobis vertere, si quædam huc propius spectantia, ex ampla profundaque materie repetamus. Sequemur autem temporis ordinem, facillimum scilicet in hoc negotio & commodissimum.

Primi nobis offeruntur C. *Julius Cæsar*, & *Corn. Nepos.* Quos forte sufficit nominare: nam de *Cæsare*, antea dictum est: & *Nepotem* jam sæpius à nobis editum, alibi commendavimus. nisi quod neuter horum satis unquam laudari potest; præsertim ob sæculi nostri consuetudinem, quo plerisque alia omnia facilius placent, quam id, quod in Cæsare & Nepote præcipuum judicant eruditi. Sed *Nepotis* quidem magis exposita dulcedo & gratia est: omnis enim ejus scriptio in moribus explicandis; quæque laudi aut vitio dari merentur, enarrandis, sententiarum civilitate & similitudine, exemplorum quoque jucunda varietate & celeritate lectorem allicit: ipsaque dictio, quamvis simplicitati studere videatur, delectu verborum, compositione, sensu, statim aliquid suæ suavitatis, etiam non æstimantibus aut intelligentibus, insinuat. Dabimus hunc auctorem *Locorum communium*, quos vulgo vocant: ad quos respiciat civilis eloquentiæ studiosus, quotiens mores hominum publicaque & privata consuetudo vitæ, quadam subtili elegantia, non citra gravitatem & auctoritatem utentis, notari desiderant.

Julius Cæsar contextu historiæ, quam ejusmodi locis morum, nobilior, monstrare potest, qualis in exponendo esse possit vel debeat viri civilis oratio, ad eum modum, quem supra laudavimus. Unum illud repeto, qui maturius & in juvenilibus annis delectari potest lectione Cæsaris, illius ingenium rectum, stabile, & in practico genere, sicut loqui solemus, non vulgaris notæ existimaverim. Qui sero, sed tamen serio tantum Auctorem amabit, argumentum profectus, & judicii ad liquidum emersi, sic quoque id habebit. Cui semper vilis videbitur Cæsar, etiam in comparatione maximorum scriptorum, is sciat licet, se vel

aliud agere, vel à vera ratione judicandi negotia vitæ, multum abesse.

Sallustii proxima ætas est. De quo in utramque partem apud veteres, magnifice & acerbe existimatum, constat: evenitque, ut quodam quasi fato, ne juniorum quidem judicia, vel inter se, vel cum veteribus, in definienda dictionis Sallustianæ forma, congruerent. Esse quiddam in stylo hujus Auctoris, profunda cura reconditum, quodque non eandem sui æstimationem, sic vel aliter intuentibus suggerat, id vero apertum est. Magno consensu veterum doctissimi *Brevitatem Sallustii* commendant: quam tamen adimunt ei celeberrima propioris ævi nomina, *Scaligeri, Gruteri*, aliique. Sed ut opinor, alia sunt ac diversa, ad quæ respiciunt illi & isti: possisque eodem genere dubitandi *Thucydidi* quoque brevitatem abjudicare.

Magis ad rem facit, quod *antiquarius* audit *Sallustius*: cujus exemplum non parum seculo vult nocuisse, *Seneca*, qui, *Sallustio vigente*, inquit, *amputata sententia, & verba ante expectatum cadentia, & obscura brevitas, fuere pro cultu.* Et præcesserat: *vitia unus aliquis inducit: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt.* Postea *obsoletas locutiones* Sallustianas nominatim reprehendit. neque dissimulat tamen, imitatores, exempli, quod sibi proposuerunt, modum excessisse, eaque, in quæ Sallustius rarius inciderit, pro virtutibus arripuisse, magnoque studio frequentasse. Itaque nullo modo debemus, cum de eloquentia Politici quæritur, negligere judicium eloquentissimi Principis Augusti, qui Antonium eo nomine reprendit, quasi *utentem verbis, quæ Sallustius ex Originibus Catonis excerpsit.* Non minus enim *antiquarios*, quam cacozelos, ab instituto civilis orationis abludere judicabat. Suaserim autem omnino, sicuti sæpius jam dictum est, ut in omni eloquentia politica fiat, quod in Historia scribenda faciendum esse, Asinio Pollioni suasit Attejus Philologus. de quo *Suetonius*: *Quo magis miror, Asinium Pollionem credidisse, Philologum antiqua verba & figuras solitum esse colligere Sallustio, cum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique & proprio*

Ep. 114.

Sueton. Aug. 86.

in Grammat. illustr.

proprio sermone utatur, viretque maxime obscuritatem Sallustii, & audaciam in translationibus.

Sunt equidem nonnulli, qui nostro sæculo sufficere credunt debere, auctoritatem solam veterum scriptorum, ut satis politicum sit videlicet, quidquid eorum nomine exemploque præscribitur. Neque nobis sane fas fuerit diffiteri, è Sallustio multum posse mutuari orationem politicam, si modo meminerimus, alia exempli causa imitantibus, alia eruditis adulto jam profectu, in varios usus suppeditari. Sallustiana dictio vult *judicari*, quod non est tyrocinii; & *eligi*, quod non est cujusvis ingenii. Cum judicium & electio accesserit, *Gravitatem* orationis civilis, quoties illi serviendum est, figuris & sententiis propriis, ut sic dicam, instruet *Sallustius*.

Hunc consecutus est *Livius* eloquentissimus Scriptor, vel *Tacito* nostro teste; quem si omnis politicæ eloquentiæ promtuarium credideris, à vero nil alienum putabis. Hunc Herodoto æquavit *Fabius*, quamquam in nonnullis forte præferri mereatur; *cum in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquens: ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata: sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicatur, nemo historicorum commendavit magis*, ut absolvamus verbis *Fabii*, quod cœpimus. Hic eruditi habent, quod insatiabili affectu mirentur: hic tam præsentis gratiæ vis inest, ut animos interiore disciplina non imbutos, tamen rapiat teneatque. Hic omnis ætas invenit, quod amet. itaque à pueris magis hunc legi vult *Fabius*, quam Sallustium. scilicet, ut puerilis ætas splendorem Livii affectu naturali appetat; maturitas virilis, sensu erudito æstimet; provectior ætas, utriusque generis disciplinam electissimo judicio pensitet atque commentetur.

Inst. Or. X, 1.

Inst. or. II, 5.

Notatur quidem μακρολογίας, id est, longioris, quam oporteat, sermonis, cum *libro* VIII. scribit: *Legati non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.* Sed longe differt interdum sensus scribentis, à legente: atque sicut magistris dicendi solenne est, omnia ad regulas artis, us-

Quintil. Inst. Or. VIII, 3.

que ad minutias, revocare : ita Scriptores, de industria, à præceptis, cum ratione, ad fiduciam, & securitatem quandam sua studia referunt. Nec deesset forte ratio, quæ in ostenso exemplo satis defensum daret auctorem, si quis id vellet agere. Ne dicam (quod supra dictum est) ad venustatem totius orationis vix pertinere, si capillus non prorsus ad leges geometricas sit repositus. Si quis porro velit hodie *Patavinitatem* Livii, cum Asinio Pollione, quasi ex abdito refodere, is nodum in scirpo quærat, arbitror. Fortassis interim delicati oris limatique judicii Politicus, etiamsi totum probet ametque Livium, non omnes periodorum structuras mensurasque, interdum suo proposito existimabit conducere.

Inter Historicos sane à nemine sibi plus adjumenti potest promittere eloquentia politica, quam à *Livio*, & *Curtio*, quem statim adjungam. Sicut enim, posterior Livio Curtius, Vespasiani demum ævo, ut videtur, vixit: ita optimi ævi scriptoribus æquari & fortasse omnibus Historicis quodammodo anteferri potest. Magnificentior Livii, Sallustii gravior, Taciti profundior oratio ; Curtii his omnibus suavior, tersior, accuratior est. Quod in moribus Livio tribuit Fabius, multo magis Curtio convenit. electissima ejus verba ; civiles & aptæ sententiæ : expositio mirifica, conciones expedita facundia instructæ : materiem suam non magis promte implet oratio, ubi opus est ; quam è pleno, prout decet, dispensat. Atque in his omnibus, cum nihil ad laudem perfecti Rhetoris desit, magis tamen extare videntur, quæ libentius, ad πολιτικὸν, ut appellant, retuleris.

Livius eloquentiam suam prolixius & liberalius, vel amare, vel imitari volentibus offert : Curtius haud paullo accuratior, æquabile politissimi stili temperamentum, non simul & semel, sed post iteratam sæpius lectionem, attentis demum intentisque commendat. Livius magnanimo quodam plenus candore, exporrecta suavitate invitat simul & admittit lectorem : Curtius per quædam admissionis mysteria, & gradus in familiaritatem adhibet erudita

erudita & decora ingenia ; obvia tamen ſic quoque & expoſita humanitate, ſtatim idoneus amari. non enim abstrudit gratiarum ſuarum irritamenta, ſed diſponit: &, cum primo aſpectu placeat, hoc pretio vult placere, ut æſtimetur.

Seorſum laudari meretur, quod non minus utilem, quam ſubtilem obſervationem habet. Rerum aulicarum elegantiam, ipſius aulæ genium, figuras, vultum, nemo vel appoſite magis, vel magis ex decoro expreſſit. Unus eſt Curtius, qui delicatiſſimo Aulicorum judicio, votoque, poteſt ſatisfacere, in eloquendis convenientiſſime rebus, quibus actio & uſus aularum gratiam formamque ex ingenio ſuo, non tam ut intelligatur publice, quam ut vigeat intime, ac ſemper deceat, indidit. Quantum ſit in hac arcana parte diſciplinæ Curtianæ, non fugiet lectores, qui ingenii profectusque dexteritate, qua par eſt, notitiam Auctoris tam accurati ambiverint ſibique conciliaverint. Ad plurimos interim, qui ſibi multum ſapere videntur, ne ſuſpicio quidem ejus rei pervenit, quam commendavimus.

Velleius quoque, ævi Tiberiani ſcriptor ex iis eſt, qui ſtilo politico, ſingularis cujuſdam gratiæ & jucunditatis genium, ſtuduerunt conciliare. Sed plus habet ex quæſito: cum Curtius abſque ſuſpicione & ſpecie talis propoſiti, exquiſitus ſit. Eſt tamen *Velleius* in eo feliciſſime diligens, quod ſtudium ſuum abſque omni faſtidio, & ineptiis, lectoris judicio & favori, ſumma cum voluptate approbat. Verum de hoc ſatis dictum eſt in *oratione*, quam *de Hiſtoria Velleii* publicavimus.

Scripſit eadem ætate *Valerius Maximus*, à cujus lectione multorum animos alienavit, quod in limine ſtatim objicitur, *mea parvitas*: Sed nimirum ita jam incipiebant ſtudio humilis reverentiæ erga Principes, loqui. Velleius de ſe, *mea mediocritas*, inquit. Cetera ingenio ejus, non ævo tribuenda ſunt. ingenio enim uſus eſt ad res colorandas proniore, cuique nihil ſine figura & invento placeret. Hinc ſententioſum ſcribendi genus, & quæſitum

acumen, & captata ex quavis occasione novitas. In quibus rebus consectandis, nolim sane orationem Politici, liberalius sibi indulgere: reperiet tamen in hoc exemplo ubique, quod levi flexu, ad simplicioris venustatis habitum decore transduci possit. In verbis interim, plus Latini sermonis latet, quam plerique animadvertunt. Quare ne ab emendatæ quidem orationis studioso, si profectu aliquo & judicio fuerit instructus, eum plane removendum censuerim. ne dicam, hanc quasi *materiam judicandi censendique ὕλην κριτικὴν*, uberi & commodo disciplina posse demonstrare, quid feliciter aut secus à graviore venustatis genio, & puriore eloquentiæ forma deflexum paulatim sit atque immutatum. Ita enim abit aliquando à melioribus exemplis, ut eorum peritiam ostentet, & amorem profiteatur.

Proximus, quanquam satis magno temporis intervallo, inter superstites Historicos, est *Cornelius Tacitus*, cujus prudentia sicut consensu hominum temporumque deprædicata est: ita facundiam non potuerunt capere aut judicare, qui in penetralia hujus studii, vere subtilis & reconditi, non rite sunt ac ordine admissi. Quo nomine, merito reprehenduntur insignes quidam viri, *in utilissimo Vossii Illius de Latinis Historicis opere.* Sed mirari satis non possis, reperiri hodieque, qui *Tacitum* corrumpendæ Latinæ dictioni natum, asseverare non vereantur. Nescio an hic dicam, quod sæpius mihi videor animadvertere; viros etiam eruditos & harum litterarum scientiam professos, non pari studio in scriptoribus tractandis versari; sed nonnullis quidem mentem ac operam serio impendere, in aliis haud pari diligentia, neque judicio tam liquido, sæpe ne absque fastidio quidem, ut præconcepta alibi movet adfectio, versari. Hinc est, quod contemni nonnunquam videmus, quæcunque non quidem à recto, sed à formula exempli quod sibi quisque amandum delegit, abeunt.

lib. 1. c. 3.

Equidem si Latinum non est, quicquid à genere dicendi Ciceroniano est diversum, fingant sibi quidquid volunt, & quærant sæculum, aut orbem, in quo una tantum oratio-

orationis forma obtineat placeatque. Certe ex Cicerone, hoc nemo didicerit, qui scripta ejus legit. Posset aliquis, si institutum pateretur, ex solo Cicerone ad omnia, quæ Taciti stilus habet, insignia exempla annotare. adeo non odit Cicero Atticam illam subtilitatem, aut natas ex abdito sententias, & novata decore vetera vocabula, & verba sensu tincta, quæque sunt id genus alia. Denique quæ in aliis, tum Græcis, tum in Latinorum imitatione, tam ingenue & liberaliter passim judicat commendatque, haud dubie in Tacito, si contigisset iis, per diversæ ætatis intercapedinem, noscere invicem & nosci, accuratissime probasset laudassetque: fortasse hunc solum posuisset, qui rotundam Græcorum subtilitatem, pari ingenio successuque ad Latinos transtulit.

Commendatus esset procul dubio elegantissime, etiam à Fabio Quintiliano, tum inter oratores, tum in historia: nisi virum memoria sæculorum dignissimum, posteris laudandum, ex instituto sui operis, in quo vivorum prædicatione abstinuit, relinquere statuisset. Extant tamen sic quoque illustria, nobilissimorum Scriptorum de Tacito testimonia: quæ cur debeant postferri hodiernis censuris, nulla excogitari idonea ratio poterit. *Inst. Or. X, 1.*

Non injuria quoque forte dubitaveris, an immanes illi censores, unquam satis observaverint, quam diligens imitator fuerit Tacitus optimorum & scriptorum & operum. Vix enim dici potest, quantum ex optimi ævi eloquentia, reconditæ eruditionis, & tersissimæ Latinitatis, expresserit hic Scriptor. Certe de novitate & insolentia stili, hactenus non videtur ei lis mota esse, ut arbitrer, facilius ævo quo vixit, ei objici potuisse, quod Plinio objectum est, non esse eum contentum eloquentia sæculi sui, sed ad antiquorum exempla studiosius recurrere.

At enim non servavit totam illam formam ætatis aureæ. Possis respondere, ne illo quidem ævo unicam fuisse notam dictionis; neque omnibus diffusum, aut explanatum, sed jam tum, non paucis adstrictum pressumque orationis genus probatum esse. Sed quoniam inse-

cutis temporibus, sub imperio singulari Cæsarum, magis magisque placere cœpit Attica illa brevitas & pressa gravitas, pars eruditionis & prudentiæ fuit, genium sæculi quodam modo propitiare. quod Tacitus ita præstitit, ut & Senecæ conatum, & Pliniorum dexteritatem, veluti naturali quodam bono vicerit.

Habet sane aliquid proprium & suum, sed quod naturam potius & habitum animi, & altioris prudentiæ genium, quam curam & artem referre videatur: adeo congruunt omnia æquabiliter, & respondent invicem apte, & pulcre decent. Quæ sola res, supra invidiam censuræ atrocis Tacitum collocare debuit. De cetero, fruatur suo sensu auspicioque, quantum lubet, qui in carmine tantum habere locum, neque ad Taciti stilum notandum adhiberi posse contendat, quod *Horatius* judicavit:

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum: si forte necesse est,
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadent, parce detorta.

Quod primum posuit, in Tacito perpetuum est, & singulare. Quantum etiam, & quam decore Græcis acceptum dictio ejus referat, non nisi eruditæ æstimationis est.

Præcipuum, quod caliginem & insolentiam offundit plerisque, sunt figuræ subticentiæ, detractionis & ἐμφάσεως, ut nunc Rhetorum vocabulis utamur. Hæ in Tacito crebriores, & ad peculiarem quendam gravitatis modum accommodatæ; quæ minus exercitatis obscuritas videtur. De hoc conqueruntur, & abrupta omnia & inaccessa clamant; cum plerumque unius voculæ adjectione & supplemento, omnia plana & expedita dari possint: id quod in elegantissima sua *Paraphrasi* subinde demonstravit *Amplissimus noster Freinshemius.*

Sed

Sed relinquatur, opinor, *Tacito*, quod alios non æque decuerit: neque discedat à lege sui operis, studiosus eloquentiæ civilis, quantum ad perspicuam & planam facilitatem attinet. dum modo non ignoret, quicquid habet Tacitus vel electum verbis, vel grave sententiis, posse sine ullo negotio ad rationem dicendi apertissimam planissimamque transferri, ab eo, qui probe intellexerit tantum Scriptorem (intelligunt autem oppido pauci) & in aliqua dictionis forma semel sibi constiterit. Cui hæc præsidia absfuerint, is potius alios videtur debere auctores sequi.

Verum de Tacito plus satis. Ad cujus ævum, etiam *Florus* pertinet, is qui quatuor rerum Romanarum libros scripsit. Hic inter eos reponendus est, *qui*, judice *Augustino*, *non tam narrare bella Romana, quam Romanum imperium laudare instituerunt.* 13. de C. D. 19. cui proposito stilus quoque respondet, *in historia declamatorius, ac poetico propior*, sicut amplius de eo pronuntiat *Vossius, in opere de Latinis Historicis*, Recte etiam *Barthius*, *Flori*, inquit, *Epitoma rerum Romanarum quidam Panegyricus est.* lib. 1. c. 30. Omnia sane Panegyristarum inventa, artificia, acumina, plerumque non infeliciter captat. Itaque, quis ejus in eloquentia civili usus esse possit, cognoscetur ex iis, quæ de oratoribus & Panegyristis postea dicentur.

Suetonium non ita pridem laudavimus, cum à nobis, instituto, quo tum diximus, ederetur. Illa huc repetere, nihil attinet. In transitu tantum monemus; causas non leves, nec unas esse, cur à politicæ & prudentiæ & eloquentiæ studiosis, valde amari debeat ille Scriptor: non quidem ad tractandi gravitatem, sed ad exprimendi subtilitatem mirifice accommodatus. In delectu sane verborum ad civilem communemque sensum, civiliter, non vulgariter propitiandum, semper aliquid ex armario Suetonii licuerit depromere, quod absque omni ostentatione efficaciæ & decorum & efficax sit.

Quid de *Justino* dicemus, qui Trogi epitomen fecit? Qui eloquentiam penitius scrutantur, haurire possunt inde aliquid, è melioris sæculi litteratura. In plurimis enim non minus Trogum exscribit, quam Xiphilinus Dionem.

P Si

Si candide & citra morosam censuram agendum est, non video, quid repudiare in eo possit nostri sæculi Politicus, vel in verbis, vel in sententiis, quatenus expositioni rerum serviendum est. nam elegantiam contexendæ orationis aut ornandi argumenti, aliunde rectius forte petiveris.

Hinc à Diocletiani temporibus nova petenda sunt initia. ubi inveniemus sane scriptores ad prudentiam potius, & notitiam rerum, quam ad eloquentiæ studia utiles, si quidem eloquentiam vere Latinam, puramque quærimus. Sed, quia nostro sæculo, ipsique rerum civilium tractationi, aliquid indulgendum est, sicut & ante diximus, & postea monebimus iterum, nolim ab Eloquentiæ civilis studioso negligi, *Spartianum, Vulcatium Gallicanum, Trebellium, Capitolinum, Lampridium, Vopiscum,* qui Augustorum vitas in litteras retulere: dissimili quidem diligentia, stilo quoque non eodem (sicut *Trebellium* & *Vopiscum* cum ceteris conferre volentibus ultro patebit) non multum tamen dispares, in eo, quod *dictionis genus sæpius commune cum antiquis Jureconsultis* habent, quod *tot Principum pulcherrimas epistolas, tot gravissima Senatus consulta, tot alia publica monumenta, è scriniis Augustorum, actis Senatus & Populi, & nescio unde ex abdito eruta* complectuntur. Merito enim, quo nomine universe eos commendat *Is. Casaubonus,* nostro instituto applicamus.

Præf. ad illos Scr.

Et quoniam hujus rei facta est mentio, non distulerim de Historicis quibusdam judicium ponere, ad præsentes vitæ usus & actum civilis vitæ potius quam ad placita rhetorum & delicatas nonnullorum aures accommodatum. Ego illos Historicos, qui operibus suis inserunt totas formulas, & acta curiæ, totas, sicut re vera in actu ipso conceptæ ac usurpatæ sunt, orationes, epistolas, consultationes, arbitror facere quidem rem, proposito eloquentiæ ostentandæ, & artis historicæ regulis, magnorumque Auctorum, qui omnia sua voluerunt αὐτοπρόσωπα esse, exemplis alienam, sed civilis prudentiæ eloquentiæque studiosis perutilem. Nam, qui invertunt illa, omniaque suo stilo formant finguntque, sicut alio nomine laudem m[illegible]-

rentur

rentur (modo non desit facultas oratoria, quæ in historico ejus generis unice necessaria est) ita exterius illud schema publici actus sermonisque, cujus tamen peritia observantiaque censeri plerumque omnia solent, non usque adeo repræsentant.

Hæc dum scribo, palam est, mihi non esse sermonem de magnis illis & decoris ingeniis veterum, quæ omnem civilem scenam eo habitu instruere potuerunt, qui esset optimus, aptissimus, perfectissimus; & unde exempla peti omnis tractationis, è repub. generis humani esset. Sed primum existimo, multos, qui impare facundia & ingenio minus pollente historias aggressi sunt, rectius & publice utilius fuisse facturos, si pleraque formalis actus, ut nunc ita loquar, ex tabulis potius publicis ad verbum descripsissent, quam suis calamistris ea inurere aut vix eluctanti descriptione deterere tentassent. Deinde diversa, magnorum quoque ingeniorum proposita, scribendique genera, mutua contentione non obtrectare sibi invicem volo, sed distingui, & nosci, sua cuique laude salva, & utilitate utriusque generis declarata.

Aurelij Victores, diversorum illi quidem temporum scriptores: tum *Eutropius*, itemque *Sextus Rufus*, in honorem argumenti potius, quam studio eloquentiæ cognoscendi sunt. Ex *Victoribus* alter, *Taciti* locutiones quasdam & sententias studiose affectavit: forte tamen, infra successum eruditæ imitationis. Nostro certe instituto non convenerit, illis operibus considerandis operam navare. Nam quod *Victoris viri illustres*, pueritiæ inter prima rudimenta Latini sermonis; propter miram simplicitatem & facilitatem, interdum commendantur, ad argumentum nostrum parum pertinet.

De *Ammiano Marcellino* potius aliquis dubitaverit. Sicut enim dictio ejus à pura Latinitate non parum recessit: ita suo quodam genere loquendi, rerum abdita, & negotiorum naturas diligenter consequitur. Non potest quidem, quod prudenter intelligit, civiliter & venuste eloqui: sed ostendit tamen eximie, sibi inesse talis doctrinæ

elementa, si vel sæculi facundioris exemplo, vel maturiore disciplina licuisset uti viro, plerumque in militia & negotiorum actu versanti. Certe, compositioris eloquentiæ studioso, sæpe potest suggerere cogitationes & sententias, orationi civili profuturas; & simul admonere de iis, quæ magis ad ἐπίδειξιν & scenam recitatorum, quam ad civilem habitum pertinent. Placuisse eum valde suo ævo, vel *Libanii epistola de eo & ad eum* docere potest.

Inst. or. X, I. In summam adhiberi fortasse *Quintiliani* judicium debet: *Paucos*, inquit, *vel potius vix ullum ex iis, qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui judicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid, cum Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus ingeniosis quidem sed arte carentibus, plurimum se fateatur adjutum. Nec multo aliter de nobis* (nostri nempe ævi scriptoribus) *sentio. Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicujus certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim deprehendetur, & citius nos admittet, quam ut ejus nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quidquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam φράσιν de qua loquimur accommodatum est.*

Hac observatione non modo in iis ætatibus, quarum hactenus mentio facta est, sed in sequentibus etiam, usque ad proxima tempora, sæculis uti licebit. Nostrum enim non est percurrere nomina & tempora Historicorum, quæ tum *Vossiano opere*, tum aliis ejus generis monumentis sunt annotata. cum præsertim oppido pauci, imo vix ullus reperiatur Historicus, qui melioris ævi exemplique eloquentiam vere & dextre expresserit.

Post instauratas ex barbarie literas, auorum & patrum memoria, inventi sunt sane aliqui, quorum in historia neque prudentiam, neque eloquentiam merito desideres. Sed hos enumerare, non est nostri instituti. Sicut nec ea ingenia, quæ pæne oculis inhærent, & vel nuper floruerunt, vel adhuc supersunt, & nostræ ætatis exornant gloriam, nominatim attingi oportere arbitramur.

Nisi

Nisi quod postea universe de legendis Junioribus aliquid monendum erit.

In veteribus exemplis quæ nunc sectamur, ne sæpius partiendum sit, conjungemus quicunque in soluto sermone, orationes, disputationes & doctrinas, epistolas, aliaque id genus scripserunt. Ante *Ciceronem* ergo neminem appellare possumus: hic ut omnis eloquentiæ Romanæ, ita civilis quoque hujus formæ conditor suo jure celebratur. Quod si enim quæras, quænam Ciceronis opera eloquentiam Politici maxime instruant, omnia certe, omnia hoc nomine oportebit commendari. Quidquid capit vitæ civilis tractatio, & negotiorum usus, in his voluminibus πολιτικώτατα vel exprimitur, vel disseritur.

Sciat utique se profecisse in eloquentia politica non parum, cui Cicero in hos usus se commodum præbere & familiarem potest. Distinguit tamen ipse suas curas, & quibusdam plus ait civilis formæ inesse, aliis alium ex rebus habitum dari: sicut priore dissertationis parte annotavimus. Orationes certe forenses, ad fori consuetudinem, & strepitum, ad populi naturam, & aures concionis, in multis exigi desiderant. Aliter facundum os dignitati & subtilitati curiæ accommodavit.

Incomparabilis utrobique Orator: cujus imitationem paucissimi hodie, ex iis, qui videntur orationes politicas scribere, sibi proponunt: plures affectatis sententiis, & florido figurarum genere Panegyricas orationes, imitando deterunt deperduntque. Sed *Panegyristis* quidem suus locus in iis orationibus, quæ non tam rerum tractationi, quam exterioris scenæ celebritati, & pompæ, voluptatique destinantur. ita tamen ut meminerimus, *Pliniani Panegyrici*, incomparabilem facundiam, aliquid suæ virtutis gratiarumque in omnium quidem animos immittere, paucorum tamen calamo attingi posse; ceteros *Panegyristas* veteres habere multa, quæ non sine periculo mutuari instituerit Orator Politicus.

Mihi, cum in lectione eorum versarer, *Plinius* hanc sui æstimationem conciliavit, ut crederem, recte ejus imitatio-

tatione usurum, qui non nimis uteretur: id est, qui ex gravitate & subtilitate, Plinio propria & singulari & unica, retineret modum. quem cuique ingenii sui doctrinæque ac stili modus definit. In *Mamertino, Nazario, Eumenio, Latino Pacato*, & reliquis, jucundum erat animadvertere, in pari pæne imitandi studio, successum disparem. Audebam etiam jam tum notare, quæ pro ingeniorum aut temporum captu, imitando in obliquum deflexa, aut declamatorie picta, aut à civili rectitudine, quomodocunque essent immutata. hæc si pro virtutibus stili oratorii placerent, deprehendebam quasi in ortu suo, emergentem Latine scribendi consuetudinem, quæ in corruptissimam formam, dum semper à fonte disceditur, nec à rivis hausta rivos saltem bona fide referunt, denique ematuresceret.

Interim his quoque oratoribus, præterquam quod sapientia civili, quodam modo redundant, tam feliciter in stilo multa successerunt, ut vel *Plinium* aliquem deceant. Atque dum delicatum quiddam & electum semper cogitabant, non potuit non, utut fallax fugaxque, deprehendi aliquando Genius ille gratiarum, qui accuratissimam sui partem civilibus orationibus gratificari potest. Hæc qui satis ingenio doctrinaque discernit, debeat forte illis Panegyristis non contemnendam accessionem eloquentiæ civilis: sed in argumentis, quæ diximus.

In materia leniore, ut sic dicam, & in negotiorum assiduitate, habilis in omnia & expeditus Politici stilus nullum accommodatius exemplar habebit, quam *Orationes & conciones* Historiis insertas. Antiquus ille mos fuit, *conciones regum ac ducum*, e. g. *ex Tito Livio circumferre*; ut prudentiæ civilis facundiæque supellectilem, arbitror. Eo instituto, etiam proximo ævo orationes Historicorum Græcorum Latinorumque à *Stephano* in unum volumen conductas, impressasque novimus. Sunt enim pleræque omnes illæ orationes ejusmodi, ut absque multa cautione, absque solicita sententiarum atque figurarum distinctione, statim & totæ civilem habitum deceant.

Sueton. Dom. 10.

Nimius

Nimius utique apparatus Rhetorum & amplificata locorum structura, si vel ex *Ciceronis* orationibus quibusdam transsumatur, gratiam politicæ tractationis non ubique juvabit: magisque consultum aliquando erit, cetera scripta Ciceroniana, *disputationes de officiis, de legibus, de natura*, in exemplum aut auxilium advocare: si præsertim deligantur sententiæ in genere morum agiliores, & diserta explicandi ratio, & contexendi facilitas.

Amœnitates adjunget, si societur in hos usus, *Seneca*. De quo *Tacitus* noster, in loco, dissertationi huic præscripto, civiliter & benigne judicat. Ait enim, *orationem*, quam Claudius habuit, *à Seneca compositam, multum cultus prætulisse*; tribuitque Senecæ *ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum*. *Comtius* scribendi genus maxime hominibus illius temporis in *Seneca* placuisse, ex *Suetonio* etiam disces. Huic studio autem hominum temporumque quin sit nimium obsecutus, nemo negaverit. itaque *Fabius* rectissime eum meliorem futurum fuisse in dicendo judicat, *si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset*. *Calig. 54.* *Instit. orat. X, I.*

Hæc à *Lipsio* refutari nihil opus erat. quis enim non animadvertere potest *dulcia* illa *vitia*, qui Senecam attente intenteque legit? Quare & imitatores Senecæ, periculose in deligendo exemplo, & multo magis, postquam delectum est, exprimendo versatos; sicut olim Fabius potuit queri, ita nos hodieque comperimus. Sed quia intercedunt tantum melioribus ista in genus quoddam cacozeliæ deflexa, de cetero autem multis eximie dictis, acute inventis, graviter expressis, ubique abundat vir tantus, Politici orationem hac nostra ætate, quin multum possit ornare (si imitatores *eligant* inde modo, quod Fabius etiam voluit, non tumultuarie colligant exempla & instrumenta sui operis) in confesso esse debet. Potius contradictione opus habuerunt, quæ nonnulli apud *Gellium* putarunt de oratione Senecæ, tanquam *vulgari atque protritâ*; & de eruditione, tanquam *vernacula & plebejâ*. *in Judicio super Sen.*

In

In *Epistolis*, magna pars eloquentiæ politicæ hodie versatur. Nam qui civilis vitæ peritiam elegantiamque sectantur, tum privati argumenti epistolas, quadam civili gratia condire student: tum de publicis negotiis, pleraque omnia, vel consuetudine civitatis, vel occasione rerum agendarum in epistolas conferunt. Atque hic, sicut verissimum est, neminem *Cicerone* promtius, convenientiusque id muneris obire: ita *Plinii Junioris epistolæ*, sæculi nostri genio amabilius blandiuntur. Certe duorum istorum ope, qui non viderit pedum viam, in hoc negotio, frustra quæret alibi, apud antiquos.

Senecæ enim *epistolæ*, sunt potius forte declamationes, & exquisitæ tractationes, quam epistolæ. *Cassiodori* autem *variæ*, non destituuntur sane cordatis sententiis, & sensibus à civili dignitate non abhorrentibus: Sed sæculi character, nihil habet, quod in exemplum ire debeat, cum de polita oratione agitur. Igitur historiæ & prudentiæ studio apprime utiles, eloquentiam, si discesseris, ab ea quam modo commendavi, sensuum nobilitate subinde emicante, non admodum juvant. De *Symmacho*, pæne idem dicere volenti, nescio quod agmen hominum, vehementius, quam civilis mos fert, sapientium obstare videtur. Hunc enim in oculis, hunc in sinu ferendum; ad hujus stilum, epistolas conformandas venditant. Fateor equidem sententiis & inventionum ornatu præstare hunc scriptorem, sed plus affectationis ubique animadvertitur, quam in stilo politico tolerabile est. Neque repeto aliis dicta.

Adjicimusne aliquid de Poëtis? quorum eloquentia longius scilicet à civilis proposito stili videatur devertere. Præterquam autem, quod Lector veræ eloquentiæ genio semel imbutus, ex omnibus bonis scriptoribus, potest in suos usus non pauca adjungere; illud hic tantum monendum est: esse quandam propriam gratiam, quæ ex Poëtarum acumine, inventionibus, agilitate, & elegantia in stilum civilem inferri potest. Cujus rei laudem non immerito in politissimi *Barclaii Argenidem* putes convenire.

Cum-

Cumque Poëtarum ſinguli, præſertim, qui in materia civili verſantur, ſuum quiſque conferre decus perite mutuantibus, non abnuant: civilitas tamen ſententiarum, & totius ſtili, quodam genere propria *Ovidio* eſt. Intelligitur, etiam cum non dicitur, opus eſſe judicio, in transferendis è ligata in proſam orationem, quæ transferri idonea ſunt. Id ſi adfuerit, vix dici poteſt, quantum uni debere Ovidio queat Orator Politicus. Nominatim hic agendum fuit: quia in ceteris facilius vulgo quæritur, quod dicimus.

In *Civili* quoque *Romanorum Jure* non parum præſidii dixeris, ad Eloquentiam Politici. Crebræ enim, quæ ibi leguntur, ſententiæ habent quandam quaſi pragmaticam gravitatem & auctoritatem: tùm, quæ ad locum æqui ac iniqui, actionis item moriſque humani argumentum pertinent, plerumque diligenter & apte, & quaſi ad ingenium negotioſæ philoſophiæ exprimuntur: etiam iis, qui ab eloquendi conſuetudine puriore diſcedunt, ſæpe ratio pro auctoritate eſt. Præſertim ſi materiam, & perſonam ſpectemus.

Quis enim dubitet, JCum, etiam cum in argumento politico verſatur, eloquenter dicere aut ſcribere putandum, ſi oratio ejus referat colorem ſtili, qualis in leg. in SCtis, in reſponſis Prudentum, in reſcriptis & conſtitutionibus Principum conſpicitur? Eſt profecto ratio in mundo, quâ illa pleraque in cujuſvis materiæ civilis uſum ornatumque, erudite & decore aptaveris. Eſt etiam ratio, quæ ſimplicitatem imitandi, artibus facundiæ, in tempore & loco, æquare, ſi non præferre poteſt. Illi quidem, non immerito forte, diſplicent eruditis, qui ex tot præclaris voluminibus, nihil præter paucas & humiles verborum figuras, & forte unicum Inſtitutionum principium, tanquam ſolenne & perpetuum ſuæ eloquentiæ ſchema venditant.

Ita valde delicatis auribus ſit neceſſe eſt, qui JCtum, aut alium Politicum pragmaticumque virum, ubique faſtidiat, loquentem cum *Caſſiodoro*, aut *Scriptoribus hiſtoriæ*

Augustæ, Spartiano, Lampridio, Capitolino, cæterisque: qui licet oratione non sint diserti admodum, argumenti tamen dignitate, & quodam publico charactere, sæpenumero plenam auctoritatem assequuntur. Fit enim, ut materia aliquid tale suadeat: ut repeti aliquid ex illis tanquam fontibus opus sit: ut allusio, huc potissimum referenda, locum & gratiam mereatur.

Philosophorum quoque *vocabula* & *Scholarum inventa*, quatenus in publicam formulam iuere, certisque negotiis per omnes curias aulasque veluti sollenniter accommodantur, non video quomodo semper evitare queat Oratio Politici. cui inter præcipua cordi esse debet civilitas loquendi, probabilis sæculo, probabilis consuetudini. Sed quia hujus rei ante facta mentio est, unum illud adjungo: Eloquentissimum etiam virum, id est, ejus laudis quam hic quærimus, amantem & peritum, licet in promtu habeat optimas elegantium auctorum sententias & verba lectissima, tamen, cum ad Juris auctoritatem & disciplinam respiciendum est, locuturum aliquando rectius cum Jureconsultis, & Legibus, etiam ubi non adeo polite loquuntur; itemque cum alterius disciplinæ scientiæque placita attendi desiderant, mutuaturum inde, quantum usus vitæ civilis postulat. Atque hoc est, quod sæpe notamus: Eloquentiam in loco negligere, magnam esse eloquentiæ partem. Sint legato exponenda mandata. quam periculose & indecore, studio purioris sermonis, discedet à solennibus seculi, & rethoricis descriptionibus operam dabit, ubi rerum explanata simplicitas quæritur? Hujus generis plura proponere liceret: in quibus argumenti atque consilii ratio, verborum quorundam legem dicentibus scribentibusque ultro præscribit.

Atque hæc, ita sunt hactenus à nobis disputata, ut amemus serio & vehementer, purissimam dictionem, valdeque optemus, Veterum exemplo, civilibus negotiis accommodari stilum politissimum & accuratissimum: simul tamen existimemus, quia neque reformari semel genius seculi, neque forma publici actus repente immutari, ne-

que

que explicandi commoditas, aut consuetudinis arbitria præfractæ contemni possunt, fas & jus esse ingeniis ad remp. gerendam & ornandam natis, ne superstitione emendationis dictionis adversus utilitatem causæ aut propositum negotii se ubique trahi patiantur. Quam rem iis, ni fallor, limitibus constrinximus, ut reprehendendi occasionem non sit inventurus, nisi qui præ umbratilis ingenii caligine, ad civilis actus lucem nequit suspicere; aut eruditionis suæ tam est pertinax amator, ut judicia & exempla optimorum doctissimorumque hominum, quos ipsa Reipubl. tractatio erudiit, semper oppugnare, meræ auctoritatis credat.

Si aliquid hoc loco interponere licet, mea ipse cædam vineta, & ultro profitebor, me, extra formulas publici actus, in vita liberali Musæ penitius permissa constitutum, quotiens de civilibus loquendum aut scribendum negotiis erat, multa Scholæ & officio docendi, multa consuetudini ac sæculo tribuisse. Quinimo adhuc sic sentio, & fortasse semper sentiam; Qui feliciter in Academiis prudentiæ civilis disciplinam profiteri cupit, is subinde, prout res ac tempus monuerit, & philosophis & pragmaticis recentioribus aliquid dabit: ne vel aspernari possint hoc genus studiorum, ut sterile & à moribus ævi alienum, qui omnia ad præsentes usus quotidianæ vitæ referunt; vel calumniam comminisci audeant, qui summam eruditionis scholasticis formulis definiunt. Atque hoc ipsum qui nescit, veteres fecisse, quorum prima interim semper auctoritas esse debet, vetustatis totius valde ignarus est.

De Latina lingua in universum non loquor: in qua optandus sane fuerat major ætatum singularum & hominum eruditorum consensus. Exorti sunt, post instauratas litteras, qui solum *Ciceronem*, & præter hunc *paucissimos forte, nec nisi optimi ævi scriptores*, unice sequendos Latine scripturo contenderent. His alii se opposuerunt, viri itidem magni: multisque & præclaris rationibus ostenderunt, injuriam fieri ceteris, si pauci illi tantum Latine scivisse crederentur; tum negotiis rebusque vim quandam

adferri, si non liceret rationem insequentium quarundam ætatum, in eloquendo pro exemplo amplecti. Quid *Erasmus* hac in re statuerit notius est, quam ut dici debeat. Idem nempe, qui *Hieronymos*, *Cyprianos* aliosque, exquisitæ eloquentiæ nomine in tantum commendavit, ut fatear, me in adolescentia nunquam dubitasse, an Latinum esset, quod talibus se auctoribus tueretur. Cum præsertim viderem illa ætatis proximæ lumina, *Lipsios*, *Scaligeros*, *Casaubonos*, non probare, si Latini Sermonis terminos nonnulli, sicut dictum est, in angustias redigerent. Interea, nuper denuo ad pauciores & certos scriptores cœpit provocari: ut Latinum non haberetur in posterum, nisi quod eorum auctoritate defendi posset. Quæ sententia quin multum favoris habeat, non abnuerim, si consensu quodam, & certa regula concluderetur. Nec enim duo adhuc fere per omnia inter se consentiunt. Neque crediderim, consilio & rationi scribentium, æquam omnibusque probatam sæculis libertatem adimi per hanc sententiam, sed ignorantiæ & securitati occasionem præcludi. Equidem qui scriptores, quibus essent præferendi aut postferendi, quæ cura instituto oratoris aut poëtæ conveniret, nemo ex magnis illis nominibus ignoravit: qui interim ex auctoribus non optimis, non sine prudentia & eruditione, argumento, contextui sermonis, aut numeris, talibus denique propositis, quæ non possunt, nisi doctissimorum esse, subinde aliqua attemperaverunt: cum barbariem stili & rudem negligentiam immane quantum odissent. Verum, quæ sit hujus consilii ratio iucunda, non inutiliter in *præfatione* libri *de vitiis Latini sermonis* ostendit *Magnus* ille *Vossius*: cujus eruditissima in omni studiorum genere moderatio, facile deterioris propositi potest arguere violentiores Aristarchos: quorum stilus si sequendus esset, proh qualia extarent elogia omnium summorum Virorum, quos à toto sæculo in hunc diem eruditi admirantur & colunt. Nescio enim an unum liceat excipere.

Sunt autem ista loci alterius. Nobis nunc incumbit, aliqua adjicere, de exercitatione, quæ studiosum civilis eloquen-

eloquentiæ potissimum juvat ac decet. Neque ab ovo rem ordiri fas est, hoc modo, quo suscepimus, scribentibus. Quomodo igitur lectio præclarorum Scriptorum sit tractanda, aliunde notum esse debet. sicut & illa: unum aliquem Scriptorem præ ceteris sæpius versandum, ejusque exemplo imbuendum animum, quoad sani coloris lineas, formamque dictionis competentem judicare & concipere didicerit; in imitando tamen, non dinumerari syllabas & ædificari ad mensuram propositam, periodos oportere: sæpe, & pæne assidue, scribendum esse, non modo, ut facultas sermonis promtius expediatur; sed ut oratio acquirat naturalem quendam vultum, absque quo, monstrosa apparent, etiam magni laboris artisque opera.

Illud forte in transitu non prætermittendum fuerit: imitationis arcana (verissime enim ita appellaveris) non tradi præceptis & libellis, sed exquisita meditatione exemplorum, tentando conandoque paulatim observari. Quod studium, cum sit accuratioris & interioris doctrinæ, paucissima semper magni profectus exempla tulit. Nam quod nonnulli e. g. existimant, se imitari *Ciceronem*, cum ex *Nizoliano* forte penu, aut proprio quodam labore, Ciceronis dictiones & formulas solicite colligunt usurpantque, & incisa atque membra, ad numerum æmulari satagunt: ad profectum imitandi, de quo nobis sermo est, parum pertinet. Ejusdem generis est, cum quidam imitari se dicunt, quando sententias auctorum & sæpe totas periodos undecunque conducunt, ut postea connexis suum nomen præscribant. Tam magnificum scilicet illis videtur, veluti in compendio plures imitari. Festivior aliquis, diceret: se videre quoddam genus imitationis, quod pæne inimitabilia sibi proponit. inveniri enim, qui jurare audeant se *Corn. Tacitum* imitari, si nonnulla tanti Scriptoris vocabula, per crebras omissiones particularum conjungentium in gravitatem adornata, chartis inscribant.

Habemus sane exempla eruditissimorum virorum, quibus sententiæ Scriptorum tam fuerunt familiares, ut quidquid dicerent scriberentque, quasi ex aliorum verbis con-

contextum videretur. Sunt & alii modi, quos securitati cuidam in imitando aut negligentiæ affines, non semper dedecere quemvis, existimaveris. Nimirum omnis laus imitationis eruditæ, quodam genio judicanda est: qui si absit, nulla ars suum nomen tueri; si adsit, nulla simplicitas suum decus amittere potest. Porro, ille genius nihil æque aversatur, ac duo illa vitia, quæ rarissimus quisque vel judicat, vel vitat, quando sententia imitationis causa, non imitatio sententiæ gratia, sub acumen stili vocatur; tum, quando contextus, & perpetua oratio, studium imitandi per singula quodammodo intervalla prodit, & signat: cum nostrum debeat facere imitatio non indocta, quicquid mutuamur. De confusis in unam offam diversis dapibus, vitiatoque per alienos jungique dedignantes colores genio, nihil dicam. non enim præcipere instituimus hanc disciplinam, sed argumenti nostri occasione attingere.

Sicut autem permisceri comica tragicis, poëtica oratoriis, oratoria civilibus, & sic deinceps, distantia distantibus, fas non fuerit: ita valde ineruditum esset, putare; à Comico nil nisi ad scenam, à Tragico nil nisi ad Tragicos cothurnos, peti posse aut debere. Est enim hoc ipsum imitationis artificium: diversissima verba & sententias in unam æquabilem civilemque formam ita redigere, ut jam non sit Tragicum, quod à Tragœdo; non Poëticum, quod à Poëta; non oratoris apparatu adornatum, quod ex apparatissima oratione translatum est. In qua laude tantum est pulcritudinis, quantum in portentosa dictione eorum, qui semesa & undiquaque ingesta frusta, in puras chartas evomunt, deformitatis apparet.

Possunt, qui imitationis artem & genium condiscere student, colligere (loquemur enim sub exemplo) historias, disputationes, & locos varii argumenti, ex optimis Græcorum Latinorumque Scriptorum: ita ut rem eandem à pluribus vel narratam, vel tractatam in conspectu habeant, &, quæcunque sive ad variandam, invertendamque orationem pertinent, sive ad Imitationem referenda sunt, erudi-

erudite meditentur atque commententur. De qua re aliàs egimus. Hinc eximia specimina *Macrobius in Saturnalibus* proponet: ubi Virgilii imitationes Homericas considerat. Jam, quantum est doctæ κρίσεως in *Suasoriis* & *Controversiis M. Senecæ*. Sed hæc atque talia, velut in monumento publico, non proposita modo sed demonstrata, facile erudiunt studiosum eloquentiæ. At vero, deprehendere exquisitas imitationes, in lectione magnorum Scriptorum, suoque profectui alimenta & adjumenta inde comparare, ut plus ingenii & doctrinæ, ita præcipuum utilissimæ in imitando disciplinæ, sibi vindicat. Tetigimus supra reconditas *Taciti* imitationes, è Græcis Latinisque, mirum quam feliciter traductas. neque immorari nunc licet.

Si destinata nobis brevitas pateretur, dicendum aliquid erat seorsum, de nobilibus quibusdam *Imitatorum* & *Imitationum* exemplis apud veteres. Sic inter poëtas *Virgilium* suum *Statius* imitatus est: ita tamen, ut assequeretur quidem ingenium & caperet majestatem sui exempli; sed rotundam illam, felicemque sine tumore, sine salebris expositionem non æquaret. Sic propiore imitandi genere majoreque similitudine *Hirtius* & *Oppius* Julii Cæsaris opera suppleverunt: ut appareat quidem diversos, ejusdem tamen stili genio valde congruentes, auctores fuisse, qui imitantur, & quem imitantur. Sic *Sallustium* exprimere *Sulpicius Severus* non infeliciter tentavit. Nam à recentioribus exemplis nominandis, nunc quidem merito abstinemus.

Quare etiam antea, cum de *Lectione* Scriptorum ageremus, nihil de *Lexico Politico* diximus: quod ita vocare, & commendare alibi consuevimus. Quoniam enim, in enarrandis bonis Scriptoribus, rarissime & vix unquam in scholis, modo singula vocabula, modo locutiones & sententiæ (vel lingua notiore & ad interpretandum assumta, vel eadem quæ explicatur) ita exprimuntur, ut appareat, quænam sint res ipsæ, veræ, ac in suo habitu usuque, quæ significantur: igitur operæ fecerit pretium, qui spe-

ſpecimine publico, per nobiliora argumenta demonſtraverit, quid præclari Scriptores intellectum velint, cum ſic vel aliter loquuntur. Quotusquiſque non intelligere ſe rem credit, cujus corticem aut communem quandam exterioremque formam potius, quam naturam & vim, in verbis, quorum non ſatis gnarus eſt, deprehendit? Diſciplinam magni utique momenti, & diligentis explicationis, reſervari oportet in locum opportuniorem.

Hic vero pauca, de *Exercitationibus ſtili*, quibus eloquentiæ politicæ ſtudioſus operam dare debet, earumque generibus, ut ſubjiciamus, æquum videtur. Enumerant ſatis diligenter & commendant *Exercitationum* ejuſmodi nomina ſtudiaque *Cicero* (*1. de Orat. 34, & 60. in Oratore 11. & 12. in Bruto 89. & 90.*) *Quintilianus* (*libro* præſertim *Inſtit. Orat. II.* itemque X, 5.) *Plinius Epiſt.* VIII, 9. Illa ergo non repetimus: ſed ſententiam noſtram uno alterove exemplo declaratum imus.

Sit *Deliberatio* aliqua inſtituenda, exercendi ſtili gratia, *de obſidenda urbe maritimâ.* Legi ante omnia debent, quæ de obſidionibus urbium univerſe habent *Onoſander in Strategico* (*cap. 40. & ſeq.*) *Leo Imperator in Tacticis* (*cap. 25.*) *Vegetius l. IV.* quamquam is potius de urbibus defendendis quam oppugnandis agit. Conjungere licebit, quæ *Lipſius Poliorceticis* huc pertinentia tractat. Deinde exempla talium obſidionum cognoſcere par eſt, optimis Auctoribus deſcripta: qualia ſunt obſidio Tyri apud *Curtium lib. IV.* Syracuſarum apud *Livium lib. XXIV. & XXV.* cui addi poteſt *Polybius lib. VIII.* Maſſiliæ apud *Cæſarem. Bell. Civil. I.* itemque apud recentiores: Deliberatio de obſidenda Rupella, ipſaque obſidio, apud *Bartholomæum Gramondum hiſt. lib. XVIII.* Antuerpia obſidenda & obſeſſa, apud *Famianum Stradam bell. Belg. Decad. II. lib. 6.*

Qui hæc cognoverit, ille niſi aliud egit, vidiſſe poteſt pedum viam, qua ſit incedendum. Rebus inquam, & verbis ſententiisque, abunde inſtruet ſcripturum iſta lectio. Neque ambages timueris in ea conſuetudine, quæ in pleriſque argumenti politici partibus adhibita, pruden-
tiam

tiam simul & eloquentiam, instar unici compendii, tibi conciliabit. Alitur illis exemplis intelligentia, provocatur & allicitur ingenium, confirmatur fiducia, acuitur judicium: præsertim cum antiqua recentibus, singula denique singulis comparantur. Scripta enim recentiorum, ut hoc semel dicam, vel cum erudita sunt, artem & successum imitandi demonstrabunt; vel cum materiæ explanatione contenta scripturæ diligentiam non attingunt, usum & formam præsentis scenæ exhibebunt: cujus nihil ignorandum est, si velis priora nostris, ex universo studiorum genere, attemperare.

Sit agendum *de Crimine Majestatis definiendo*, aut *probando*, aut *puniendo*. feliciorem in omnia non prudentiam modo sed eloquentiam expediet, qui *Sallustii Catilinam, Ciceronis Catilinarias*, *Rabirianam*, *Philippicas*; *causam Philotæ, Parmenionis, Amyntæ & Simmiæ*, *Hermolai & Sociorum*, apud *Curtium*; *Seiani* apud *Dionem & Tacitum* cognoverit: hisque conjunxerit exempla nobiliora alia, apud *Livium* (ut in causa Manliana) apud *Dionem* (ut in causa Cinnana, de qua etiam *Seneca 1. de clem. 9.*) apud recentiores, ubi magna & multa hujus generis argumenta obvia sunt. Extra ordinem denuo nominandus est Tacitus, qui &, *prope finem primi Annalis*, & toto deinceps Principatu Tiberiano, ne de reliquis dicam temporibus, rem gravi judicio illustravit. quod & *Plinio Panegyristæ* fuit propositum. Talibus monumentis accedere possunt, Politicorum placita & JCtorum. nominabo ex singulis unum. *Lipsius* enim multa in brevi Politices libello vel conduxit vel indicavit. Et *Jacobi* illius *Gothofredi* commentatio ad *L. Quisquis. C. ad L. Jul. Mai.* toti materiæ lucem adfert. Nam *sententiæ Curiarum illustrium, & Consiliorum*, vel in superioribus intelliguntur, quatenus pars historiæ sunt: vel seorsum nunc commendantur, quatenus pro loco & tempore, formula totius tractatus propius inspicienda venit.

Scilicet, cum Majestatis causæ, plerumque non tam formulis juris definiantur, quam ex regulis status, quas vocant, aut utilitate Reip. adeoque Prudentiæ interioris

R arbi-

arbitratu, agitentur, ante omnia, per singulas partes noscendum est: quæ tempora, quæ causæ, quæ jura, crimen majestatis vel angustius circumscripserint, vel porrexerint latius, vel effinxerint speciosius, vel sollertius tractaverint: quæ gravitatis fuerint, quæ severitatis proposita: quid disciplinæ reipublicæ, quid consiliis dominationis datum: quid regnorum necessitudo, quid tyrannidis impotentia, in hoc argumentum intulerit: quibus quasi pragmaticis sententiis, vel intendendo vel moderando facto, imponendo item aut depellendo crimine, circa quæstionem, circa condemnationem, circa ultionem, consueverint uti, & quos colores in eandem speciem didicerint adornare, magistri majestatis interpretandæ ac vindicandæ. Vix dici potest, quantum subtilis & arduæ prudentiæ lateat in hac materia: ad quam, tanquam ad tremendum mysterium, nunquam secure accedendum est, si usus Reip. vocem aut calamum postulet.

In *orationibus gratulandi, salutandi, precandi, venerandi, laudandi, gaudendi & lugendi officio destinatis*, major quodammodo occurrit difficultas, quam in cetera eloquentia. Nam in reliquis, materia semper ex se rationem & pæne formam dicendi, suppeditat advertentibus: hîc minimum sæpe est, argumento satisfecisse. Ibi doctrina facilius, quod naturæ deest supplet: hîc nihil absque ingenio feliciter tentatur. Si liberius loquendum esset, quam paucæ in hoc genere extarent orationes genium negotii assecutæ? Igitur vehementer probandum est maximorum virorum consilium, qui, cum in talibus argumentis, Principum Majestati & solennibus publicæ pompæ, decore obsequendum esset, omnem & spiritum & vim dicendi ex prudenti æstimatione totius scenæ, ut sic dicam, repetierunt: atque, sive ignorarent veterum aut eruditorum curas, inaffectata attentioris prudentiæ gravitate, eloquentiam non invitam sibi accommodarunt; sive in promtu haberent doctorum sententias, ita eas respexerunt, ut auspicio suæ materiæ omnia potius, quam artificio oratorum aut imitatorum mallent debere. Sed de hac re, non potest obiter aut breviter agi.

Osten-

Ostendimus autem alias, magna & varietate & copia, quomodo vel in tractandis veterum argumentis versandum sit, cum sub incudem revocantur ea, quæ pluribus nec uno modo tractata, novæ scriptionis formam facile & varie recipiunt; vel quid ex negotiis præsentis vitæ, laboribus comparandæ eloquentiæ civili destinatis, maxime accommodare liceat. Disputavimus etiam de isto more, quo aliqui periculosâ, certe mali exempli philosophiâ, gravissimas lites, & jura bellorum inter summos Principes controversa, in medio rerum motu tractatuque, tanquam importuni arbitri, in scholis non tantum declamanda proponunt, sed declamata dicam an conclamata, typis evulgant ostentantque. Scimus, quid salva privatorum modestia intra privatos parietes, ex publicatis commentariis ad usum Juventutis provectioris aptari sine temeritate queat. Sed istud genus intemperantis & loquacis disciplinæ, à reverentia magnis fastigiis debita longius abit. Debebat autem omnis institutio, & doctrina ad Reipublicæ honorem, & virtutis civilis bonique moris legem conformari.

Nobis fas erit hic subsistere, postquam dissertationis modum implevimus. Neque enim volumina aut præcepta scribere, sed ad locum *Taciti*, de Eloquentia Romanorum Principum, quædam erudiendo in his studiis judicio oportuna, annotare constituimus. Summa eorum, quæ diximus & clausula esto, nobile, atque, quia de Principibus hic sermo cœpit, proprium Philippi Macedonis exemplum: cui apud *Justinum* inter alias regias artes tribuitur *eloquentia & insignis oratio, acuminis & sollertiæ plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus.* Habes in istis verbis eloquentiam & Principis, & viri civilis, quam hactenus quærimus.

IV.

DE AUSPICIO REGIO. LIBER SINGULARIS.

CAP. I.

De Nomine Auſpiciorum.

INter profundas ac in ipſis Prudentiæ penetralibus natas Taciti ſententias, merito eximium habetur, quod de imperio ac imperantium virtute actuque graviter pronun-
2. A. 6. tiat: *pleraque in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geri.* Quæ verba, quantum in receſſu habeant, poſtea apparebit. interim ſcripturæ huic præfixa lectorem admonere poſſunt, promiſſi nos memores eſſe, cum ſubinde ex illuſtrioribus Taciti locis aliquid in Academicæ juventutis uſum & gratiam meditamur ac publice proponimus. quamvis ut de ordine nobis quiſquam velit controverſiam movere, non exiſtimamus neceſſarium. Unum ſingula finem ſibi propoſuere: quem ſi tetigerint, nihil intererit, quando & qua conſecutione tetigerint. cum præſertim, ſi ordinem hiſtoriæ excipias, ipſum Taciti argumentum, nullam nobis Prudentiæ ſeriem ſub lege concinnati operis præcipiat.

Etenim in *Auſpiciis* imperantium, quorum ſubinde accurati Scriptores, cum indicio ſingularis ſignificatus mentionem faciunt, aliquid vulgo incognitum latere, doctorum multi animadverterunt; annotavitque ad illum ipſum, quem præſcripſimus, Taciti locum, eximia pleraque *Janus Gruterus in copioſis diſſertationibus ſuis*, quem alii, vel in *quaſtionibus*, vel ex occaſione *annotationum*, imitati ſunt. ne de *Politicorum ſcriptoribus* nunc dicam, quibus hæc talia vix unquam aliter quam tanguntur. Sed qui hoc argumentum ita pertractaverit, ut à cognatis & vicinis rebus auſpicium ſatis diſtingueret, ejuſque vim explicatius ac plenius traderet, hactenus vidi neminem.

Inde

Inde consilium mihi, commendare eam materiem præclaris ingeniis, & ad solidioris doctrinæ profectum demonstrare. Id quod integro facturus eram commentario, sicut in *Notis Velleianis* promisisse memini. sed dum tempora mea, ex necessitudine officii, diverse trahuntur; malui interea brevi hoc libello præludere, & primas quasi lineas signare, quam rem totam diutius differre. Quare nemo à nobis nunc solicitam collectionem omnium, quæ huc pertinent, locorum expectabit; quod & alias, nisi magna ratio subsit, ostentationi facilius quam disciplinæ servire solet: tum autem si quæ minus accurate fuerint vel disquisita vel disposita, ea posterioribus curis, si Deo visum fuerit, emendatum iri ac suppletum, non difficulter nobiscum sperabit Lector benevolus.

Auspicium, si primam originem quærimus, nihil aliud esse, quam ex superstitione gentilium natam avium inspectionem, qua indagabant, quid ex volatu earum & vocibus significaretur, ex *Nonio Marcello*, aliisque veterum constat. *De propr. serm. c. 5.* Nec abit ab ea origine & significatione *Augurium*: nisi quod latioris & angustioris usus nomine, aliter quidem à *Servio ad Virgilianam Æneidem*, aliter à *Nonio*, quem dixi, *Marcello* distinguuntur. *lib. 1.* Interim sæpe permutari & confundi certum est. Græcis *οἰωνιστικὴ augurandi scientia*, comprehendit *ὀρνιθοσκοπικὴν*, sicut apud *Suidam* videre licet. *Voc. οἰων.*

Quam curiose istam artem, sive potius vanitatem ac ludibrium, exercuerint gentiles, & præsertim Romani (ad quos pervenit à Græcis; qui & ipsi acceperant à barbaris) nihil attinet hic referre. possunt, quibus commodum est, collecta ex antiquis pleraque inspicere apud *Alexandrum Neapolitanum*, & *Barnabam Brissonium*. *genial. dier. l. 5. c. 11. solenn. for. 1.* Illud proposito nostro non disconvenerit notare, non eandem fuisse omnium de auspiciis sententiam: vulgus enim avibus aliquid divini inesse, easque mentem Deorum conscire, putabat; prudentiores vero dirigi avium volatus, voces, gestus divino numine, ad significanda hominibus imminentia credebant. quam sententiam interpretatur, & ad

l. 21. c. 1. ad divinæ bonitatis documentum refert *Ammianus Marcellinus.* Non melior sed diversa opinio *arridet Seneca in naturalibus quæstionibus.* *l. 2. c. 32.* Cum longe rectius sit credere, impuros dæmonas avium indicia & omina, ad fallendos ac superstitione inquinandos homines, adgubernasse, sicut post *Minutium Felicem* *in Octav.* (cum quo conferendus est *Lactantius lib. 2. cap. 17.*) recte pronuntiavit Vir magnus *Gerardus Ioannes Vossius.* *Theol. gent. 3. 98.*

Interim tanto Romanis in pretio est habita irreligiosa auspiciorum religio, ut Appius Claudius apud *Livium* glorietur: *6. 41.* *auspiciis urbem Romam esse conditam, auspiciis bello ac pace, domi militiaque omnia geri.* Unde *Zonaras ad Canones Concilii sexti in Trullo* inter alia de auspiciis annotat: ἐν τάξει τιμῆς μεγίστης ἡ οἰωνοσκοπικὴ παρὰ Ῥωμαίοις λελόγιστο. *maximo in honore Romanis auspicia erant.* *can. 65.*

Cum primis autem (nam per gradus nobis illuc perveniendum est, quo volumus) *magistratuum auspicia*, multi ad dignitatem actumque rerum momenti videbantur. Dividit illa in *majora & minora*, *M. Messalla Augur* apud *Gellium.* *l. 13. c. 14.* *Patriciorum*, inquit, *auspicia in duas sunt potestates divisa: maxima sunt Consulum, Prætorum, Censorum.* Quæ cum explicasset, subjicit: *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur.* Addit *Gellius*: *Majora autem dicuntur auspicia habere, quia eorum auspicia magis rata sunt, quam aliorum.* Hæc *auspicia* magistratibus quandam *imperii dignitatem sive sanctitatem solennem,* cum *efficacia & vi agendi* conferebant: unde *sine auspicio nullum justum imperium*; & vicissim, auspicia ita imperiis propria, *ut privatum non sequerentur*, discimus ex *Livio*: qui etiam *lib. 21. c. 1.* abunde explicat Aristocraticas Patriciorum curas, cum singularem sibi ex auspiciorum titulo, quæ ad ipsos antiquitus pertinebant, eminentiam, nec non inviolatam sanctitatem, itemque jura gerendorum magistratuum & summæ *lib. 4. c. 2. & lib. 6. c. 37. 40. & seq.* rei administrandæ, subinde vindicarent; præsertim occasione controversiæ de matrimoniis & magistratibus cum plebe participandis.

Quoniam

Quoniam autem inter ea, quæ publico nomine geruntur per magistratus, præsertim eminebant bellica imperia, ideo factum est, ut *ducum militiæ ac imperatorum* valde celebrarentur *auspicia*: adeo quidem, ut præter summum exercitus ducem, qui solus capiebat auspicia, nemini liceret sine capitali flagitio ea sibi vindicare. Hinc toties in historia Romana legimus, *hujus Consulis, hujus ducis auspicio dimicatum prælium, reportatam victoriam, victam gentem.* Et *Camillus* apud *Livium* magnifice: *Quæ bella*, inquit, *suo unius auspicio gesta ad eam diem essent, negare in eis, neque se, neque populum Romanum, aut consilii sui aut fortunæ pœnituisse.* Sed de istis quidem ducum auspiciis consulatur *Lipsius milit. Rom. 2, 12.* Nobis enim, qui & alias actum agere nolumus, in destinata tendendum est. *lib. 6. c. 22.*

Quandoquidem ergo auspicia, magistratibus gerendis, adeoque reipublicæ causa & nomine, eximie accommodari videmus: facile possumus colligere, *ipsius* quoque *Reip. ac summi imperii* aliqua esse, & quidem *omnium præcipua auspicia.* hoc sensu nimirum, ut quæ *ducum auspiciis* gesta dicuntur in rep. libera, excellenti quodam significatu, & si accurate loquendum sit, *auspiciis populi Romani sive Reip. Romanæ* tribuenda sint.

Quod ut rectius intelligatur, notandum est, vocem *auspicii* in illis locutionibus, cum *auspicio alicujus aliquid gestum* dicitur, præter communem auspicii capiendi respectum, atque cærimoniam (quæ nec semper in tabulis attenditur) apud accuratioris stili Auctores significare *θείαν τινα καὶ ἀρχιτεκτονικὴν ἐνέργειαν sanctiorē quandam, & moderatricem vim ac virtutem*: i. e. rerum gerendarum eminentem quandam ac justam auctoritatem, quam dat muneris officiique potestas; penetrabilem agendi efficaciam sive fortunam, quæ gerentes publica divinitus comitatur. Id quod ex iis, quæ cum nota cognationis & mutuæ declarationis conjungi solent, vocabulis licet quodammodo æstimare. dum modo *ductu auspicioque*, modo *ductu, imperio, auspicio alicujus*, gesta bella, confecta negotia memorant Scriptores. Loca *Brissonio*, aliisque consignata nec repetimus, nec cumulamus. *Form. Sol. 4.*

mus. sed nec quomodo ista nomina interdum distinguantur, seorsum hic explicandum putamus; ut in re obvia, & quæ ex sequentibus ultro liquere potest. Fallor, an in partem declarationis venire potest locus *Senecæ*, ubi de Epicureis, usurpative quidem, ut Grammatici loquuntur, sed cum evidenti usurpationis ratione & congruentia, ita loquitur: *Apud istos quidquid dicit Hermachus, quidquid Metrodorus, ad unum refertur. omnia quæ quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu & auspiciis dicta sunt.* Honorem scilicet & auctoritatem ἀρχηγικὴν irrefragabilis magisterii voluit notare, sumpta ab imperiis comparatione. Remotior est, sed

4. Æn. ex qua tamen vis vocabuli illustrari queat, *Virgiliana* usurpatio, in illo:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte mea componere curas.

ubi *Servius* pro *dispositionibus* accipit. quod sequens ἐπεξήγησις Poëtæ facile confirmat.

Itaque, ut nunc revertamur ad illustrem, & quem hic præcipue spectamus, significatum, *auspicium de illis peculiariter dicitur ac proprie, penes quos est rerum summa, sive jus imperii ac majestas.* Utemur Romanæ Reip. exemplo, sicut cœpimus. Libera adhuc republica, *auspiciis Populi Romani,* aut *S. P. Q. R.* publica geri dicebantur. nisi quod sensu, ut prædiximus, minus excellente, & cum respectu ad summi imperii auspicia, imperatoribus quoque & ducibus is honos habebatur, ut *eorum auspiciis* res gestæ dicerentur. In singulari autem Cæsarum imperio sive Principatu, inter formulas status regii erat, ad Auspicia solius Principis omnia ita referre, ut quidquid ministri, adjutores, legati egissent, *auspicio* tamen *Principis* acta & dicerentur & crederentur. Pertinet huc solennis exempli loco, inscriptio

2. A. 41. 1. illa arcus propter ædem Saturni dicati apud *Tacitum.* OB RECEPTA SIGNA CUM VARO AMISSA, DUCTU GERMANICI, AUSPICIIS TIBE-

Lib. 3. cap. 20. RII. cui similem aliam vide apud *Plinium*, ubi *ductu auspiciis*

auspiciisque Augusti gentes Alpinæ sub imperium populi Romani redactæ memorantur. Plane, ut *Suetonius*, *partim ductu Augusti, partim auspiciis* (i. e. partim ductu auspiciisque simul, Aug. 21.
cum auctor actorque belli Cæsar adesset; partim auspiciis tantum, cum per legatos bellaret) domitas *gentes* enumerat. cum ante dixisset: *quædam bella per se gessit, quædam per* cap. 20.
legatos administravit. Vide ad priorem locum *Casauboni* præsertim & *Torrentii* notas: & confer similem Alexandri sententiam apud *Curtium*. 6, 3, 8.

In his enim & similibus locis, quæ infra rectius cum interpretatione adhibenda venient, non vulgari sensu auspicium usurpari, tum ceteræ rationes ostendunt (de quibus suo loco) tum succedaneæ appellationes valde insignes & luculentæ. Quippe Scriptoribus mos est, id quod vel alii vel ipsi auspiciorum vocabulo expressere, modo per *fortunam*, *felicitatem*, *fatum*; modo per *majestatem ac potestatem imperii ac imperantium* interpretari. Apud *Tacitum*, 14. A. 38, 5.
ut ab hoc rursum incipiamus, *Suetonii prospera ad fortunam reipub. refert* Classicianus: i. e. ad auspicia Imperii & Imperatoris Romani. neque alio pertinet *fatum urbis imperaturæ* apud *Florum*; quam ad auspicia Romanæ urbis. Quanquam longe clarius est, quod in *Claudiano* legimus: 3, 6, 20.

—— victoria felix Paneg. de 3.
Auspiciis effecta tuis; pugnastis uterque, consf. Honor.
Tu fatis, genitorque manu.

ubi *auspicia* & *fata* permutari cernimus. Et *Mamertinus in panegyrico ad Maximianum*; *vestræ*, inquit, *fortunæ, vestræ felicitatis est, Imperator, quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria.* Nempe idem dicit, quod ante de præcipuis Maximiani ducibus dixerat: *horum ductu proxime, cum felicissimis vestris auspiciis uterentur, lubrica illa fallaxque gens barbarorum ut merebatur affecta est.* Apud *Herodianum* Maximus, lib. 8. c. 7.
sub schemate Aristocratico, cum Imperium Romanum Senatus Populique esse, non Principum, dixisset, postea de auspiciis notanter subjungit: ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει ἡ τῆς βασιλείας

ἵδρυται τύχη. *in illa urbe sita est imperii fortuna.* De *potestate* vocem *auspiciorum* interpretatur *Servius* ad illud Junonis apud *Virgilium.*

4. Æneid. *Communem hunc ergo populum, paribusque regamus*
Auspiciis.

& rursum alibi ad illud:

Hunc illum fatis externa à sede profectum
7. Æn. *Portendi generum, paribusque ad regna vocari*
Auspiciis.

Æqualem utrobique *potestatem* accipit, & per paria magistratuum in comitiis auspicia explicat. nam id sufficiebat hic proposito Grammatici. de cetero nemo non videt, præter potestatis significationem, etiam ampliorem illam dignitatem majestatis regiæ, auspiciis signari. Non inerudite *Glossarium Vetus*: *Auspicium*, οἰωνισμός. σύμβολον. ἀρχή. Per ea, quæ ex propinquo cognoscuntur, explicat vocabulum profundioris significationis.

Ex his quæ hactenus attulimus, intelligi paulatim poterit: *auspicia imperiorum ac imperantium*, occasione antiquæ & superstitiosæ quidem notationis, significatu in graviorem usum translato, designare *aliquid sanctum & efficax & proprium, quod summis imperiis, qua summa sunt, & imperantibus, qua majestatem habent, largitur administrandi vim, decus, successum.* sicut postea clarius explanabitur. Interim vel solus, quem ab initio laudavimus, *Taciti* locus, vim hactenus dictorum potest complecti ac interpretari: *pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.* Auspiciis consilia jungit, ut non minus τὸ προνοητικὸν quam τὸ ἀρχιτεκτονικὸν auspiciorum notet, & alterum alterius comparatione extollat. Et ante *Tacitum* quidem, hæc ita explicaverat *Velleius*, cum *Tiberii auspiciis consiliisque*
2, 129, 3. *sepultum bellum Africum* dixit: post *Tacitum* vero *Aurelius Victor* (cui & alias Taciti vestigia legere mos est) acumen sententiæ repetiit, ubi de Constantino, & Juliano ita loquitur: *Julianum Cæsarem, cognatione acceptum sibi, Transalpinis* *præ-*

præfecit, iique nationes feras brevi subegit, captis famosis regibus, quæ quanquam vi ejus, fortuna Principis tamen & consilio accidere. quod adeo præstat, ut Tiberius Galeriusque subjecti aliis egregia pleraque, suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint. Adscribere totum locum placuit, in quo Victor seipsum interpretatur, & superiora quoque illustrat. Quæ de Tiberio Galerioque seorsum observanda proponit, fortasse ex illis, quæ infra dicuntur, aliquid lucis accipient.

Quanquam autem in omni Reipublicæ forma *auspiciis* ejuscemodi locus sit (quippe quæ majestatem fido perpetuoque nexu comitantur) tamen ut omnia cetera, quibus eminet majestas imperii, ita hæc ipsa auspiciorum vis, evidentius & illustriore documento, in regno sive singulari imperio, se æstimandam præbet. Unde de REGIO AUSPICIO præcipue actura est hæc commentatio nostra. quo probe intellecto, non ignorari poterunt, quæ vel in amplitudinem totius argumenti patent, vel in penetralibus reconduntur. Deum ter Opt. Max. cujus sunt suprema rerum omnium auspicia, operi suscepto auspicem advoco, ut auspicatis reip. omnibus loquamur de materie, quæ non levi momento ad securitatem regnorum, & tranquillitatem gentium pertinet. Majestatem quippe imperiorum, cujus non minima pars in auspicio est, ab omni ævo Prudentium quoque pauci vel sibi vel aliis potuerunt interpretari: plures per speciem magni animi & generosioris sapientiæ, contemtum regum eorumque per quos publica gubernantur, præ se tulerunt. A qua culpa, verbo quidem Philosophos veteres, præsertim Stoicos, eximit *Seneca*: quos interim vita ipsorum & historia reos facit.

Quod si quis est, qui abhorreat à nomine *auspicii*, quasi ex pagana superstitione nato, atque ob id sanctitate argumenti, quod ordimur, indigno: eum meminisse velim, sequendum esse stilum eorum, quos hic interpretamur; Historicorum præsertim veterum: è quibus accuratissimus quisque de auspiciis, eximio sensu, & subtiliter philosophatur. Qualia loca qui præter mentem scripto-

rum accipit, eum necesse est in multis ceterorum falli. Sed nec Christianos veteres video talibus vocabulis abstinuisse: quibus, exclusa superstitione, *auspicis, auspiciorum, auspicandi* nomina non ignota sunt. Neque sane quisquam gravissimorum Patrum verebatur *augusta* dicere, quæ eximie illustria & sancta sunt; aut ipsum *Augusti* cognomen Christianis imperatoribus accommodare: licet satis constaret, *augurium* (unde *augusta* dicuntur, sicut Latine doctis notissimum est) cum *auspicii* origine & usu concurrere. Denique subest hic magna ratio in ipsa rei argumentique veritate: cujus lumen tam illustre ac efficax est, ut non potuerit gentilium oculos subterfugere. Viderunt, inquam, gentiles; *esse in summis potestatibus ac imperiis aliquid divinæ dignitatis, divini vigoris, divinæ efficaciæ; sive aliquid tam præsentis opis majestatisque, ut communi hominum sorte non debeat æstimari.* id dum meditantur, & alius quidem penitius interpretari cupit, alius ne interpretandum quidem, sed summatim venerandum autumat, *auspiciorum* præcipue vocem, quasi cum selecta quadam significandi nobilitate ac emphasi, huc adhibuerunt. Nobis ergo ex hac sententia licet accipere, quod verum est; & sub eodem, sed penitus jam repurgato titulo, penetrare ad profundiora hujus argumenti, quæ suspicari potius quam cernere gentiles potuerunt.

CAP. II.

Auspicii Regii descriptio proponitur, ac explicatur.

PRælusimus nostræ de *Auspicio regio* sententiæ; ut quodam modo, quid velimus, posset animadverti, antequam descriptione plena disertaque rem complecti conaremur. Nunc tentandum est, an in formam redigi sese tam sublime ac subtile negotium patiatur. Videmus enim fere usu venire, ut, quorum altior intellectus est, & eminen-

eminentior amplitudo, ipsa magnitudine sua ac profundiore natura, cancellos artis graventur, & definitas verborum formulas transcendant. Quapropter suffecerit fortean nobis, si accommodata ad captum sensumque communem oratione, AUSPICIUM REGIUM dicamus *esse concessam regiæ majestati & à Deo adjunctam vim, quæ omni regio actui murerique suam quandam efficaciam, sanctitatem & vigorem largitur ac dispensat.* Cujus indoles non nisi singillatim, & per partes, ac in media exemplorum luce, sejunctis distinctisque, quæ alias confunduntur, amat explicari.

Etenim doctorum plerique, cum tot acute aut profunde de auspiciis dicta apud Veterum prudentissimos reperirent, animum subinde, ac oculos in tam reconditis sententiis defixerunt: sed non ultra ferme, quam *majestatis* vocabulo meditationem suam ac interpretationem definiverunt. Neque sane arguendi sunt, quod cum eo auspicium compararunt, sine quo aut extra quod ne cogitari quidem auspicium regium potest. nisi quod aliud quæritur in fortuita dissertatione, aliud in accurata explicatione. Ante omnia igitur dispiciendum nobis fuerit, *an auspicium regium nihil aliud sit, quam ipsa regum majestas, quæ dicitur?* de qua nec ipsa uno omnes ore sensuque loquuntur aut philosophantur: quandoquidem id argumentum omnino inter ea referendum est, quæ non abunde sunt disquisita & explanata. Nonnullis autem *majestas imperiorum & imperantium*, pro suprema illa *dignitate* ac eminentia imperatoria sumitur: alii, ex recentioribus præsertim, summæ *potestatis* jus *majestatem* appellant: quidam rectius existimant ac civili prudentiæ convenientius, utraque tota conjungere, atque *summam potestatem* pariter ac *summam dignitatem* imperii, incomparabili & nullius linguæ vocabulis æquando *majestatis* elogio complecti. Quidquid horum ad auspicia, eo sensu, quem hic quærimus, usurpata traduxeris, distinguendæ rei, utut valde cognatæ, occasionem caussamque reperies. Id quod ex locis postea producendis, ultro licebit æstimare.

Eſt quidem (neque enim, quid ſentiam, diſſimulabo) adhuc altior de majeſtate philoſophandi ratio; ſi dicamus: *Majeſtatem ſumma imperii dignitate & poteſtate ita definiendam eſſe, ut in utraque illa, aliquid divinitatis ſive divinæ imaginis agnoſcatur: quatenus nimirum majeſtas illo ipſo impreſſo divinitatis charactere, dignitatis ſuæ poteſtatiſque ſplendorem pariter ac efficaciam formare quodammodo intelligitur ac tueri.* Quo pacto non recte majeſtatem concipit, qui nihil in majeſtate divini concipit. Jam quidquid divini in majeſtate eſt, non ſplendet modo ſed valet, neque qualicunque comparatione verborum, ſed effectu aliquo diviniore æſtimari debet. Ad hunc modum ſi de majeſtate loquamur, auſpicia forte ita videbuntur majeſtati inſerta, ut parum diſcriminis relinquatur. Verumenimvero ſi diligentius rem intueare, ſic quoque latius patet majeſtas: è cujus arcano ſinu emergunt potius auſpicia, quam totam majeſtatis amplitudinem conſtituunt. Igitur *Grutero* non male ceſſit, quod *vim majeſtatis longe lateque dominantis*, divinamque ejus indolem ad *auſpiciorum myſteria* interpretanda adhiberi oportere cenſuit. quanquam ad ſolidam rei totius diſtinctamque declarationem, pro ratione inſtituti non opus habuit egredi.

Diſſert. 1. in Tac.

Eſt itaque, ſicut diximus, auſpicium Regium, *non majeſtas ipſa, ſed quædam ejus vis,* quædam è viſceribus ejus progreſſa virtus: quoddam de lumine illo lumen. Vis, inquam, quæ ita de majeſtate dicitur progredi, ut nihilominus in majeſtate, in illo ſinu, in illis viſceribus, in illa origine ſua manere dicatur. Tanta eſt cognationis (ita enim potius, quam connexionem vocaveris) propinquitas. Quo fit, ut minimo flexu, ad figuram deductus, cum de auſpicio interrogaris, dicere cupias; auſpicium regium eſſe majeſtatem in actus regios degreſſam, aut in opere regio occupatam. rurſum, ubi operis regii occupationes ac incrementa conſiderare juberis, malueris forſan opinari, demiſſam à majeſtate vim, ac vigorem quendam, majeſtati cognatum iuiſſe per momenta rerum, egiſſe majeſtati conſentanea, ad majeſtatem omnia retuliſſe. Certe citra majeſtatem, nunquam auſpicatam illam & imperatoriam auſpiciorum vim invenies. Unde auſpicia non

cia non esse, nisi ubi est majestas, supra monuimus: & auspicium regium non nisi majestati regiæ paulo ante adjunximus.

Agnoscere possumus hujus rei documentum in historia Pausaniæ apud *Thucydidem*, & *Corn. Nepotem*. Cum enim Platæensis victoriæ gloriam sibi penitus vindicaret, suoque nomine tripodem aureum Apollini dedicaret ac inscriberet, Lacedæmonii epigrammate tali exsculpto, inscripserunt nomina civitatum, quarum armis auspiciisque res contra Persas gesta erat. Indignum scilicet autumabant, si minister publicæ fortunæ, auctorum sibi auspicia tribueret. In singulari imperio tanto minus ea elatio censetur toleranda, quanto illustrior est auspicii Regii amplitudo ac veneratio. Itaque haud perite *Clytus* apud *Curtium* reprehendit *Græcorum morem, qui tropæis* ac victoriæ monumentis *regum tantum nomina inscriberent*, cum tamen alieno sanguine talis quæreretur gloria. Licet enim non absurde sit à *Nepote* dictum, *quod in prælii concursu abeat res à consilio ad vires vimque pugnantium*; atque ob id *jure suo nonnulla ab imperatore miles vindicare possit*: tamen obsequii ministeriique gloria, cum auspicii ac imperii eminentia non debet confundi. Ipsi quinimo *imperatores*, si superiori militant imperio, impie sibi adscriberent, quæ ad dominum belli pariter ac imperii pertinent. Itaque, cum Agricola *Taciti*, in iis quæ sub Cereale in Britannia gessit, *ad auctorem & ducem, ut minister fortunam retulit*, ordinis seriem potius quam finem respexit. Cerealis enim eadem virtute obsequendi, ad Principem merito referenda habuit, quæ gesserat. quippe, ut inferiores ducum superioribus obsequium ideo debent, quia sic jussit supremus i. e. auspicii bellique dominus: Ita non dispari vinculo, licet dispari ordinis gradu, etiam illi obligantur Principibus, qui supra ceteros eminent. Quod in tantum obtinere judico, ut etiam Alexander, parum pie, *nobilem apud Chæroneam victoriam*, qua Philippus Græciæ dominus evasit, *sui operis fuisse*, jactaverit. Licet enim existimare quis possit, paternorum auspiciorum & filium fuisse participem; non debent tamen confun-

Lib. 1. in Vit. c. 1.

8, 1, 29.

in Thrasyb. l. 4.

Cap. 8. 4.

Curt. 8. 1. 23.

confundi jura, & spes, & quidquid in futurum destinatur, cum actu & usu præsenti: qui apud unum auspicia regnorum reponit. Nimirum eadem hic arrogantia egit Alexander, qua apud *Dionem Chrysostomum*, non vult Philippum agnoscere *suum regem*, sed tantum *patrem*. Quanto rectius Alexander Herodis filius patri, qui apud Augustum liberos accusaverat, memorante *Josepho* respondet: *poterat utique de nobis supplicium sumere, tum regis tum patris jure?*

orat. 2. de regn.

lib. 16. ἀρχαιολ. cap. 8.

Est autem regium auspicium, sicut in descriptione amplius diximus, *à Deo adjunctum regibus*, sive regiæ majestati in morem characteris divini impressum. Qua de re primum summatim loquemur: deinde, singulares divinitatis ejuscemodi interpretationes considerabimus. Ipsam ergo majestatem totam esse aliquid divini, sive aliquam Dei in regibus imaginem, ex superioribus patuit. Ipse Deus dat regibus regna & regnandi auctoritatem; ipse proximum à suo fastigio gradum regibus assignat: ipse Deos vocat: ipse gentibus obsequio & honore venerandos monstrat: ipse peculiarem illis sanctitatem circumdat, ne violentur; imo ipse propiori suæ providentiæ cura præstat, ne violari, quotiens pericula imminent, possint. Quæ, cum similibus, non oportet nunc prolixe repeti aut explicari; dum modo illud constet: *Deum regio operi munerique, quatenus id in corpus imperii, tanquam spiritus, diffunditur, inter ea bona, quibus reges facit ac instruit, regnumque, ut ita dicam constituit, aliquid sui, intime impressisse atque communicasse*; ita nimirum, ut in regibus *divina aliqua ad regnandum virtus* animadvertatur: quæ sic dicitur, *non tantum*, quia, à divino numine, id est, à prima illa & rerum omnium effectrice causa semper pendet, ejusque arbitrio in varios actus varie dispensatur, *sed etiam*, quia, tanquam pars divinæ in regno imaginis, cum Deus ab initio reges faceret, regibus ad efficaciam regiæ potestatis dignitatisque in humana dispertiendam est concessa. Quæ sicut aliis quoque summis potestatibus denegari nullo modo debet; ita in regi-

regibus & singulari imperio, tanquam in forma eminentiore, potissimum declaranda videtur.

Neque est, quod de subtili commento quispiam suspicetur; cum haud dubie *ordinatio illa Dei, & supereminentia Deorum* terrestrium, sive, qui Dei vice in terris eminenter præsunt, in sacris litteris tantopere commendata, modo perfectissimo, id est, sic interpretanda sit, sicut Deus ipse in exemplis non eorum modo, quos suapte voce ductuque singulari ac extraordinario ad regium munus destinavit formavitque, sed omnium deinceps per tot sæcula regum, non minus efficaciter quam perspicue ostendit. Ne dicam de ipsius sanctissimi Servatoris nostri doctrina exemploque: qui cum regum auctor & rex sit, optime regia bona & jura censendus est explicasse. Notum est celebre, ac multæ collectionis oraculum, quo *Cæsari reddenda, quæ Cæsaris sunt*, monuit: ut Deo Cæsarem conjungeret pariter ac subjungeret; neque subjungendo tamen minus quam conjungendo, eminentiæ quandam communionem denotaret. Jam autem, quam illustre est, quod, cum in terris ageret, auspicia & majestatem ejus honoravit, cui ipse auspicia & majestatem dederat; adeoque sua in Cæsare munera ac imaginem aliquam ratione quadam (personæ scilicet ejus officioque consentanea) recognovit? Pertinet huc illud *Corippi Africani in laudem Justini Imp. lib. 2.*

Rom. 13. 1. Petr 2. Ps. 82. Exod. 22. 28.

Matth. 22.

Terrarum Dominis Christus dedit omnia posse.
Ille est omnipotens: hic omnipotentis imago.

Hæc, inquam, quia alibi excutiuntur amplius, non tractamus hac vice: sed ideo tantum attingimus, ut moneamus; *eadem colligendi ratione ac ἐνεργείᾳ ad vim auspiciorum, quam nunc quærimus, ex his & similibus locis exemplisque argumenta deduci posse, quæ ad ceteram majestatis vim & sanctitatem probandam, ab aliis, qui recte & satis reverenter de summis imperiis statuunt, deduci consueverunt.*

Certe res ipsa tam validis nititur rationibus, ut ethnicorum quoque cordatiores non aliunde, quàm à DEO, quidquid singulariter in regibus excellit, repetendum viderint. Quorum non generales modo super hoc argumento sententiæ atque placita, sed quædam reconditioris scrutinii dicta extant. Ad quorum sensus penetrandos, necesse est aliquid de communioribus præmittere, atque ita veluti per gradus incedere. Dari ergo regna & reges à Deo, cujus in hoc negotio peculiaris cura vertatur, consensu credidere. Hinc illud Imperatoris Titi apud *Suetonium*: *Principatum fato dari*. Et apud *Homerum* in descriptione regis ponitur:

Tit. 3.

Iliad. β.

—— ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον.
—— *cui sceptrum dedit sagacis Saturni filius*

i. e. Jupiter. quem locum eo nomine laudat ac explicat *Dion Chrysostomus*, *oratione de regno tertia*. *In Ægyptio suo* (opus *de providentia* intellige) ponit *Synesius*: *apud Ægyptios, reges à Diis constitui*. Qualia ut cumulemus non opus est; obvia quippe & aliis notata.

Hinc nascitur, quod amplius dicunt: *Deum per unum* (exempli gratia, per regem, quem aliis præfecit) *multis providere*; sicut in eodem opere disputat *Synesius*. Nempe ut in rege exprimatur imago Dei, sive, *ut rex sit imago Dei*: *εἰκὼν θεοῦ τοῦ πάντα σώζοντος*. Ita enim vocat regem lex Persica, quam laudat Artabanus *in Plutarchi Themistocle*; cum ait; apud suos lege optima præcipi, *regem venerandum, ut Dei cuncta sospitantis effigiem*. Hæc sunt nimirum illis consentanea, quæ ex nostris etiam plerique tradiderunt. *Ambrosius*, *reges* dicit *imaginem Dei habere, ut sub uno sint ceteri*. itemque: *Principem vicem Dei agere*. ne plura nunc accersamus. Atque hæc est una pars, ut sic dicam, *imaginis illius divinæ*: alteram, *in virtutis divinæ imitatione* constituunt: Regis proprium characterem ponentes, si Deum imitetur. de quo argumento *Synesius* & *Dio Prusaensis*, *orationibus de regno*, itemque *Platonici*, studiose philosophantur.

1. de Prov.

In epist. Rom. 13.

tur. In *jure Græco-Romano*, *dicitur* κιβδηλεύειν τὸν βασιλικὸν χαρακτῆρα, *regiam notam adulterare*, *qui à virtutum studio*, in quo imitatio illa Dei versatur, & imago Dei quæritur, *degenerat*. quod postea in *Leonis & Constantini* ἐκλογῇ νομίμων, repetitur. Neque sane profundior ratio est loquendi de virtutibus regiis, aut interpretandi ea, quæ passim vel ab ipsis Imperatoribus magnifice in hunc sensum edictis publicis præscribuntur, vel ab aliis varia occasione commendantur: *ad divinam scilicet illam imaginem in Regibus*, de qua nobis sermo, cum significatu eminente, præcipue referri possunt ac debent. Est & *tertia* hujus imaginis explicatio: quam ab *ipsa regii operis vi possumus repetere ac amplitudine*; *quæ in omnia diffunditur*. Id quod splendide, sub exemplo Persici regis declarat *Auctor libri de Mundo*: ubi, cum de dispositione regiorum ministeriorum ad rerum gubernationem ordinata prædicasset, denique addit: ὡς ἂν ὁ βασιλεὺς αὐτὸς δεσπότης καὶ θεὸς ὀνομαζόμενος, πάντα μὲν βλέπει, πάντα δὲ ἀκούει. nempe per tot *illa officiorum genera rex ille ab hominibus Deus credebatur*, *cum omnia*, *quæ ubique gererentur, ille otacustarum relatione discebat*; qui propterea *aures regiæ* & *imperatoris oculi* vocabantur, sicut *Apuleius* amplius explicat: qui totum Græci Auctoris locum, *in libro ejusdem argumenti* Latinum fecit. Pertinet huc elegantis sententiæ versus:

tom. 1. l. 2. de offic. & desiner. imper.
tom. 2. p. 83.
cap. 6.
lib. de mund. adde Pollux. 2. 4. 17.

Rex quivis est Briareus, rex quivis Argus est.

Fuerit ergo rex imago Dei, *dignitate muneris*, *præcellentia virtutis*, *vigore gubernationis*. quod postremum deinde considerabitur. posset illud, qui concisius agere amat, etiam ad primum referre; quatenus in munere regio, non tantum providendi omnibus dignitas, sed occupationes quoque & vis providentiæ talis comprehenduntur: sed, ni fallor, aperta est distinctionis, quam admisimus, ratio.

Vidimus hactenus, quomodo divinitatem Regum à Deo, *tanquam regiæ majestatis auctore & archetypo*, arcessant Prudentes: nunc ad ea veniendum est, quibus *secretius quoddam Dei cum Regibus commercium* voluerunt insinuare. *Plato* huc refert fabulam de Minoë, quem novem annis audi-

Odyss. τ. torem Jovis ac discipulum fuisse, *Homerus* tradit: vocans eum, Διὸς μεγάλου ὀαριστὴν *magni Jovis familiarem*, sive συνουσιαστὴν ἐν λόγοις, *quem Jupiter colloquio & contubernio dignaretur.* Quo figmento nihil aliud notari, quam disciplinam Jovis regiam, qua Minoën ad excelsas regni præclare agendi, ac divinarum imitatione virtutum ornandi curas instituerit;
in Minoë. *Plato*, ut cœpi dicere, atque ex eo vetus *Homeri Scholiastes* monent. A qua mente non abludunt forte, quæ *Synesius*,
2. de Provid. de suo Osiride (boni Principis imaginem figurat sub hujus nominis commento) prædicat: *eum aliquantisper* ταῖς τελεωτάταις τῶν ἄνω θεῶν τελεταῖς, *augustissimis cælestium numinum sacris initiatum, divina mysteria inspexisse.* Unde nimirum tanquam ex origine manare intelligitur, quod postea sequitur: καὶ γέρας ἔσχε παρὰ θεῶν, ἐπιστατῆσαι τῇ πολιτείᾳ, μετὰ συνθήματος μείζονος. *præmium id à Diis assecutus est, ut reip. majoribus præesset auspiciis.* sed de *gradibus* quidem illis *auspicii* regii suo loco agetur: nunc ad commercii divinioris fabulas redimus. In quibus (sunt autem plures id generis) si ex multorum sententia aliquid veritatis & sapientiæ latet, haud dubie voluerunt earum auctores notare: *Regibus quiddam cum Deo arcani esse commercii: quatenus nimirum, tum disciplina regia, divina est, & ad voluntatem Dei exigenda; tum consilia & cogitationes regiæ à Deo subministrantur subinde ac diriguntur.* Quæ sicut veræ sapientiæ sunt consentanea (nam Deus non modo Solomoni, conjunctioris cujusdam gratiæ exemplo regiam sapientiam dedit; & Davidi aliisque per inspirationes, responsa, oracula, colloquia regiarum curarum viam
Prov. 21. interius demonstravit: sed in universum *Cor Regis in sua manu* tenet (id quod de *divina quadam manuductione*, θεία χειραγωγία, etiam *Basilius* accepit) ita difficile fuit ethnicis, propter veri numinis ignorationem talia eloqui, aut interpretari, aut quousque pertingant, discernere. Hinc est quod passim, *de mysteriis Deorum & sacris in vulgus non efferendis*, quasi cum horrore pronuntiant. à quibus ineptiis cum recessere, ad profundiora argumenti mysteria, & humanam ignorantiam rectius pleraque referunt. Poteritque
orat. de regn. jam inter cordate dicta admitti illud *Synesii*: τὸ θεῖον ἀῤῥή-

τοις

τοῖς συναφαῖς βασιλέα ἑαυτῷ δι οἰκειοῦσϑ. *quod Deus pium Principem ineffabili quodam necessitudinis atque conjunctionis genere, sibi conciliare soleat & admovere.* quanquam, quid pietas Dei conciliatrix esset, tum temporis adhuc vir sapientissimus ignoravit. Opere pretium fuerit, videre iterum *Homeri Scholiasten* ad augustum illud epitheton, quo Poëta Reges Διοτρεφέας, *à Jove educatos* nominat; quasi τοὺς τῶν Διὸς τῇ γνώμῃ τεθεαμμένους: eo quod proximo quasi vinculo à Jovis cura consilioque dependeant Reges, & ex eo proveniant, sicut ab Apolline Poëtæ ac Musici. Quo loco adducta etiam *Hesiodi* auctoritate, interpretationem paulo liberalius ad originem Regum, de qua antea diximus; ad commercium, de quo loquimur; & ad tutelam, de qua mox agendum erit, porrigere videtur. Conferri debet notabilis *Themistij* locus: οὐκ ἐτὸς ἄρα καὶ ὁ τῆς Καλλιόπης χορὸς οὐ παύεται ἀνακαλῶν τοὺς βασιλέας Διοτρεφέις τε καὶ Διῒ μῆτιν ἀταλάντους. *non frustra igitur Poëtæ, Calliopes filii, Reges à Jove nutritos, Jove genitos, Jovi consilio pares prædicare solent.* Adde similia, & propius huc facientia *ex oratione ad Valentem Imp. de moderanda victoria*, itemque *ex oratione ad Valentinianum.* Iliad α. grat. act. ad Constant.

Præter secretum illud Dei cum Regibus commercium, etiam *providentiam divini Numinis & curam pro regibus singularem* agnoverunt, qui, quantum in Regibus divinitatis esset, speculati sunt. Notum est illud *Theocriti*: Eidyll. 17.

——— Διῒ κρονίωνι μέλονται
αἰδοῖοι βασιλῆες.
Cura Jovi summo est venerandi maxima Regis.

E cujus Philosophiæ sententia *Themistius* non exiguum panegyricæ eloquentiæ splendorem mutuatur: ὅτι πανταχοῦ τοῖς ἔργοις τοῦ βασιλέως τὰ σύμβολα ἐπίκειται ἐκφανῆ τῆς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προμηϑείας. *quod nimirum cælestis providentiæ manifesta ubique in imperatoris actionibus signa appareant.* Sive, ut alibi diserte reperit, ὅτι καὶ ϑεοφιλεῖς ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς βασιλέας, ἅμα τῇ πρώτῃ γενέσει. *quod necesse sit caros esse Deo Reges à primis incunabulis.* ita enim propius reddi debere ϑεοφιλεῖς, quam religio- Orat. ad Constant. Orat. ad Valent.

ligiosos & Numinis amantes, ſicut doctiſſimus *Georgius Rennus* autumavit, quæ cohærent facile affirmant. Atque hæc cura Dei circa Reges, non ad ceteras tantum regias actiones, ſed ad pericula inſuper profliganda eximie pertinet. unde rurſum, cum majoribus Oſiridis auſpiciis hoc *Syneſius* conjungit: ὡς κρείττων ἀποδειχθῆναι τοῦ παρὰ ἀνθρώπων τὶ πάσχειν, *quod præſtantiorem eum ac majorem Dii fecerint, quam qui ab hominibus violari poſſet.* *Panegyriſta* autem *Trajani*, argumento depulſi periculi, Principem ſuum *in peculiarem Jovis tutelam receptum* probat. E Chriſtianis ſcriptoribus huc reſpexit *Nicetas Choniates*, cum de Manuele Imp. ex ipſis exitii faucibus erepto ſic ſcribit: καὶ οὕτω παρὰ δόξαν τὰς τῶν βαρβάρων διέδρα λαβὰς, ὑπὸ Θεοῦ φρουρηθεὶς, τοῦ καὶ ἐπὶ κεφαλὴν πάλαι Δαβὶδ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου ἐπισκιάζοντος, ὡς αὐτὸς φησιν ὁ φιλόψαλμος. *Atque ita præter opinionem, barbarorum manus effugit, cuſtoditus à Deo, qui & olim in die belli Davidis caput protexit, ſicut ipſe in Pſalmis ſuis teſtatur.* Inter recentiores, *Alphonſi Regis* dictum celebratur: *Regum animas non privatorum libidini ſubjectas, ſed ſub Dei cura & tutela ſacras lætaſque agere.* Illuc etiam *divinos monitus, & præſagia de imminentibus periculis, & admirabiles inſidiarum revelationes* cum ſimilibus, referri par eſt. in quam ſententiam alibi laudavimus illud *Apollonii Presbyteri*:

2. de Provid.

Plin. paneg. 94.

lib. 6. Annal. Imp. Man.

Panorm. 1.

lib. 1. excid. Hieroſol.

— Sunt maxima cordi
Regno DEO, donatque aliquid plus ille tyrannis
Conſilii, quam privata ſit mente repoſtum.

Ligurin. lib. 4.

De inſidiis Cæſari Friderico ſtructis, *Guntherus* notanter ſcribit:

Non tamen occulti potuerunt fallere Regem
Inſtrumenta doli: cæleſtia pectora ſane
Nil tranſire poteſt.

Spectat Principes ex alto rerum arbiter Deus, & quantumvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſe totam ſervatura divinitas: ut illud *Nazarii* huc referamus.

Panegyr. Conſtant. cap. 7.

iamus. Non possumus committere, quin huc apponamus verba magni Theologi *Gregorii Nazianzeni*, quibus de jam dictis pleraque comprehendit, *orat.* εἰς ἑαυτὸν, καὶ πρὸς τοὺς λέγοντας ἐπιθυμεῖν αὐτὸν τῆς καθέδρας Κωνσταντινουπ. Ita autem loquitur: οἱ βασιλεῖς αἰδεῖσθε τὴν ἁλουργίδα· νομοθετήσει γὰρ καὶ νομοθέταις ὁ λόγος· γινώσκετε ὅσον τὸ πιστευθὲν ὑμῖν· καὶ τί τὸ μέγα περὶ ὑμᾶς μυστήριον; Κόσμος ὅλος ὑπὸ χεῖρα τὴν ὑμετέραν διαδήματι μικρῷ καὶ βραχεῖ ῥακίῳ κρατούμενος· τὰ μὲν ἄνω, μόνου Θεοῦ, τὰ κάτω δὲ καὶ ὑμῶν· Θεοὶ γίνεσθε τοῖς ὑφ' ὑμᾶς, ἵνα εἴπω τι καὶ τολμηρότερον· καρδία βασιλέως ἐν χειρὶ Θεοῦ καὶ εἴρηται καὶ πιστεύεται· ἐνταῦθα ἔστω τὸ κράτος ὑμῖν, ἀλλὰ μὴ τῷ χρυσῷ καὶ ταῖς φάλαγξιν· *Vos Reges reveremini purpuram (nam & legum conditoribus hac oratio legem dicet) agnoscite, quantum sit, quod vobis commissum est, & quod sit ingens illud circa vos mysterium. Totus vobis orbis subest, parvoque diademate ac brevi panno continetur. Superna quidem, solius Dei; inferiora vero, etiam vestra sunt. atque, ut aliquid audacius dicam, Dii estis facti civibus vestris. Cor Regis in manu Dei, & dicitur & creditur. Atque hinc robur vobis, non auro & militum copiis, nascitur.*

Sunt & alia *Providentiæ divinæ consilia circa Reges & regna*; quibus *auspicium regium* non parum illustrari queat: sed brevitati studentibus non est in infinita egrediendum. Haud dubie enim fatum & fortunam Regum Principumque singulariter à Deo gubernari intellexit *Nicephorus Gregoras*, cum occasione memorabilis exempli ita philosophatur: ὥστε καὶ θαυμάζειν ἔπεισί μοι τὴν ἀνεξιχνίαστον τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν, πῶς κἀκ τῶν ἄκρων ἐναντίων ἓν ποιεῖ συνάγεσθαι τέλος. ὁπόταν γὰρ ἐναντιουμένας ἀλλήλαις δύο τινὰς ἐπαρχίας συνίστασθαι καὶ ἄμφω βούληται, καὶ μηδετέραν παρὰ τῆς ἑτέρας κινδυνεῦσαι, δυοῖν οἰκονομεῖ θάτερον, ἢ γὰρ μεγαλογνώμονας καὶ σπουδαίους ἑκατέραις τοὺς ἀρχηγοὺς ἱδρύεσθαι καὶ ἐφιστᾷ, ὡς ἂν κατὰ ἀντιπερίστασιν παρ' ἑκατέρων τὰ ἑκατέρων ὁρμήματα θραύηται, καὶ ἀνενέργητα διαμένῃ, καὶ τ' ἀσφαλὲς οὕτωσὶ τοῖς τόποις διασώζηται· ἢ καὶ ἄμφω τοὺς ἀρχηγοὺς ὀλιγογνώμονάς τε καὶ ἀσθενεῖς, ὡς μηδέτερον καθ' ἑτέρου κινεῖσθαι δύνασθαι, μηδ' ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, καὶ συγχεῖν τοὺς ἀρχαιοτέρους τῶν ἐπαρχιῶν ὅρους· καὶ οὕτως ἐξ ἀμφοτέρων τῶν ἄκρων ἐναντιωμάτων μίαν ποιεῖσθαι ἀσφάλειαν. *Subit mirari impervestigabilem Dei providentiam, qui res inter se adversissimas*

ſimas ad unum deſtinat finem. Quando enim duos populos aut Principatus vult ſimul ſubſiſtere; neque alterum alteri ſervire, tum ex duabus rationibus alterutram tenet: aut enim utrique regno magnanimos ac induſtrios rectores conciliat ac præponit, ut mutuo oppoſitu alter alterius molitiones evertat, ac inefficaces reddat, atque ita ſecuritas nationibus ac locis conſervetur; aut utrobique præſides imponit nec animo acres nec opibus validos, ut neuter adverſus alterum aliquid movere, & plus ultra ire, vetereſque imperiorum limites convellere queat. Atque ita ex duabus rebus ſumme inter ſe adverſis unam utrobique ſolet ſecuritatem redigere. Verba egregiæ obſervationis, è recentioribus confirmat *Thuanus.* cujus, in apparatu hiſtorici operis, de temporum regnorumque, qualis tum erat, ſtatu, præclarum eſt judicium: *Ita divino conſilio proviſum arbitror, ut tot magni Principes eodem tempore orbem terrarum moderarentur, ut quiſque eorum æmulatione aut metu æmuli in officio ſe contineret, & alterius virtus contraria alterius virtute, quo minus licentioſa evagatione ſe effunderet, inhiberetur.* Hæc, præter alios uſus, etiam eo valere debent, ut animadvertamus, regum fata actuſque peculiari Providentiæ οἰκονομίᾳ & moderamine contineri, eamque partem divinitatis cujuſdam eſſe, quæ in regno & regiis auſpiciis quæritur. Lubet adjicere, quæ apud *Firmicum* legas: *Imperator ſtellarum non ſubjacet curſibus, & ſolus eſt, in cujus fato ſtellæ decernendi non habent poteſtatem. cum enim fuerit totius orbis dominus, fatum ejus Dei ſummi judicio gubernatur.* Quæ licet ſcorſum aliter examinari poſſint, nunc illud tandem oſtendere debent: auſpicii imperatorii ſenſum eatenus penetraſſe in hominum animos, ut omnes intelligant, ſingularem eſſe Dei circa ſummarum poteſtatum fata curam ac proviſionem: quod hactenus toties monendum fuit. Quocirca genethliacorum, etiam privatæ ſortis fata ſatis temerarie, ac interdum impie, aſtris alligantium, geminatur protervia, cum in tam ſecretas Dei pro regibus & de regibus deſtinationes involant.

lib. 1. [margin, beside "giæ observationis"]

lib. 2. Matheſ. [margin, beside "quæritur"]

Eundum nunc eſt ad cetera, quæ in deſcriptione noſtra poſuimus. Hanc enim à Deo adjunctam regibus auſpiciorum vim, muneri actuique regio diximus conciliare

liare *propriam* quandam fortunam & ſanctitatem, cum ceteris, quæ ſingillatim deinceps conſideranda ſunt. *Proprium* aliquid & *ſuum* hic regibus aſſignari, jam ante vidimus, & ſub finem hujus capitis denuo noſcitabimus. Quod non tantum *de Heroico auſpicio* accipiendum eſt, cum ad Regium accedit: ſed univerſe *Regio muneri actuique*, quatenus divinam in terris vicem præſtat, accommodari debet. Fit non raro, ut qui regium munus nomenque gerunt, homines ſint in omnem depravati turpitudinem, neque quidquam ſane divini præ ſe ferentes. quorum labes ac vitia, non debent cum ipſa muneris ſanctitate confundi. id quod præclare monent *Chryſoſtomus, Theophilactus*, alii. Munus ſemper divinum eſt; neque regis, cum regnat, alia eſt quam divina occupatio: ſed cum muneris formulam egreditur, cum regnum in dominationem vertit, vim facit auſpicio, quod accepit, & violat primus ſanctitatem, quæ apud omnes eſſe inviolabilis debebat. Non tamen propterea in tantum ſequeſtranda eſt muneris ipſius veneratio, ut ſtatim contemni aut impugnari poſſit, qui indignis munere moribus utitur. Quæ enim alia promptior ad ſeditiones via eſſet? Multa hic ſibi Deus reſervat: qui ſuam ordinationem, ut cum Sacris literis loquamur, in qualicumque rege, dum modo rex ſit, vult honorari; neque vindictam, ſibi ſoli reſervatam, privatis attrectari manibus patitur. Quæ quæſtio totiens periculoſe agitata, utinam moderatioribus animis ac rationibus definita eſſet. Præter enim regna, quæ jus imperii cum ordinibus participant, in ceteris aſtrictiora obſequii vincula & ſanctiora ſunt, quam ut ſolvi argutiis, aut ferro rumpi debeant. Quo nomine commendari meretur *Hugonis Grotii* prudentia, qui in tempore ſane, & graviter compeſcuit nimiam in hoc argumento philoſophandi lubidinem: quæ ſæpius affectibus & cauſæ ſuæ, quam publicæ tranquillitati ſeruit. Non ſum ex iis, qui tyrannidis excuſationes adornare, inter artes obſequii numerant: & ſcio exempla eveniſſe, ac evenire poſſe, quæ communibus regulis concludi nequeant: ſed cavendum religioſe eſt, ne quis ultra peram ſapiat.

In c. 13. ep. Rom.

Vid. Thuan. 53. & 57.

lib. 1. de jure belli, c. 4.

Sed ut in viam redeamus, ab auspicio regio est, illa *fortuna* & *sanctitas*, de qua cœpimus dicere. *Sanctitatem Regum* disertis verbis commendat Julius Cæsar apud *Suetonium*. Et M. Tullius non uno in loco *regale nomen magnum & sanctum* prædicat. *Semper in hac civitate* (inquit alicubi) *regium nomen sanctum fuit: sociorum vero regum & amicorum sanctissimum*. Nec *Sallustio* indicta *Sanctitas regii nominis*: ne alios nunc adhibeamus. *Sancti* scilicet sunt Reges, ut eximie colantur: *Sancti*, ne ullatenus violentur: *Sancti*, ut cultum & inviolabilem sanctimoniam, ex se tanquam ex fonte in regii muneris instrumenta queant derivare. Hinc plerisque gentibus honorata omni obsequio regum majestas, ritusque *venerandi* & adorandi in oriente receptus: quem nonnemo apud *Curtium*, *pium* & *prudentem* vocat. Hinc *leges* præcipuæ sanctitatis quæ & famam regum à probris, & vitam ab insidiis vindicant. Pertinet huc *Platonis* monitum *in Minoë*: *ne divinos homines violemus*. Et in ipsis *Sacris literis*, *ne cogitationibus quidem maledicendum regi*, præcipitur, adjecta gravi & ad institutum nostrum accommodata ratione. Sed nec *sacri Canones* obiter inculcant sanctitatem regum nullis dictis factisue injuriosis temerandam. Quid de ipsis *legibus majestatis*, quas vocant, dicam; quæ *impietatis in principem* (ita enim appellatur) crimina vindicant? Hinc oritur denique illa sanctitatis opinio, quæ Principum *statuas* pro asylo habet; quæ *familiam* Principalem fulgori principatus illigat; quæ *consistorianos & viros illustres & consultores* Principum, partem corporis Principalis constituit: quæ *legatos* Principum, sanctitate dominorum metitur. Namque, ut hoc ex occasione obiter moneam, ad *sacra legationis & legatorum sanctimoniam* penitus explicandam, non tantum jus gentium, & quæ ex ejus auctoritate oritur, sanctitas adhiberi debet; sed insuper *auspicii regii & imperatorii religio*, quæ juris illius rationem ac vim confirmat. Sancti nimirum sunt legati; quia à sancto mittuntur; quia referunt mittentis auctoritatem, quia insigniti sunt sanctitatis imperatoriæ *symbolis*. *Synesius* etiam inde auget sanctimoniam legationum, quod per

Jul. c. 6.
orat. pro L. Man. cap. 9.
pro Dejot. c. 14. in fragm.
8, 5, 11.
Eccl. 17.
Can. A. 84. ubi Zonar. & Balsam.
Tac. 6. A. 47. 3.
Dio 47. p. 696.
Tac. 3, 36.
Tac. 3, 22, 2.
L. Quisquis Cod. ad L. Jul. Maj.
Tac. 1. A. 42, 3.
Orat. de regn.

eas

eas Reges sui auspicii vim, efficaciam, opem veluti divino munere usquequaque dispensant. Herodes apud *Josephum* ex ipso communi legationum argumento ac fine colores figurandæ hujus sanctimoniæ petit. Sed hæc, ut diximus, ἰδὲ πάρεργον. Ceterum, quoniam ea, quæ de sanctitate Principum Regumque notanda sunt, non tantum in hunc locum concludi debent, sed per totius auspicii regii & majestatis amplitudinem diffunduntur, rectius postea explanabimus, quæ ad usum abusumque hujus argumenti pertinent, ubi *descriptionis* nostræ formulam percurrerimus.

ἀρχαιολ. 15, 8.

In qua, de *Fortuna regia* sequitur; quam ex auspicio regio solent scriptores deducere. Imperia constitui μετὰ δαίμονος τ' ἀγαθοῦ κ̀ τύχης ὁμοίας, *assistente quasi bono Genio, & simili Fortuna*, notabiliter est à *Dione Chrysostomo* dictum. *Fortunam imperii, & populi Romani* ad magnorum operum spem & successum videas accommodari apud *Tacitum*: qui & *vim Romanam*, ut existimo, aliquoties non tam de potentia, quam de *felici illa & auspicata & regnatrice potentia*, non sine valida vi significandi usurpat. *Fortuna populi Romani vincit foris hostes*, quod *Justinus* sub exemplo superatæ Macedoniæ ostendit: *Fortuna populi Romani & averruncator nefandarum molitionum Jupiter*, domi coërcet impios, sicut *Livius* jactitat, in historia conservatæ ex servili conjuratione urbis. De *Fortuna Atheniensi* magnifice *Demosthenes*: τὴν Ἀγαθὴν τύχην ἐν τῇ πόλει εἶναι τῇ παρ' Ἀθηναίοις, *Bonam Fortunam* agnoscit *Cicero*: ac de *Cæsarum fortuna* Auctores passim testantur. *Fortunam Alexandri* vicisse hostes, providisse suo regi, consilia ei subministrasse, adversariis eripuisse, totiens *Curtio* memoratur. Apud *Tacitum* Principalis fortunæ auspicium in potissimum consilii argumentum valet apud eos, qui *fortunam & Deos & numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus testabantur*.

Orat. 3. de regn.

3. *H.* 46. 4.
4. *H.* 57. 2.
13. *A.* 54. 2.

30. 4. 16.

lib. 4. *c.* 45.

Epist. 4.

Orat. pro L. Man cap. 16.
Charact Velles. 2, 17. & *seq.*

2. *H.* 33. 2.

Atque hanc *Fortunam Regum* ethnici *Deorum Regiorum ac Principalium* nomine signabant. Licet enim illi *Dii* totum auspicium regium aliquando signent, præsertim tamen *fortunæ divinitus adjunctæ* respectu, de qua nunc agimus, ea loquen-

loquendi ratio inualuit. Apud *Herodotum* Cambyses suos,
in Thal. ut mandata postrema servarent, per *θεοὺς βασιληΐους*, *regios Deos*, adjurat; quos vindices aut remuneratores invocat, prout mererentur Persæ. Ea precatio ad confirmationem imperii spectabat: longo post tempore de transferendo in neminem alium, nisi in Alexandrum, imperio, Darius Jovem Persarum patrium numen & *βασιληΐους θεοὺς Deos re-*
Orat. 2. de fort. Alex. M. lib. 11. 15. 10. *gales* appellavit. sicut *Plutarchus* cum *Justino* testantur. Sed & *Dii Majestatis regiæ ultores* apud eundem *Justinum* memorantur. *Deos præsides imperii* Romani passim jactant, nomi-
10, 2, 5. Sid. Plin. Pan. 94. Vellei 2, 131. nant, invocant Scriptores. *Deos Cæsareos* magnifice appellat *Ovidius extremo transformationum opere*: ubi præsertim Dii Romani imperii custodes, *Cæsarei* fiunt, ut sic dicam, interque Cæsareos Penates omine & significatu auspicii imperatorii collocantur. Quibus scilicet tuentibus ac faventibus, imperanti salva constet majestas; recedentibus autem ac indignantibus, pereat. Igitur, *transferente Fortuna*
4, 3, 7. *imperium* (libenter nunc ita cum *Floro* loquar) à Galba ad Othonem; frustra scilicet Galba, sacris & suppliciis *fatigasse alieni jam imperii Deos*, subtiliter & notabiliter dicitur,
1. H. 29. 11. apud *Tacitum*. *Horatii* locus de Augusto *divos suos præbente*
4. Carm. Od. 14. Druso, omnibus in ore est. quem verba *Nasonis* explicent:

2. Trist. *Auspicium cui das grande, Deosque Tuos.*

Pertinet huc, quod numina fortunam statumque imperiorum servantia, excidio imminente, excedere & evocari credebant. Nota est Æneæ vox in Trojano excidio:

Excessere omnes adytis arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.

ubi glossa *Servii*: *quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia.* Hanc ille quidem
3. Saturnal. 9. Camer. cent. 2. 10. Freinsh. & Rader. ad causam adducit: sed *Macrobius*, adjicit alteram, *quod aliter urbem capi non posse crederent*, nisi evocatis tutelaribus Diis, de quo more jam *aliis* actum. Affinis est opinio de *geniis populorum fatalibus*; custodiæ scilicet ac fortunæ imperio-

periorum destinatis. contra quam disputat *Prudentius.* Equidem vanæ superstitionis nomine cum *Arnobio* & aliis merito hic aspernamur gentiles: sed illa ipsa superstitio valide exprobrari illis poterat, in meliore sententia stabilienda, cujus scintillas maluerunt fabulis obscurare, quam fulgorem studio veritatis admittere. Quanquam egregie mitigavit eam *de geniis* opinionem *Dio Chrysostomus; qui oratione XXV. Genios de rectoribus populorum ac principibus* interpretatur. Verissimum interim est, à singulari Divinæ in Regna regesque curæ benignitate proficisci, quidquid est fortunæ, felicitatis, custodiæ, securitatis, imperio rebusque publicis propriæ: quod auspicii nomine hic metimur. Cujus *in imperiis præsentia Dei* (utar nunc verbis *Philippi Melanchthonis*, qui hanc de regnis sapientiam Christiano homine dignissimam diligenter in Chronico suo aliisque scriptis commendat) *signum manifestum est, quod nulla imperia constitui ac teneri possunt sine Heroicis viris: quorum virtus & fortuna sine ulla dubitatione sunt admirabilia opera Dei, idque semper viderunt sapientes viri in republica*: sicut allato insigni *Platonis* loco amplius declaratur. Cum primis autem ex *Annalibus sacris, Psalmis Davidicis, Propheticisque de regnorum fato concionibus* luculentissime constat, *Reges divinitus juvari & impediri, per illos regnorum fortunam attolli, Deo favente; aut repugnante deiici*: & si quæ similia huc faciunt. Sed & Angelorum bonorum ministerio Reges Regnumque à DEO secundari, defendi, muniri, non minus ex Scriptura constat: licet, an certos custodes certis imperiis divina assignarit Providentia, sicut Ethnici de Geniis Imperiorum statuerunt, non perinde liqueat. Atque hæc omnia ita hic intelligi debent, ut peculiarem illum DEI, Regnisque & Regibus proprie destinatum favorem notent, quem hactenus *auspicio regio* signavimus.

Curt. 4. 3. 22. lib. 2. adv. Symmach. Vide Petr. Fabr. Semestr. 1. 9. Voss. Th. gent. 1. 7 & 18.

Loc. de magistr. pol.

ex 4. de Rs

Quocirca non indigna est Prudentum consideratione, illa loquendi formula; quæ fortunam publicam à Principe arcessit, ipsiusque auspicio hominum fata metitur. Inter exquisitas laudes, pie periteque Augusto vectores nautæque motulantur apud *Suetonium: per illum se vivere, &* per

Aug. 98.

per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui. Non minoris gratiæ est *Homeri* philosophia, qui in descriptione boni Regis posuit: quod *sub eo, terra proventu, arbores fructibus, pecudes fœtura, mare piscatu, homines virtutibus, seculi felicitatem juvent ornentque.* Poëtarum quidem figuras, sed non sine prudenti ratione, sequuntur *Seneca & Virgilius*: cum alter spem suam de Nerone, alter de Augusto judicium ita expromit, ut *aurei conditorem seculi* uterque laudet. Hinc illa:

Odyss. τ.

Sen. in ἀποκολοκ.
Virgil. Ecl. 4.

Aurea formoso descendunt secula filo. Et
—— Hoc ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

quamquam propius huc pertinent, & venustius figurantur, quæ subjecta sunt:

At tibi prima puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus:
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsa lacte domum referent distenta capella
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
& mox:
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva.
Et duræ quercus sudabunt roscida mella:
itemque:
— omnis feret omnia tellus.

cum ceteris quæ Augusto naturæ urbisque benignitas largitura memoratur. In quibus, vehementer errat, qui *solam figurarum venustatem* quærit aut attendit: cum figurandi potius ratio (quam in ipsa reconditiore sapientia, summi Poëtarum & oratorum semper quæsivere & invenere) in quæstionem & usum vocari debet. Sed nec *vanæ adulationis* nomine statim ista rejici oportet; quæ ut sæpe miscetur,

ſcetur, ita colores præcipuos ex ſpecie & formula veri mutuatur. Denique, neque ſuperſtitionem, quæ omnia ethnicorum ſcripta inquinat, tam ſecure in præjudicium ubique fas eſt nominare, ut nec reliquias veri à falſo diſcernamus, nec interpretationes haud indiligenter proditas admittamus.

Eant hæc ipſa in exemplum, quæ hactenus exquiſitioris facundiæ prudentiæque nomine commendavimus. Poſſis opinari, cum audis talia Regibus adſcribi, quæ divina ſunt, Reges penitus pro Diis ſuperſtitioſe habitos cultoſq; quod de Ægyptiis videtur *Diodorus* affirmare: neque ſane de abuſu & erroribus hujus rei quiſquam diffiteri poteſt: ſicut poſtea videbimus. Sed operæ pretium interim eſt audire, quomodo talia explicent ipſi gentiles. *Syneſius* enim longe clarius jam philpſophatur, cum *Regi*, quem format, *omnia terra, aëris, aqua munera Deos dediſſe, Regem vero uſum earum rerum populo indulſiſſe, reſervatis ſibi pro communi felicitate curis & laboribus*, pronuntiat. Hic videmus ordinem, & ordinis diſpenſationem, id eſt, rem nobis quidem melius intellectam, illis autem non plane inobſervatam. Quare & Cambyſes, in voti regii (de quo prædiximus) magnificentia, cum naturæ bona opeſque, à ſe veluti polliceri videatur, *Deos regales* tanquam propria & propitia ſibi numina, *ejus rei auctores conſtituit*. Et *Homerus*, de quo ante, non obſcure, Deorum munus, pio ſcilicet juſtoque Principi indulgeri ſolitum, innuit, cum de illa civili felicitate loquitur. Apud Chriſtianos ut profundior hujus myſterii reputatio eſt, ita explicatio certior clariorque. itaque cum de auſpicio regio magnifice, nec raro priſcis ſapientum formulis, loquuntur, duo iſta plerumque ſpectant: ut magnificentiæ ratio ad divinas laudes referatur, & conatus imperfectioris ſapientiæ, meliori interpretatione ſuppleatur emendeturque. DEO haud dubie digna eſt oratio, qua *Syneſius*, jam Chriſtianus Chriſtum compellat:

lib. 1.

lib. 1. de Provid.

Herodot. in Thalia.

Hymn. 5.

Σοὶ μὲν τιλὰν ἱππεύει,
Ἦυς ἄσβεστος παγὰ,
Σοὶ δ' ἁ ταυρῶπις μήνα
Τὰν νυκτῶν ὄρφναν λύει.
Σοὶ καὶ τίκτονται καρποὶ,
Σοὶ καὶ βόσκονται ποίμναι.

Tibi sol equitat, diei perennis fons: Tibi taurina fronte luna noctis pellit tenebras: Tibi nascuntur fructus: Tibi pascuntur greges. Sed cum eadem, ac similia ad Reges Principesque accommodant Christiani oratores ac poëtæ, nihil aliud volunt, quam quod hactenus de auspicio regio, quod ex Deo oritur, ad Deum refertur, diximus. quasi quis clarius ita ageret: *Tibi tuoque imperio, Rex Magne, Deus allucet solem, attemperat sidera, producit fructus, fecundat greges, naturam conciliat. Tua voluit esse primum munera, quæ sub auspicio regni Tui sic in ceteros dispensat.* Hæc & talia non inepte utique congruunt, ad singularem illum Dei in sceptra & sceptrigeros favorem: quo contextum universi sospitat ac conservat. Modus tamen esto in figuris; & cautio in formulis: ne plus verborum inventis, quam sapientiæ mysteriis obtemperetur. Quis enim ferat fastum illum Chosroæ, qui inter titulos regni, & elogia etiam ista nomini suo apponit apud *Theophylactum Simocattam*: ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα, *cum sole exoriens, & nocti largiens oculos?* Non dubitem, adulationem aulicam, sub specie subtilioris de auspicio regio sententiæ, hunc stilum delegisse: sed non tuentur suam elegantiam, quæ Prudentiæ modum egrediuntur.

Histor. Mauritian. 4. 8.

Immoramur forte longius fortunæ Principali sive Regiæ: cujus tamen ne sic quidem, uno claudi loco consideratio debet, si argumenti ingenio, & perspicuitati expositionis serviendum est. Interim, ut pedem promoveamus, nullo præteritorum præjudicio, inter connexa & cognata omnia *efficacia* muneris actusque regii, in descriptione auspicii posita, se nobis offert. Quæ tantum cum fortuna hactenus laudata cohæret, quantum cum *vigore*; de quo

quo adjiciendum aliquid supereſt. Atque hic non omiſerim perfectam illam *poteſtatis regiæ auſpiciique plenitudinem*, quæ in negotia omnia cum ſingulari effectus inſtrumento ſucceſſuque tendit ac pertendit, proviſiones imperatorias præſentiori virtute, abſolutiore arbitrio ordinat; omnia ex ſe diſpenſat, ad ſe revocat. Quam vim & partem auſpicii conſideravit *Tacitus*, ubi Germanicum cum Alexandro *2. A. 73. 4.*
Magno comparat; illuſtriorem comparationis veritatem futuram ratus, *ſi Germanicus ſolus arbiter rerum, ſi jure & nomine regio fuiſſet.* Neque alio argumento utitur *Livius*, cum Alexandri militiam fortunamque ad Romanorum ducum gloriam, quæ ſæpe impedita eſt definiti regiminis limitibus, contendit. Quippe *Reges*, inquit, *non liberi ſolum im-* *lib. 9. c. 18.*
pedimentis omnibus, ſed Domini rerum temporumque, trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur. Eſſe in hac αὐθαρχίᾳ ſive αὐτοτελείᾳ aliquid divinæ virtutis ac efficaciæ, non ignorant ſanctioris philoſophiæ ſtudioſi. Sed & Pythagoricus *Diotogenes* huc alluſit, cum ſcribit: ὁ δὲ βασιλεὺς ἀρχὰν ἔχων ἀνυπεύθυνον, *apud Stob.*
καὶ αὐτὸς ὢν νόμος ἔμψυχος, θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρεσχαμάτισται. *Rex* *serm. 147.*
autem imperium nemini obnoxium habens, vivaque ipſe lex exiſtens, Dei inter homines imaginem refert. Quæ explicatio ſcilicet propria hujus loci eſt, ubi auſpicii regii ad res regendas facultatem non tam cum aliis imperandi generibus comparamus, quam, quid in ea divinum ſit & à Deo datum, exploramus. Quare & ſequentia ita ordinabimus, ut, exempli gratia, *illam in opere actuque ipſo* ἐνέργειαν, qua Reges præpollent, Dei cum Regibus & per Reges agentis virtute metiamur. Tribuit *Curtius Alexandro* ſingularem *in* *5. 7. 1.*
rebus moliendis efficiendiſque velocitatem. Quidni efficax eſſet ejus manu[illegible] quem Deus apprehendit; ejus expeditio, quem Deus præcedit; ejus victoria, cui Deus vectes confringit, turres proſternit, urbes aperit? Hæc enim, ſicut in Davide aliquo, *cujus manum Deus peculiariter pugnare do-* *Ps. 18. 35.*
cuit, ſublimiori quadam proprietate vera ſunt: ita nec in C[illegible] ſuam ſignificationem, aut in Alexandro, perdunt; ſicut Prophetica nos oracula monent. Cernitur hæc au- *Es. 45. 1.*
ſpicii imperatorii efficacia, ſive *præſentia* Principis animos

aspectu recreat, opus auctoritate promovet urgetque; sive *absentis* quoque nomen, memoria, fortuna rebus patrandis intervenit. Prudens est Memnonis præcipui Persarum ducis apud *Arrianum* ratiocinatio, dissuadentis congressum

Lib. 1. prælii cum Alexandro in Asiam advecto, quia *Dary absentia Persas timidiores, Alexandri præsentia Macedonas præstitura esset fortiores.* Et ille ipse Alexander sicut præsens erat potentissimus auspicio, ita pro absente quoque fortuna

Curt. 3, 13, 4. transegit. Unde Parmenio *felicitate sui regis fretus* pericula profligat: aliique duces *fortuna partium*, id est, absentis

4, 1, 35. quoque imperatoris auspicio & victrici efficacia juvantur, neque operis tantum patratio, sed consilia quoque patrandi aliquid ex vi auspicii trahere creduntur. Principis fortuna & majestas immittit & quasi inspirat, ut sic dicam, ministris consilia agendi & momenta conficiendi. quod ipsum præter cetera, in mente habuit *Tacitus*, cum supra *auspiciis consilia* conjunxit: & *Horatius*, loco itidem laudato, Drusum vicisse ait, *Augusto copias, consilium, & suos divos præbente.* Quæ si clarius & ad normam sanioris sapientiæ explicanda sunt, ita accipi debent: ut DEUS, tum ipsis Principibus, tum ministris eorum propter Principes & Principatum, interdum profutura regno consilia, rationes victoriæ, fugam periculorum, non semper eodem modo, eademque commercii necessitudine, sed tamen ostendat concilietque, atque ex diverso hostibus eorum consilia

Pan. VI. c. 2. eripiat. Valde delicata & elegantia sunt illa *Panegyristæ ad Constantinum: Quisnam te Deus, quæ tam præsens hortata est majestas, ut omnibus fere Comitibus & Ducibus non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra haruspicum monita, ipse per temet liberandæ urbis tempus*

cap. 4. *venisse sentires?* Et mox: *dic quæso, quid in consilio nisi divi-*

cap. 15. *num Numen habuisti?* Neque minus erudita sunt, quæ de adversario Constantini sequuntur: *non intelligebat majestatem illam urbis, quæ pridem admotos exercitus solicitaverat, jam flagitiis ipsius deformatam, & sedibus suis pulsam ad tua auxilia transisse.* itemque: *sed divina mens, & ipsius urbis æterna majestas nefario homini eripuere consilium.* Quæ de *impetu Heroico*

ad

ad hanc auſpicii efficaciam non obiter pertinente, itemque de *celeritate* & *vigore* alibi diximus, non lubet repetere, aut amplificare. Addendum aliquid eſſet, quantum ſit in majeſtate auſpicatæ efficaciæ ad ſublevanda mala publica, & res mœſtas; pleriſque populorum *ſuetis adverſum fortuita aſpectu Principis refoveri*, ſicuti de Romanis eſt apud *Tacitum*: ſed illuſtravit illum locum abunde *Janus Gruterus* peculiari diſſertatione. Nos in tranſitu, nihil aliud quam Criſpini illud ad ea, quæ diximus, accommodamus: ὅτι τῦ βασιλέως μὲν καὶ τὸ βλέμμα ἀρκεῖ μόνον. *Regis vel ſolus ſæpe aſpectus ſufficit.*

Charact. Nil. lec. 2. 63. & ſeq.

15. A. 36. 4.

ap. Stob. 148.

Vigorem auſpicii regii, licet à prioribus uſquequaque vix diſtinguas, nunquam certe divellas, ſeorſum tamen conſiderant in *diffuſa longe lateque majeſtatis amplitudine, veneratione, gratia, virtute.* Itaque nec ſanctitas hic abeſt, quæ per vigorem ſe diſpenſat, ſæpe etiam ſub vigore inſinuat: nec fortunam crebrius quam ex hoc comite agnoveris aut æſtimaveris: efficacia autem ipſa tam eſt intime cognata vigori, ut hunc non immerito efficaciam dixeris ſtrenue ac diffuſe explicatam, & in corpus regni plene permiſſam. Scilicet auſpicium regium ubique adeſt, intereſt, penetrat, vegetat, animat, ornat, illuſtrat. Sed age, interpretentur nobis hujus vigoris indolem, qui eloquentia judicioque præpollent. *Animam & Spiritum* in exemplum vocari videmus, cum de hoc argumento ſermo eſt. *Unum imperii corpus unius animo regendum*, Galli apud *Tacitum* ſententia eſt: & *Florus*, *unius præſidis nutum, quaſi animam & mentem imperii* deſignat. Nimirum tota civium *multitudo unius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur.* hic eſt *ille ſpiritus vitalis, quem tot hominum millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur*, interprete *Seneca*. Cui memorabilibus ſententiis ſuccinunt præclariſſimi quique Scriptorum. Quibus & alio ſimulacro *vigorem iſtum* declarare mos eſt. Quippe *Solis*, ac *præcipuorum ſiderum* beneficam & in cuncta liberaliter permiſſam vim ſignantiori expreſſione huc adhi-

1. A. 12. 4. 4. 3. 6.

1. de Clem. 3. & 4.

adhibitam passim legimus. Eruditissime facundus est *Plinius*; cum Trajanum suum *velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, & undecunque invocatum, statim veluti numen adesse & assistere*, ait. *Seneca* iterum, Principem populis ut *clarum & beneficum sidus oriri* facit. Et *Synesius* decus satellitii regii eo refert, ut ex ejus conspectu regem colligamus, καθάπερ ταῖς προανισχούσαις αὐγαῖς τὸν ἥλιον, *sicut ex praeeuntibus radiis Solem.* Idem qui *spectaculum majestatis domi forisque praefulgentis; praesentaneam in propinqua, remota opem; multiplicatam in amicorum & adjutorum ministerio consilioque vim*, cum similibus huc facientibus, graphice exequitur *in oratione de regno.* Adulationis aliquid habent, sed de cetero huc proprie tendunt illa *Mamertini*: *siquidem vos Diis esse genitos, & Numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis, quarum infatigabiles motus & impetus ipsa vis divinitatis exercet, quae vos tantis discursibus toto quem regitis orbe deducit.* Non cumulabo cetera, partim *Grutero* etiam collecta, quae Romani imperii vigorem in omnia expeditum, nomen regium in omnia validum, ejusque generis alia celebrant. Reperi ex superioribus aliqua hic possunt; & pleraque in dictis continentur. nisi quod in *vigore* hoc auspicii regii commemorando non praetereunda est mentio, *divinae cujusdam gratiae, quae regias actiones comitatur, & decoris cujusdam singularis venustate commendat.* Vidit & decora sententia notavit *Xenophon in Hierone*: ἐμοί γε δοκεῖ καὶ ἐκ θεῶν τιμή τις καὶ χάρις συμπαρέπεσθαι ἀνδρὶ ἄρχοντι. *Mihi videtur à Diis & caelo quaedam dignitas & gratia comitari virum Principem*: quae scilicet personam actionemque ejus eximie & efficaciter honestat.

Paneg. 80.
1. de Clem. 3. & 8.
Orat. de regn.
Paneg. Maxim. cap. 2.

Ponam nunc unum & alterum exemplum, in quibus *illustria sanctitatis, fortunae, efficaciaeque & venerationis, quae in auspicio regio quaeritur, documenta* concurrunt: sive, ut clarius agam, in quibus *auspicium regium* manifeste ac insigniter se demonstrat. Cum Macedones ab Illyriis bello premerentur, *praelio pulsi* (dicam *Justini* verbis) *rege suo in cunis prolato & pone aciem posito acrius certamen repetivere; tanquam ideo victi fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent*

Lib. 7. c. 2.

fuissent; futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant: simul & miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur. conserto itaque prælio, magna cæde Illyrios fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse. Habuit hæc res aliquid superstitionis, sicut merito fatetur *Justinus*, sed orta tamen est superstitio ex opinione populorum gentiumque, quibus regum eximia habetur majestas, prorsumque singularis regni sanctitas: quam recte asseverant, etiam qui non recte explicant. Nec profecto verius aut diligentius de hac victoria loqui possunt, qui causas rerum æstimationesque impensius tractant, quam si *auspiciis regis infantis* eam assignent; cui scilicet Deus hanc militum virtutem, hunc prælii eventum gratificatus est. De cetero utique, non pueritiæ infirmitas, sed *veneratio regiæ majestatis* hic attendi debet, sicut recte *Fredegundis* Macedonici exempli imitatrix, suis apud *Aimoinum* inculcat. *lib. 3. c. 18* Longe illustrissimum est, quod de *Emerico Ungariæ rege* memorat *Bonfinius*. *Dec. 2. l. 7* Adversus hunc Andreas frater impia corripuerat arma; jamque necessitatem belli optimo Principi imposuerat. Facilem meliori causæ victoriam multa pollicebantur: sed Emericus fratrem flecti malebat, quam frangi, multumque à cupiditate victoriæ civili sanguine parandæ abhorrebat. Novum itaque bellandi genus commentus, insignia regni pro armis, auspicii sui majestatem pro munimentis adornat. Constiterat jam utraque acies signumque pugnæ expectabat, cum Emericus depositis armis, remoto stipatorum satellitio, *coronam sceptrumque* gestans, per mediam fratris aciem incessit, hostiumque mucrones tali oratione coërcuit: *Quis tandem erit ille, nunc agite milites, qui sacrosancto Regum sanguini manum injicere ausit? Quis erit, qui Stephani numine in hanc dignitatem assertum lædere cupiat? Et quando omnis potestas à Deo est, quis est denique qui regiam majestatem, vi aliqua fœdare audeat? Quum se ipsi quoque Reges, pensitata dignitate, vel inviti colere ac revereri cogantur. Non Emericus sum, non privatus homo, sed divi Stephani vicarius, pronepos & hæres, publi-*

cam personam gerens; quia non tam vestra suffragia & hereditaria jura, quam Divi, & sacra hujusce corona numen, me Ungaria Regem prastitere. In quem igitur, miseri, arma sumsistis? in mene, an divi Stephani successorem; ac Regem vestrum omnium ordinum suffragio optatum? si in me, quando homo sum, sicarii estis & homicida; si in Regem & Stephani successorem, profani parricida estis, omnibus suppliciis & piaculis obnoxii. Non cum mortali vobis res est, miseri; sed cum eo, cui pra divina dignitate supra mortalitatem aliquid accedit. Sub omnipotentis Dei tutela reges sunt: quorum lasa majestas vix populorum exitio expiari potest. Ego quoque inermis inter infesta arma progredior, quando hac corona data divinitus, ac sceptrum hoc, quod gesto, me inter furentum studia satis tutum efficiunt. Videte quem laseritis, & ne in caput vestrum ac filiorum, sanctum sanguinem haurire videamini, prospicite & considerate. Hæc atque talia, majestatem ipsissimam spirantia locutus, ex hostibus supplices fecit, auspicioque suo sine ferro & sanguine victor, omnium præliorum pariter atque triumphorum gloriam antecessit. Orationem ejus pleramque lubens transcripsi: valde scilicet tum declarandis, tum confirmandis, quæ hactenus diximus, idoneam. Quanquam præter momentum congruentiæ, etiam scripturæ hujus ratio talem commentandi formam nobis imperat. Quod semel propter nasutulos monendum fuit; qui nec genera scribendi, nec consilia discernere norunt: cum interpretis munia professo, non tam continui sermonis delicias sectari, quam obscuritatem argumenti, conducta ex scriptoribus auctoritate, illustrare opus sit.

Atq; ita licebit, ni fallor, intelligere, quid sint *Sacra regni*, quorum veneratione se tueri adversus injusta fratris vim conatur Cotys apud *Tacitum*. ubi interpretum alius *sanctitatē regni*, alius *sacramenta regni* substituit: *Clapmarius* autē per *jura imperii & majestatis* explicat, sive potius ad ea accommodat. Nam *Taciti* sententia, magis singulari significandi genere, ad *inviolabilem regni sanctitatem*, de qua modo Emericum audivimus vaticinantem, & *Deos regia majestatis prasides ultoresque*, de quibus supra, pertinet: sicut rectissime *Freinshemiana*

2. A. 65. 3.

Lib. 1. Arcan. c. 10.

hemiana paraphrasis expressit. Sententia ergo patet: sententiæ ratio, non nisi per ea, quæ hactenus attigimus, evolvi potest. Sed & illud nunc animadvertimus, quam sit graviter dictum, quod ab initio assumsimus: *in summa fortuna pleraque auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.* quasi quis diceret: *imperia & Principatus divino numine constitui & gubernari, Principibus ad gubernandam suæ fortunæ molem divinitus adjungi venerabile per gentes nomen, illustrem dignitatis famam, fortunam agendi, efficaciam penetrandi, vigorem denique imperandi in omnia expeditum, in omnia validum. Hoc esse illud mysterium summæ fortunæ, illud imperiorum munimentum, quod supra armorum potentiam firmum, sine armis victoriam, cum armis armorum regimen, pugnandi vim ac virtutem conciliet dispensetque. Hinc auspicatam consiliorum salubritatem emergere ac dimitti. Non absentiam Principis, non ætatem intercedere, quo minus fata Reipublicæ procedant: quæ ab auspiciis Principum late valentibus, manusque & tela pugnantium etiam ex longinquo moderantibus, suspensa supremus Regnorum arbiter voluit.* Ita enim plenius illam Prudentum Romanorum de initiis Neronis & imperii periculo sententiam, quam ex ipsorum ore Tacitus (securior alias per se profaniorque circa divina interpres) commemorat, enarraveris.

Antequam hanc explicationem finiamus, occurrendum est difficultatibus nonnullis, quæ in auspicii regii dispensatione, statuque, ut sic dicam, & conditione videntur oboriri. Majestati regiæ ita proprium facimus auspiciorum honorem, ut ministrorum sortem plane excedat. *Quomodo igitur*, inquies, *cum ducibus regum fortunam mutatam, ducum felicitate & industria partas victorias, prudentia adjutorum sustentatam pacem, non tantum legimus, sed in ipsa rerum scena videmus?* Rursum autem, *cum ministrorum culpa fortunam rerum sæpe corrumpi, rempub. in pericula aut damna conjici satis constet, quid ita Principibus solis ut omnia prospera, ita omnia adversa tribuunt?* Egit prolixe de illa loquendi judicandique consuetudine *Janus Gruterus*, ad elogium Claudii apud Tacitum: *nihil, regente eo, Reipublicæ triste ab externis accidisse.* 12. A. 3. 21.

Con-

Conqueriturque eo nomine Tiberius: quod cum *recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccetur.* Itaque alii præclare & artificiose auspiciorum decus se tueri posse autumant, si faciant quod apud Cornelium Nepotem extat: *eam esse consuetudinem Regum, ut casus adversos hominibus tribuant; secundos fortunæ suæ. quo facile fieri, ut impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuntientur.* Et Darius, memorante Curtio, *cuncta quæ per duces suos* adversus Alexandrum *acta erant, damnabat; ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam.* At vero existimatione non bona usum, satis declarant sequentia tempora, quibus suo ductu non melius rem gessit: ut dubitandum non sit, multos quidem ex ducibus Darii industriam quam debebant non adhibuisse, sed omnes tamen fortuna non sua, sed sui regis infelices fuisse. Ergo ducum aut ministrorum nemo rei male gestæ aut perditæ poterit argui, omnisque culpa in fortunam imperii & imperantium redundabit? Non id volumus: absit. Deploranda est quinimo regnorum sors, cum modo Mazæus aliquis præ ignavia non audet imperata exequi; modo Varus fortissimos exercitus securitate sua prodit hostibus; modo Olennius pro pastore lupum se gerens pacem provinciarum fortunamque securitatis publicæ perturbat. Neque enim parum *auspiciorum gloria* per ea obscuratur, & quasi macula quadam regius ille splendor decoloratur, ita tamen, ut Deo affatim causarum sit, ob quas ista imperiis patitur evenire. Fieri autem sæpissime ex diverso, notavimus, ut infelix exitus non ministri aut ducis, sed domini principisque fato tribuendus sit: quem si multare Deus destinavit, non poterit virtus ministrorum ac industria obstare. Agnovit istud fatum in Xerxis militia *Justinus.* Suo ductu auspicioque Græciæ bellum intulerat rex potentissimus: cumque ingenti præter opinionem clade affectus esset, Mardonium ducem cum delecta CCCM manu in hostili solo, belli residua patraturum, relinquit, ipse domum revertitur. *Sed fortuna regis cum duce mutata non est,* inquit

[Margin notes: 3. A. 53. 4. — in Datam. cap. 5. — lib. 3. 8. 2. — Curt 4. 12. 16. — Vellei. 2. 118. — Tac. 4. A. 72. — Iib. 2. 14. 5.]

inquit Historicus; qui secutam Mardonii cladem fortunæ regis non vere minus quam prudenter assignat.

Diximus de adversis casibus, qui non semper ministrorum vitio aut infelicitati possunt tribui. nisi quod illud certum est: *DEO semper placere per hunc aut illum auspicii regii fortunam administrari, adeoque non vanam esse in deligendis ducibus & administris consultationem, de felicitate: si sine curiositate & superstitione exerceatur.* Est enim omnino (ut nunc ad *Lips. 5. pol. 15, 30.* alterum ex iis, quæ proposuimus, veniamus) aliis quoque, qui non sunt Principes, nec auspicii Principalis honore gaudent, sed quos sua sors obsequiis Principum officiisque destinavit, quædam divinitus adjuncta fortuna; de qua clarissime, id est, more Christiano ita loqui possumus: ut dicamus, *Deum in usum decusque Regum & Regnorum certos homines peculiaribus dotibus ingenii animique instruere, eorumque quas sub auspicio imperioque dominorum obeunt, actiones prosperare, & quodammodo per illos gloriæ Regum & saluti Regnorum consulere atque providere.* *Vide Charact. Vellei, c. 2. & 3.* Nonne clarum exemplum in *Josepho* sub Pharaone, in *Davide*, sub Saule? Unde etiam mors ejusmodi hominum haud raro ominosa fortunæ publicæ censetur. Fato Persici regni inclinante, Memnon ut unicum rebus dubiis subsidium vita excessit. Alexandri fortuna post Parmenones Clytosque submotos in deterius ivit. Et quantum Augustus Agrippæ suo Mæcenatique, tanquam duobus imperii oculis debuerit, nunquam dubitavit fateri. Quid, quod *Appianus in Parthicis*, de Antonio & Octavio Cæsare vulgo jactatum ait, *ὡς εὐτυχέστεροι δὶ ἑτέρων ἦσαν, ἢ δὶ αὐτῶν στρατηγοί. quod feliciores fuerint per legatos suos, quam per se, duces.* Apud *Tacitum*, Galba, *alieno imperio felicior, quam suo.* *1. hist. 49.* Apud *Suetonium*, Vitellius *confirmatum per legatos suos imperium per se retinere non potuit.* *Vit. 9.* Manet tamen illa ipsa fortuna ministrorum sub auspicio Dominorum, & ad illud merito refertur. Ita Deus Pharaoni, cum Regem Regnumque sospitare cuperet, Josephum dedit, prudentiaque & virtute regno salutari adornavit. Tangitque hanc divinæ in Regnum Ægyptium providentiæ curam ipse Josephus, cum de interpretatione somniorum regiorum appellatus, respon-

Gen. 41, 25. respondet: *Deus ostendit Pharaoni quæ facturus est.* ne de ceteris quæ ex nobilissima illa historia abunde suppetunt, rationibus dicam. Est hæc dispositio Dei, quando nimirum auspicii regii fortunam certorum hominum opera vult administrari, inter eas, quas pie potius observare, quam curiose debemus scrutari: non dubitaverim tamen, præter alia divinæ destinationis consilia, etiam modestiam ita regibus commendari, si intelligant, se summi quidem in terris fastigii auspicium à Deo accepisse, sed ministrorum tamen ope dispensandum: quibus nemo Principum carere unquam potuit. Quin eo testatior est cæli in Reges favor, majorque Deo debetur gratia, si Sol ille auspicii, ut sic loquar, in tot radiis splendeat, & fortuna Regni non Regis modo, sed Regiorum ministrorum consiliis operibusque obsequatur. Ego certe, inter omina felicis imperii, & præcipua fortunæ regiæ pignora pono, si Magno Principi magnus contingat adjutor, cujus ingenium fatumque auspicii regii amplitudinem capere & obsequiis efficacibus queat propitiare. De quo divino munere, alius est agendi locus.

Habemus ergo illud divinæ unctionis, ut hac similitudine utamur, oleum; illud gratiosum & cæleste donum; illum Dei in regibus characterem, fulgorem, vigorem: quo nihil in regia majestate est secretius, potentius, venerabilius. At enim, *res tam sancta, quomodo cadit* (pergamus enim obiter quærere nonnulla) *in paganum, quomodo in impium Regem?* Satis diligenter hactenus regni decus, & personæ dedecus, sejunximus. Et valeat hic illud *Chrysostomi:* ad Epist. Rom. 13. *ἀγνοεῖ μὲν αὐτὸς, ἀλλ' ὁ Θεὸς οὕτως ἐτύπωσεν.* ¶ At, *quomodo auspicii fortuna & vis sceleratis præsto sunt, cum à Deo sint, cum divina sint?* an Deus secundabit incepta malorum? Noli, quisquis es, divina arbitrari judicia. Altum est consilium, & nobis minima sui parte revelatum, quomodo & cur Deus non per bonos tantum sed per malos etiam auspicia regnorum dispenset. Idem qui Augusto tot gentes subjecit, etiam Domitiano absenti, rebellium arma, feli- Sueton. Domit. 6. citate mira confregit. Ita placet illi, cui nihil injuste placet.

cet. *Quamvis enim aliquid dixerimus* (utar *Augustini* verbis, cujus eximia in talibus argumentis prudentia est) *quod apertum nobis Deus esse voluit, tamen multum est ad nos, & valde superat vires nostras, hominum occulta discutere, & liquido examine merita dijudicare regnorum.* ¶ *Ubi autem manet*, inquies, *auspicii regii fortuna & efficacia, quando Rex regno dejicitur, regnum ipsum evertitur?* Cogita pretiosum balsamum in fragili vasculo: hoc confringi potest, ut cesset esse vasculum; illud non cessat esse balsamum, licet sedem suam mutarit. Non perit quidquid divini est in regibus: etiam cum reges divinitatis imagine ornati, communis mortalitatis leges casusque experiuntur. Transfert Deus regna & regnorum auspicia; de homine in hominem, de gente in gentem. *Quamobrem cum diu fuissent regna Orientis illustria, voluit Deus & occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine illustrius*: inquit iterum de hac providentia *Augustinus*. Quid, quod interdum ludit cum Regibus Deus, eosque deponere ad tempus jubet splendorem, quem paulo post recipiant; aut occultat in ipsis aliquantisper vim auspicii, quam postea denuo explicat? Non desunt exempla: sed ingentius est illud majestatis æquor, quam ut nostra cymba sit enavigando. ¶ Pertinet eodem, quod *in una eademque auspicii indole virtuteque non idem semper tenor, non eadem claritas, non idem habitus* (si in re subtilissima crassioribus uti licet vocabulis) *observatur.* Nimirum *dispensatio auspicii regii*, ut mere divina, ita plerumque arcana est.

de C. D. 5. 21.

5. de C. D. 12.


Omnium difficilima est existimatio de regio auspicio, in *conversione aut eversione regnorum.* Assumemus exemplum, cujus interpretatio nobis instar regulæ queat esse. Apud *Curtium* Nabarzanes Dario infeliciter hactenus auspicii sui fortunam experto ita suadet: *Diis adversis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas urgere non desinit. novis initiis & ominibus opus est. Auspicium & imperium alii trade interim, qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum tibi reddat.* Hæc sententia præterquam quod in regem regiumque auspicium scelerata est ac perfida, etiam Prudentiæ, cujus colores præstruit, mysteria violat. Sane quidem

lib. 5. c. 9.

dem *regnorum auspicia interdum ita in personis & per eas variantur, ut splendorem suum in alio rege contrahant, in alio aut successore explicent mox iterum renoventque.* sicut in *conversionibus* imperiorum & concussionibus animadvertere fas est, de quibus Darius interpretari malebat infelicitatem suam, in ulteriora omnia ituram. Meditatur, quatenus licuit, id secretum *Plinius* in exemplo Trajani sui, qui ad auspicia imperii sustinenda, erigendumque reipub. statum divinitus destinatus erat. Audiamus eloquentissimi viri philosophiam: *Sicut maris calique temperiem turbines tempestatesque commendant: ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. occultat utrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumque causa sub diversa specie latent.* E quibus verbis, si figuras subtraxerimus, & sententiam ex perfectiore sapientia suppleverimus, illustris prodibit, quæque hic opportuna sit, interpretatio. Verumenimvero non erat à Nabarzane tam laxe, & inconsiderate arripiendum hujus sententiæ schema, ut de fatali termino imminente nulla susciperetur cogitatio. Instabat enim jam illud tempus, quo imperii Persici decus auspiciumque, in Græci Atlantis humeros debuit transire. Frustra ergo in persona quærebatur mutatio fati, quod jam universo imperio incubabat. Quæ existimandi ratio ad similia exempla porrigi potest: à quorum expositione, nos brevitatis studio abstinemus.

apud Curt. 4. 14. 20.

Pan. c. 5.



CAP.

CAP. III.

De Auſpicii Regii Symbolis & pignoribus.

EST hoc quoque inter Prudentiæ accuratioris inventa numerandum, quod maxima quæque rerum, certorum honore elogiorum ornantur, oſtentantur inſignibus, imaginibus figurantur: ut his tanquam ſymbolis, vel profundior earum natura, vel dignitas ſanctitaſque quodammodo declaretur, ac hominum venerationi commendetur. Hinc tot auguſtiſſima Regni ſymbola, omnis ætas uſurpavit: quæ vulgus, ut inſtrumenta ſcenæ intuetur; prudentes, ut myſteria imperii venerantur. *Nicephorus Calliſtus* θεῖα ταῦτα, καί τινων μυστηρίων ἀποῤῥήτων εἰκάσματα, *hæc divina quadam eſſe, & myſteriorum ſecretiſſimorum imagines,* ait. Præf. oper. p. 6. Et *Nicephorus Gregoras, ænigmatibus involuta* inquit *Imperatorum ornamenta* ſive τὰ τῶν βασιλέων κειμήλια, διὰ τὸ ἔνθεα εἶναι καὶ οἷα κρειῶν ὑπὲρ τοὺς πολλούς. *eo quod divini quidpiam habent, vulgique captum merito creduntur ſuperare.* lib. 5. p. 109. Atque *hæc Regni Regiæque majeſtatis ſymbola, non minima ſui parte ad auſpiciorum decus & vim referenda eſſe,* quivis poterit intelligere, qui præcipua majeſtatis & regni myſteria in auſpiciis reſidere non ignoraverit. Quare conſultum nobis videbatur; non quidem omnia, ſed præcipua Regnorum pignora, ea parte nunc intueri, qua ex auſpicio regio aliquid trahunt, aut ſignant, aut illuſtrant. Erit autem prima conſideratio ſymbolorum, *quæ in vocabulis conſiſtunt*; altera eorum, *quæ inſignibus & pignoribus abſolvuntur*; ultima eorum, *quæ in figuris typiſque reponuntur.*

Regem Dei in terris imaginem gerere & quendam inter homines Deum eſſe, plerique veterum dixerunt: nec abnuunt Sacræ litteræ, ſicut ſupra declaratum eſt. Inter ethnicos erudita eſt explicatio *Ecphantis in libro de regno apud*

pud Stobæum: ἐν τᾷ γᾷ ἀριστοφυέστατον μὲν ἄνθρωπος, θειότερος δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν τᾷ κοινᾷ φύσει πλεονεκτῶν τῷ κρέσσονι. τὸ μὲν σκᾶνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιος, οἷα γᾶ γεγονὼς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας ὑπὸ τεχνίτα δ' εἰργασμένος λώστω. ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν, ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. *in terris quidem homo optimam sortitus est naturam; at inter homines Rex divinior est, multumque communem naturam supereminet: corpore quidem reliquis non absimilis, ex eadem quippe materia factus; ab optimo autem artifice fabricatus, qui formavit ipsum archetypo ex se sumto.* Hinc DEOS nominavere Principes, omniaque quæ ad ipsos pertinent aut ab ipsis proveniunt, *Sacra & divina* appellarunt non Oratores tantum & Poëtæ, sed Prudentes & aulici, & omne denique hominum scriptorumque genus. *Tuum numen*, inquiunt, cum ad Imperatores loquuntur. *Devotos numini majestatique eorum*, se profitentur in inscriptionibus. Quinimo ipsi de se, *Nostrum numen*, præscribunt. *Divinitatis, æternitatis, sanctitatis* ephiteta, tanquam solemnia adhiberi videas. *Sacrum palatium*, *sacras literas*, *sacras constitutiones, sacrum oraculum*, *sacrum scrinium*, *sacrum cubiculum, sacrum limen*, *sacrum stabulum*, *sacrum comitatum*, *sacram monetam, sacras vestes*, imo *sacra vestigia*, passim legimus: ut ineptum sit, loca cumulare, aut describere. In elogio *præfecti urbis* solenne fuit, ita designare officium: quod is *vice sacra judicaret.* i. e. vice Principis. Quod cum de *Pontificatus maximi* sanctitate, explicat *Baronius*: & pro *sacra vice judicare, sacra judicare*, quasi de rebus judicandis ageretur, substituit, mirifice se absurdum præbet, indignasque sua eruditione & professione nugas inde struit. Ceterum, quid de hac loquendi consuetudine sentiendum sit, & *an Reges divinis appellationibus & elogiis rectè ornentur*, hujus loci est attingere. inter vocabula enim, quibus majestatis regiæ, ipsiusque auspicii celsitudo designatur, nihil majus aut sublimius est.

Annal. Eccles. tom. 4. ad an. 394. p. 713.

Quanquam autem ex iis, quæ attulimus, quod Principes quasi *Dij inter homines sint*, *quod Dei imaginem gerant, Dei in terris vicem agant*, possit ejusmodi locutionibus & appellationibus divinis aliqua ratio & color quæri, non ne-

negligenda tamen est historiæ totius, ad hunc morem pertinentis, cognitio. In cujus principio statim notandum: semper pro diversis habita olim, *divinitatem muneris regij indefinite describere ac explicare, atque ita personam regis comparatione Dei divinisque elogiis generatim designare*; & vero, *inter solennes aulæ, imperatoriique actus titulos ac publicæ venerationis formulas, talia recipere.* Consensu quippe Prudentum creditum est, omnem civilis actus sermonisque typum, & quidquid ad commercii humani formulam universim pertinet, à figuris eminentioribus & reconditis sententiis removeri quodammodo, & ad simplicitatem redigi oportere. Unde formales epistolæ, edicta, leges, sententiæ, responsa, alloquia, tituli, civili intellectui accommodabantur: exquisitiore ornatu facundiæ, in occasiones minus publicas, aut peculiaribus causis & secretioribus proprias reservato. Itaque, licet in sacro codice *Dij* appellentur Principes Regesque, tamen de cetero non reperiuntur formulæ, vel Regum de se, vel civium ad Reges, quibus per divina elogia, disertis verbis honestarentur. In oriente gentes, quæ sub regibus erant, regium nomen pro Deo colebant: quod de Persis aliquoties *Curtius* testatur, & late explicat *Barnabas Brissonius* in erudito commentario *de Persico Regno.* Sed illi ipsi honores, plerumque adorationis ritu, τῷ προσκυνεῖν, & similibus absoluebantur; ad titulos divinos non progrediebantur, donec post Alexandri Magni mortem Arsaces felicitate auspiciorum suorum tantam sui admirationem movit, ut primus consecraretur à suis atque inter sidera dedicaretur: atque ex eo tempore *reges ejusdem gentis prætumidi, appellari se patiebantur Solis fratres & Lunæ,* sicut notat, & alibi exemplo monstrat *Ammianus Marcellinus.* Postea in immensum crevit in eadem gente, titulorum fastus. Ægyptii mortuos reges consecrabant, non vivos, excepto solo Xerxe; sicut *Diodorus Siculus* auctor est: unde nec de titulis divinis in superstites collatis firma conjectura datur. Quid gentes barbarie magis sua quam sapientiæ cultu notæ fecerint, supervacuum fuerit examinare. Apud cordatiores populos

[Margin notes: 5, 12, 16. / 6, 6, 2. / 8, 5, 11. / Lib. 1. / lib. 23, 16. / lib. 17, 10. / Lib. 2.]

certe

certe diu nihil tale receptum est. Alexander magnus licet supra hominem quodammodo se venerabilem factorum magnitudine præstitisset, nulla tamen vi aut arte persuadere Macedonibus potuit, ut divinis ipsum honoribus afficerent. Quæ observatio hactenus eo pertinet, ut intelligatur: *divina elogia apud plerasque gentes cultiores, vel in mortuos tantum collata, vel cum fortuna ad summa provecta fastigio, inter pompas & artes dominationis invecta esse.*

Illustrandum hoc est præcipuo, nobisque non unas ob causas præcipue attendendo, Romanorum exemplo.
15. A. 74. 5. Ubi statim præmittendum est illud *Taciti: Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* Indicat morem ἀποθεώσεως sive *consecrationis*, quam Augustus inter alia firmandi Principatus arcana in rem Romanam invexerat; sicut alibi demonstratum est. Quanquam prælusum huic ritui est in exemplo *Romuli*, qui & ipse *deorum*
Tac. 4. A. 38. 7. *numero additus.* Imitatione nimirum Heroicorum honorum, apud antiquiores receptorum. Et quanquam Augustus templa vivo sibi (cunctanter quidem & communi suo
Sueton. Aug. 52. Dio. 51. p. 524. Tac. 4. A. 37. 4. Romæque nomine) sisti non prohibuerit in provinciis: in tantum tamen à recipiendis appellationibus ejuscemodi, quæ ipsum Deum facerent, abstinuit, ut nec *Dominum* se dici pateretur; neque tamen eo minus à viris minime vulgaribus reprehenditur apud *Tacitum, quod nihil deorum hono-*
1. A. 10. 8. *ribus reliquerit, cum se templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes coli vellet.* Ad quæ verba consule, si lubet, *quæ annotavimus.* Observes quidem apud *Ovidium* præsertim in epistolis è Ponto scriptis, itemque apud *Horatium*, aliosque *Poëtas* vestigia & initia talis cultus, dum Augustum *pro magno præsentique numine* non semel venerantur: nec dubitandum est, jam tum aulici obsequii studio paulatim quosdam huc descendisse. Sed adhuc inaudax erat illa assentatio, & colore figurarum mitigabatur: denique privatis causis affectibusque, non publico applausu rituque æstimabatur. Sub Tiberio exercere se magis magisque voluit, illud placendi studium: sed & hic repressit. cum enim quidam

quidam *Sacras ejus occupationes* nominasset, coëgit eum verba mutare, & pro *sacris laboriosas* dicere. Et tamen jam nemo dubitabat de illa sublimitate fastigii imperatorii, quam profitetur apud Tacitum Cestius: *Principes instar Deorum esse.* Affectationes Caligulæ, cum non minus stultitiæ, quam superbiæ habeant, præteriri satius puto. Domitianus inter eos, qui videbantur aliquid sanæ mentis habere, primus ausus est ipse sibi attribuere Dei titulum, formalemque epistolam arroganti principio signare; *Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellaretur*: annotante *Suetonio.* Sed displicuit & evanuit apud meliores Principes ista insolentia, laudatque eo nomine Trajanum suum *Panegyrista*: *sic fit*, inquit, *ut Dei supremum inter homines fastigium serves, cum deorum ipse non adoptes.* Vide omnino, quæ vir summus *Gerardus Johannes Vossius* de hoc argumento annotavit *Theologiæ gentilis libro tertio capite XVII.* Licebit autem per insequentia tempora observare: quo magis à potentia imperii declinatum est, eo magnificentius conquisitas exstructasque titulorum laureas: divisoque deinceps imperio, in Oriente, non parum genius loci, & studiosa sui honoris, novi status majestas accumulavit stili aulici fiduciam. Adeo quidem, ut ne Christianis quidem Imperatoribus displicuerit retinere titulos *numinis, divinitatis*, cum similibus. quos olim partim figuræ Poëtarum & Rhetorum, partim adulantium studia, partim dominantium consilia, partim & obsequentium artes, vix unquam sine aliqua superstitionis aut vitii mixtura invexerant. Sed placuit ipsis tamen interpretatio melior, & Christianæ philosophiæ consentanea: ut & *culturam hominum dignitatem excedentem supremo Numini se reservare* testarentur; & *figuram istam* ex sanctitate officii Divinam in terris vicem præstantis, interpretandam, inter ἀξιώματα Romanæ majestatis, non imprudenter recipi posse existimarent, quod non inobservatum prætermisit, quem antea laudavi, *Vossius.* Titulos *sanctissimorum*, *sacratissimorum*, *Divorum* (τῆς θείας λή-

Sueton. Tib. 27.

3. A. 16. 3.

Dom. 13.

cap. 52.

Vide Nicol. Aleman. not. in Proc. Ar-

Z ξεως,

ean. hist. p. 73. ξιως, τῆς ἐυσεβοῦς λήξεως) etiam gentilibus Imperatoribus Christianos tribuisse, ex historia satis constat.

Itaque ut tandem judicium nostrum adferamus, salvis uniuscujusque melioribus sententiis, ita statuimus: *Nec rigide nimis, nec nimis secure in hoc argumento versandum esse, sed viam, si qua iniri possit, mediam requirendam.* Ante omnia certum est; *primis antiquisque temporibus regna modestius & suscepta & gesta esse, quam ut divinis se honoribus elogiisque Reges dignarentur.* Postea *cum magnitudine imperii* (nam à summis imperiis regii moris exempla in cetera produntur) *adolescit cura magnificentiæ, & ostentandæ majestatis, quæ ab aulæ cultoribus, & per horum exempla, ab aliis subinde intenditur: donec latius sparsa, cum cetero paratu Principatus, titulorum congeries, ne à Prudentibus quidem amplius repudiatur.* *Invenit enim* (quod non prætereundum) *etiam Prudentia & obsequendi dexteritas suas rationes, quibus de figura, aut affectatione pietatis, proprium verumque majestatis cultum redigeret.* Licebit utique hanc periodum, ut sic loquar, & fatalem animorum habitum in aulicis perpetua ætatum consequentia observare, *quod cum fortuna imperii increscente, & Principum suorum augmento, ipsi quoque incipiant sentire & loqui animosius ac splendidius; parumque capaces genii aulæ credant; qui majestatis regnatricis venerationem ex occasione attollere in majus, & pro temporis conditione, aut consiliorum regiorum usu erudita audacia interpretari nesciunt.* Accedit, *quod Christianorum Philosophia non tantum aptius & solidius divinitatem Regum explicare; sed eadem opera gentilibus, minus perite jactata & affectata elogia quodammodo exprobrare potest.* Quo consilio, & Patres passim eripiunt paganis, tanquam injustis possessoribus, ea, quæ rectiore usu sensuque in suam demum veritatem vindicari operæ pretium est. *Forte & opinioni barbarorum ac imperitorum itemque stilo curiæ passim recepto eatenus serviendum videbatur, ne Christianorum imperatorum minor, quam paganorum erat, majestas crederetur.* Hæc & similia faciunt, *ut divinorum elogiorum figuras in ministris aliquando facilius excusemus, in Principibus ipsis non ubique exagitemus: dummodo certa, illis quidem prudentiæ, his autem modestiæ ratio constet.* Magni consilii negotium susceperunt-

scepere, quorum ingeniis promulgandam ac prædicandam se commisit Regum majestas: quæ nunquam fulget augustius, quam si à figurarum ampullis, à schematibus superbiæ, à coloribus adulationis pura conservetur. Statim minus decet, quod Principis nomine propositum, ministri affectum aut artem ostentat. Debet hic (nec frustra moneo) in considerationem venire, ipsa divinitatis, quæ in imperio spectatur, indoles. Nonne omnis ætas, eam demum veram, excelsamque majestatem regum celebravit, quæ fastigio potentiæ moderationem quandam civilitatis misceret; Itaque etiam ii, qui absoluti regiminis plenitudinem suaserunt aut instituerunt, temperamenti talis faciem suo operi concinnarunt. Videndum est itaque Principi, *annon civilitatis metam, certe æstimationem, excedant divinæ appellationes, quas sibi quis ipse tribuit. Ideo imperator magnus est*, inquit, *Tertullianus*, *quia cælo minor est.* Quod nec *Horatio* ignoratum, præclarissime id monitum suggerenti: *in Apol.* *lib. 3, od. 6.*

Diis te minorem quod geris, imperas.

Ac nostri Imperatores, cum *divinæ gratiæ* characterem suo nomini præscribunt, generosius splendidiusque mihi videntur dicere, quam si *Deos* se appellarent. *Imperator Dei gratia*, est qui Deo gaudet auctore, Deo gloriatur Imperatore, Deo viget custode. Imperator ex Dei gratia, in Dei gratia, sub Dei gratia, cum Dei gratia. Hæc gratia Deum Imperatori, Imperatorem Deo conciliat, communicat, conjungit. Gratia plena auspicio divino & regio; gratia divinitatis imagine & charactere fecunda; gratia, quæ Imperatorem Dei vicarium, & si hic quoque modestiæ splendorem miscere licet, quæ Deum facit; sed Deum, qui se hominem esse, inter homines vivere, Deo servire, non nesciat, non taceat. Sic rectissime fulget in Imperatoribus divinitas: si Deus eam ostendat, Imperator non ostentet. Præiverunt Græci Imperatores cum se *βασιλέας ἐν χριστῷ Reges in Christo* vocant; itemque illud solenne usurpant exordiendis edictis & epistolis *ἡ ἐκ θεοῦ βασιλεία ἡμῶν,*

μῶν, Majestas nostra divinitus constituta. vide *Jus Græco-Romanum, libro* II. *Novella Basilii de struendis Ecclesiis*, & alibi passim. *Dionis Chrysostomi* epitheta, quibus eximie regis majestatem illustrat, sint nobis instar titulorum solennium, quibus hactenus dicta confirmentur: θεῖος καὶ θεοφιλὴς, καὶ αὐτοκράτωρ βασιλεὺς, *Rex divinus, Deo charus, rerum Dominus.* Habemus characterem Dei in Rege, Gratiam Dei, super Regem; vim regni ac efficaciam, quæ ex Deo est. Hæc vere divina veramque regibus divinitatem asseverantia elogia: quam *Joves, Numina, Dii.* Itaque jam facilius admittuntur illa Chosroæ senioris, cum inter elogia Principalia apud *Menandrum Protectorem*, nomini suo præscribit; θεῖος, itemque; ὁς ἐκ θεῶν χαρακτηρίζεται. *Divinum* se vocat, & *Deorum charactere insignitum.* Sed nobis ad alia progrediendum est.

Orat. 3. de regn.

In divinis scripturis, UNCTOS DOMINI, vocat Reges Spiritus Sanctus. quo elogio nihil, ad auspicii regii virtutem magnificentiamque demonstrandam accommodatius excogitari potest. Quicquid hactenus de auspicio regio prædicavimus, inde pendet, quia Reges à Deo unguntur. unguentum illud, Gratia illa est, tam fecunda, tam propria, tam singularis, quam modo commendavimus. cujus symbolum, in unguento arte facto repræsentabatur. *Nicephorus Callistus* non speciose minus quam erudite hac de re loquitur: θείῳ γὰρ τούτους χρίοντες πνεύματι, οἷς τοῦτ' ἐπιτέτραπτο, χριστοὺς κατ' εἰκόνα εἰργάζοντο καὶ ὠνόμαζον. ἐπεὶ τοῖς γε καὶ αὐτοῖς πάντως που τύποι τινὲς ἐνῆσαν, τῆς κατὰ πάντων ἀληθοῦς ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. *Divino enim spiritu dum hos* (Reges intelligit) *inungebant, ij quibus id negotii datum, CHRISTOS per imaginem & faciebant & appellabant. Siquidem & regibus omnino typi quidam & figura inerant, veri regni & potestatis, quam Servator noster JEsus Christus in omnes habet.* Ecce imaginem Dei & Christi in Regibus; Regum in Christo: ecce symbola nominum, symbola rerum: ecce *unctos Domini*, de quibus nunc agimus: & *unctionem Domini*, quæ postea etiam attingenda venit. Quæ *Clemens Alexan-*

lib. 1. c. 4.

Alexandrinus in eandem ſententiam diſſerit, infra rectius adducentur.

Intelleximus, quomodo auſpicium Regium illuſtretur appellatione *Deorum*, quæ Regibus in Sacris litteris ab ipſo Deo tribuitur, ita tamen, ut ſtatim conjungatur argumentum, quod poſſit eos admonere, de modeſtia ſummis mortalium non aſpernanda, deque circumſpecto uſu divinorum titulorum, vel in elogio Nominis Regii, vel in officio obſequiorum, actuumque civilium. Etiam *Chriſtorum* nomen, quod cum Rege omnium *Chriſto* commune Regibus eſſe Deus voluit, in argumenta hujus Philoſophiæ vocavimus. Nunc quæ hominum induſtria reperit (non ſine Divinæ tamen nutu Providentiæ) ſummi imperii vocabula recognoſcemus. Inter *auſpicata* ergo ejuſcemodi *nomina* valde eminent CÆSAR & AUGUSTUS. *Auſpicata nomina* dixi. ubi enim clarius cernitur auſpicii veneratio, quam in illo more, cum nomen Principis Regiſque, qui imperium aliquod primus condidit, aut eximie illuſtravit, aut feliciter inſtauravit amplificavitque, in ſucceſſores, cum omine & pignore & recordatione propriæ fortunæ fatique propagatur? Quod ſicuti in aliis gentibus frequenter uſu venit, ita Romanorum exemplum ſingulare eſt, & quodammodo incomparabile. Itaque, quotiens audis *Cæſares* vocari Romanorum Imperatores, totiens meminiſſe debes illuſtriſſimi illius auſpicii Romanorum, & fortunæ vigoriſque inuſitati, *Cæſaris* opera, & poſtea Auguſti, in maximæ monarchiæ conſtitutionem ac diſciplinam divinitus diſpenſata: cui nihil ſimile, ante vel poſt nulla viderunt ſæcula. Rem per ſe illuſtriſſimam non parum amplificat *Heroici auſpicii* character: qui ita hic concurrit cum fortuna imperii, ut non minus miraculi in perſonis ſummorum Principum, quam in Principatus mole liceat obſervare. Qua de re alibi actum eſt. Apparet ergo non fruſtra apud *Xiphilinum*, *ἱερὰ ὀνόματα* *Sancta nomina* vocari, *Cæſaris*, *Auguſti*, *Imperatoris* titulos.

Charact. Vell. c. 2. in Nerone p. 194.

Cum primis vero AUGUSTI vocabulum *plane auspicio Imperatorio proprium est*, ideoque diligentius considerandum. Constat ex historia, peculiari Prudentium consilio, arte, cura id cognomenti repertum, tanquam eximium & singulare, quod sanctitatem auspicii Romani & fortunam, & vim, & pignus cum auspicato omine, in auctore optimi status signaret, & in successores transmitteret. Certavit quodammodo cum Cæsaris Julii sollertia (qui & ipse *Cæsaris* titulum talibus de causis in Octavium testamento transtulerat) Prudentiæ Romanæ genius; an esset aliquid, quo non minus graviter gloria consummati tanti operis, quantum Julius inchoaverat, Octavio vindicaretur: *cumque quidam censerent* (utar verbis *Suetonii*)

Aug. 7. ROMULUM *appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis, prævaluit ut AUGUSTUS potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet, scribens:*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Interpretatur hic nobis Historicus, ipsa *Munatii Planci*, cui hoc inventum tribuitur, consilia, & subtilem sollertiam. Majestatem imperii voluit exprimere & amplitudinem; tum imperantis merito, tum auspicii sanctitate metiendam: quæsivit gratiam ex novitate, ne vel epocha tanti fati, ut sic dicam, minus luculente extaret; vel auctoris tanti fama infra meritum ornaretur, si incomparabile opus, usitato & cum pluribus communi elogio cognominaretur: elegantiam denique & aulicæ prudentiæ politiem non prætermisit, cum Ennianum versum, rationis & ominis caussa instituto peropportunum, veluti ἐπιγραφὴν ἐμβλήματος, si ex artium placitis hoc mutuari licet, adhibuit. Ita & Romuli comparatio, de qua præcesserat, includitur, & præsagii vaticinium tanquam è vate, cum augmento *eventus*, figuratur. Adiiciemus etiam *Flori* expositionem.

l. 4. c. 12. *Tractatum*, inquit, *in senatu, an quia condidisset imperium, ROMULUS*

MULUS vocaretur : sed sanctius & reverentius visum est nomen AUGUSTI, ut scilicet jam tum, cum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur. Similia his tradit *Dio*, qui *augusta* dici τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα, *sanctissima queque & gloriosissima*, notat. *l. 53. p. 581.* Et *Suidas* : αὔγουστα λέγονται τὰ τίμια καὶ μεγάλα καὶ ἐπίσημα. Græci σεβαστὸν interpretantur ; & in Græcorum Imperatorum elogiis conjunguntur haud raro ; σεβαστὸς Αὔγουστος. *Servius ad Virgilium* passim *augusta* interpretatur *augurio consecrata* ; & *abusive*, augustum, *nobile, quasi majestatis plenum.* Nam quod sequioris ævi scriptores, quasi *ab augendo imperio* deducunt *Augusti* appellationem, allusionis potius licentia, quam originis veritate æstimari debet. *ad 4. Georg.* Adhibetur quidem apud *Suetonium* quoque *augendi* vox, sed significatu ad sacra pertinente. *Aug. 7.* Captat ejusmodi figuras etiam *Historia miscella*, in explicatione hujus nominis. *lib. 7. c. 11.* *Hoc die*, inquit, *primum* AUGUSTUS, *quod Remp. auxerit consalutatus est, quod nomen cunctis antea inviolatum, & usque ad nunc ceteris inausum, dominis tantum orbis licite usurpatum, apicem declarat imperii.* Ceterum *Imperatoribus Romanis* deinceps *Augusta nuncupatio tam amabilis fuit & optata*, ut inter *vocabula Principatus* (quæ vocat *Tacitus*) nullum illustrius, aut in acclamationibus ac honoribus Principi deferendis solennius haberetur. *Marcell. 23. 16.* *1. H. 80. 2.* Duratque in hunc diem, nominis tam sancti veneratio : quo Imperii Romani majestas non parum semper visa est eminere. Vocarunt interdum Imperatores *Augustissimos* ; itemque *semper Augustos*, quæ adjectio apud *Symmachum* frequentissima est ; *Ambros. ep. 28. pr.* Græci ἀεισέβαστοι, σεβαστοὺς αἰωνίους *perpetuos Augustos* reddidere. Mihi supra *Augustissimum, Augustus*, citra comparationem positus, videtur sonare : quod Augustus cognomenti gravitatem, implet ; *Augustissimus*, epitheti locum quodammodo vindicat. *V. Jus Græco-Rom. Tom. 1. p. 374. & 521. Tom. 2. p. 135.* Id quod de adjectionibus aliis etiam, studio obsequii & inventi aulici, ut opinor, primum usurpatis, forte queat obtinere : possisque arbitrari, non parum detractum esse de incomparabili elogii majestate, cum, quod ab initio, excogitatissimo sane consilio soli Principum fastigio destinatum erat, sub *Alexio Comneno* cum pluribus communicari cœ-

Zonar. annal. Tom. 3. p. 234. & seq.

ri cœpit: ut infra Imperatorem, alius σεβαστοκράτωρ *Augustimperator*, alius πρωτοσέβαστος, *Primaugustus*; alius *Augustus*, σεβαστὸς; alius πανυπερσέβαστος, quasi *omnium Augustissimus*, itidem nova & tum primum reperta dignitate, appellaretur. Quod dum moneo, procul esse jubeo malignos interpretes. Non enim sum ex iis, qui titulos Principum, ingenia summorum aulicorum ac inventa vellicare student: sed *Auspicii regii symbola, præsertim propria & interiora, judico sanctiora esse, quam quæ in communionem ire aut crebra mutatione deflecti debeant.* Et valde ignarum se tum historiæ tum Prudentiæ prodat necesse est, qui Græcæ aulæ studia, consilia, pompas, delicias sæpiuscule modum excessisse negaverit.

Non defuerunt recentioribus sæculis, qui existimarent, Imperatores Romanos non satis intellexisse majestatem Regij nominis, quod *Imperatores* potius & *Cæsares* & *Augusti*, mallent appellari, quam Reges. In quorum ego sententia nihil solidi invenio. Equidem qua arte, quove consilio primi Imperatores Romani, *Regis* nomen subterfugerint; nemini potest ignotum esse, qui vel trivialem Romanarum rerum notitiam adeptus est. Interim *Cæsaris* & *Augusti* nomina ipsa fortunæ & fati sui magnitudine, supra omnes Regum titulos ascenderant, neque tam otiose præteriri debet divinæ destinatio Prudentiæ, quin animadvertamus cum illa ipsa imperii majestate, qualem nemini Regum Principumque unquam Deus indulsit, aut indulturus est, ut existimo, etiam vocabuli honorem adolevisse: ut *Cæsaribus* & *Augustis* cum excellenti incremento accrevisse divinitus videatur, quidquid in Regio fastigio sublime, sanctum, illustre erat. Sicut enim imperium Cæsarum multa regna complexum erat: ita nomen quoque *Cæsaris* multorum Regum Regem dominumque notabat. *Imperatoris* vocabulo & prænomine (αὐτοκράτορα Græci appellant) ἐξουσίαν αὐτοτελῆ, *plenam absolutamque potestatem, ipsumque regium jus* notari diserte *Dio* tradit. Hoc voluit etiam *Aurelius Victor*, cum de Octavio scribit: *eum pro rege Imperatorem, vel sanctiori nomine Augustum vocatum.* Ac licet hæc vocabu-

Vid. annot. ad Tacit. 1. A. 9.

l. 53. p. 582. confer. lib. 43. p. 266.

vocabula ex origine prima & vi simpliciter sua, non idem quod *Rex* notent; usus tamen, certissimus vocabulorum interpres, monstravit, τὸν βασιλέα, itemque τὸν Καίσαρα, & Ἄυγεστον plane idem exprimere: nisi quod *Cæsaris* & *Augusti*, & *Imperatoris* nomina Regem per excellentiam; & signanter eum qui Romano orbi præessent, indicant. Apud *Johannem Evangelistam* Judæi Cæsarem, suum Regem vocant. quem locum inter alia, illustrandæ huic synonymiæ adducit *Seldenus*. Græcos imperatores palam titulum τοῦ βασιλέως, non ut novum, sed ut eundem cum eorum elogiis, quibus successerunt, usurpasse, omnibus constat. Ut nulla suspicio superesse possit, quasi aliquid altius in nomine Regis, quam Cæsaris, Augustive, contineretur. quinimo, hæc ipsa Principibus Romanis propria nomina, ex inventi destinatione, & felicioris auspicii celebritate, ac incomparabilis imperii memoria insignius aliquid & illustrius sonare, ex iis, quæ prædiximus, animadverti potest: nec de nihilo est illa Prudentum in aula Romana ratio, quam Caligulæ, diadema & insignia regia affectanti suggerunt, apud *Suetonium*: *eum & Principum & regum excessisse fastigium.* Sed hæc per occasionem, & in transitu.

Epir. I. | *19, 15.* | *De jur. nat. & gent. l. 6. cap. 17. pag. 754.* | *in Calig. 22.*

Ceterum *auspicio regio* declarando insigniendoque servire videntur etiam reliqua varie reperta cumulataque elogia Principum: quibus vel sanctitas muneris, vel fortuna operis actusque, vel vigor administrationis, vel excellentia virtutis imperatoriæ indicatur. Hinc est, quod Imperatorum nomina tales comitantur tituli: εὐτυχὴς, ἔνδοξος, νικητὴς, τροπαιοῦχος, γοτθικὸς, ἀφρικανὸς *Felix*, *Inclytus*, *Gloriosissimus*, *Triumphator*, *Victor*; & à rebus Imperatorio auspicio gestis *Gothicus*, *Africanus*, cum similibus gentium devictarum vocabulis. Etiam θειότατοι, ἅγιοι, μέγιστοι, φαιδρότατοι, *Divinissimi*, *Sancti*, *Sacratissimi*, *Maximi*, *Serenissimi* passim appellantur. Itemque: εὐσεβεῖς, πιστοὶ ἐν χριστῷ, ἡμερώτατοι, εἰρηνικοὶ, εὐεργέται μέγιστοι, σοφώτατοι, *Pii*, *Fideles in Christo*, *Clementissimi*, *Pacifici*, *Munificentissimi*, *Sapientissimi*. Valde selectum est elogium τοῦ κοσμοποθήτου, quasi *Mundo Carum*, vel *delicias generis humani* dicas. *Ambrosius* Gratianum

Iur. Græco-Rom. t. 1. p. 77. | *tom. 2. p. 265.* | *I. G. R. t. 1. p. 176.*

Epist. 26. *Beatissimi* & *Christianissimi* encomio compellat. Qualia pauca in exemplum posui, ut observetur, *in his titulis semper aliquid aulicæ artis, aut reconditæ prudentiæ versari, quæ significandi majestatem & excellentiam intimaque fastigii auspiciique Principalis sacramenta aut ornamenta spectat.* Apud *Theophylactum Simocattam* ambitiosius se splendore regiarum laudũ venditat Chosroës: cujus inscriptionis particulam jam supra attigimus. Fuerit autẽ forte non abs re, hic totam exhibere. Ita ergo scribit ad Varamum : Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, δυναστευόντων δεσπότης, κύριος ἐθνῶν εἰρηνάρχης. τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος. ἐν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς ἐπιφανέστατος, ὑπερένδοξος νικητὴς. ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα. ἐκ προγόνων ἐπίσημος. βασιλεὺς μισοπόλεμος, χαριστικός. ὁ τοὺς ἄσωνας μισθούμενος, καὶ τὴν βασιλείαν πέρσαις διαφυλάττων, βαράμ στρατηγῷ περσῶν, ἡμετέρῳ δὲ φίλῳ. *Chosroës rex regum, dominus dominantium. Gentium dominus. Princeps pacis. Hominum salus. Inter Deos quidem homo bonus & æternus. Inter homines autem Deus illustrissimus. Victor longe gloriosissimus. Cum sole exoriens : Nocti oculos largiens. A majoribus nobilis. Rex belli osor. Bene merens de omnibus. Asonas mercede conducens. Et regnum Persis custodiens. Varamo Persarum duci, Amico nostro.* Varamus ipse, ad quem Chosroës scribit, in litteris ad Chosroën vocat se *Deorum amicum, victorem insignem, tyrannorum inimicum, Principem sapientem, religiosum, inculpabilem, nobilem, beatum, voti compotem, venerandum, œconomicum, providum, mitem, humanum.* In qualibus elogiis nemo est, quin fastum & affectionem quandam agnoscat : de cetero tamen testari possunt de studio ostentandi auspicii imperatorii & regii per subtilia inventa & splendores titulorum. simul obiter licuerit observare, magnificum illud & prætumidum ; *Rex Regum, Dominus dominantium* (interdum *Magnos Reges* Parthi eodem instituto & significatu se vocabant) non altius ascendere, quam Cæsaris vel Augusti vocabula, de quibus prædiximus. Plus volunt dicere, quam Regem : idem Cæsar, idem Augustus dicit. hoc tantum interesse videtur, quod ibi affectatio splendori obstat ; hic suopte valida auspicio eventuque

lib. 4. c. 8.

Simocatt. l. 4. cap. 7.

que denominatio ſupra omnis inventi curas eminet. Quæ de titulorum excogitatione, & emphaſi, quatenus ad auſpicium pertingit, dicenda reſtant, in aliam occaſionem ſervata volumus.

Accedemus nunc ad *inſignium* quorundam, quibus majeſtas auſpicii non parum declaratur, conſiderationem. Præcellunt in hoc genere CORONA & SCEPTRUM. De corona lubet ſtatim adhibere *Clementis Alexandrini* interpretationem, qui Regum Judaicorum coronam magnifice extollit in hanc ſententiam: Βασιλεῖς δὲ οἱ ἰουδαίων, χρυσῷ καὶ λίθοις τιμίοις συνθέτῳ καὶ ποικίλῳ χρώμενοι στεφάνῳ, οἱ χριστοὶ, τὸν χριστὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς συμβολικῶς ἐπιφερόμενοι, λελήθασαν κεφαλῇ κοσμούμενοι κυρίου. λίθος γέ τοι τίμιος, ἢ μαργαρίτης, ἢ σμάραγδος αὐτὸν αἰνίττεται τὸν λόγον. Χρυσὸς δὲ αὐτὸς πάλιν ὁ ἀδιάφθορος λόγος, ὁ τὸν ἰὸν τῆς φθορᾶς οὐκ ἐπιδεχόμενος. Χρυσὸν γοῦν αὐτῷ γεννηθέντι βασιλείας σύμβολον, προσεκόμισαν οἱ μάγοι. μένει δὲ ἀθάνατος ὁ στέφανος οὗτος κατ' εἰκόνα τοῦ κυρίου. οὐ γὰρ μαραίνεται ὡς ἄνθος. *Reges autem Judæorum, cum corona utantur auro & pretioſis lapidibus compoſita & variegata, tanquam Chriſti quidam, Chriſtum ſymbolice in capite geſtantes, ignorabant, ſe capite Domini ornari. Lapis utique pretioſus aut margarita, aut ſmaragdus ipſum Verbum ſignificat. Aurum vero, rurſus nihil aliud eſt quam ipſe* Λόγος, *ſive verbum Chriſtus, corruptionis veneno minime obnoxius. Unde Magi Chriſto nato aurum obtulere, tanquam regni ſymbolum. Manetque hæc corona immortalis, ad imaginem domini: neque ut flos, marceſcit.* Perſarum Reges ὀρθὴν τιάραν *rectam tiaram* geſtabant, tam diſtrictæ ſanctitatis prærogativa, ut capitale eſſet aliis, eo capitis ornatu uti, ſicut notat *Dio Chryſoſtomus*. Sed & paſſim *ſacra diademata, ſacræ coronæ* veluti ſolenni appellatione dicuntur, quia ſunt auſpicatæ ſanctitatis illius, quæ in Regibus reſidet, propria ſymbola. Quod ut ſignantius exprimerent orientales, Imperatorum capita *orbiculari diademate*, divinitatis jam olim ſignum habente, ornarunt: ſicut in *Nummis* videre eſt. Apud *Athenæum lib. XV.* ex Ariſtot. conviv. τὸ στέφειν πλήρωσίν τινα σημαίνει, ubi *Caſaubon.* vid.

lib. 2. pædag. c. 8.

Orat. 14.

SCEPTRUM sive *hasta*, *regale plenum potestatis, insigne imperii* (utor verbis ex *Ambrosii* sententia huc traductis) itidem ab antiquo habebatur; alicubi quidem loco diadematis; donec utraque conjunxit regiæ majestatis veneratio. Origo sceptrorum divinitatis imitatione & significatu repetita est, si *Justino* credimus. Unde auspicatissimo epitheto Poëtis passim σκηπτοῦχοι βασιλῆες *Sceptrigeri reges* vocantur. Et *Synesius* acute, *sceptri ictu impleros virtute milites* fingit. Scilicet potestas, fortuna & efficacia auspicii consiliique regii, à Deo profecta, *Sceptri* symbolo debuit notari. id quod de *Gladio* quoque & *pugione*, notis insignibus Principatus, judicare fas est. Ne per cetera nunc progrediamur: qualia collectim memorant *Dio libris* XLII. & LI. *Themistius in gratiarum actione*; *Diodorus*, *Herodianus*, *Tacitus*, aliique. Sufficit enim nunc indicasse: *reconditiores insignium Principalium significatus ad auspicium pertinere aut inde interpretandos esse.* Vide si lubet, quæ de *Igne* notavimus ad *Herodianum*. De *Annuli* Principalis signis & autoritate, alias aucturi sumus.

2. offic. 141 | *34. 3. 3.* | *Orat. de regn.*

Est in PIGNORIBUS quoque imperii, quæ vocarunt, similis existimandi ratio & causa. Talia Romanis erant *Ancilia* atque *Palladium*, *secreta quadam imperii pignora*, inquit *Florus*. itemque *ignis Vestalis*, eodem interprete ideo institutus, *ut ad simulacrum cælestium siderum custos imperij flamma vigilaret*. Plura recenset *Servius ad VII. Æneid. quæ imperium Romanum*, ut ipse loquitur, *tenerent* sive conservarent. Apud *Tacitum*, *Capitolium* quoque *auspicato à majoribus pignus imperij conditum* memoratur, *quod non Porsena dedita urbe, neque Galli capta temerare potuissent*. Ejusdem generis sunt *fata urbium*, quibus proditis exitium urbi imminere credebant. Meminit *Justinus* in historia Palanti: nec desunt in recentioribus historiis exempla. Hæc, inquam, omnia, licet superstitiosa sint, tamen ipsa superstitio talis est, ut debeat convincere homines, de veris auspiciis regnorum. Dum enim credunt, esse quædam fato ac divinitus demissa aut concessa, quæ veluti pignora, salutem imperi ac perpetuitatem tuerentur, quorum ob id custodia diligentior

1. 2. 3. | *3. H. 72. 1.* | *3. 4. 15.*

& violatio aut amissio formidabilior esse debeat, certe confitentur, fatalem esse rerump. sortem in utramque partem; divinoque nutu stare, vigere, valere aut cadere imperia ac interire. In eo deerratum est, quod originem hujus fati auctoremque non respexere rectis oculis, & in cærimoniis pignorum ac fabulis potius, quam in dispositionibus Providentiæ divinæ quæsiverunt: cui spe & precibus, non figmentis & superstitionibus litandum erat.

Inter *Figuras* & *Typos*, quæ auspicium indicant contingùntque, etiam illud poni potest, quod Deus apud Prophetam, cui majestatis suæ spectaculum repræsentat, *in solio Regio, adeoque Regis forma* se conspiciendum præbet. Nam quodammodo in Regibus se monstrat, cum se Regem monstrat: & majestatis regiæ sanctitatem indicat, cum suæ Sanctitatis venerationem, imagine regia promulgat. Neque sane ex humanis aliquid altius peti potest, quod abumbrandæ divinæ majestati adhibeatur. quod nec Ethnicos latuit, qui propterea Jovem suum, regis vocabulo & simulacro extollere sategerunt. *Esai. 6.*

—— *Jovis est regalis imago,*

ait *Ovidius sexto Transformationum.* In ipsis sacris litteris valida est ad hujus loci philosophiam illustrandam, imago ARBORIS illius, quam Nebucadnezar vidit: cujus celsitudo, & vigor & fructus, & præsidium, auspicii regii in omnia diffusam vim luculente signat. *Inaugurationum* quoque *Regiarum cærimoniæ*, ab Hebræis ad alias gentes derivatæ, & ibi varie auctæ aut mutatæ, multa huc pertinentia habent. Quare hæc plerumque materia orationum Panegyricarum iis fuit, quos tali tempore in publico loqui vel officium vel affectus jussit. *fab. 1.* *Dan. 4.*

Non omitti hic debet *Insigne Regni*, SATURNO à Deo Taauto excogitatum, sicut ex *Sanchuniatone* refert *Eusebius*: *Erant autem bini in fronte, bini in occipitio oculi, è quibus alterum par placide connivebat: alæ item in utroque humero geminæ; è quibus binæ se explicabant, binæ se demittebant.* Significatio *Præp. Evang. l. 1. c.*

ficatio hæc fuit: Saturnum & dormientem cernere, & vigilantem dormire. sicut & per alas, eum quiescendo volare & volando quiescere indicabatur. Rursum vero, duæ capiti appositæ alæ erant: ἓν πτερὸν ἐπὶ τοῦ ἡγεμονικωτάτου νοῦ, καὶ ἓν ἐπὶ αἰσθήσεως. una animi, qui dux & imperator vitæ est, Principatum: altera vim sentiendi designabat. Quæ ut latius ad institutum accommodemus, non desiderabunt, qui prædicta meminerunt.

CAP. IV.

De vario usu hujus argumenti in vita civili.

OPeræ pretium est ea quæ hactenus dicta sunt, in rem & usum præsentem deducere, & quæ in actu civili consilia, inventa, monita, formulæ hinc emergant, paucis exemplis ostendere. Ac primum quidem, *consecrationis & ἀποθεώσεως fastum, sive in viventibus sive in defunctis Principibus quomodocunque affectatum aut usurpatum, exesse jubemus & inter abusus referimus*; sicut è superioribus constare potuit. Nec est, quod quis Constantini Magni i. e. Christiani Imperatoris *Consecrationem* numismati inscriptam velit objectare: quæ scilicet *Christiano sensu, non de immortalitate in terris à mortalibus collata; sed de calorum gloria donata divinitus*, interpretanda est; monente *G. I. Vossio*. Qualia deinceps etiam Christianis Poëtis & Panegyristis in occasionem figurarum placuere. nec obscurum esse potest, quousque universim divinitatis elogia & formulæ admitti debeant.

Theolog. gentil. 1. 12.

De cetero, *Principi ipsi consideratio auspicii sui modestiam in secundis, fiduciam in adversis, rationem in impeditis facile suppeditabit: & præsertim consilii actusque normam præbebit.* Cogitet secum & ratiocinetur Princeps ad formam illam, Neroni à *Seneca* præscriptam: *Ego ex tot mortalibus placui, qui Dei vice in terris fungerer, qui illustre majestatis divinæ insigne, tanquam salutare populis sidus circumferrem: mihi summæ rei ordinandæ con-*

Lib. I. de clem. c. 1.

da consilioque & ope moderanda facultas commissa est; meum munus cælum amat ornatque, angeli tuentur, homines venerantur. providendum est ergo, ne quid virtute & fastigio Principali indignum in moribus. in propositis meis conspiciatur, ne fortunam auspicio meo destinatam vel male consulendo fatigem, vel ignave cessando destituam, quæque plurima ejus generis, pia & intenta regiis curis meditatio ultra subjicitur. Exemplo *Davidis*; cujus carmina Regiam de auspicio disciplinam, incomparabiliter repræsentant.

Interrogabimus hic in transitu, *an Princeps sui auspicii conscius, omnia procul per ministros acta, in sermone & scriptura sibimet queat vendicare?* Ridet & increpat eo nomine Constantium *Ammianus Marcellinus fine decimisexti*, quod de prælio Juliani apud Argentoratum commisso edixerit: *se aciem ordinasse inter signiferos, & barbaros fugasse præcipites, sibi oblatum Chonodomarium*: cum tamen tanto absuerit intervallo. Vide plura ejus notæ in antecedentibus. Quæ referens *Gruterus, Philosophum potius quam historicum agere Marcellinum*: ait: *neminem enim regum unquam aliter scripsisse, imo aliter scribere debuisse ad homines aulicarum rerum peritos.* Sed Historici censuram, ni fallor, tuetur facile, tum *propositum arrogantiæ* in Constantio, satis manifestum, quod à majestate auspicii & magnificentia longissime abest: tum *stili & scripturæ παράδοξος insolentia*, quæ Principis orationem semper, nunquam autem magis dedecet, quam ubi de mysteriis aut elogiis majestatis agitur. Nemo autem reprehendet, si Princeps, *oratione à civili communique sensu non abhorrente* præsentiam auspicii sui in vincendo longinquo hoste, gerendisque in remoto orbe negotiis, *modesta grandiloquentia* promulgaverit; *suis temporibus, suis armis, suis ducibus hanc victoriam fortunamque contigisse; sibi concessum, ut reipub. maximi boni auctor fieret.* quæque alia elegantius formari possunt, ubi locus & usus postulat. *Temperant* enim *Principes auspicii sui prædicationem, expresso divino favore & gratia*, cujus peculiare munus vocant, quæ prospere gesta sunt: itemque *commendata ministrorum opera & fide.* Quæ civilitas, sicut à superioribus aulicis pro necessaria interdum non habetur, ita

disc. 1. in Tac.

ita præter exemplum præmii & instigationem virtutis apud cives, etiam in partem magnificentiæ venit, ut publice ostententur, quales divina bonitas auspicio Regio ministros præstiterit. Neque satis intelligunt magnitudinis Principalis mysteria, qui non animadvertunt, illas ministrorum laudes à Principe profectas ad Principem redire. Multum itaque Princeps ipse absit ab invidia illa & æmulationis studio, quod in *Philippo* traducit *Demosthenes*, in *Alexandro Curtius*, in *Tiberio & Domitiano Tacitus*; cum ut suæ demtum gloriæ, quidquid alienæ cessisset, autumarent. Qui affectus, si ei indulgeas, in tyrannidis probra proficit, veræ magnitudinis generositatem violat, quæ illustrare potius quam obscurare suos, id est, non per se modo sed in aliis etiam & per alios lucere debet.

At ministrorum propria hic virtus & prudentia est, *non Principis sed sua fortuna se metiri, neque sibi gloriam rerum gestarum, sed domino, à quo fatum acceperunt, cujusque auspicio auspicatum habuere successum, tribuere.* Estque hoc inter artes obsequii aulici præcipuum, quod requiritur, consilium: *Lips. 3. pol. 11.* cujus vim non satis explicant, qui tantum de *ingenio regio* monent; cum potior sit ratio *in auspicii regii sanctitate*; quæ & alias obsequia aulæ moderari debet. Ministri nimirum est, non affectui modo Principis se hac in parte attemperare, sed omnino credere ac intelligere, *Dominorum esse fortunam & gloriam gestorum, neque rem divinitus fastigio Principali assignatam privato ausu attrectari aut aspirari debere.* Qui hanc sapientiam non capiunt, vix est, ut idonei & fidi magnarum rerum adjutores sperari queant. Agrippa ille *scientissimus parendi*, elogio *Velleii*, *2, 79. 1.* Augustum in comparando & componendo imperio turbasset potius quam *Tac. 2. H. 77.* juvisset, si auspicii sanctitatem minus æstimasset. Et Mucianus, cum Vespasianum ad capessendam remp. hortatur, primam suæ operæ consiliique fidem repræsentat, quod auspicia ipsi, sibi autem intelligentiam auspicii & venerationem, tanquam in antecessum admetitur. Dicam amplius, quod observent, qui imperiorum origines

& fata

fata scrutantur: *Deum quotiens magnis imperiis vel forman-s vel firmandis instrumenta struit, adjutores quosdam Principum c virtute obsequendi, & auspicia Principalia propitiandi, peculi-iter instruere, sive hunc affectum animis ipsorum penitius impri-ere, quo ardui regiminis fortuna omnino carere nequit.* Exem-la *Josephi, Davidis, Danielis* huc pertinent; cum aliis, quæ pra jam tetigimus. Huc referunt plerique illa modestæ rudentiæ specimina, cum Joabus, excidium urbis Raba-æ, Davidi reservaret; *capta urbis titulo, ut par erat, Regi lens*, sicut in simili obsequio Crateri loquitur *Curtius*. Et notavit complura exempla *Gruterus* ad illud Taciti: *Fron-us vir magnus, quantum licebat.* Quam factorum modera-onem, etiam verborum temperantia comitari debet: cu-s characterem alibi commendavimus sub exemplo Ger-anici, qui de re Romana *magnifice*; *de se, cum decore & odestia* loquitur apud Historicum. Graves sunt Regibus, c fortasse immerito, qui *nimia jactatione virtutis atque o-ra* apud aures regias utuntur: quod vel Philotas Cur-anus nos docere potest. *Rarum* enim est *in Principe ac pro-insolitum, ut se putet obligatum, aut, si putet, amet.* Quam anegyrista sententiam notabili dicto exemploque Ludovi-sui confirmat *Comineus*. Semper hic morem ingenii re-, quatenus ex vitio aliquid trahit, sequestramus: sed r se non obligatos putent Principes, si ministros suos id lle aut postulare, aut exprobrare animadvertant; causæ n leves ex auspicii majestate ducuntur. Cujus sensus n tener est, ut non patiatur sua arcana tentari aut at-ctari.

3. Reg. 12. Joseph. an-tiq. 7, 7. 6, 6, 33. Agr. 17, 16. Tac. 2, A. 58, 2. ap. Curt. 6, 8, 3. Plin. paneg. 60. Lib. 5.

De Muciano, post bellum Vitellianum auspicia im-rii & Principis tentare auso, memorabilis est *Taciti* ex-sitio: *Miserat*, inquit, *& Mucianus epistolas ad senatum, quæ teriam sermonibus præbuere: si privatus esset, cur publice lo-retur? potuisse eadem paucos post dies, loco sententiæ dici. Id o erga Remp. superbum, erga Principem contumeliosum, quod manu sua fuisse imperium, donatumque Vespasiano jactabat.* ui Taciti stilum capiunt, multa in paucis vident, quæ n vacat nunc exequi. In summam breviter monemus:

4, H. 4.

Intolerabile habere Principibus, si quis res vel ad auctoritatem vel ad secreta auspicii pertinentes rimari aut vindicare instituat. Ponam in exemplum quædam, ut memoria suggesserit. Considera increpationem illam, qua *Tiberius* apud Tacitum perstringit Gallionem, qui censuerat, ut prætoriani actis stipendiis jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus
6. A. 3. sedendi. *Quid illi cum militibus?* inquit, *quos neque dicta nisi imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipere par esset.* Animadverte, quibus verbis Aristandrum suum Alexander Macedo objurget, ob enuntiata Erigyio extorum præsa-
Curt. 7. 7. 24. gia. *Non rex,* inquit, *sed privatus sum. sacrificium ut faceres, mandavi: quid eo portenderetur, cur apud alium quam apud me professus es? Erigyius arcana mea & secreta te prodente cognovit.* Vis scire, quam late pateat hæc admonitio? Dicat tibi
Tac. 6. A. 8. 6. Romanus Senator: *Abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps, nec ideo assequare.* Nec figu-
Nazar. pan. Const. cap. 5. ras tantum captat *Panegyrista*, cum scribit: *Existimare de Principibus nemini fas est. nam & in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio; & si qui mentem propius adegerunt (quod oculus in solem se contendentibus evenit) præstricta acie, videndi facultate caruerunt.* Addam non ineruditum schema *Barclaij*, qui in *Icone animorum*, ubi de ingenio Regum mentio oblata esset, obsequii aulici arte & prudentia phi-
cap. 13. losophiam suam ita temperat ac restringit: *sed hanc mentem Regum,* inquit, *se ipsam uni Numini debentem explorare fortasse sacrilega sapientia esset; neque fas nobis deprehendere illos motus, quos ad gubernationem Orbis, & mutationem rerum, ac præcipua humani generis fata, illis divina vis ingenerat.* Digna sunt inspici, etiam quæ sequuntur. Nobis enim sufficit talia indicare. Quid Albano Duci acciderit, cum devictis hostibus trophæum sibi statuisset, notum est ex Scriptori-
Lib. 7. Hist. an. 1569. bus rerum Belgicarum. Nec tacuit ipse *Famianus Strada* indignationem Hispanorum, in quam insolentia ea incurrit. *Nec alia crebrior* (ita pergit) *sermonis materia in Regis aula; irridente in primis Roderico Gomesio, veteri æmulo, fidelissimi appellationem ministri; nempe qui gloriam Principi suo debitam interverteret, ad seque transferret.* Nota acumen aulæ. Su-

specta-

ectatur fides Albani in eo, quod gloriam rei gestæ Re-
s auspicio cultuique debitam, trophæo nomini suo ere-
o, quasi interverteret, & tamen interim *fidelissimum* se
nistrum in illo ipso monumento inscriberet. Repeten-
huc sunt, quæ supra monuimus. Domitianus ægre tu-
, quod Lucullus Britanniæ legatus lanceas novæ formæ *cap. 1, n.*
cullaas appellari passus esset, referente *Suetonio*. Sed illud *c. 2. 5.* *Dom. 10.*
rannicum est.

Potest nunc etiam judicari, quantum peccent mini-
orum & Procerum illi, qui arcanis imperii incubant, ut
nnia ad se trahentes, Principatus se arbitros constituant,
incipe variis artibus à curis & negotiis imperii excluso.
nt quantovis licet ingenio aut industria præditi, *majora,*
am capiunt, spirant; id est, attrectant sacra, privata for-
sublimiora: & quorum religionem violat, quisquis
nisterii sequiique limites egreditur. Non tolerat hic
rrus solis alium aurigam, quam Phœbum: vigilatque
vina Justitia adversus eos qui auspicia majestatis, id est,
ei proprium in regno characterem, contra destinationem
ei in se transmovere student. Hinc illud secretum, quod
aula facilius & frequentius evenit, quam observatur:
od interdum Præpotentes viros, qui omnem aulam diu possede-
t, inopinus & mirabilis casus sternit, non illæ tantum causæ sunt,
vulgo feruntur creduntur que; sed vel præcipue ista, quod de
igio fortunæ atque auspicij Principalis, quod in summo potentiæ
licæ gradu revereri debebant, aliquid ausi sunt animo delibare,
profanas tam cœlestibus pignoribus si non manus, certe cogitatio-
admovere. Deus occultorum arbiter ista videt, & ulci-
tur: &, cum ultus est, non vult à nobis præteriri.

Quomodo *omnes omnino cives, majores, minoresque, ma-*
ratus item superiores ac inferiores (quis enim respectu Prin-
is non est privatus?) *auspicij regij veneratio ad fidem, obse-*
um, reverentiam, patientiam formare debeat, satis hactenus
ulcatum est, neque nunc copiosa declaratione indiget.
os imperatores, voto expetendos, qualescunque tolerandos, non
te minus quam pie & vere dicitur apud Tacitum. Va- *4. H. 8, 3.*

leat hic quoque sano sensu illud ex *Justino*: ut *regum nomina, sicut numina* habeantur; id est, ut Deum in Regibus omnes revereantur. Ingens est argumentum, nec immerito ab *Alberico Gentile* urgetur, quod cædes etiam tyrannicorum Principum magnis sunt malis publicis privatisque expiatæ: neque frequentior majorque calamitatum acerbissimarum causa res humanas afflixit. Deus est in Majestate, in auspicio, in Regibus: qui, tanquam ignis consumens, impios audacesque perdit. Non mirum est, si gentilium aliqui præfidentius in hoc argumento sunt versati: nam *Divini juris disciplinæque* præcipue est, quod reges inviolabiles reddit. Et tamen quis ferme ex paganis in periculosa ejusmodi decreta progressus est, præter Stoicos, Regum contemptores; & qui Stoicorum, subtilitatem & gravitatem plus satis asseverantium, disputationibus est seductus? Adversus quas ceteri merito opposuerunt *sanctissima gentium jura*: quorum placita, cum magnam partem ex diviniore principio proveniant, non debent civitatis unius, haud semper bene consultis, aut certe inferioris auctoritatis rationem sequentibus legibus, vel umbraticis speculationibus convelli. Loquimur de Rege, qui hujus nominis mensuram implet: non de eo, qui nomen sine re, aut partem tantum imperii habet. Quamquam ibi quoque in partem tutiorem & minus audacem flectenda sunt consilia: neque quidquam committendum, quo minuatur *obsequii gloria*, privatarum maxima laudum.

24. 5. 9.

in diss. Regal. 1. de vi civil. in Reg. semper injusta.

Tac. 6. A. 8, 5.

De cetero *ministrorum magna esse debet circa auspicium sui domini cura, tum in consulendo, tum in agendo.* Cariora sunt Deo consilia, quæ auspiciorum mysteriis, quatenus licet & fas est, attendunt: videturque plus in divina ope reponere, qui id suarum cogitationum moderamen constituit. Non bene consulunt rebuspublicis, qui omnia suis inventis commentisque metiuntur; & saltum, ut sic loquar, in sua sapientia committunt, dum illustrem & ad providendum efficacem de auspiciis locum patiuntur vacare: cum Deus maxima regnorum momenta, præter & contra

contra opiniones humanæ sollertiæ moderetur. Quæ divina provisio, quatenus singillatim præteiri non potest aut inspici, universim tamen in consilio capiendo, à nimia sapientiæ fiducia, ad cautas & undiquaque porrectas curas, animum temperabit: Deumque consiliorum auctorem & auspicem advocare docebit. Alias in neutram partem expedita ratio est. Feliciter utitur argumento auspicii Regii Parmenio apud *Curtium*; cum in ancipiti deliberatione, denique *felicitati regis sui confisus*, rem aggreditur & conficit. & aliquoties, ipse Rex, *felicitati suæ ut confiderent*, ministos monuit: majoribus scilicet motibus animum herois fati sui sensu imbuentibus. Ex diverso Othonii vani fuerunt augures Titianus & Proculus, cum *numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus* testarentur. Quæ exempla ideo produxi, ut quodammodo diversitatis ratio notaretur. Ridiculus fuit *Vitellius*, qui rebus extremis, *Cæsaris* nomine assumto, quod antea distulerat, fortunam instaurare voluit: quasi omen auspicati nominis tueri posset, quem sua jam vitia perdiderant. Superstitiosus *Vespasianus*; cum adulantium vocibus induci se passus est, ut *cuncta fortunæ suæ patere*, cæcoque visum à se reddi posse existimaret. Videas tamen talia quædam ferri de Regibus, in quibus, si aliquid gravioris consilii subest, eo spectabunt inventa aulicorum, ut beneficia per Reges in humanum genus divinitus conferri solita, quodam quasi pignore affirmarent. sed plerumque adulatio, & fabulandi libido suas strenue partes interponunt.

3. 11. 4.
7. 7. 28.
Tac. 2. H. 33. 2.
3. H. 58. 6.
4. H. 81. 7.
V. Voss. Theolo gent. 3. 17.

Alias non pauca occurrunt *in venerando auspicio Regio commenta*, quibus non modo veniam largiri, sed *sollertiæ quoque & elegantiæ ac subtilitatis aulicæ* elogium admetiri ...s fuerit. En tibi callidum illud & celeriter repertum à magno aulico! cum Alexandri pedibus Darii mensam aquis puerorum subjecisset, & Rex monitus à spadone, verecundia mutare factum cuperet, repente Philotas: *minime vero hoc feceris Rex, sed omen quoque accipe; mensam, ex qua ...avit hostis epulas, tuis pedibus esse subjectam.* Jam illud L. Curt. 5. 2. 15.

Sueton. Vitell. 2. Vitellii consilium, quo peritissimus obsequendi artifex, Syriæ tum præpositus *Artabanum Parthorum Regem summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit*, quam pulcre auspicii Romani gloriam illustrat? Auctoritatem & gratiam auspicii non inepte in publico ostentavit, qui Domitiano suasor fuit, ut *Jovi custodi templum seque in sinu Dei sacraret*. 3. H. 74. 2. vide historiam in *Tacito*. Nec abludit ab hujus argumenti prudentia, *Fraternitas & cognatio illa naturalis Regum Principumque inter se*: Henric. Vales. annot. ad Marcellin. 17. pag. 138. quæ decore repetita est ex illa summæ fortunæ auspiciorumque communione. Fortasse nec inutilis fuit sparsa à Prudentibus in vulgus opinio, *de sede imperii non mutanda aut deserenda; eo quod talia consilia inauspicati ominis essent, nec fortuna loci transferri posset*, L. 5. c. 54. ut loquitur apud *Livium* Camillus. Unde Suet. Jul. 79. talis consilii opinio Julio Cæsari exitium maturavit: nec Calig. 49. minus Caligulæ. Quis non animadvertat sollertiam illius 10, 6, 5. artis, quam Ptolomæo *Curtius*; Eumeni *Diodorus* & *Nepos* Lib. 18. tribuunt: cum post mortem Alexandri, sella in principiis cum sceptro & diademate posita specie & nomine Regis, gerendis rebus auspicium quæreretur? Sunt & alia ejuscemodi inventa, quæ nemo nisi auspiciorum mysteria edoctus excogitaverit, aut intellexerit.

Magis seriæ venerationis est, quod *nemini privato insignia imperii usurpare, aut e. g. sellam Regis sive Imperatoris occupare licuit*; quod capitale fuisse apud Persas & Romanos, lib. 8, 4, 18. in Galba. *Curtius* & *Xiphilinus* produnt. De tiara, supra dictum est. Præsertim autem *mos jurandi per nomen Principis* huc pertinet. Cujus moris ratio in militaris jurisjurandi formula Lib. 2. c. 5. ubi vide Stewech. apud *Vegetium* explicatur. *Jurant* inquit, *per Deum, & per Christum, & per Spiritum Sanctum, & per majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus.* Lib. 8. Itaque cum *Herodianus*, sacramentum militare σεμνὸν μυστήριον gravissimum Principatus Romani mysterium vocat, pars mysterii ejus ex auspicii veneratione,

ne, quod hic significatur, interpretanda est. Apud *Dionem* lib. 57.
eges, *per fortunam Cæsaris* juratum. Apud Suetonium Clau- Claud. 11.
dius, jusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius insti-
tuit, quam *per Augustum*. *Per salutem Alexandri* jurari sibi
postulat Philotas apud *Curtium*. Etiam in sacris occurrunt 6. 11. 18.
exempla jurari *regii solii*, itemque *salutis regiæ*. à quo juran-
di genere ne Christianos quidem abhorruisse, *Tertullianus* au-
tor est. Qualia congerunt, & censura sua prosequuntur Vid. H. Grot.
explicantque, qui de jurejurando scripserunt. Nobis ea- de jur. bell.
tenus facienda hujus rei mentio fuit, ut intelligeremus, 2. 13. 11.
interpretationem ejus jurisjurandi ex auspicio regio ple-
rumque partem repeti oportere; quod Deus in terris ita
eminere voluit, ut saluti Principis populorum salutem in-
necteret, suique numinis munificentiam hoc veluti sym-
bolo humano generi promulgaret.

Cumprimis autem hujus argumenti magnus est usus,
in civili stilo, sive publica scriptura. Hinc enim emergunt
gravissimæ sententiæ, quibus majestas regia à Deo dedu-
citur, ex Deo illustratur; hinc regia opera, consilia, fata
suam æstimationem libenter mutuantur: hinc mysteria re-
gnorũ doctis explicantur, vulgo indicantur. Hinc in omnes,
quæ regio nomine suscipiuntur, actiones, aliqua species, &
quasi proprius, id est regius color inducitur. Hinc discimus,
cũ Corbulone, *magnifica de auspiciis imperatoris* sentire, & quo- Tac. 15. A.
tiens opus est disserere. Hinc intelligimus Regios orato- 26. 3.
res, quoties regiæ majestati dignum os accommodant.
Hinc ipsius Principis edicta, & scripta, suo, id est, Princi-
pali charactere metiendo observamus. In quibus omni-
bus magnificentiæ ita est litandum, ut sanctioris philoso-
phiæ decreta, sententias, inventa, figuras semper tempe-
rent atque moderentur. Sed & temporum aures, ac sæ-
culi genius attendi debent, qua fas & mos est: ne quid
parum accurrate hic geratur. Verum hujus sapientiæ &
eloquentiæ recondita in alto penetralia, suo tempore, si
Deo visum fuerit, opportunius ingrediemur.

V.

ΙΣΟΨΗΦΙ΄Α
ſive
CALCULUS MINERVÆ.

Origo nominis & rei, ex hiſtoria fabulari repetitur: atque ad veritatem philoſophiæ civilis exigitur.

MInervæ calculum ſeu *ſuffragium*, id genus paris numeri in ſententiis variantibus vocari, quo reus abſolvitur, Græcorum mos tenet. qui hujus vel *Legis* vel *Conſuetudinis* (utroque enim nomine apud Scriptores conſignatur) Minervam repertricem laudant, in cauſa parricidii Oreſtei, tot veterum, præſertim Poëtarum, μυθιστορίαις celebrata.

Clytæmneſtra enim Agamemnonis uxor, maritum è Trojano bello reducem, ope adulteri Ægiſthi uſa interemit. idemque fatum Oreſtem puerum manebat. ni Electra ſoror clam ſervatum educari curaſſet. Is ergo adultus, Patris necem occiſa Matre ulciſcitur. Hujus parricidii nomine, cum certa ipſi apud Argivos damnatio propoſita eſſet, Athenas profugit; Minervæque ſupplex factus, in Areopago cauſam dixit: accuſantibus (ut nunc ex fabulis iſta ſumamus) Furiis; judicantibus Areopagitis.

Quamquam de *Judicibus* diſcrepant. Nam *Demoſthenes contra Ariſtocratem*, diſertis verbis ait: δικάσασθαι Εὐμενίσι καὶ Ὀρέστῃ τοὺς δώδεκα θεούς, *Furiis ac Oreſti duodecim deos jus dixiſſe.* Hunc ſecutus *Ariſtides in Panathenaica*, itidem *de diis*
tom. 2. orat. 14. *judicibus* pronunciat. *Libanius* etiam *in Florentium* de cauſa Oreſtis ait, ὅτι καὶ θεοῖς εὖ ἔχειν ἔδοξε δικασαῖς, *quod dii quoque judices bene eam habere decreverint.* ne de junioribus, qui exſcripſere, dicam. In *Scholiis Græcis ad Euripidis Oreſtem* legas:

Miner-

rum & *Martem judicasse*, id quod non satis caute posi-
est: nisi Minervam præsidem civitatis, cum Marte,
huic judicio auctoritatem commodasse dicas. sicut
pollo fecit, qui suo consilio & subinde testimonio ju-
fingitur apud *Æschylum in Furiis*. Atque hoc est, quo
ides ipse θεὺς δίκης βραβεῖς *Deos moderatores judicii* vocat: Orest. v. 1652.
autem jam melius (neque enim unum auctorem ha-
) τῆς κείνων διοικήσεως eodem sensu interpretantur.

Quod de numero duodecim deorum allatum est, se-
us ex vetustiore judicio, in controversia Martis & Ne-
i, ubi totidem dii judicarunt, transsumtum videtur.
re & *Libanius*, qui *Apologiam Orestis* conscripsit, judices tom. 1. dec. 5.
pellat ἄνδρας δικαστάς. & Eumenides apud *Æschylum* ξέ-
ve hospites vocant. Quin & *Scholiastes Græcus Æschyli*,
XI. numerat. de quo numero interim videndus *Meur-*
Areopago. cap. 3.

Cum autem numerus Judicum impar, in quo jus
oris partis facilius se exerit, εὐλόγως etiam hic præfera-
hinc est, quod Minerva apud *Æschylum*, ubi totius ju-
forma exhibetur, sibi vindicat ultimi jus calculi, ce-
rum judicum calculis æquandis.

> ἐμὸν τόδ' ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην.
> ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προσθήσομαι.

si dicat: *Ego ultimum calculum apponam, ut, si pares sint,*
vincat, sicut *Scholiastes Vetus* explicat, ex ipsis Minervæ
is insequentibus:

> νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.

llo autem Judices monet, ut calculos rite effundant,
e in dinumerandis albis atrisque errent: defectu enim
s calculi ingens infortunium, præsentia vero unius,
em toti domui contingere.

Mox dinumeratis calculis, Minerva salutarem sen-
am in hunc modum enuntiat:

ἀνὴρ ὅγ᾽ ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην.
ἶσον γάρ ἐςι τἀρίθμημα τῶν πάλων.
Evasit hic vir ultionem sanguinis,
nam calculorum numerus æquus exiit,

Apud *Euripidem in Iphigenia Taurica*, Orestes ipse, Deorum beneficia recensens in hoc judicio, *Apollinis testimonio se sublevatum; Minervam autem paria sibi suffragia numerasse, ait:*

v. 961. —— ἴσας δέ μοι
ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ.

postea Minerva amplius hujus meriti admonens Orestem addit: *Legem in posterum hanc futuram, ut vincat, qui pares calculos habuerit.*

v. 1471. —— νόμισμ᾽ εἰς ταυτὸ γε
Νικᾷν, ἰσήρεις ὅςις ἂν ψήφους λάβῃ.

Quæ omnia ita prædicunt Oresti anxio, Gemini, *in Electra Euripidis:*

v. 1265. ἴσαι δέ σ᾽ ἐκσώσουσι μὴ θανεῖν δίκῃ
Ψῆφοι τεθεῖσαι.
Servaberis, ne judicatus occidas,
per calculos pares.
v. 1268. κ̓ τοῖσι λοιποῖς ὅδε νόμος τεθήσεται,
Νικᾷν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ᾽ ἀεί.
Et ceteris lex ista promulgabitur,
Ut semper paribus calculis vincat reus.

Hæc, sicut clarissima sunt, ita paulo uberius adferenda videbantur, quia ab aliis *calculus Minervæ*, aliter vel explicatur, vel explicari videtur: quasi non de *Lege parium tabularum* accipi debeat; sed de illo casu paritatis, cum in alteram partem, absolventem scilicet, aliquis calculus adjicitur: ut reus jam non vincat paribus tabulis, sed majoris partis suffragio, si pars damnans uno tantum calculo su-

ſuperetur. ſicut ex diverſo apud *Demoſthenem in Midiana* Evæon una tantum ſententia condemnatus memoratur.

Ariſtides enim, *encomio Minervæ*, refert : *Minervam tum demum, cum calculi exiſſent pares, ſuum adjeciſſe abſolventibus, atque ita reum liberaſſe; idque eam deinceps etiam facere, quotiens pares ſint ſententiæ.* Ita etiam *Julianus, Athenis,* ait, *cum varia exiſſent ſuffragia, Minervæ calculum adjectum reo eſſe.* Ex quibus locis *Meurſius* ita deſcribit Calculum Minervæ: *Abſolutus autem in hoc judicio Oreſtes, cum, æqualibus utrinque ſuffragiis, ſuum ipſi calculum Minerva adjeciſſet : unde poſtea uſurpatum in ſententiis ferendis, cum ſuffragia eſſent paria, ut abſolveretur reus, adjecto calculo, qui Minervæ, in memoriam hujus rei, dicebatur.* tom. I. in Areop. cap. 10.

Si opponi debeant inter ſe auctoritates, dubitari nequit, quin potius audiendi ſint, qui deſcribendo negotio vacarunt, quam qui inciderunt. Ego tamen malim credere hoc eos ſenſiſſe, qui de adjecto paribus, calculo vincente loquuntur : *Minervam æquum cenſuiſſe, ut in caſu parium tabularum, & nunc, & deinceps, potior ratio haberetur partis abſolventis, atque hanc ab ipſa æquitate profectam ſententiam fuiſſe Oreſti, & aliis reis loco calculi vincentis*; ut hactenus figurate potius quam proprie dictum videatur. Si cui hoc non arrideat, non obſcurum eſt, ſicut dixi, quæ explicatio præferri debeat : cum *Lex de paribus tabulis*, citra novam adjectionem calculi vincentis paſſim memorata Hiſtoriis, tractata Controverſiis reperiatur.

Conſentit in eo ceteris *Ariſtides*, ut ante cœpimus dicere, quod ex hoc tempore, ſive, inde à judicio Oreſtis, invaluerit *Calculus Minervæ*, ſeu *mos abſolvendi paribus tabulis reos.* εἰσέτι γὰρ ἐξ ἐκείνου ταῖς ἴσαις προστίθεσθαι παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς κρατεῖν. Sed quantum differt narratio, quam ex *Varrone Auguſtinus* adfert : *Mars quum homicidii crimine reus fieret, judicantibus duodecim diis in Areopago, ſex ſententiis abſolutus eſt : quia ubi paris numeri ſententiæ fuiſſent, præponi abſolutio damnationi ſolebat.* Si hæc ſibi conſtare debent, origo ἰσοψηφίας, de qua loquimur, antiquior eſt : cum judicium cædis, Encom. Minerv. de civ. Dei 18, 10.

quo Mars causam dixit, omnium in Areopago primum ponatur. Sed has ipsas historias fabulares sæpe confundi, jam vidimus.

Supervacuum est monere, arbitror: alias esse *sententias pares*, quæ apud *Apulejum Milesiarum decima*, judicum omnium consensum notant; quales ἴσαι ψῆφοι etiam *Polluci* lib. 8. n. 4. memorantur. Nobis enim incumbit, ut ad rem ipsam evolvendam propius accedamus. Ceterum, antequam involucra fabulis demantur, in nostro argumento: non abs re videtur, mentionem facere similis instituti, quod *Philippus Melanchthon* in consideranda & explicanda Martis fabula, quam paulo ante tetigimus, tenuit.

Ita autem ille *Epitoma philosophiæ moralis*: *Græci fingunt, in Areopago Deos exercuisse duo judicia capitalia. in altero ajunt Martem accusatum esse à Neptuno. Mars enim interfecerat Halirrhothium Neptuni filium, propter stuprum oblatum filiæ Alcippæ. Est autem Mars absolutus Deorum judicio. — Hic quæritur de stupri pœna; an Mars potuerit stuprum filiæ punire cæde. Secundo, si supplicium fuit atrocius justo, an habeat excusationem, quod paterno dolore injuriæ filiæ vehementer commotus sit. — In priore loco de pœna stupri, ratio naturalis judicat, stupra severe punienda esse. id ut significarent Græci, finxerunt hanc pœnam stupratoris, & quidem Deum authorem supplicii fecerunt, ut monerent, Deum offendi, si hujusmodi flagitia non puniantur. itaque in civitatibus jure constitutis semper fuerunt leges de stupro.*

Distinguitur posthæc, *stuprum vi factum*, à *stupro sine violentia facto*. Et quanquam apud *Libanium*, Mars prioris generis faciat crimen Halirrhothii, quod scilicet non magnam habet quæstionem; tamen *Philippus* putat, *casum Alcippes confictum esse, de posteriori genere, ut in controversia dubia exemplo esset videlicet de stupro sine vi facto, an id quoque atrociter puniendum sit; an pater justo dolore vehementius commotus habeat excusationem.* Licet igitur dicatur, Marti non licuisse interficere Halirrhothium, *tamen quia hæc cædes multa habet dissimilia homicidiis, quæ lege puniuntur, ideo fingitur hæc fabula, ut moneat, ἐπιείκειαν in judicando adhibendam esse, si rationes probabiles propter dissimilitudinem circumstantiarum suadeant*

ant, remitti aut mitigari pœnam. Halirrhothius prior intulit injuriam, & in ea re, quæ justum & ingentem dolorem adfert patri. Quia igitur pater, non sua cupiditate, sed atrociter irritatus, ultus est contumeliam, judex non pronuntiat secundum illam legem, quæ punit homicidas sævientes propria cupiditate sine probabili caussa, & propter hanc dissimilitudinem remittit aut mitigat pœnam, præsertim cum in vicinis casibus aperte concedatur iracundiæ patris aut mariti, videlicet in pœna adulterii. præterea docet deos, id est, Reges, exemplo suo declarare, se non leviter irasci stupris & libidinibus. Ideo severius punienti facilius ignoscunt. propter has caussas Mars juste absolutus est.

Qui de meliore disciplina aliquid capiunt, satis intelligent, quo pertineat exemplum tanti viri, in tractanda sine fuco, quamquam nescio an ex voto τῶν δοξομανῶν, hujus generis philosophia: quod propterea ut paulo fusius adduceretur, operæ pretium debui credere. Sed ad rem nostram revertendum est. Videntur ergo hoc voluisse, qui *Minervæ calculum* commenti sunt: Incidere interdum ejusmodi controversias, in causis præsertim capitalibus, quæ judicum animos possint diverse trahere: sitne potius magnitudo criminis, an causa criminis respicienda: sitne plus odii in hac, quam in illa parte: sitne vel absolutio vel damnatio Rei, plus boni sive ad emendandos singulos, sive in publicum allatura: an prævalere debeant minuendæ tollendæve pœnæ invitamenta, exercendæ legis hortamentis? cum præsertim nulla, sine prudenti æquitatis temperamento, judicia suum decus laudemque tueantur; omnisque non temeritas modo, sed rigor quoque flecti nescius, à summis præsertim tribunalibus abesse debeat, sicut ejus rei Areopagi, tanquam perfectissimi judicii, instituta, luculentum perhibent testimonium. Quod si ergo contingat, ut judicum sententiæ, rationibus utrinque suis suffultæ, usque ad æquilibrium dissideant, nihil æquius videri, quam ut pars humanior vincat, sive, ut potior absolutionis quam damnationis ratio habeatur. Atque hoc temperamentum justitiæ, dignum scilicet crediderunt, quod in perpetuam legem, ubivis gentium iret.

Quæ ipsa fuerit *Lex absolutionem dans paribus tabulis*, de qua agimus; νόμος ἰσοψηφίας *Dionysio Halicarnasseo*; sive, ut retineamus nostræ dissertationis titulum, *Calculus Minervæ*.

lib. 7.

A *Minerva* enim repetitur Legis origo, non tantum eo sensu, quo tanquam divinum inventum Leges celebrari solent, sed præsertim etiam *Sapientiæ & Summæ potestatis* respectu: cujus utriusque specimen subest: Nam & singularis Sapientiæ est, juris scribendi reddendique æquitati viam & rationem & modum dare: & Minerva huic judicio præfuisse fingitur, sicut Principes solent & summi rerum arbitri; quos vel maxime decet, suæ auctoritatis momento rigorem juris in mitiorem partem inclinare, legum moderandarum occasiones prudenter occupare, benignitate denique & clementia imperii potestatem temperare. qua virtute divinitatem Principes imitantur.

Atque, ne quid offensa plane Justitia geri videretur, post absolutum Orestem, Minerva *Eumenidas*, pœnarum & ultionis ob malefacta exactioni præpositas, adeoque accusandi officio functas, longa oratione placat apud *Æschylum*: neque contumeliæ ipsarum, absolutionem Rei datam, ostendit; magnamque in posterum honoris ipsarum rationem habendam, pollicetur. Quinimo *Eumenidum* nomen, quod benevolentiam & placabilem animum notat, ex hac ipsa causa & fabula ortum traditur, cum antea *Erinnyes* dicerentur. qui scilicet, severitatem & justitiæ rigorem ita amarent, ut tamen prudentis clementiæ & æquitatis rationibus non in infinitum repugnarent. eleganti commento; & quod longe concinnius refert antiquorum doctrinam, quam illa ἀντίρρησις, quæ *Scholiastæ Thucydidis* placuit.

ὑπόθ. ἐυμ. Αἰσχύλου

ad lib. 1.

Est & in *loco* momentum ad hanc rem, non spernendum. Athenæ enim, non modo legum inventione, & judiciorum præstantia, sed æquitate insuper ac humanitate præ ceteris gloriantur. Unde & celebris *Ara Misericordiæ*. de qua *Pausanias*: ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλα ἐστιν οὐκ ἐς ἅπαντας ἐπίσημα, καὶ ἐλέου βωμὸς, ᾧ μάλιστα θεῶν ἐς ἀνθρώπινον βίον καὶ μεταβολὰς πραγμάτων ὠφέλιμος, μόνοι τιμὰς ἑλλήνων νέμουσιν

μιάτιν ἀθηναῖοι. *Sunt apud Athenienses in foro tum alia visu digna tum Ara Misericordiæ: cui Deæ, quod præcipuam in vita humana & rerum vicissitudinibus utilitatem adferat, soli Græcorum Athenienses, honorem tribuunt.*

Cum primis autem *Statius Papinius Thebaide ultima* non facunde modo describit, sed erudite interpretatur mysteria hujus religionis.

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram. sine supplice nunquam
Illa novo. nulla damnavit vota repulsa.

Quæ cum polita ἐξεργασίᾳ ornasset, Heraclidas auctores Aræ nominat; sed mox decora figura corrigit, & Deorum id munus agnoscit; qui, cum sint ipsi clementissimi, mortalibus exemplum suum tali symbolo commendaverint.

Fama minor factis. ipsos nam credere dignum
Cælicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque, minæque
Regnaque, & à justis Fortuna recederet aris.

Sequitur, quod primum *errore nocentes*; infortunio miseri non proposito sontes, illic asylum repererint: inde aucta loco cærimonia, etiam majorum scelerum rei pacem & veniam ibi acceperint; *& in iis Orestes.*

—— mox hospita sedes
Vicit & Oedipodæ furias, & Funus Olynthi
Texit, & à misero matrem summovit Oreste.

Quæ amplius hic dici poterant, sequenti annotatione comprehendentur forte commodius. Antequam enim *Legis ipsius de paribus tabulis examen* suscipiamus, non abs re fuerit,

rit, ad controverſiam Oreſtis quædam animadvertendi cauſa huc apponere.

Ad ea, quæ pro Oreſte & contra Oreſtem dicta ſunt dicive potuerunt, annotatio ſive ἐπίκρισις φιλοσοφική.

Collegit non indiligenter utriuſque partis argumenta in hac controverſia *Petrus Ærodius Decretorum libro V. tit. 9. ad legem Pompejam de parricidiis.* Contra Oreſtem facile fuit dicere; neque arceſſitis coloribus, aut artificio res indigebat, in crimine manifeſto, & communibus hominum ſententiis damnato, quod nec reus ἀπολογητικῷ αὐτοπροσώπῳ auderet purgare. Nam & ante facinus, cunctatio ei, & conſcientiæ lucta, decore apud *Euripidem* tribuitur: & poſt flagitium, Furiæ non exprobrant modo, ſed confeſſionem Oreſti extorquent. Huc enim ſpectat, tota Furiarum ſcena, ut ipſum prius Oreſtem ſibi antequam judicibus nocentem ſiſtant.

in Elect. v. 962.

Æſchyl. Choëphor.

Specioſe & valide exauditur in accuſatione, *Locus de judiciorum auctoritate, vindicta privatæ oppoſita*; quo Oreſtes, ſi voluiſſet necem patris in matre vindicare, debebat αἵματος δίκην ὁσίαν ἐπιθεῖναι ut eſt apud *Euripidem*. Sed hoc etiam in *homicidio* valet, ſicut vel *Libanii locus communis contra homicidam in Progymnaſmatis*, oſtendit. *Parricidium* autem proprie exaggerant, quæ *de naturali reverentia cognati ſanguinis, de pietate in parentes, & mutua* στοργῇ, divini humanique juris philoſophia ſancit. Hic ergo figuris evidentiæ & repræſentationis locus fuit, ut *matris parricidæ filio ſupplicantis geſtus, & obteſtationes per ſanctiſſima materni meriti nomina, & preces ad animum quamvis ferum expugnandum penetrabiles; denique ſuſcitatus, incremento urgentis accuſationis, ipſe Agamemnon, potentiſſimus pro Clytamneſtra deprecator*, exempli atrocitatem exhiberent. Quod de Agamemnone dixi, opportuno & congruenti per omnia invento, gravitatem actio-

in Oreſt. v. 500.

tom. 1.

Euripides Oreſte.

actionis decet : illustrata etiam post mortem virtute optimi viri, jus suum non nisi bono exemplo, probisque rationibus persequi cupientis, & revocando à facinore filio, singularem æquitatem paterno nomini adjungentis. Magis hoc placet, quam apud *Æschylum* illud Orestis de cæde respondentis: *in Eur.*

Πέποιθ', ἀρωγὰς δ' ἐκ τάφου πέμπει πατήρ.

nisi cum *Scholiaste Græco* ad ὑπόθεσιν Furiarum accusantium ita relatum dicamus, quasi voluerit significare. *sicut Vos accusationem vestram à Clytæmnestra instrui & adjuvari dicitis; ita possum ego dicere, mea defensioni ex paterno tumulo præsidia submitti.* Conferri debet Apologia Orestis apud *Euripidem Or. v. 538.*

Qui, ut Orestem nocentiorem facerent, *Clytæmnestram voluerunt innocentem facere, quasi suo jure in ulciscendis mariti injuriis usam,* studio insectandi contra rationem causæ trahi se passi sunt. Debuerunt enim animadvertere, nihil æque prodesse reo, quam si fas judicaretur, injurias cæde ulcisci. Sed ego magis *Libanium* miror, qui ipsum Orestem inducit, velut occupatione quadam matris defensoribus respondentem: talibus certe sententiis, quæ statim in ipsum recidebant, causamque tamquam præjudicio onerabant. Quo spectant illa quæ *Euripideus Tyndarus* in accusatione Orestis disserit. Cæterum ille ipse senex, Clytæmnestræ scilicet interfectæ pater, diserte nocentem filiam pronuntiat: *Apolog. Or. tom. 1.* *in Orest.*

Θυγάτηρ δ' ἐμὴ θανοῦσ' ἔπραξεν ἔνδικα.
Ἀλλ' οὐχὶ πρὸς τοῦδ' εἰκὸς ἦν αὐτὴν θανεῖν. *v. 538.*

Hac morte, justa, filia persolvit mea,
Sed hujus emori manu non debuit.

Plane ut Gemini, ad Orestem.

Δίκαια μὲν νῦν ἥδ' ἔχει. σὺ δ' οὐχὶ δρᾷς. *Eurip. Electra v. 1244.*

Hac justa sane patitur, at tu non facis.

Quasi quis cum vulgo diceret, *passionem justam, actionem injustam fuisse.* Adeo contra communem sensum incurrat, necesse est, si quis accusandi Orestis studio Clytæmnestræ patrocinari cupiat.

Controv. IV. 27.

Illo colore augendæ accusationis nemo usus est, *ut actionem popularem faceret*, sicut apud *Senecam* Gallio in causa pulsati patris: *omnibus ait, actionem dari; non enim esse privatam injuriam, sed publicam. — ad omnes patres pertinere hoc exemplum, ad omnes filios, & ad ipsam rempublicam.* Eadem enim statim contra Clytæmnestram valuissent, mariti interfectricem, & adulteram. Ista *duo* autem, quæ dicam, rectè moratam Scriptorum disciplinam sapiunt: cum in accusando Oreste, *plerique omnes Ægisthi cædem prætereunt*; adulteri & subsessoris odio facti invidiam absorbente: *Electram vero quæ se parricidii instigatricem & sociam fratri præbuit, ex alia causa nolunt premere*: infirmitatem sexus, & cottidianæ orbitatis mala, mentemque assiduis ærumnis exagitatam tacite miserantes. Apud Argivos quidem, judicio multitudinis, cum fratre perire debuerat, ut est apud *Euripidem in Oreste*. Sed in gravissimo Areopagitico judicio, nulla mentio fit Electræ. Non custodiunt ergo moratæ actionis mensuram, quæ Tyndarus increpat, ad Orestem:

Eurip. Orest.

Μᾶλλον δ' ἐκείνη σοῦ θανεῖν ἐστ' ἀξία,
Ἡ τῇ τεκούσῃ σ' ἠγρίωσ' εἰς οὖς ἀεὶ
Πέμπουσα μύθους ἐπὶ τὸ δυσμενέστερον:
Mortem meretur te magis soror tua,
Quæ te parenti reddidit trucem, suis
Sermonibus placidum nihil spirantibus.

Sed meminisse debemus, patrem interfectæ esse, qui loquitur, luctu & perturbatione animi vehementius incensum: habetque hic quodammodo locum illud *Photii*: *ἀλλ' ἄλλως χαλεπώτατόν ἐστι λόγων ἀγωνιστικῶν ἐργάτῃ διὰ τέλους φυλάξαι πρὸς τὸν ἀνταγωνιστὴν τὸ ἦθος, μάλιστα δὲ τοῖς ὅσοι φύσεως ἔτυχον πικροτέρας τε καὶ παθητικωτέρας. Difficillimũ est in forensi contentione versanti, usquequaque verborum ita custodire mensuram, ne quid inclementius.*

Biblioth. n. 265. Demosth.

entius, *quam morata oratio postulat, in adversarium dicatur; æsertim si cui ingenium commotius contigit ac vehementius.*

In defendendo Oreste, summatim rem proposuit uintilianus: *Orestes matrem occidit, hoc constat. dicit, se juste cisse: status erit qualitatis. quæstio, an juste fecerit. ratio, quod lytæmnestra maritum suum, patrem Orestis occidit. hoc* αἴτιον *ditur.* κρινόμενον *autem judicatio. An oportuerit vel nocentem maem à filio occidi.* — addit: *Firmamentum autem verbis ipsius onam, si velit Orestes dicere, ejusmodi fuisse animum matris suæ patrem suum, in seipsum ac sorores, in regnum, in famam geris ac familiæ, ut merito ab ea pœnas liberi potissimum sui petere buerint.* Eodem modo *Scriptor ad Herennium* I, 16. Uterue sumsit ex *Ciceronis 1. de invent. 14.* In hoc genere nemo rudentius Æschylo, quantum ad ἦθος δογματικὸν *attinet, restem induxit, citra ambages respondentem, confessione facti, & ationis expositione. Ubi autem ad* κρινόμενον accusatio eum proocat, non audet pronuntiare, sed veluti dubitabundus Apollinē testimonii dicendi causa præsentē, jubet discernere, n recte maternum sanguinem effuderit. Ad quæ *Scholiastes:* πεὶ γὰρ ἦλθεν εἰς τὴν διάκρισιν τοῦ δικαίως ἢ μὴ ἀνῃρηκέναι τὴν μητέρα, ἐπὶ τὸν συμβουλεύσαντα θεὸν καταφεύγει. *Postquam eo veit, ut discerneretur, jure an secus interfecisset matrem, ad Deum onfugit, qui suaserat.* lib. 3. c. 11.

Hoc enim potentissimo subsidio reum Appollo, tanquam è machina Deus, sublevat, cum omnem in se culam transfert, seque à Jove jussum, Oresti, ut matrem occideret, præcepisse confitetur. Ita enim *Scholiastes Æschyli* eriem illam fatalem texit: ἐμοὶ μὲν Ζεὺς, ἐγὼ δὲ τούτῳ προσταξα. οὐκ ἄνευ Διὸς τὸ γενόμενον. *Mihi quidem Jupiter, ego autem uic præcepi. neque enim quod factum est, sine Jove factum est.* Æschyl. Eum.
Apud *Sophoclem* Orestes refert, *se Delphos profectum consuluisse raculum, quomodo Patris necem ulcisci deberet. Responsum esse ab pollinе,* in Electr.

> δόλοισι κλέψαι χειρὸς ἐνδίκους σφαγάς.
>
> *Ulcisceretur impios justis dolis.*

Soph. El. v. 70. Igitur ait se venire ad ultionem πρὸς θεῶν ὡρμημένον *à diis extimulatum.*

Item

—— ἀφῖγμαι δ' ἐκ θεοῦ μυσηρίων.

Eurip. El. v. 87. Quæ (ut sibi consentiat Tragœdiæ artificium εἰς τὸ ὁμοειδὲς εἶναι τὸ πρέπον τὸ τεχνικόν) *Cassandra* ita prædixerat, *ut infortunium Agmemnonis diis curæ futurum, magnifice caneret* apud *Æschylum in Agamemnone:*

οὐ μὴν ἄτιμοί γ' ἐκ θεῶν τεθνήξομεν.
ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος.
μητροκτόνον φίτυμα, ποινάτωρ πατρός.
Non absque honore nostra mors apud deos
Erit, ultionem debitam mox exiget
Fatale matri germen, ac vindex Patris.

lib. 6. c. 3. *Dictys Cretensis*, filum historiæ ita ordinat: *Ubi Orestes transactis pueritiæ annis, officia viri exequi cœpit, orat Idomeneum, uti secum ex insula Creta quam plurimos mitteret: cupere namque se Athenas navigare. Itaque collecto numero eorum, quos idoneos credebat, Athenas venit: ab his auxilium contra Ægisthum orat. Dein ad oraculum adit. responsumque fert, uti matrem & cum ea Ægisthum interficiat: ex quo fore, uti regnum patrium reciperet. Hujusmodi numine armatus cum prædicta manu ad Strophium venit.* & quæ sequuntur. Vis armata, de qua hic dicitur, facile conciliatur cum machinatione doli, quam præcipue Dramatici exequuntur.

Quid sibi velit, oraculum, & Apollo parricidii suasor, jam non potest obscurum esse. *Nimirum magna scelera divinitus puniri, fatoque & secreta deorum constitutione fieri, ut quæ quis fecit, ea patiatur;* voluerunt ostendere. Hæc est παλίρροους δίκη, de qua celebre illud *Euripideum:*

Eurip. Elect. v. 1155.

Νέμει τοι δίκαν θεὸς ὅταν τύχῃ.
Divinitus vindicta quemlibet manet.

in Elect. Hinc figura Chori, qua apud *Sophoclem*, in apparatu parricidii, *venientem Nemesin justasque pœnas ferentem* auguratur; qua

qua *occisus Agamemnon ultionem spirare* dicitur; aliaque in hanc sententiam. Sed in explicando hoc fatali secreto, necesse fuit non semel labi eos, qui sanctioris philosophiæ mysteriis non erant initiati. Hinc μάλα ἀθεολόγως *deos instigantes, jubentes, adjuvantes parricidium introducunt.* poteratque illis merito obiici *Iphigeniæ* sententia, cum de Taurorum incolis ita ratiocinatur: *Eurip. Iphig. Taur. v. 389.*

τοὺς δ' ἐνθάδ' αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους
εἰς τὸν θεὸν τὸ φαῦλον ἀναφέρειν δοκῶ.
οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.
Ego cæde suetos incolas ipsos reor,
Referre culpam scilicet suam in Deum.
Etenim Deorum neminem malum arbitror.

Quare nec excusari potest, quod Orestes Pædagogum jubet perjurio mendacium affirmare apud *Sophoclem*, adjecta insuper ἐπικρίσει parum honesta: *El. v. 47.*

δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Quod *Scholiastes* ita conatur excusare: μὴ μικρολόγως τὶς ἐπιλάβηται ὡς κελεύοντος ἐπιορκεῖν τοῦ ποιητοῦ. δεῖ γὰρ αὐτὸν πείθεσθαι τῷ θεῷ τὸ πᾶν δόλῳ πράσσειν παρακελευομένῳ· ὥστε ἐν οἷς δοκεῖ ἐπιορκῶν δυσσεβεῖν, διὰ τούτων εὐσεβεῖ πειθόμενος τῷ θεῷ. Ex his, *Joachimus Camerarius* annotationem suam desumsit in hanc sententiam: *Quum Orestis persona introducatur hac in fabula, non improba neque scelerata, cur poëta facit nunc suadere illum perjurium? An violati jurisjurandi religionem pro nihilo ducit? Habet, ut opinor, excusationem hanc Orestes, quod exequeretur Apollinis imperium. Ille autem jusserat dolis & fraudibus eum uti. Nunc igitur, in quo alius impietatis crimen non effugeret, hic pietatem præstitisse, quum Deo pareat, invenitur. Non igitur perjurii, sed obedientiæ numinis divini exemplum proponitur.* Verum ego, si quis dicat nullum dolum cum perjurio conjunctum, licitum divinitus vel humanitus esse, nunquam hunc μικρολογεῖν putabo.

Longe reverentius jurisjurandi religionem, in ipso judicio, *Æschylus* figurat. Cum enim Eumenides conquereren- *in Eum.*

rerentur, *Orestem nec posse ipsum jurare, se innocentem esse; nec velle ab ipsis jusjurandum accipere, quod merito eum persequerentur*; Minerva graviter respondet:

ὅρκοις τὰ μὴ δίκαια μὴ νικᾶν λέγω.

Quasi dicat; οὐκ ὀφείλει ὁ ἀδικῶν ὅρκῳ φεύγειν τὴν κατηγορίαν. ἐπιορκήσει γάρ. *non debet, qui peccavit, jurejurando accusationem declinare. peierabit enim.* Ut est apud *Scholiastem.* Quanquam ipsa Poëtæ verba aptius ita accipi debere, videntur, *in iis, quæ non ex omni parte justa sunt, sive quæ aliquam de jure dubitationem habent, non probandum, si quis jurejurando se liberare judicio velit.* Jurisjurandi enim ea est sanctimonia, ut non nisi rebus liquido certis, & extra dubitationem juris positis conveniat. qualis scientia sæpissime illis deest, qui putant, se jure niti, cui tamen non levia possint opponi argumenta. Facilior est casus facti jurejurando purgandi. Sed in quæstione juris, nec deferendum facile, nec accipiendum jusjurandum statuit Minerva.

Dum hujus philosophiæ providentiam in ethnicis quoque commendari video, non possum non recordari immensam temeritatem Romani Pontificis Gregorii VII. qui controversiam inter se & Henricum IV. Imperatorem ortam horribili ista lege voluit terminare. *Ego*, inquit, *ne humano potius quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum quod sumturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus. Hæc & alia (ut solenne est) præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrime absumta, cum populus in laudes Dei innocentiæ ejus congratulatus, aliquandiu acclamasset, tandem imperato silentio conversus ad Regem* (Imperatorem Henr.) *Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti.* —— *Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & Ecclesiam*

desiam Dei scandalo & teipsum longæ concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici corporis, ut comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua garrientium. Verum Henricus majorem judicio divino reverentiam deberi gnarus, quam ut alienæ temeritatis impium exemplum imitandum videretur, discussionis legitimæ formulam prætulit, sicut latius exponit *Lambertus Schaffnaburgensis.*

Non omittuntur sane, in causa Orestis, quæ ad *caussam* parricidii illustrandam pertinent: sed in *judicatione* reo, ut vidimus, dubitatio, translatio, deprecatio; judicibus, æquitas & clementia; solis caussæ patronis, id est, quando Orestes alieno ore defenditur, directa juris nomina conveniunt, quamquam *Libanius* omnia miscuit. *Apolog. Or.* Illud pragmatici roboris visum est, quod de *ultione & vindicta*, qua à nobis & nostris injuriæ depelluntur, ethnici, satis utique liberaliter, statuerunt. Postquam ergo *fœditatem adulterii, injurias matris in liberos, cædem conjugis in maritum* repræsentaveris, una veluti & communi hominum sententia inferebatur, *justam esse ultionem, & præsertim genere proximis mandatam.* Igitur ille Senex, qui in *Euripidis Electra* viri boni *v. 618.* personam gerit, suasit cædem: in *Sophoclis Electra* proditio *v. 372.* vocatur, non ulcisci cædem. Et apud *Homerum*, Nestor sapientia clarus, felicem prædicat Agamemnonem, quod *Odyss. γ.* suæ mortis ultorem filium reliquerit.

> ὡς ἀγαθὸν ϗ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι
> Ἀνδρὸς, ἐπεὶ ϗ κεῖνος ἐτίσατο πατροφονῆα
> Αἴγισθον δολόμητιν, ὃς οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα:

Quæ cum postea repetisset, de matre in hunc sensum adjicit:

> ἤ τοι ὁ τὸν κτείνας, δαίνυ τάφον Ἀργείοισι,
> Μητρὸς τε στυγερῆς ϗ ἀνάλκιδος Αἰγίσθοιο.

Figurate quidem & ἐν ἤθει, quod primum matris nomen omisit: postea sepulturæ potius quam cædis mentionem fecit. Ubi *Scholiastes*; φείδεται διὰ τοῦτο τοῦ Ὀρέστου. τὸ μὲν γὰρ

ἔργω

εὐφημότερον ἐποίησεν, ὅτι ἔθαψε τὴν μητέρα, τὸν δὲ θάνατον παρεσιώπησεν. *Pepercit his verbis Oresti, dum id quod mitius dictu erat, extulit, nimirum, quod sepelierit matrem; de morte autem reticuit.* Nec ab alia mente *Eustathius*: οὐκ ἤθελησε γὰρ ὁ γέρων ἄσημνα εἰπεῖν, καίτοι τοῦ πράγματος ἐνδιδόντος ἀφορμάς. *Noluit senex aliquid dictu fœdius proferre, etiamsi negotium ejus rei occasionem suppeditaret.* sicut & in *epithetis* Ægistho & Clytemnestræ datis mox observat.

In hoc præsumpto in vulgus jure vindictæ, duo potissimum loci eminebant illustri tractatu; quorum unus in præterita, alter in futura tendit. Ibi, *Facta ex caussis æstimanda, Libanius*, non in *Orestis* modo *apologia*, sed in *aliis* quoque *declamationibus* (est enim in *Qualitate* tractanda, solennis formula) speciose differit. Hic, *de utilitate exempli adversus muliebrem audaciam*, schema figuratur. Cui tamen statim respondeas illud Ciceronis, apud *Asconium*, *quod non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus possit.* Iraque nimis ultra prudentis justitiæ metas excessit, qui apud *Euripidem*, in concione, Orestem non modo absolvendum, *sed etiam præmio afficiendum sive coronandum*, censuit. Quamvis addat Poëta, *sermonem ejus à bonis approbatum esse.* Quod aliter non potest locum habere, quam eo sensu, quo nimia peti, ut æqua impetrentur, in figuris patronorum solenne est.

in arg. Milonianæ.

in Orest. v. 926.

v. 930.

Qui in hanc causam adhibiti sunt colores, in *comparando paterno maternoque merito, illoque præferendo*, si ab Oreste ipso dici meminerimus apud *Euripidem*, parum decere videntur. Prope est enim, ut impie loquatur, qui matrem *nutrici* tantum comparat. satisque importune auditur ex ore filii, illa philosophia, qua mater agro, pater seminanti agricolæ confertur. Jam quid dicemus de commento Apollinis, qui apud *Æschylum* eandem cantilenam repetit? & illud φορτικὸν addit: *sine patre non gigni filium, at sine matre, exemplo Minervæ*; ad quam loquitur. Minerva autem ipsa, inter caussas liberati Orestis fatetur sibi hanc fuisse, *quod maris* (Agamemnonis occisi) *sortem, præferendam fœmina censeat*; *cum plane ipsa non habeat matrem.* quid

in Orest. v. 551. &c.

in Eur.

quid in hac poësi desiderari queat, erit forte occasio amplius declarandi. ut &, de solenni harum controversiarum schemate, *in abnuendo necessitudinis titulo.* Ac *Euripides* quidem refuga manu hoc ulcus tractat, introducens Orestem *ambigentem, an mater vocari debeat, quæ talis fuerit in suam domum*; mox *tamen metuentem gravius dicere.* Bene, ubi filius loquitur. Nam ubi alii judicant de negotio, non carent ratione ejusmodi sententiæ: *uxorem cum fide nomen perdere*, ut est apud *Apuleium*; itemque: *sorores post calcata sanguinis fœdera, & internecina odia, appellare non licere.* atque sic in reliquis. *Orest. v. 557. &c.* *Milef. 10, lib. 5.*

Qui ergo putant, potuisse Orestem in apologia, aut Judices in absolutione, *directe justitiam facti* allegare, falluntur. Utut enim, etiam Mars apud *Libanium*, *cædem ultioni destinatam justam esse*, rationibus & exemplis cupiat evincere; videaturque, ut ante diximus, communis fere hæc sententia ethnicorum fuisse: distinguenda tamen diligenter erit, *liberior & popularis loquendi consuetudo*, ab *accuratiore criminum causarumque dijudicatione.* Quod nec Poëta neglexit, apud quem Orestes: *tom. 2.*

ἐγὼ δ' ἀνόσιός εἰμι, μητέρα κτανών, *Eurip. Orest.*
ὅσιος δέ γ' ἕτερον ὄνομα, τιμωρῶν πατρί. *v. 546.*

Pollutus ego parente cæsa, non nego,
Aliunde vero purus, ulciscens patrem.

Et mox:

ἀνόσια μὲν δρῶν, ἀλλὰ τιμωρῶν πατρί, *v. 563.*

Nefanda qui fecit, sed ulciscens patrem,

fatetur, *se non esse justum ex una parte, si cædes matris spectetur; posse tamen justum videri, si consideretur, quod in hoc facinore vindictam patris sibi propositam habuerit.* sicut amplius explicat *Græcus Scholiastes.*

Si accuratius dicendum est, quid sibi hoc velit, putandus est Orestes ad *deprecationem* confugere, cujus hanc quoque rationem ponunt Rhetores: *si reus ea, quæ peccavit,*

vit, non odio neque crudelitate, sed officio & recto studio commotus fecit; ut notat *scriptor ad Herennium 2, 17.* sive ut *Cicero (2. de invent. 35.) honesta aliqua aut probabili causa.* Ignosci sibi petit Orestes, inquam, quod ad cædem matris illum deduxerit opinio officii erga patrem, & honestatis cura; quæ probabilem apud omnes rationem haberet. Atque ne dubitatio de proposito deprecationis
in Fur. supersit, *Æschylus* inducit Orestem, post facinus primo Apollini supplicantem; qui Mercurio suum supplicem commendat Athenas deducendum, ut ibi denuo Minervæ supplicet. quæ & ipsa suadet reo, ut clementiæ spe nitatur. Nec repeto, quæ *Statius* ante de Ara Misericordiæ dixerat.

Quid autem ipsi Judices, quo absolvendi jure nituntur? Et, potueruntne pronuntiare, *Orestem jure occidisse matrem*? Ita rudiore Minerva loquuntur, qui absolutionem
loc. cit. supr. solam in oculis habent: cumque iis *Ærodius*, qui tamen mox commodiori correctione usus ita judicat: *Qui tam proximus damnationi fuit, absolute pro absoluto non habetur: & quorundam criminum si quidem vulnus, macula tamen nunquam*
Excerpt. controv. III, 2. *abstergi potest.* A qua mente apud *M. Senecam* contra *parricidam æquis sententiis absolutum* declamatur: *Non est absolutus parricida, sed dubius.* —— *Absolutionem legi, non innocentiæ debet.* respiciendo scilicet ad *νόμον ἰσοψηφίας* sive legem de paribus tabulis. Ergo directa juris via non poterat absolvi Orestes. Hinc est, quod erudite apud *Æschylum* Apollo metuenti pollicetur, *fore, ut Athenis prudentes talium negotiorum judices, & θελκτήριοι μῦθοι, verba ad persuadendum efficacia, & μηχαναὶ sive artificia reperiantur, per quæ miseriis istis imponatur finis.* Quibus commentis *Æquitatis in judicando peritia*, ipsaque *Æquitas* non obscure designatur. Huic enim absolutio rei debetur, non justitiæ strictius acceptæ, cujus temperamentum æquitas habetur. Sicut autem summum jus summa sæpe injuria dicitur: ita in vicem æquitas, ipsius
2. 13. iuris partem & nomen constituit. Ita cum *Scriptor ad Herennium, ex quibus partibus jus constet*, describit, *æquum & bonum* non omittit. Et in *Topicis Ciceronis* definitio juris civilis, *æquitatem ut partem juris* complectitur. Extantque
prorsus

prorsus insignia & compluria loca *Eiusdem Auctoris*, cum *jus & aquitatem, jus ex aquo & bono*, imo *jus*, & *justitiam*, nomen generis, pro specie hac ipsa juris sive pro *aquitate*, ὡς ἐκ παραλλήλου usurpat; sicut non neglexit annotare *Petrus Faber, eruditissimis & parum vulgo cognitis ad Orat. pro Cacin. notis.* Quibus addi debent quæ *Aristoteles V. Ethic. Nicomach.* & ad eum *Michaël Ephesius* de convenientia & discrepantia Æquitatis & Justitiæ disputant. Ceterum, illum synonymicè loquendi modum Jureconsultos quoque aliquando tenere, magnus ille JCtus *Jacobus Gothofredus*, cujus memoria tum publicorum meritorum nomine, tum ob amicitiam multorum annorum, semper mihi venerabilis erit, consignavit. Atque ita jam exaudire debemus Minervam *in Areopago Ennii*; cum de Orestis facto dicit: *Id ego aquum ac jus fuisse expedibo atque eloquar.* sicut restituit versum *G. I. Vossius in fragm. vet. Tragicorum.*

in comment. ad reg. jur.

Cum vero duplex sit *Æquitas*, *Intrinseca*, quæ in jure dicundo semper locum habere debet; & *Extrinseca*, cui lex ipsa cedit, quæque summis tantum potestatibus convenit: admirabili artificio, absolutionem Orestis utrique voluerunt inniti; quatenus *hac* supplere intelligeretur, si quid in *illa* desiderari posset. Hoc est, quod *Eumenides Æschyli*, cum Minerva interrogasset,

Ἠ κἀπ' ἐμοὶ τρέποιτ' ἂν αἰτίας τέλος;
An cardo caussæ vertitur mea manu?

respondent:

πῶς δ' οὔ; σέβουσαί γ' ἀξίαν τ' ἐπαξίων.
Quidni? colemus te inclytum germen Deûm.

ut quamvis judicibus Areopagitis res committenda intelligeretur, Minervæ tamen, judicio præsidentis, potestas non repudiari posset. Qua tamen potestate sua, ita utitur postea, ut auctoritatis potius ratio, in expedienda judicum dubitatione valuisse videatur; mitigatis ad extremum ipsis *Eumenidibus*, sicut ante diximus, & amplius ex *Suida in eadem*

voce repeti poteſt. Interim hoc fulcio firmatur, quod de *deprecatione* Oreſtis diximus; quam *raram* ſcilicet *eſſe, & apud eos*, fere *ſolos judices, qui nulla certa pronuntiandi formæ* *Inſtitut. 5. 13.* *tenentur*, *Fabius* monet.

Sed inquirendæ ſunt illæ μηχαναὶ, i. e. *rationes æquitatis intrinſecæ, & munimenta, cum ſuis figuris.* Igitur per gradus incedentibus, primum fontem æquitatis aperit *Cicero* *cap. 3.* *in Miloniana*, qui eo refert hoc exemplum, ut conſtet: *non omnem cædem judicio capitali vindicandam eſſe. Itaque hoc*, inquit, *non ſine cauſa fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris ulciſcendi cauſa matrem necaviſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum divina, ſed etiam ſapientiſſimæ Deæ ſententia liberatum.* In quem locum adferuntur ibi & alia *homicidii abſoluti exempla*, ex hiſtoria Romana, tum *Lex XII. Tab. de fure nocturno.* quæ ſingula alias ſeorſum ſuam explicationem deſiderant. *Demoſthenes in orat. contra Leptinem* ad τάξιν τῦ δικαίυ ſive *ordinem juris* refert, Draconis illam νομοθεσίαν, *qua ſeverus cetera homicidiorum ultor, quaſdam tamen cædes licite fieri definiverit.* Adde, *ſi lubet, Ærodium lib. 5. Decret. tit. 8. ad L. Cornel. de Sicariis, §. 18. de homicidio quod jure defenditur.*

Jam videndum eſt, an *ultio* comprehendatur in eo genere, quod diximus. Affirmabit (præter ea, quæ in *cap. 37.* apologeticis pro Oreſte allata ſunt) *Cicero, in Partitionibus: Æquitatis vis eſt duplex: cujus altera, directi & veri & juſti, & ut dicitur, æqui & boni ratione defenditur: altera ad viciſſitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio, gratia; in injuria, ultio nominatur.* Et mox in *fontibus æquitatis* repetendis mentionem facit, *propulſandæ*, & *ulciſcendæ, injuriæ.* Con- *cap. 23.* gruit locus *in Topicis: Cum de æquo & iniquo diſſeritur, æquitatis loci colliguntur. hi cernuntur bipertito; & natura & inſtituto. natura partes habet duas, tuitionem ſui, & ulciſcendi jus.* Ubi quæ *Cicero* de *natura* habet, ita acceperim: *naturali æquitati convenire, ut quæ quis ulciſcendæ injuriæ fecit, non eadem ſeveritate plectantur, ſicut illa, quæ inferendæ injuriæ cauſa fiunt. neque enim veri ſimile eſſe, bonum legiſlatorem, ſi lex ea de re condenda ſit, illa diſcrimina cauſſarum, quibus aliquis impulſus fecerit* *cædem,*

cædem, neglecturum fuisse. imo naturalis illius æquitatis ductu plerarumque gentium Legumlatores, quibusdam cædibus impunitatem decrevisse; cum præsertim etiam alia ratio suaderet, quorundam criminum invidiam augere & licentiam compescere, proposita, etiam privatæ ultioni intra certos terminos impunitate. Hanc enim esse genuinam Æquitatis ex primis originibus deducendæ disciplinam, non possunt ignorare, qui intelligunt illustrissimas *Philosophi* de Æquitate disputationes *lib. 5. & 6. Eth. & Rhetor. 1, 23.* doctissimasque *Michaëlis Ephesii & Eustratii* commentationes.

Certe exempla talium Legum (si hæc pars æquitatis à posteriori, ut in Scholis loquuntur, probanda sit) non desuerunt apud Veteres. Apud *Lysiam, in oratione apologetica pro cæde Eratosthenis* laudantur *leges Atheniensium, quæ injuriam passis concedunt supplicium sumere de injuriæ auctoribus*: nominatimque mentio fit *Legis apud Areopagitas in columna incisæ, qua statuitur, eum non esse damnandum cædis, qui adulterum cum uxore sua deprehensum necaverit.* Nec Athenis modo, sed aliis quoque Græciæ civitatibus talem legem fuisse, discas licet ex *Libanio declamationibus 25. 33. 34. 35.* Apud *M. Senecam* producitur etiam ad Filios. Illi enim Legi, *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit*; subjicitur altera: *Liceat adulterium in matre, & filio vindicare. Controv. I, 4.* Cujus generis plura collegit, explicatis *caussis, ex quibus homicidia excusantur à pœna, vel levius castigantur quam lege Cornelia, Petrus Gregorius Tholosanus, Syntagm. Juris lib. 36. cap. 21.* ubi etiam causa Orestis locum accepit. Addantur, *Joanni Seldeno* disputata, de *Vindice Sanguinis*, aliisque homicidii generibus, quæ moribus Hebræorum, etiam privatis, sub ratione pœnæ aut quasi, citra judicium forense permissa erant. In ...a disputatione acute animadvertit, in ejusmodi lege ...rmittente, subesse pondus auctoritatis publicæ, quæ pri...torum ministerio quodammodo utitur. Cujus observa...nis veritas suos gradus habere, pro diversa νομοθεσίας ...ituto, censenda est. *de I. N. & G. l. 4. c. 2. & 3.*

Sed pergendum eſt in fontibus æquitatis indagandis, & jam de *Auctoritate exempli* aliquid dicendum. Quod enim ſub illuſtri exemplo decernitur, veluti ſpeciem rei judicatæ ſibi prætexit. Nec omittit in locis æquitatis *Scriptor ad Herennium* (2, 17.) illud: *ſi tali de cauſſa aliis quoque ignotum eſt.* Igitur Minerva *Æſchyli* ut abſolvendi Oreſtis titulum adornaret, Ixionem nominat, à Jove piaculo cædis jam olim liberatum. Et Apollo illas πρωτοκτόνους προστροπὰς Ἰξίονος repetit. Ad quæ *Scholiaſtes*: πρῶτος γὰρ Ἰξίων φόνον ποιήσας, ἐκαθαρίσθη ὑπὸ Διός. Atque iterum Jupiter ei memoratur, καθάρας τὸν πρωτόλοιγον Ἰξίονα: *qui primæ cædis auctorem Ixionem expiaverit.* Ita non erat caritura exemplo, illa clementia, qua Oreſtem adjutum ibant. ſicut poſtea exemplo Oreſtis, Fabricianus Romæ in ſimili cauſa abſolutus eſt, memorante *Plutarcho in Parallelis.*

in Fur.

Verum hæc ratio, alteri innexa eſt *de tuendis ſupplicibus.* Quemadmodum ad templum Jovis ſupplex aſſedit Ixion, liberari piaculo cupiens: ita Oreſtes Minervæ ſupplicat, ſicut non ſemel jam dictum eſt; ipſaque Minerva pollicetur, ſe non prodituram ſupplicem. Objurgant ſane Eumenides Mercurium, qui ſupplicis curam agere juſſus erat, *quod tueretur* ἱκέτην ἄθεον ἄνδρα *ſupplicem nefarium.* adeoque viam aperiunt, de jure ſupplicum, & varia diſtinctione dubitandi. niſi quod breviore declaratione defungi poſſumus, ſi meminerimus, Oreſtem, per ea, quæ allata ſunt, non excludi numero eorum ſupplicum, quibus cum ratione ignoſci poteſt. cum præſertim Aſylorum & templorum quibus ſupplices recipiuntur, religio, non tam privato jure, quam ſummæ poteſtatis arbitrio regi ferme conſueverit: atque ita, ab æquitatis intrinſecæ momentis, ad extrinſecæ ſubſidium ac ſupplementum facilis tranſitus Tragœdiæ ſcriptoribus fuerit.

Æſchyl. Fur.

Illa quoque non omittenda ſunt, quibus ſapientia Veterum amplius æquitatis momenta figuravit: cum *dolores & calamitates Oreſtis, ac illa tormenta conſcientiæ ex parricidio afflictæ*, Minerva conſiderat, *neque exiguæ pœnæ loco reputat*: itemque, *cum ritu expiationis Oreſtes ſatis commonetur,* *quid*

quid commeruisset, si rigorem juris debuisset experiri. In locis æquitatis, ad quam deprecatio confugit, *Quintilianus* hoc ipsum posuit: *si reus vel aliis incommodis, vel præsenti periculo, vel pœnitentia videatur satis pœnarum dedisse.* Atque hæc ratio in absolutione Fabii (apud *Livium* VIII, 35.) præcipui roboris fuit, ut, *non* quidem *exemtus noxa, sed noxæ damnatus, populo Romano donaretur.* *Expiationis* autem ritus in prætextum æquitatis inventus videtur: ut, qui jure absolvi non possent, veluti religiosa quadam cærimonia, ac divina ope liberarentur. *Instit. Or. 7, 4.*

Græcia principium moris dedit. illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat. *Ov. Fast. 2.*

Scilicet, quæ philosophia summæ potestati civili, sive illis, qui jure regio imperant, tribuit: id fabulæ ad Deos referunt. Quo sensu, *expiatio criminum* responderet *restitutioni famæ & honoris infamibus indultæ.* Huc referenda est restitutio Orestis expiati in regnum paternum, & pristina jura: quam *Velleius*, ut alibi notavimus, securius ad directam absolutionem refert. *lib. 1. c. 1.* Esset hæc pars *Æquitatis extrinsecæ*: quæ in fabula Orestis ita cum *intrinseca* miscetur, sicut in alia Mycili fabula, nude exhibetur apud *Ovid. metamorph. XV, 1.* ubi omnis

Calculus immitem demittitur ater in urnam.
quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
omnibus è nigro color est mutatus in album:
Candidaque Herculeo sententia numine facta
solvit Alemonidem.

Verum de Orestis accusatione & defensione satis. Revertendum est ad ipsam ἰσοψηφίαν.

Legis de paribus tabulis cognatio & necessitudo, cum Lege de jure majoris partis, attingitur.

Tra-

Tractavimus *Historicam occasionem, Legis de paribus tabulis*: superest, ut declaremus, *ad quam* νομοθεσίαν *naturali necessitudine præcedentem hæc Lex* σχέσιν ὑπάλληλον *habeat.* Qui enim parium sententiarum in jure dicundo taxationem lege constitutam audit, statim intelligere potest, hoc esse supplementum illius legis, quam natura ipsa gentibus civili more utentibus dictavit, de jure majoris partis. *Libanius declamationis XXX.* ὑποθέσει ita effert: τὰς πλείους ψήφους κρατεῖν, νόμος ἐκέλευεν. *Plura suffragia vincere lex jubebat.* In ipsa autem declamatione rationem hujus legis egregie explicat. Nec in judiciis modo, sed comitiis etiam atque consultationibus idem obtinebat. *Nec* enim *aliud in consilio publico*
2. Ep. 12. *potest fieri*, ut recte *Plinius* censet, *ubi* licet *impar sit prudentia, par omnium jus est.*

Excipit quidem adversus *Grotium* (qui erudite hanc rem complexus est, tum *Apologetico Hollandici Regiminis cap. 8. tum de I. B. 2, 5, 17.*) *Feldenus*; *non præsumendam hanc voluntatem societatem ineuntium, nisi æquali sint prudentia singulæ partes sive membra societatis.* Sed præsumta ista voluntas sociatorum, primo de eo quod fieri potest, non de idea aliqua Platonica; deinde de hoc ipso non de alio cœtu sive collegio accipi debet, ubi omnes in paritatem juris sociantur; sive ubi non est, cur societatis pars, nisi pari cum ceteris jure, quisquam esse velit. Fac enim, societatem ita coiuisse, ut vel uni, vel paucis ceteri plus juris tribuerint: jam expiraverit jus majoris partis; nisi subtili explicatione cum *Grasvvinckelio* dicamus, eam esse majorem partem, unde stat major auctoritas, aut potestas. Sic autem non retineremus sensum quæstionis sicut vulgo disceptatur. Itaque non pertinet huc quod addit *Feldenus*: *potest fieri, si partes societatis sint inæquales, ut voluntas unius aut paucorum dirigat eandem, obligetq; adeo majorem numerum.* Si hoc fit, bene fit: sed attendendum erat, an fiat remittendo de paritate juris, in quam coitum est, (cujus rei illustre exemplum *Livius* memorat VI, 6.) an vero ab initio, sub formula inæqualis juris, societas instituta sit. utrumvis sumas; extra quæstionem erit. Tertium genus fingere

fingere, quo credamus, multitudinem coiuisse in unum cœtum, hoc instituto, ut prudentiorum non plurium sententia valeret, alienum est ab exemplis vitæ. nisi scilicet clare hoc significatum sit. id quod amplius explicant, qui origines formarum reipublicæ, à naturæ primordiis repetunt.

Si qua spes esset, posse semper illam inæqualitatem prudentiæ, vel in personis, vel in sententiis accurate deprehendi, futurum erat, ut jus majoris partis statim limites acciperet à parte meliori. Sed hæc res materiam erat præbitura assiduis contentionibus, & omnino ad res impediendas citius quam expediendas valitura. Igitur videmus difficilime ad usum traduci, si quos Lex civilis naturali isti formulæ limites ponat. Et vix est, ut *Budæus* nostram rem attingat, cum *in Annotationibus ad Pandectas*, ita scribit: *Hoc loco prætermittendum non videtur, quod in constitutione quadam anni 1294. à Rege (nisi fallor) Philippo cognomine Pulchro sacrata, caput unum verbis vernaculis in hanc sententiam legimus: Quod si ii judices, qui in maximo tribunali erunt, sententiis suis diversa censuerint, Principes aut Præsides curiæ (hi autem sunt Antistites & primores nobilium) ex majoris partis sententia rem decernere ac pronuntiare debebunt; aut etiam ex potioris, si quando ex censentium gravitate & meritis; aut ex rerum decernendarum qualitate eis videbitur. Ex quibus verbis intelligimus perpetuum hunc morem non fuisse numerandarum sententiarum. Utrum autem præstare videatur, nos in medio jam diu positum relinquimus.* Accurate loquendo ad Legem de jure majoris partis, non spectat hæc constitutio. Hinc enim constituuntur Judicum ipsorum veluti judices & arbitri, qui definiant, quæ pars potior sit, eamque præferant. Ita in Regno, quando Collegium Judicum à Rege institutum sententiis dissidet, superest Regis arbitrium, quo potior sententia eligi potest ac stabiliri. At Lex de jure majoris partis, eam quoque vel præcipue, rationem habet, quod qui pares jure sunt, nolent postponi suam sententiam, aut comparari, nisi eo modo, qui æqualitatem juris relinquit salvam, id est, numero.

Magnum habemus hujus difficultatis exemplum, in Senatusconsultis Comitiorum Imperii Nostri: quando quæritur, *utrum plura an saniora suffragia valere debeant?* sicut apud *Scriptores Juris Publici Limnæum*, *Arumæum*, *Bertramum*, & alios, licet animadvertere. Exceptiones quasdam necessarias fecit varietas temporum ac negociorum: neque negaverit aliquis veram esse cautionem quæ etiam in negotio eligendi Imperatoris aqud *Limnæum* traditur, I. P. *2, 3, 66.* Hæc atque talia, qui Respublicas liberas condunt, accurate debent prævertere; negotiisque civilibus expediendis, jus majoris partis, in quantum fieri potest, interpretari. Quæcumque enim collegia, sub summa potestate, judicant aut deliberant, eorum sententiæ possunt ab ipsa summa potestate ad ordinem juris & utilitatem reipublicæ facile attemperari. At in collegio, summa civili potestate prædito, si major pars, de republica decernat, quod in reipublicæ noxiam haud obscure tendit: quo remedio pro republica intercedent ceteri? an provocabunt ad populum? cui non est relicta potestas tractandæ reipublicæ. an dices, naturaliter populo salvum esse jus intercedendi, ne quid respublica detrimenti capiat: idque etiam tacita exceptione satis caveri? periculose philosophaberis, & dum uni malo occurris, pluribus te indues. An minor pars eorum, qui jura imperii participant, summa ope obnitetur parti majori? frustra sine vi; si vis comparetur, civile bellum incipi, palam est.

Jam, si pars major, in damnum minoris aliqua decernat, quo remedio se tuebuntur, in quos hoc onus præparatur? Dices, ex primæva voluntate judicandum esse de jure partis majoris, quæ non credenda sit talis fuisse, ut minorem partem opprimeret, sed tantum vinceret; neque jus corporis exerceret in partes omni modo, sed certo modo. Esse igitur indubitati juris, ne stetur parti majori, ubi de minuendo jure sociorum & communem rem habentium agitur. Fateor jus partis majoris, usu, non abusu definiendum esse: sed, ut sunt humana, nisi ab initio certa lege, abusui obex ponatur, & in irritum vocentur

centur tales actus, parum erit reipublicæ consultum. Ita potest accidere, ut qui de republica statuunt, inter se, variis modis discrepent, nec diversa modo, sed contraria alter alteri consilia, propositaque sequantur; in uno tamen ad extremum plures consentiant, ut prætextu reipub. pars major sibi potentiam & licentiam infinitam sumat. Quæ pericula, initio constituendæ reipub. anteverti debent. Si tamen accidant, & pars major insolentius & præter fas agat, an dicenda tum erit civitas egisse quod actum est? Ita videtur. Fac enim in Democratia populum aliquid decrevisse, nullo jure, nullo more: cui, nisi civitati, quamvis male decreta, tribuentur? Qua instantia *Aristoteles*, diversum sentientes amolitur *3. Polit. 1.* loco plerumque parum intellecto. Sed quæ subsit difficultas, omnes vident.

Nobis, ut, quo contendimus, perveniamus, non omittenda est quæstio: *qua dicatur pars major?* Potest sane constitui, & constitutum alicubi apparet, ut ex tribus partibus, duæ, majoris partis nomen demum mereantur. Novimus etiam, constitui certum numerum sententiarum, quo pars major debeat alteram vincere. *Ærodius* in Lutetiana curia, ubi remota appellatione cognoscitur, majorem partem in damnando eam vocari refert, ex constitutione Henrici, quæ duabus sententiis alteram vinceret. Egregium hoc temperamentum æquitatis esset, si in odiosis duæ, in favorabilibus una sententia ad constituendam partem majorem requirerentur. Sed hæc legis civilis opera sunt. Quando autem naturam rei interrogamus, major pars erit, etiam quæ una tantum sententia vincit. idque plerisque gentibus placuisse videmus.

Decr. l. 1. tit. 16. §. 2.

Atque ita, veluti per gradus, devenitur ad nostram rem, id est, ad pares tabulas. Cum enim disputatur de jure majoris partis, & ad eam constituendam, vel unica sententia adhibetur: ex re ipsa subnascitur dubitatio, quid ergo agendum sententiis numeratis, si ne unâ quidem, superetur pars hæc ab illa, sed plane pares sint?

Quicquid ergo ſtatueris, quaſi ſuplementum erit Legis de jure majoris partis aut interpretamentum. Ac in *deliberationibus* quidem nihil ageretur hoc eventu. itaque non reperimus ferme Senatum, aut Conſilium, in quo non ſint Leges moresve, quibus paritas ſententiarum, ad imparitatem redigitur, vel ſorte, vel arbitrio alicujus è primoribus (ut ejus qui perrogat ſententias) vel ipſa numeri deliberantium conſtitutione, aliisve inventis. At in *judicio*, æquiſſimum viſum eſt, comparari pares ſententias: quod & longe facilius, quam in deliberatione fieri poterat; & rationem habebat ſatis manifeſtam, ſicut mox intelligetur. Utrobique autem (ſive major pars potior videatur, ſive in paribus mitior) plurimum intereſt, *ut recte conjungantur ac dividantur ſententiæ.* de qua re, pleraque *Grotius* (*I.B. 2, 5, 19.*) ſed ante eum *Alciatus* (*Parerg. lib. 9. cap. 14.*) conſignavere.

Inquiritur in cauſſas Legis de paribus tabulis: ſive, quid pro æquitate hujus Legis, aut contra eam adferri poſſit ac ſoleat, expenditur.

In *Problematibus, quæ Ariſtotelicis operibus adjunguntur tmemate 29. c. 13.* quæſtio noſtra ita proponitur: Διὰ τί ποτε ὅταν ϗ τῷ φεύγοντι ϗ τῷ διώκοντι φαίνονται ψῆφοι ἴσαι, ὁ φεύγων νικᾷ; *Cur quando pro reo & pro actore pares numerantur ſententiæ, reus vincit?* Verbis *Quintiliani* interrogaremus: *Cur, ſi non plures pro accuſatore, quam pro reo ſententiæ fuerint, reus abſolvitur?* Referuntur autem ea, quæ *Auctor Problematum* prolixe reſpondet, præcipue ad *comparationem Actoris & Rei; ſive facultas utriusque ſive voluntas ſpectetur.* hac fere ſumma. *Declam. 254.*

Actori, ex præparato agenti, omnia proniora; reo, cui improviſa ſæpe expedienda ſunt, quique profutura non æque præparare poteſt, non una difficultas obſtat. ὁρῶν δὴ κατὰ πάντα ταῦτα

ἐλατ-

ἐλαττούμενον ὁ νομοθέτης τὸν φεύγοντα, προσέθετο τῷ φεύγοντι, ὅ,τι ἂν οἱ δικασταὶ ἀμφιδοξήσωσιν. *cum Legislator ergo videret, inferiorem per omnia rei partem, sive minus per omnia in parte rei quã actoris esse, reo apponendũ putavit, de quo judices ambigerent.* Cum præsertim *etiam reus in metu & periculo putetur facile aliqua prætermisisse, aut non satis accurate tractasse: quod si secus factũ esset, vincere videatur potuisse. Aristoteles (Rhetor. ad Alex. 19.)* ita complectitur, ubi explicat, τὸν νομοθέτην τάξαι, τῶν ψήφων ἴσων γιγνομένων τὸν φεύγοντα νικᾶν, *legislatorem statuisse, ut paribus tabulis vincat reus: quod legislator propter majus reorum periculum voluerit* ταύτην τὴν πλεονεξίαν *sive amplius aliquod momentum ipsis contribuere in calculo.* Hæc ad *facultatem* pertinent, & satis illustrantur varia *judiciorum* æquitate: ubi æquandæ, veluti conditioni, aut compensandis, quæ desunt reo, omnium gentium politiorum mores legesque videmus studuisse.

Illud fusius tractat *Auctor*, quod ad *Voluntatem* pertinet: ut ostendat, *in dubio majorem præsumi malitiam in actore, quam in reo. Nam, si reus injuriam fecit, non statim constat, an ex proposito fecerit deliberatoque consilio, multa enim tædia fiunt ira, metu, cupiditate, ignorantia, infortunio. At si quis injuste accusare videatur alterum, is omnino semper ex proposito id agere, adeoque pejor esse putatur: cum præterea nec latere cupiat, quod in alium molitur.*

Quæ philosophia ultra scopum trahi non debet. Nam quando æquis sententiis reus absolvitur, non statim eadem opera accusator nocens judicatur, aut calumniæ notam incurrit. Mansit, ut ante diximus, Eumenidibus salva existimatio, etiamsi absolutus esset, quem accusaverant. Imo *Julianus (in laudibus Eusebiæ)* partem hanc legis facit de paribus tabulis, *utrumque* (actorem & reum) *crimine absolvendum*: τὸν μὲν ἐπάγοντα τὴν κατηγορίαν, τοῦ δοκεῖν εἶναι συκοφάντην· τὸν δὲ, ὡς εἰκὸς, τοῦ δοκεῖν ἔνοχον εἶναι τῷ πονηρεύματι *actorem quidem à calumniæ suspicione, reum à noxa objecti criminis.* In hunc sensum *Declamatio Quintiliani. Lex,* inquit, *jubet eos absolvi, qui pares sententias tulerint. —— non ego arguo hanc legem, sed dico esse communem. —— Quod si pares sententiæ periculo prosunt, pro utroque sunt.* Addenda sunt, quæ sequuntur.

Orat. 3.

254.

tur. In statu *qualitatis* actor etiam longe minus, quam in statu *conjecturali* suspectus esse solet.

Pergit *Problema*; & in æquitate Legis nostræ ostendenda, regulam *de tutiore parte, quæ minus periculi habeat, eligenda*, adhibet. ἔστι γὰρ ὅταν τις ἀμφιδοξῇ τὰ ἐλάττω τῶν ἁμαρτημάτων αἱρετέον. Igitur in dubio tutius est vel nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Non enim potest corrigi damnatio semel injuste facta. at absolutio, nocentem vel emendabit, adeoque non pessime collocata erit, vel denuo peccanti pœnam reservabit. Quidni ergo *inter pares sententias mitior vincat?* ut est apud *Senecam Excerpt. Controv. I, 5.*

Afferuntur porro affinia hujus æquitatis exempla. Ut: *quod in judicio, primum, momenti caussa, deinde proprietatis judicare soleat*: donec scilicet, actor per idonea argumenta reo possidente se superiorem faciat. Cujus rei illustre
lib.10. ep.41. specimen *Symmachus* dedit in caussa Scirtii, prius de possessione, dilata proprietate, pronuntiandum ratus; sicut amplius explicat *Cuiacius Observat.* II, 35. Alterum exemplum, *in Problemate*, à prudentia & æquitate *disciplinæ domesticæ* repetitur: *quando Herus servum sibi de aliquo facinore suspectum non statim punit, sed potius, si nihil certius potest cognoscere, rem totam dimittit.* Quod exemplum, quibusdam casibus hujus legis aptari, quibusdam non aptari potest. *Grotius* etiam *à Dialecticis rationibus* Legem ἰσοψηφίας illustrat; *per quas conclusio partem debiliorem sive minus onerantem sequi debet.* adeoque non tam corrigit, puto, quam explicat, quod antea his verbis posuerat: *Quod si pares sint sententiæ, nihil agetur: quia ad mutationem non satis momenti est; qua de caussa ubi pares sententiæ sunt, reus absolutus intelligitur.* Posita lege ἰσοψηφίας non potest dici, nihil agi paribus sententiis: lex enim discrevit jam, ut hoc actum videretur, sive ut mitioris partis ratio potior haberetur. Ante legem ἰσοψηφίας, semper tamen naturalis æquitas dictavit, prævalere partem tutiorem in judiciis; sicut illatio naturaliter sequitur partem minus onerantem, non sane citra effectum. Jam reus absolutus intelligitur, non certe, quia ad mutationem

tionem non ſatis momenti eſt, ſed quia efficaci æquitatis momento, in comparatione ſententiarum abſolutio damnationi præponderat. quod propterea etiam efficacius eſſe debuit, quando ipſa ratio dictat, eum caſum, quo nihil actum cenſeri poſſit, in judiciis præſertim vitandum eſſe. Igitur cum dicitur, *in paribus ſententiis non ſatis momenti ad mutationem eſſe*, ſolus *numerus* attenditur; qui, cum ad effectum negotii, ſicut in jure majoris partis, valere non poſſit, natura ipſa *qualitatem* ſententiarum, *numero* ſuccenturiat: ut fiat, quod alii aliter, *Nazianzenus* ita extulit; ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις νικάτω τὸ φιλάνθρωπον. Scilicet, quod *Fabius* (*VII. Inſtit. 4.*) notat, diviſionem illam, qua dicebant patroni, etiamſi feciſſet reus, ignoſcendum fuiſſe, *in cauſſis dubiis ſæpe prævaluiſſe*, ſcilicet naturali æquitate judicum animos huc vocante: illud indefinito dubitandi genere Lege conſtitutum eſt.

Hæc enim lex de paribus tabulis proprie *Æquitatem* ſpectat, ſive *reperta eſt*, ἐπὶ μόνων τῶν οἰκονομουμένων κατ᾽ ἐπιείκειαν, *ad eam partem negotiorum & judiciorum, quæ ex æquitatis invento diſpenſantur.* ut hoc verbis *Euſtratii* dicamus. Unde totiens apud *Quintilianum* (*declam. 254.*) *publicæ humanitatis* nomen & propoſitum huic legi accommodatur. Inter alia: *Lex jubet eos abſolvi, qui pares ſententias tulerint. imputabitis iſtud publicæ miſericordiæ, imputabitis humanitati.* Et *M. Seneca* (*Excerpt. Controv. I, 2.*) *Miraris in hac civitate miſericordiam, in qua lex abſolutionem dat paribus tabulis.* Hinc ſumſit *Cujacius* quod dicit (*obſerv. 12, 16. ad l. inter. D. de re judicata,* quæ lex proprie noſtram rem firmat & illuſtrat,) *hujus juris ratio omnis imputatur humanitati & publicæ miſericordiæ.* Miſericordiam intellige, & humanitatem, quæ ſui propoſiti cauſſas & rationes habet probe deliberatas. ſicut ex iis, quæ dicta ſunt, intelligi poteſt. Hoc ſcilicet eſt, ut rurſum *Euſtratii* æquitatem explicantis erudita ſententia utamur: κρίνειν μετὰ γνώμης τε καὶ συγγνώμης dum judex æquus rei miſeriis & ſorti hominum condolet & rationem quodammodo condeſcendendi invenit: τοῦ ἐπιεικοῦς τῷ κρινομένῳ συγκαταβαίνοντος, ſicut Græce elegantius exprimitur, ab *Euſtra-*

tio;

tio; qui mox etiam judicis æqui ſententiam dirigi vult partim ἐλέῳ ſeu *miſericordia*, partim τῇ τῆς μετριότητος συγκαταβάσει *moderationis in civilitatem deſcendentis temperamento.*

Potuiſſemus illuſtrandæ huic æquitati, adhibere Augusti, qui ſummus æquitatis artifex fuit, inventum, cum cognoſcentibus de falſo teſtamento judicibus, præter tabellas ordinarias, *novam* dedit, *qua ignoſceretur iis, quos fraude ad ſignandum vel errore inductos conſtitiſſet.* memorante *Suetonio in Aug. 33.* Sed malumus in iis manere, quæ proprie argumenti noſtri partem conſtituunt, aut ſpeciem attingunt. E quibus figuratum quidem, ſed apprime appoſitum eſt illud *Juliani in laudibus Euſebiæ*, ubi de noſtra lege loquitur: τοῦτον δὴ φιλάνθρωπον ὄντα ϗ χαρίεντα τὸν νόμον ἐπὶ τῶν δικῶν, ἃς βασιλεὺς κρίνει, σωζόμενον, πρᾳότερον αὕτη καθίστησι. ὃ γὰρ ἂν ὁ φεύγων παρ᾽ ὀλίγον ἔλθῃ τὴν ἴσην ἐν τοῖς ψήφοις λαχεῖν, πείθει τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ δέησιν προσθεῖσα, ϗ ἱκετηρίαν, ἀφεῖναι πάντως τὰς αἰτίας. *Legem hanc* (de paribus tabulis) *humanitate & comitate præſtantem, quæ in judiciis, ubi Imperator cognoſcit, obtinet, Euſebia adhuc humaniorem efficit ac mitiorem: Quando enim reo ad parem ſententiarum numerum aliquid deeſt, ipſa apponit momentum, ſuas preces; eique à marito Imperatore abſolutionem impetrat.* En novam Minervam, æquitati, cujus altera illa repertrix, imitatione pulcra ſuffragantem!

Quod adverſus hanc legem obiici poterat, præcipuum hoc eſt: *Antiqua Lex eſt; Qui capitis accuſaverit, neque damnaverit, ipſe capite puniatur*; apud *Quintilianum decl. 331.* ubi & additur: *Non poteſt omnino iſta circumſcribi religio & ſeveritas judicii, ut non pœnam det pars utralibet.* Jam ſi paribus tabulis abſolvitur reus, quid accuſatore fiet? an pœnam legis, aut certe infamiam calumniæ ſuſtinebit? neutrum jure. *Abſolutus eſt quidem reus: ſed innocentem ſe eſſe accuſatori nondum perſuaſit.* Sicut nec judicibus. *interrogemus partem judicum* alteram: neceſſe eſt fuiſſe aliqua, *quæ moverunt* illam *judicum partem, quæ tot triſtes ſententias effecerunt.*

Quint. declam. 254.

runt. ut *Declamator* amplius disputat. sive ut *Seneca* ad parricidam æquis sententiis absolutum: *Quæris quam multis non placeas? si unum adjecero, parricida es.* Verum huic dubitationi antea satisfactum est. nisi quod restat illa difficultas, si quidem accusatori victo non capitalis pœna, sed victori præmium lege promissum sit, quid faciendum, si reus beneficio ἰσοψηφίας evaserit; an scilicet tum accusator etiam præmio, e. g. restitutione in patriam, excidere debeat? Quæstio est, facunde tractata apud *Quintilianum decl.* 254. Ubi satis tamen ostendit Rhetor, æquitatis & summi arbitrii, non ordinariæ & legitimæ actionis rem esse, dum accusatorem victum non audet inducere præmium petentem: sed ipse suasoriam novæ legis super hoc negotio adornat. *Excerpt. III, 2.*

Quid, si quis iterum æquitati nostræ legis obvertat periculum exempli, quod ex absolutione ejus, qui non plura pro se quam contra se suffragia tulit, emergere potest? Quid enim æquius videtur, quam mori tot sententiis damnatum, confessum? *cui enim reservabitur hic? videlicet egregium exemplum civium futurus est, qui sic vivit, ut damnari potuerit.* ita apud *Quintil. declam.* 365. Quam multi postea periculosa reipublicæ vota facient, quæ iterum *declamator* (331) expressit: *Utinam mihi contingeret apud eosdem illos judices caussam dicere, qui istum absolverunt, homines mites & misericordes, & qui turpissimos quoq; cives tamen servare maluerint.* Respōdeat *Seneca* ad hæc; ille non quidem reipsa sed verbo, veniæ & misericordiæ iniquior; cum revera sub clementiæ nominibus omnia largiatur, contra quæ sub diversis vocabulis disputat. *Verecundiam*, inquit, *peccandi facit ipsa clementia regentis. Gravior multo pœna videtur, quæ à miti viro constituitur.* —— *Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex æquo & bono judicat. & absolvere illi licet, & quanti vult taxare litem.* Nunquam potest reip. nocere quod magna ratione administratur. Summa autem ratio est, parcere ei, de quo in utramque partem dubitatur. *1. de Clem. 22.* *2. de Clem. 7.*

Non enim credo, quenquam futurum, qui dicat, posse fieri, ut altera pars dubitantium, mitior scilicet,

 corru-

corrupto judicio utatur. Idem enim hoc exemplo, ſuſpicari licuerit de diverſa parte. Quod ſi illuc devenire cupias, ut putes, vitium partis mitioris aliquando illis, qui ſtudio partium vacant, manifeſtum eſſe: nondum tamen iniquitatem legis argues. Nulla lex ita ſcribi poteſt, ut omnibus hominum verſutiis occaſionem præcidat: multo minus, ut omnes animi affectus extinguat. Si ergo ſuperior ſupereſt, qui de judicum calculis ſententiam ferat, remedium in promtu habetur: ſin; religioni judicum & conſcientiæ, adeoque etiam juſtæ Nemeſi omnia permittenda ſunt: in quo dubitandi genere, ſi quis incerta omnia velit certa facere, is quidem hoc agat, ut cum recta ratione inſaniat.

Exempla cognitionum, & judiciorum, quæ ad Legem ἰσοψηφίας *pertinent.*

Antiquiſſimum hujus generis exemplum *Varro in cauſſa Martis* ponit, non condemnati, ut quidam imperitia Græcæ linguæ hiſtoriam acceperunt, ſed abſoluti. de quo jam ante vidimus; cum teſtatiore memoria, *Oreſtis cauſſam* primum huic Legi occaſionem dediſſe, annotaretur. Apud *Thucydidem lib. 3. in cauſſa Mitylenæorum*. quos omnes occidendos Cleon, magnæ parti Athenienſium perſuaſerat, vicit tamen Diodoti ſententia mitior, non minori ſcilicet civium parti probata. quod amplius explicat *Ærodius Decret. lib. 3. tit. de re judicata, & de effectu ſententiarum.*

In Romana hiſtoria Marcius Coriolanus judicium majeſtatis ſubiit, referente *Dionyſio Halicarnaſſeo libro VII.* & damnatus eſt. Verba ſunt *Hiſtorici*: μιᾶς γὰρ καὶ εἴκοσι τότε φυλῶν οὐσῶν, αἷς ἡ ψῆφος ἀνεδόθη, τὰς ἀπολυούσας ἔσχεν ὁ Μάρκιος ἐννέα. ὥστε εἰ δύο προσῆλθον αὐτῷ φυλαὶ, διὰ τὴν ἰσοψηφίαν ἀπελύετο ἄν, ὥσπερ ὁ νόμος ἠξίου. *Cum viginti & una tribus ſuffragium ferrent, Marcius novem habuit abſolventes. igitur, ſi duæ adhuc ipſi tribus acceſſiſſent, abſolutus eſſet, pari ſententiarum numero, ſicut lex*

lex jubebat. Libro autem ſequenti (VIII.) ipſe apud Volſcos, *ſe duobus tantum ſuffragiis* concidiſſe, ait. *Plutarchus in Marcio* : τέλος δ' αὖ ταῖς φυλαῖς τῆς ψήφου δοθείσης, αἱ καθαιροῦσαι τρεῖς ἐγένοντο. *Cum demum tribus juberentur in ſuffragium ire, tres fuere, quæ condemnarunt.* Ad quæ ita *Cujacius* : *Male Dionyſius ; cum eſſent XXI. tribus & abſolverent Coriolanum IX. ſi acceſſiſſent ei aliæ duæ, abſolutum eum fore διὰ τὴν ἰσοψηφίαν. nec enim pares ſententiæ fuiſſent, ſed una major abſolutio Coriolani. quem rurſus, quod idem, duorum judicio damnatum ait l. VIII. & Plutarchus trium. utramque verum eſſe concedo, duarum ſcilicet quæ abſolutioni deerant, & trium quæ condemnationi ſupererant.* Obſerv. 12.16

De *Mario* itidem Plutarchus, quod in judicio primis diebus ſatis infeſtos judices expertus, ad extremum præter opinionem *evaſerit*, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων *cum ſententiæ pares eſſent. Idem ſcriptor in vita Catonis Uticenſis* tradit, quod in cauſſa Scribæ, crimine falſi poſtulati, *cum uno calculo abſolventes vincerentur à damnantibus* (ἐπεὶ μιᾷ ψήφῳ τὰς ἀφιείσας ὑπερέβαλλον αἱ καθαιροῦσαι) *M. Lollius Quæſtor, per cauſſam valetudinis abſens lectica illatus, appoſuerit abſolventem* (ἔθηκε τὴν ἀπολύουσαν) *ſive pares effecerit ſententias reumque damnationi eripuerit.* Adde *Ærodii Decret. lib. 1. tit. 16, 2.* in Mario.

Apud *M. Senecam Excerpt. Controv.* III, 2. Lemma eſt: *Parricida æquis ſententiis abſolutus.* Quæ ſubjiciuntur, paucula ſunt: in iis, ſubtilis ſententia; *non abſolverunt reum, ſed ſæculo pepercerunt*: illuſtranda exemplo & conſilio Auguſti *apud Sueton. cap. 33. Quintiliani Declamatio CCLIV.* hoc titulo præſcribitur: *Exul accuſator, & ſententiæ pares.* ex qua tractatione, ante ſuis locis quædam ſunt adducta. Non pertinet autem huc, quod in *ejuſdem Declamatione* CCCLXV. (cui hoc eſt argumentum, *De vi, ſeptem judices*) inter alia dicitur: *Quid ſi duo ignominiam pronunciarent, duo exilium, duo mortem, unus (ut plerumque evenit) taceret? ſine dubio pares eſſent ſententiæ.* In tali enim caſu nemo eſſet, qui abſolveret: nos autem hactenus de paribus ſententiis loquimur, quarum altera pars abſolvit reum. niſi quod ſimilitudine quadam rationis, æquum videri poteſt, hic quoque mitiorem è pariter damnantibus ſententiam præferri. Cujus rei propius

pius exemplum *Plinius* proponit *Ep.* VIII, 14. *Fingamus*, inquit, *tres omnino judices in hanc caussam datos esse: horum uni placuisse perire libertos; alteri, relegari, tertio absolvi: utrumne sententiæ duæ collatis viribus novissimam perimeat, an separatim unaquæque tantundem quantum altera valebit? —— At enim futurum est, ut si dividantur sententiæ interficientis & relegantis, prævaleat illa quæ absolvit. quid istud ad censentes? quos certe non decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod est mitius.*

VI.

DE RELIGIONE MANDATI.

ad

A. Gellii lib. I. *cap.* 13.

Quam de mandatis quæstionem Gellius proponat, & quomodo eam tractet, summatim designatur.

DE mandatis religiose observandis, *Gellius in Noctibus Atticis*, quæ elegantissimam rerum humanarum elucubrationem habent, hanc dubitationem proponit: *Quæsitum in philosophia, quidnam foret in recepto mandato rectius, idne omnino facere, quod mandatum est, nonnunquam etiam contra, si id speres ei, qui mandavit, utilius fore.* Ita in lemmate. Postea: *quæri solet, an, negotio tibi dato, & quid omnino faceres definito, contra quid facere debeas, si eo facto videri possit res eventura prosperius, exque utilitate ejus, qui id tibi negotium designavit.*

Super hac quæstione diversas virorum prudentium sententias reperiri ait: *Quosdam enim omnino mandati religionem conservandam, etiamsi repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur, statuere: Alios existimare, certa ratione aliquid recte adversum mandata fieri. Prioris sententiæ* fulcimenta hæc adferuntur: *primo*, quod mandantis de re mandata, semel

ſemel ſcilicet ſtatuta deliberataque, eſſe debeat arbitrium; non transferendum alio, ſine periculo transferentis, & ejus, à quo transfertur. Si enim (quæ *ſecunda ratio* eſt) eventus non reſpondeat, indeprecabilis imminet pœna imparentiæ. Sin (*tertio*) melius ſucceſſerit negotium, fortunæ quidem aguntur gratiæ; ſed exemplum diſſolutæ religionis mandatorum non abſolvitur; cum manifeſtam noxam minetur, qua etiam bene conſulta conſilia corrumpi queant.

Altera ſententia rurſus in *duas* partes diſcedit: dum *partim* in *mandatorum, partim* in *mandantis ingenio* quæſtionis definitio quæritur. In *mandatis*, trutinam prudentiæ adhiberi volebant, ſi collatis inter ſe incommodis & commodis, quæ exſpectari poſſunt contra mandatum faciendo, plus acquiratur, ſpe explicata, boni; quam decepta, mali. In *mandante* jubent conſiderari, delecteturne Manlianis imperiis; quibus omnino parendum ſit: an molliora juſſa ingenio tractabiliori debeantur.

In utram autem partem pronuntiandum ſit, ſive, utra ex his potior haberi ſententia debeat, *Gellius* non decernit. niſi quod haud abſurde putes, priori ſententiæ, quæ mandatis omnino inhærere jubet, magis eum favere, dum *Craſſi Muciani* judicium factumque ſubjicit, qui magiſtrum architectonem ſevere mulctavit, *quia ad id quod juſſus erat, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpondiſſet.*

Philoſophia hujus loci, ex ſuis originibus & cauſſis, per naturalem conſecutionum ſeriem repetitur.

Ac inſtituto quidem *Gellii*, ſatis erat, iſta conſignaſſe. ceterum ad intelligenda totius quæſtionis momenta, operæ pretium fuerit, philoſophiam de mandatis non carptim, ſed accurate repetere; quippe quæ non parvum in omni vita uſum habere deprehendatur. *Mandati* vox ipſa, duobus potiſſimum modis accipitur: *primum*, quatenus cum *juſ-*

sione coincidit, & mandantis potestatem includit: sicut in tota *Gellii* disputatione, ubi & cum *imperio, praecepto, jussu* permutatur: deinde, quatenus *mandare* idem est, quod *commendare*, teste *Nonio*, qui Latine ait dici, *procurationem mandare*. Et *Isidorus*, *Mandatum* putat *dictum*, *quod olim in commisso negotio alter alteri manum dabat*. Cætera figurata sunt: quando exempli caussa, *consilium* voce *mandati* signatur. ut in illo *Plinii* : *de eo, quod destinaveris, non esse consulendos, quibus consultis obseqni debeas*. Auctoritatem enim consulentium, non potestatem in oculis habuit. quod ex præcedentibus clarum.

Orig. l. 4. cap. 24.

Epist. IX. 13.

Certe, qui rem ipsam meditatur, hæc sibi proposita inveniet *duo mandatorum genera* : quarum illud, *mandata imperantis*: hoc *mandata committentis*; ibi κυρίως, hic καθ' ἀναλογίαν complectitur. Quamquam mihi quidem superfluum videtur, similitudinem quærere in iis, quæ plane diversa sunt, nec unis fundamentis innituntur. Quare de utroque genere, seorsum ut agamus, manifesta ratio jubet.

Et priore quidem sensu, *Mandatum*, *jubendi potestatem & obsequendi necessitatem*, quæ naturali nexu se invicem respiciunt, complectitur. Posito enim ordine imperandi & parendi, necesse est, *mandatis* locum esse, quæ imperantes jure suo jubeant, parentes ex officio suo obsequantur. Atqui illum ordinem imperandi & parendi, natura ipsa sancivit, teste *Philosopho*, διὰ τὴν σωτηρίαν, ut hominum societas, quam omnes appetunt, vere socialis, id est, sociatis felix & fausta esset.

1. Polit. 1.

Idcirco etiam inprimis illis simplicibus & privatis societatibus, quarum tanquam rudimentis ad publicam consociationem venitur, naturaliter æquissimum, & ad finem societatis colendæ, necessarium erat, liberos parentibus, uxorem maritis, familiam dominis obsequi. nisi quatenus *publica societas* privatarum societatum imperio obsequioque modum ponit. Non equidem natura tollit, quæ ipsa peperit, jura; sed in illis, quæ communem originem habent, naturaliter ordo requiritur; quo salvo, nequit fieri, ut minus imperium majori opponatur; ut Dominus, aut

ut Pater, aut maritus possit jubere; quæ summa civilis potestas suo jure vetat.

Quæ enim à publica potestate mandata proficiscuntur, ea modum accipiunt à fine publicæ consociationis. Nimirum, ut finis civilis societatis obtineri posset, necesse erat, esse in ea, summam aliquam potestatem jubendi & vetandi vel per se, vel per alios, vel universe, vel singillatim; vel in commune, vel in certo negotio, quicquid dirigendis ad illum finem actionibus inservit. Fallit enim, quod veterum nonnulli disputarunt, hunc finem, sociatorum scilicet felicitatem, aliquando citra ejusmodi potestatem, obvenisse: quasi vetustissimi mortalium, *cum nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetari debuerint*, verbis *Taciti*; aut *quasi* 3. A. 26.
ad beatam vitam idem fuerint valitura decreta philosophiæ, quod mandata potestatis civilis, sicut *Plutarchus* adversus Colotem lib. 1.
autumat. Quæ sententia, nisi ad quandam ὑπόθεσιν συγκριτικὴν, qua tempora temporibus, homines vetustiores junioribus in eadem civitate comparantur, referas, experientia omnis ævi refellitur. Sicut ex diverso verissime contrarium affirmat *Aristoteles Ethicorum Nicomach. X. cap. ult.*

Dicuntur sane, præsertim Stoicis, *Decreta* & *Præcepta*, quæ vel in commune, vel ad singulorum officia & personas, facienda aut vitanda, philosophia præscribit; neque alio censeri argumento mandata fas est, ut mox patebit: sed *mandata* tamen non sunt, id est, non transferuntur in rem præsentem, & ad civilem felicitatem obtinendam applicantur, nisi accedat *potestas mandatrix*. Illustrat hoc, exemplo Legum, *Seneca*, quæ non adhortantur tantum in officium, sed cogunt, & à scelere deterrent. *quid enim*, inquit, *aliud sunt* leges, *quam minis mixta præcepta*. Epist. 94.

Interea id quoque ad naturam mandati, qua mandatum est, pertinet, quod fieri debet in *re honesta & possibili*. Si enim ordo jubendi & jussa obsequendi, publice privatimque, à natura rationali & sociali est, cum ratione & societate pugnat, jubere id, quod damnat suprema & æterna ratio, omnis humanæ voluntatis & socialitatis mensura, regula, moderamen irrefragabile. de qua re pulcre *Hiero-*

Hierocles differit, ad illud Pythagoreorum : τὰς τε γονεῖς τίμα : si quando contingat parentes jubere, quod lex divina vetat. Addenda est *Gellii* nostri disputatio *lib. 2. cap. 7.* Hic nimirum valet, quod apud *M. Senecam* dicitur : *ad quædam nulla debet necessitas compellere.*

Contr. III. 17.

Atque ista in genere morali, *fieri non posse* dicuntur, & ad voluntatem agentis pertinent. quod si jubeantur ea, *quæ etiam naturalem agendi facultatem excedunt*, qualia in fabulis iratæ Veneris mandata finguntur, tum id diceretur, quod intelligi nequit, quodque si ponas, ponendo tollitur. Omnis autem jubendi ratio effectum respicit, & in sociatorum cœtu, actionum communicatione perficitur.

Apulei. Miles. 6.

Neque hic plus potest, quæ in civitate summa est, potestas. Præterquam enim ; quod

omne sub regno graviore regnum est,

Divinoque imperio non secundum modo, sed subjectum cognoscitur, quicquid in humanis summum appellatur: etiam illud clarum est, potestatem civilem, ad comparandam civitati felicitatem, repertam esse. cum ergo, non nisi honestis actionibus obtineri felicitas possit, consequens est, ut juberi nequeat, quod huic fini repugnat. Unde contra naturam est, illud Tyrannorum, quod Poëta explicat.

Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Cumque *Honesta*, si quis accuratius vocabulis uti velit, triplicis sint generis ; *Justa*, *Licita*, *Decora* : mandata *primi generis* imitantur jus præceptivum ; *secundi generis*, jus permissivum, sicut in scholis vocamus ; utraque autem ad justitiam mandantis referuntur : *Tertium genus* à *Cicerone* modestia, temperantia, moderatione definitur, declaraturque.

1. Offic. 27.

A *Possibilium* censu non excluditur, quod *difficultatem* habet ; si ea non sit insuperabilis. Potissima sane negotiorum, minus sunt facilia. Quamquam gradus facultatis, nec ratiocinari, nec eligere, semper promtum est. Nisi quod (salvo

(salvo interim in cætera, præcipiendi jure) vix unquam, ad extremum usque, vires humanæ obsequentium, præcipiendo tentari debent.

Quomodo autem fient mandata, inquies? Respondendum est: ut *intelligi* possint. Est enim oppido alienum à jussionis natura, velle alterum obligare, qui non satis intelligat, ad quid obligetur. In reliqua formula, ad naturam mandati, nihil; ad negotii tractationem, plurimum interest; summatim an singillatim, generatim & universe, an speciatim & distincte, manifesto an occulte, libera an adstricta mandata præscribantur.

Equidem, cum ideo mandata dentur, ut fiat quod mandans voluit, *adstrictam & accurate definitam formulam in mandando usurpari debere* consentaneum est. Sed ea sæpe est negotiorum, præsertim publicorum, indoles, quæ in antecessum, ut sic dicam, repræsentari genuinis rationibus ac provideri nequeat. Igitur tum vel mittitur Legatus (sub exemplo ita loquemur) *nullis satis certis mandatis, ex re consulturus*, sicut libera Drusi mandata *περιεγράφει Tacitus*: vel præscribuntur quidem, quam potest fieri accuratissime, mandata, adjecta tamen in fine clausula, *licentiam supplendi, qua res & tempus postulat, concedente*. qualis fere solet esse: *Cætera tua prudentia & fidei committimus*. 1. *A*. 24. *Marsel. in Leg*. 2. 4.

An & illud notare debemus? in omnium magnæ & amplæ rei mandatorum natura hoc inesse, ut & *aliquid amplius, quam disertis verbis scriptum est, contineant, & aliquid naturalis restrictionis habeant*, etiam cum non exprimitur. Verum hæc religiose existimanda sunt; id est, tali judicio dignoscenda, quod nemo sanus detrectare aut in dubium vocare ausit; sicut ex sequentibus amplius patefiet.

Interim cum voluntas mandantis mensura mandatorum sit, custodiendos diligenter esse neque ampliandos, contrahendos, egrediendos, mandatorum fines, ultro intelligitur; sive mandatum, qua tale; sive mandatum, qua proficiscitur à potestate civili, naturaliter scilicet irrefragabili, spectemus. nam, *si ubi jubeantur, quærere singulis liceat,*

pereunte obsequio, etiam imperium intercidit; ut est apud *Tacitum 1. H. 83.*

Ne ergo civitas frustretur suo fine, publici imperii auctoritas tali sanctimonia constituitur, quæ religionem mandati, suo jure sanciat. ita ut potestati mandandi, ex æquo respondeat, obsequendi necessitas, religio, & hinc unice petenda, gloria. Hujus ordinis cum summa ratio in republica haberi debeat, is autem obtineri nequeat, nisi huic fini universali ceteri fines cedant, hinc est quod potestatis mandantis non potest ea præsumi voluntas, quasi mandatum, per aliud æque utile, aut etiam utilius impleri cupiat. non enim consilium spectat, sed obsequium ejus, cui mandat: neque temporariam utilitatem perpetui finis detrimento emere velle credenda est.

Nisi in ipso mandato, aliquid evidenti & necessaria consequentia insit. Talia sunt: *si constat, quod præscriptum est, non præscriptum fuisse sub speciali sua forma, sed sub consideratione generaliore, quæ aliter quoque obtineri possit*, quo exemplo *Grotius* utitur *de I. B.* 2, 16, 21. si interpretatio verborum fiat, ad mandantis propositum, & mandati effectum, juxta rectæ rationis normam, & communiter receptas apud sanos homines regulas.

Extra certas istas & ab omnibus receptas sententias, periculosum est interpretari mandata, aut ambigua, si quæ sunt, extricare. Quamquam ambiguitas, ut ante diximus, cum natura mandati pugnat. nisi quod artificio aularum, ut aliarum rerum, ita hujus quoque, *simulacra* nonnunquam adornantur. Hoc enim nomine vocari omnino debent, *ambigua*, quæ Legatis aliquando *mandata* dantur, apud *Fredericum de Marselaer in Leg. lib. 2. dissert. 3.*

His probe perspectis, quæ sit mandatorum publicorum religio, obscurum esse nequit: non tantum, quando *Leges* quoque hoc nomine veniunt; sed in ceteris omnibus formulis. *Mandatum* enim usus loquendi à *lege* fere distinguit, quatenus *hæc* in commune fertur, seu potestatis mandantis communem voluntatem promulgat; *illud* certum negotium, certos homines actionesque respicit. Interim

aliqua

aliquã mandata propius accedunt ad ingenium Legis: ut, quando magistratui præscribitur formula; quales *Cassiodori sexto & septimo libris* exhibentur. Opportune ad hanc distinctionem *Aggenus Urbicus in controversiis agrorum, de locis sacris & religiosis: Locorum autem sacrorum secundum legem P. R. magna religio & custodia haberi debet. nihil enim magis in* mandatis *etiam legati provinciarum accipere solent, quam ut hac loca qua sacra sunt, custodiantur.*

Jam, qui mandata excedunt, eos incurrere pœnam imparentiæ, recte est à Gellio positum. Quatenus autem id faciant cum damno mandantis, ita judicari potest, si de formula mandati accurate constiterit. Si enim is, qui mandatum accepit, jussus est nomine mandantis cum aliis agere & pacisci, ejus facto tenebitur mandator, quatenus voluntatem suam, utendi scilicet hoc instrumento, aliis declaravit.

Illustrat hanc rem *Grotius* præcipuis, *Legatorum & Ducum in bello*, exemplis. Si *Legatus* egerit, quod procuratorio instrumento continebatur, etiamsi arcanis mandatis, quod interdum fieri solet, aliter facere jussus erat, mandantem nihilo minus obligabit. Sicut & *minorum potestatum* e. g. *ducum in bello* facto superior potestas obstringitur, si fecerunt, quod officio eorum probabiliter contineri censetur; aut ex speciali præpositione ipsis convenire cognoscitur.

de l. 2, 2, 11, 12.

3, 22, 2.

Ex iis, quæ dicta sunt, facile est dijudicare, quid ad naturam mandati pertineat, & ad obligationem, ex ulla parte pariendam, idoneum sit; quidquid aliunde accedat, consilioque ac proposito singulari debeatur. Solenne est imperantibus, ad promptiora obsequia homines, etiam *præmiis* propositis invitare. Sicut autem Legi aliquando proœmium, sive potius suasoria additur, non quod legislatoris officio aut natura legis id proprie contineatur, sed ex alio civili consilio, quod *Plato* tantopere commendat: ita mandatis aliis promissiones solent adjungi, rerum quas nec debent mandantes, neque exigere possunt obsequentes; adeoque non ex juris aliqua necessitudine, sed per artem

de rep. l. 4. extr.

14. A. 14. 7. prudentiæ. valebit ergo hic illud *Taciti*: *merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert.*

Idem de *precibus* nonnullis imperantium licet dicere: cum per figuram quandam civilitatis formula precandi utuntur in iis, quæ vim jubendi habent. His enim precum blanditiis quin minæ potestatis insint, nequit dubitari. Unde, quando simulationis potius callidæ, quam civilitatis caussa adhibentur, *non sine irrisu audientium* accipiuntur ejusmodi preces, *notante* iterum *Tacito*.

3. A. 29. 1. & 2. Obsequentium officia, manifesta & indubia mandati formula, intra terminos honestatis, definiri ostensum est. Non desunt interim, qui Principis arcanam voluntatem, ingenium, mores, obsequendi legem & veluti formulam sibi callidis conjecturis proponunt. Est, ubi periculose. quippe *abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, inlicitum, anceps, nec ideo assequare. Tac. 6. A. 8.* Est, ubi non infeliciter. si nihil in conjectando, perplexi; nihil in exequendo, ambigui subest. Nunquam autem geruntur ista ad obsequii regulam, quæ non eventu sed caussis æstimatur.

Unde, nec imperii obsequiique necessitudinem recte interpretantur, qui flagitiosis Tyrannorum libidinibus, vel ultro jussi, vel ex notitia ingenii tyrannici, ministros se præbent. Igitur *Senatus* Romanus, *occiso Nerone, delatores* 4. H. 42. *& ministros, more majorum puniendos flagitavit*, apud *Tacitum*. Epist. III. 9. Et in accusatione Classici, *Plinius*, postquam ostendisset *ipsum Classicum nocentem, ad socios ejus & ministros transiturus, antequam crimina eorum ingrederetur*, ostendit, *Ministerium crimen esse.*

Jam, cum vero vulgi verbo jactetur, *mandata stricti juris esse*, adeoque ex natura rei, vel levissima culpa præstanda sit, non uno tamen modo cecidisse iis animadvertimus, qui terminos mandatorum excesserunt. Aliquando enim humanitas & benevolentia, in rationem juris successit. Aliquando necessitudo temporum in argumentum absolutionis valuit. Quid? quod more quodam ingenii humani, nulla philosophiæ regula, eventu arbitro

felix

— *felix scelus virtus vocatur.*

Est omnino iniquum, inquit *Plinius*, *sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. inde plerumque eadem facta, modo diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt.* Ep. IV. 21.

Dictum est ante, de honestate mandatorum. sed quid faciendum, si de ea dubitet, qui jubetur? an hic locum habebit vulgatum illud: *ne feceris, si dubitas*? Verum, id verbi, tum demum locum habet, si agendi arbitrium in te ipso & à te ipso est. in mandatis secus accidit: ubi non tua, sed mandantis voluntas præcipua actionis caussa est. Possit forte aliquando (non enim semper) modestæ excusationi & deprecationi locus esse. sed si pertendat suum jus potestas mandatrix, in dubio, potius credi debet, honesta velle. Quippe cum de eo ipso dubitetur, an pro mandante, vel contra mandantem præsumendum sit, summa ratio jubet prævalere illam partem, quæ conservat ordinem imperandi, non quæ dissolvit.

Illo ipso ordine, inquam, imperandi & parendi hoc continetur, ne mandans teneatur semper obsequenti rationem reddere mandatorum suorum, atque ne obsequenti liceat, rimari caussas ac disceptare. Indicat potestas civilis civibus arma, pecuniam, operas; illi dubitent, an honestis ex caussis, consilioque probabili hoc fiat, an propterea detrectabunt? Minime gentium. cum præsertim sæpe ad universalem regendæ civitatis finem, inutile, imo noxium sit, caussas belli subito incipiendi exactius statim & publice edisserere; aut aliorum negotiorum interiora vel juris vel consilii momenta evulgare. Accedit, & magnam rationem facit, quod ignorantia rei, non est idonea in hoc genere dubitandi caussa. Sunt quædam, quæ ut dedecet exquirere, ita decet ignorare.

Itaque caute accipienda sunt, quæ tradit *Grotius* in opere (quod *Seldenus* nec immerito, *incomparabile* vocat) *de Jure Belli 2, 26, 4.* Respexit enim vir Pacis amantissimus, non semper ad id quod jure defendi potest, sed ad id quod

melius in civitate & optabilius esset. Itaque, cum dicit, *suasorias belli caussas occultari, justificas autem tam claras & evidentes esse oportere, ut palam exponi & possint & debeant:* quilibet videt, nec semper, nec omnibus caussis justificis hoc convenire. in promtu sunt exempla omnis ævi, ubi nec factum est, nec fieri potuit, ut statim, & simul, omne jus belli promulgaretur. quinimo, præcipua sæpe ex justificis caussa, ob publicas magnasque rationes occultanda fuit.

Tale est etiam, quod §. 5. additur: *minime æquum esse, ut Christiani inviti cogantur militare.* Atqui ita futurum est, ut justissimis & maxime necessariis ex caussis bella geri nequeant: nisi vivamus in civitatibus, ubi omnes officio suo sponte fungantur. qualis in mortali quidem ævo nulla sperari potest. Loquitur historia delectuum militarium olim & hodie.

Hactenus de *mandatis*, quæ vi jubendi constant, egimus. pergendum est ad *ea*, quæ volentibus tantum committuntur, quæque recipere aut recusare licet. Hoc genere mandati, *negotium aliquod conficiendum curandumve alteri committitur. Qui negotium suscipit*, in judicio præsertim, *procurator* dicitur, teste *Asconio in Divinat. Verrin.* Ita *Procurator*, ut *Sextus Pompejus* notat, *absentis nomine actor fit.* Sed & extra judicium, si rem aliquam tibi mandavero curandam, & tu receperis in te meo rogatu, sub ea formula, quam præscripsero, ea conventio inter nos locum habebit, cujus vim hic quærimus. *Mandatores* & *Mandatarii*, qui commendant, & qui suscipiunt, appellantur.

Hanc conventionem, tanquam unicum fundamentum sustinet *Fides communis, quæ omnibus debetur*; sicut *Cicero* describit: *dictorum* scilicet *conventorumque constantia & veritas*, ut *fidem* alibi vocat. Fide omnis societas continetur; fide omnis negotiorum communicatio perficitur. Fidem autem suam obligat, qui suscipit in se alterius negotium; imo ipse mandantis personam induit.

lib. 1. ad Q. Fr. ep. 1. 1. offic. 7.

Hinc Atticus apud *Nepotem*, *in tuendo, quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam sed suam rem videretur*

cap. 15.

tur agere. Magnifice hanc philosophiam illustrat Cicero: *quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opera nostra vicaria fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium: & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia est re magis utilis.* — Ostendit postea non *fidem* modo, sed amicitiam violari neglecto aut converso ad aliud mandato: *quod neque mandat quisquam fere nisi amico, neque credit, nisi ei, quem fidelem putat.* *Or. pro S. Rosc. Am. cap. 38.*

Quo autem liberius in his mandatis convenitur, eo magis peccat, qui rem inhonestam mandari sibi patitur, cum possit ultro recusare. Qui majora viribus suscipit, insuper stultus est. Quæ autem suscepta sunt, quin intra terminos mandati geri debeant, non sinit dubitare ratio bonæ fidei: quæ non patitur mutari, quæ commissa, quæ recepta sunt. Sed nec formam mandati aliter interpretari licet, quam in ceteris mandatis ante dictum est. Sola consuetudo communis, ratio communis, & confessa apud omnes consequentia, hic locum habent.

Sicut igitur in societate inæquali, ipsa ratio inæqualitatis, id est, ordo imperandi; ita in societate æquali, ipsum unicum æqualitatis vinculum, id est, fides socialis & communis, mandatorum religionem sancit, quam ceteris formulis Lex civilis præscripsit, summatim ita designante Cicerone: *In privatis rebus, si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, si quæstus aut commodi caussa, verum etiam negligentius, eum majores summum admisisse dedecus existimabant. itaque mandati constitutum est judicium, non minus turpe, quam furti.* Iterum: *In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est.* — *In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati judiciumque infamiæ revocatur.* — *si hanc ei rem privatim R. mandavisset, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret, ille qui sese facturum recepisset, nonne si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret?* *Orat. pro Sex. Rosc. Am. 38.* *cap. 39.*

Produ-

Producitur hinc argumentum ad publica mandata per comparationem: *In re tanta, quæ publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum læserit, sed perfidia legationis ipsius cærimoniam polluerit, m. culaque affecerit, qua is tandem pœna afficietur, aut quo judicio damnabitur?*

Ad quam philosophiæ partem pertineat, de mandatis agere, ex Gellio proponitur.

Atque ea quidem, quæ de mandatis disputantur, in *philosophia* disputari, ab initio statim *Gellius* monuit; nec locum philosophiæ tacuit, cum hanc materiã reposuit *in officiis capiendis, censendis judicandiusque, quæ Græce καθήκοντα philosophi appellant. Civilem* enim *prudentiam* hac descriptione designari, notissimum est iis, qui stilum Veterum non ignorant. 10. c. 22. eam *Gellius* ipse alibi, *virtutum omnium disciplinam* vocat, *quæ in publicis simul & privatis officiis excellit, civitatesque & rempublicam constanter & fortiter & perite administrat*: longe scilicet diversa *à futili ista atque puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque ad tuendam neque ordinandam promovente, in qua id genus homines consenescant male feriati, quos philosophos esse vulgus putat*; sicut amplius *Noster* annotat.

Nobilissimam & architectonicam disciplinam, omniumque aliarum, quæ ad actiones vitæ publice privatimque, in genere πρακτῶν, quocunque nomine pertinent, & ratione humana, non revelatione divina repertæ sunt, *Matrem*, ab imperitorum injuriis defendere, res esset bono publico debita, sed in angustias hujus loci minime concludenda. Possunt alia occasione demonstrari, quæ sequuntur.

Habitum ex confusione disciplinarum compositum, qui civili philosophiæ proprias opes laudesque ereptum, & ad alia nomina translatum it, portentum esse, ad instar corniculæ Æsopicæ. Philosophiam civilem non esse vagam, incertam, dubiam, sed certis constantibusq; actionum & consiliorum regulis niti. Civilem philosophiam, non

*non præceptis tantum & communibus regulis, sed observatione & di-
sciplina singularium absolvi: sicut in aliis quoque doctrinarum ge-
neribus, ex communibus systematum præceptis nemo alicujus doctrinæ
peritus dicitur. Aristotelem ipsum monstrasse passim, quomodo à com-
munibus ad maxime particularia descendendum sit. Quo non possit
civilis philosophia in expediendis particularibus pervenire, nullam a-
liam disciplinam pervenire posse. Politici ergo studii partem alteram
esse* Historiam; *ut ex methodo disciplinæ, & observatione singula-
rium fiat, quod Aristoteles semper in hoc studiorum genere, fieri vo-
luit, id est, ne divellantur* τὸ, λόγῳ θεωρῆσαι. & τὸ ἐκ τῶν γινο-
μένων καταμαθεῖν, *sicut loquitur 1. pol. 3. unde & semper jubet* τὰ 1. polit. 8.
κατὰ μέρος μᾶλλον ἐπισκοπεῖν. *addita* ἐπικείσει, *quod universa-
lia tantum sectantes seipsos decipiant,* ὅτι καθόλε οἱ λέγοντες ἐξα-
πατῶσι ἑαυτές: *& declarata ratione,* διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι κα-
θόλε δηλῶσαι περὶ πάντων. *igitur* ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γρα- 3. polit. 7.
φῆναι. καθόλε γὰρ ἀναγκαῖον γραφῆναι, αἱ δὲ πράξεις περὶ τῶν καθ' 2. polit. 6.
ἕκαστόν εἰσιν.

Per imperitiam Politicæ & Historiæ, pudendos & periculosos errores, etiam qui ad perturbandas respublicas pertinent, tum in alias disputationes, tum quando de statu Imperiorum agitur, invectos esse, quod congerie grandium exemplorum doceri potest. Miseratione & venia dignos esse; quos barbaries temporum à solidiore profectu abstinuerit. Instauratis literis, civilis philosophiæ studia non satis exculta, sæpe etiam oppressa esse. cujus rei historia, verbis testium omni exceptione majorum texenda est. Ceterum, in tanta luce literarum, in divina beneficia, & instituta Academiarum injurios esse, qui inventis frugibus glandes præferre satagant. Hujus generis plerisq; in alium locum, ut cœpimus dicere, dilatis, ad *mandata* revertimur.

Ex Historia hujus loci; & selectiorum exemplorum meditatione, materia de mandatis illustratur.

Disciplinæ militaris non modica pars in mandatis accurate obsequendis consistit. Igitur cum apud *Cæsarem*

(*de bello Gallico* VII, 52.) milites à pugnando desistere jussi, ardore certaminis & spe victoriæ longius profecti essent, merito ob *licentiam arrogantiamque* reprehensi sunt, *quod plus se, quam Imperatorem, de victoria atque exitu rerum sentire existimassent.* Ex diverso laudem meritus est ab eodem *Cæsare*, Sulla, quod suos hostem longius, quam præceptum erat, insequentes revocavit. Licet enim *plerique existimarent, si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri: ejus tamen consilium reprehendendum non videtur. aliæ enim sunt legati partes atque Imperatoris. alter agere ad præscriptum; alter libere ad summam rerum consulere debet. Sulla à Cæsare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit contentus; neque prælio decertare voluit, quæ res tamen fortasse aliquem reciperet casum, ne imperatorias sibi partes sumsisse videretur. lib. III. de B. civ. cap. 51.*

Superioris sæculi anno LXXXVIII, celebris illius cladis, qua immanis Hispanorum classis ab Anglis multata est, caussam aliquam in Sidonium classi præfectum nonnulli contulere, *quasi nimia obedientia, ne mandatorum Regis religionem violaret, occasionem opprimendæ in portu hostilis classis elabi è manibus passus esset.* Sed excusabant hominem tum, plerique prudentes, qui regem tenacem esse eorum quæ mandasset, meminerant; & exemplum *Joannis Austriaci*, qui quamvis victor & frater Regis, tamen post illustrem illam victoriam navalem, haud parum incusatus fuerat, quod contra quam ei imperatum fuisset à Rege, prælium commisisset, dubiamque fortunæ aleam tentasset; laudatis in eo consilio, Manlianis Postumianisque exemplis. Memorat uberius *Famianus Strada dec. II, lib. 10.*

Julium Cæsarem, probabiles caussæ, si ipsi credimus, in bellum contra Ariovistum concitaverant. Egressus tamen est terminos mandatorum, eoque nomine puniri potuisset; licet, non eo modo, quo inimicus Cato censuit. De qua re, digna philosophi eruditione disserit *Grotius de I. B.* I, 3, 5. & III, 3, 10.

Lib. 1. c. 11. M. Antonio Triumviri patri, *infinitum*, ut *Cicero 1. Verrina*, & ex eo *Lactantius*, vocant, *imperium* attributum erat (adde *Vell. 2, 31.*) nec desunt tamen querelæ, de liberiori usu pote-

potestatis demandatæ. *Asconii* stilum potius, quam rationem mireris, cum ita refert: *Quidam Antonius curator tuendæ totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium, non solum ipse nequam, verum etiam comitibus pessimis, rem inauditam invasit, & indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit, antequam Pompejus contra piratas missus est.* *in Div.*

Sed quid *Taciti* Mennio *castrorum præfecto* faciemus? qui seditiosorum militum supplicium jussit, *bono magis exemplo, quam concesso jure.* quomodo *bono exemplo,* si non concesso jure, id est, si ultra terminos mandatæ potestatis? Agit hic *Tacitus* imitatorem, ut sæpe, sententiæ *Livianæ,* sed cum erudita immutatione verborum. Apud *Livium* enim Mælius *rem utilem pessimo exemplo* aggressus dicitur. Apud *Eundem, res bona haud probabili exemplo acta* : itemque *consilium quamquam non civilis exempli, tamen pietate laudabile,* memorantur. Figura & sententia simili *Suetonius* dixit: *ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem.* Egit Mennius, quod in præsens utile erat; adeoque bono exemplo, quantum ad emendationem eorum, qui repressi sunt. *1. A. 38.* *lib. 4. c. 13.* *lib. 7. c. 14. & c. 5.* *in Dom.*

Idem diceretur exemplo non bono factum, si religionem mandati, & Manlianorum severitatem imperiorum in oculis haberemus. Sed quia semper dubitatum est, annon magistratibus & præfectis aliquando dari venia debeat, si rebus creperis, & urgentiore necessitatis articulo, præsidium à propria sapientia, extra terminos mandati mutuati essent; igitur judicium de factis diversum, diversas peperit loquendi formulas; remque unam, non uno modo spectatam, bono exemplo, & non bono, agi pronuntiavit.

Epaminondæ factum, plebiscito non parentis, inter celeberrima hujus disputationis exempla jam olim agitatum est: sicut ex *Cicerone* (*1. de invent. 33, & 38.*) discimus. Minime omnium autem videtur solvere litem *Lambinus in commentario ad Corn. Nepotem,* qui in *Epam.* (cap. 7. & 8.) facundedescribit historiam. Certum est totam quæstionem referri ad *ἀγνωμοσύνην & ἐπιείκειαν.*

Eam, qui non satis ratiocinari ac interpretari didicerunt, nunquam se extricabunt ex illa quæstione, quæ inter viros militares olim & hodie acriter disceptata est: *an mandatis religiose obtemperandum, quæcunque acciderint, ne obsequio neglecto convellatur imperium; an ex necessitate mandata corrigant, & ad præsentem usum pro re nata accommodent, ne occasiones & rerum gerendarum momenta amittantur.* Sicut formulam hanc occasione cladis Hispanicæ, de qua dictum, enunciat *Camdenus,*

Part, 3. Hist.

Inprimis *malè gesta legationis actio apud Græcos, & veris caussis frequens est: ubi juris loco quæri solet, an omnino aliter agere, quam mandatum sit liceat*: annotante *Quintiliano.* Illustre exemplum habemus in *oratione Demosthenis contra Æschinem* περὶ τῆς παραπρεσβείας. ad quam *Ulpianus Rhetor*, annotat: *ex duplici genere mandatorum, scriptorum, & non scriptorum, hæc maxime ad criminandum & incusandum obnoxia esse.*

Inst. or. VII, 4.

Hist. l. 13.

Ex junioribus ita de hac re *Gramondus* disserit: *Quæ legati nomine injussus gesseris, sæpe reprobant, sæpe item comprobant Reges, ut fortuna dixit, læto aut infelice exitu. philosophantur oblique, qui rerum summam in aula tenent: raro illis ex caussa judicia sunt; qualis affectus fuerit, æstimatur qui negotium gessit. Hinc periculosum est, proprio motu ea exsequi, quæ pro variis eventis varie pendi solent: quocunque tandem fortuna inclinatura sit, optima ejus caussa, qui res in provincia administrans præsidium in aula mutuatur à rerum arbitro.*

Ex Mythologica Poësi, *Mercurii* descriptiones huc pertinent: in quibus philosophia mandatorum erudite exhibetur. *Jove natus* ille fingitur, *in Olympo* Deorum diversorio; unde origo mandatorum intelligitur. *Horæ* exceperunt natum, notante *Philostrato Juniore* (*Icon. lib. 1.*) quia temporis momenta in obsequendis mandatis vel maximam vim habent. Adduntur *talaria* pedibus, industriæ ac celeritatis notandæ; ut & *ministri Zephyri*, eodem significatu. *Caduceus*, insigne potestatis mittentis & mandantis. *Eloquentia & prudentia*, fungendis mandatis publicis, qualia legatis præcipiuntur, propria instrumenta.

Horæ-

Horatius, magni Jovis & deorum nuncium vocat: *Virgilius* (*4. Æn.*) inducit Jovem mandantem; Mercurium obsequentem: ubi *Servius* ad illud: 1. Carm. od. 10.

Vade, age nate, voca Zephyros, & labere pennis,

ita annotat: *singulis verbis, & jubentis, ut* vade; *& hortantis, ut* age; *& blandientis, ut* nate, *expressit affectum.* quæ accipi debent juxta genium figuræ, de qua ante dictum est. Occurrunt talia apud poëtas passim. Apud *Euripidem in Ione, Mercurius* Apollini obsecutus, *χάριν Λοξίᾳ πεπραχέναι in gratiam ejus fecisse se* commemorat. Transtulerunt hoc commentum etiam ad astrologiam: ut Mercurium Planetam talem fingerent, qualis esset, cui jungitur, monente *Servio ad Georgica*; cum adjectione: *Unde etiam fingitur minister esse deorum, quod eorum obtemperat potestati.* lib. 1.

Sed impletus est modus hujus dissertationis, qua voluimus specimen rerum civilium studiosis designare, inquirendi paulo impensius in singulorum argumentorum interiorem philosophiam, unde quidquid subnasci dubitationum potest, haud difficulter dijudicare ac interpretari liceat. Quæ est vera necessitudo & *συζυγία* civilis prudentiæ ac Historiæ; nexu naturali non minus quam prudentissimis Inclyti Senatus Nostri legibus conjuncta, & Historiarum Professori commendata.

VII.

DE POTENTIA CIVITATUM.

INsevit humano generi Optimus Maximus Conditor, societatis non qualecunque desiderium, neque cujusvis; sed quo excellenter concupisceret consociationem, suæ naturæ, quam ratio cæteris animantibus supervehit, consentaneam, id est bene compositam, bene instructam, rebusque expetitu dignis adornatam. Qui hujus voti compotes fiunt, felices sibi pro mortalis ævi captu videntur. Fieri autem nequit, ut inter paucos ea rerum expetendarum vel

copia vel dispositio suppetat, quæ huic fini obtinendo par sit. Igitur multitudinis ope eo usque procedendum fuit, donec cœtus felicitatis parandæ tuendæque præsidiis ac instrumentis præditus, in corpus & nomen Civitatis, vel unius, vel plurium regendæ imperio, redigeretur.

Ceterum expetenda, quibus felicitas constat, vel dignitate sua, vel fructu aliquo, vel utroque nomine pretium sibi faciunt: Honestaque, & Utilia, & Mixta appellantur. quanquam hoc tertium genus, ad meliorem vocabuli partem collatum, Honestis fere accenseri solet. Hujusmodi quæ sint, si quæratur summatim; *incolumitatem*, & *Potentiam* civitatis, nominabunt veteres. quarum hæc illi aliquid superaddit; & præter salutem tutamque & integram conservationem, amplitudinem Civitati conciliat ac quandam quasi majestatem.

2. de inv. 56. *Ciceroni*, cujus philosophia egregie illustravit hunc locum, ita describitur: *Potentia, est ad sua conservanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas.* Neque partes omittuntur: *urbium egregia exornatio atque amplitudo, quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac societatum multitudo.* Insunt equidem hæc in ipsa incolumitate: locus, pecunia, socii: Sed Potentia magis amplum quiddam, nec sola necessitate æstimandum conficit.

Quod si cui diligentius partiri libeat, non inepte forsitan dixeris: Potentiam vel domesticis præsidiis niti, vel externis. *Domestica* referri queant, ad *Virorum*, *Locorum*, *Pecuniæ*, *Armorum*, robur atque copiam: *Externa* in *Fœderibus* & *Societatibus* reponantur. Nec omisit *Cicero* Arma. Nam & in describenda Incolumitate, *milites* nominaverat: & pecuniarum in re militari & armata defensione frequentissimum usum, subintelligendum dedisse putandus est. Quin & ipsa descriptio Potentiæ, quam attulit, armorum vim vel præcipue complectitur.

Congruunt huic sententiæ qui de viribus ac potentia Principum non aliter volunt judicari, quam si suis opibus viribusque exercitum possint comparare ac alere, cuicumque hosti opponendum. Qui enim hac facultate destituitur,

tur, eum potentem dici, cum alieno semper præsidio niti cogatur, in absurdis ponunt.

Et quibus quidem rebus definienda sit potentia, non potest obscurum esse. Plus dubitationis habet, quomodo ea paretur: præcipuum difficultatis & cautionis in eo est, ne adepta, consiliis parum bonis regatur, aut perperam adhibeatur. Quod cum plerumque soleat fieri, nonnulli philosophantium, sententias in diversam partem contentius flectendo, eo processerunt, ut spernere, certe dissuadere videantur Civitatibus & Principibus studium potentiæ, tanquam rei, quæ nec parari, nec haberi per bonas artes queat, & possessores suos denique evertat.

Verum hæc atque talia, si ultra consilium prudenter tractandi, & cum modo habendi rem arduam, exaudiantur, à vero aliena sunt, cum divinis humanisque literis erudiamur, Deum in iis, quæ beneficiorum nomine mortalibus largitur, etiam potentiam numerare; esseque rationi maxime consentaneum, ut quælibet Civitas, res suas non tantum salvas, sed & firmas auctasque, in quantum citra contumeliam juris legumque fieri potest, cupiat. Quinimo, sicut in privatis, auctoritas & opulentia, non quærentibus tantum & affectantibus, sed aliquando inopinantibus, forte fortuna obtingit: Ita publicarum rerum fata tali nonnunquam serie nectuntur, quæ ultro & insperatum munus, Civitati Potentiam decernit. hujusmodi res secundas non complecti cura, non tueri provisu, ingratorum pariter & indignorum fuerit hominum.

Quæ si quis, ut oportet expendat, Civitati studium Potentiæ non in licitis modo, sed in necessariis, & gloriosis, convenire judicabit. Accepit illa libertatem, & cum ea religionem, leges, mores, omniaque, quæ publice honesta, privatim cara habentur. His, ut in ferrea mundi ætate, quotidiani pæne insidiatores, raptores, hostes iminent. Adversus quos, aliena tantum auxilia circumspicere; periculosum semper, haut raro miserum est. At Potentia non Tuum modo latus ab injuria munit; sed succurrit etiam aliis; servatique civilis decoris, id est, re-

rum

rum, sine quibus nulla civitas esse potest defensarum, nobilem titulum innocenti robore domi forisque promeretur.

Et, quid cesso explicatius dicere, quod ante verbò tetigi? Deus ipse, Magnitudinis suæ notam in Imperiis esse voluit, hanc qua de loquimur Potentiam. Dei potentissimo nutu Civitates ab infimo ad summa proficiunt: Dei robore, valent rerum fastigia. Dei consilium est, quod hujus Principis opibus, alterius vires comparantur vel opponuntur. Dei arbitrium est, cum ab uno ad alium ista moles transfertur. Dei Potentia est, quæ Potentissimos quosque impotentius se gerentes dejicit ac comminuit. Dei providum regimen est, quod Civitatum Potentia distinguitur ætatibus, terminatur limitibus, variatur gradibus. Et quis non vereatur, secretiora illa eloqui verbis, quæ Dei modo favor, modo indulgentia, ubique sapientia, in hoc genere constituit atque moderatur? Sed ad singula Potentiæ momenta progrediendum est.

Incipiemus à *Virorum* copia; sive *Hominum multitudine*; non ut militat (de eo enim genere postea dicetur) sed ut Civitatis felicitati perficiendæ vario usu destinatur. Id enim si ampliore quodam paratu successuque fiat, Potentiæ pars erit omnium prima: quæque reliquas fere constituit aut firmat. Copia hominum, belli pacisque munia, manu & impensis sustinet. Galli, Itali, Angli, Belgæ, non magnopere eunt in viscera terræ auri argentique caussa: ut tamen pecunia abundent præ ceteris, frequentiæ incolarum præcipue deberi, non negabunt. Bella vero, non pauca olim & hodie, multitudo instruxit instauravitque, paucitas dissipavit corrupitque. Locis quoque excolendis, quod potentius subsidium, quam multorum hominum opera & ingenium? Neque autem *numero* tantum & *collectioni* hominum student, quibus ea cura est: sed & *varietati*, ad diversas vitæ civilis utilitates relatæ. utrobique autem *modum*, & *dispositionem sive ordinem* absolvendo suo operi consectantur.

Verum,

Verum, ut abundet Civitas civibus, Dei primo munus est, non eo tantum nomine, quatenus alias nationes magis, alias minus fœcundas, pro diverso locorum cælique habitu esse voluit; sed etiam ex singularibus caussis, occultisque; ob quas crescere aut diminui fataliter solent populorum vires. Fuit copiosa quondam viris Hispania: redacta est postea ad infrequentiam. Bene sic consultum paci aliarum gentium. Non caperet orbis vastas spes illius populi, si eo dimittere manus suas posset, quo consilia porrigit. Sunt, qui projectissimæ ad libidinem gentis intemperantiam, sterilitate puniri, non citra rationem judicant. Accedit sponsarum immaturitas, procreandæ suboli plurimum inimica.

Igitur qui frequentiæ civium operam dant, *Legum* subsidio uti debent, ordinandis matrimoniis, & vetando impuro callidoque cœlibatu. Ea Platonis, ea Aristotelis, explicata diligenter philosophia: ea Legislatorum veterum, testata illustribus sanctionibus cura. In quibus exemplis, Augustus celeberrimum nomen est: postquam exhausta assiduis bellis, præsertim civilibus, Romana pube, numero civium instaurando animum adjecit; laudantibus bene deliberatas ejus providentiæ rationes Dione, Tacito, Suetonio.

Sequuntur aliæ *Artes*, & inventa civitatum, quæ conciendæ multitudini, alliciendisque ac undique congregandis hominibus serviunt. Ejus generis aliqua probantur; aliqua in reprehendendis ponuntur. de nonnillis veluti per artificiosum excusationis genus dubitatur. quo pertinent ea, quæ necessitatis præscriptione, confessos absolvere putantur. Non est tamen dissimulandum: necessitatis titulum, incolumitati potius civitatum indulgeri, quam Potentiæ accommodari: nisi quod partæ semel potentiæ conservatio ac defensio, consuetudine gentium communi, in necessariis numerantur. de cetero, ex usu temporum, ex habitu ingeniorum, ex moribus populorum, necessitas, modo ratio, modo studium; nunc argumentum, nunc color; aliquando ænigma, sæpe fabula est.

Kk Exem-

Exempla *dubiarum* artium, duo tantum attingemus *Asyla, & Evocationes celebrium virorum*, quorum in gratiam multi videntur alii confluxuri. Asyla ita institui posse, ut templa misericordiæ, non receptacula scelerum sint, nemo ignorat. Quemadmodum tamen crebro in abusum trahi soleat ista res, notius est, quam ut ostendi debeat. Factum est sæpissime, ut Reges ac Civitates, ipsam dignitatem suam & humanitatem loco asyli esse vellent omnibus, aliunde vel ob scelera, vel ob infortunium, & vim profugis. Et vi quidem expulsos, aut inimicorum odia fugientes, recipere ac tueri, manifestam laudem, neque invidendam incrementi occasionem habet. Quo nomine Gothi ab antiquo & Sueones celebrantur. Perfugium illis præbere, qui decretam facinoribus suis pœnam exilium sibi domi consciverunt, interdum non caret ratione & successu: Sed nec pericula desunt. At qui pœnas domi metuentes, alio se auferunt, vitandi judicii ergo, sæpe quidem receptaculum habuere in aliena civitate: liberius & excusatius, si nemo reposcit aut incusat; non æque tutum, quotiens jus suum persequentibus non obstare, ad civitatis cujusque justitiam pertinere creditur.

In *evocandis* aliunde viris bello & pace præstantibus, tum demum vitio res geri putanda est, si alterius civitatis civibus, tædium patriæ & præsentis status, conciliatur; si ad rumpenda obsequii, fidei, reverentiæ vincula impelluntur; si adversus eos, unde evocantur, clanculum veluti conducuntur. Verum ex illis locis, unde demigrandi & civitatem mutandi omnibus æque libertas lege conceditur, citra inimicum consilium, & obliqua artificia, quin sic evocari queant aliqui, ut vocantibus & vocatis sui candoris, fidei, propositi ratio constet, dubio caret. Ponam, detractis nominibus, exemplum. Abundet aliqua gens, præstantium Ducum eorundemque civium numero; ad quorum famam milites nomina daturos nemo ambigat. Hos sicut nemo amicus ad se pellexerit, quamdiu illi civitati bellum est: ita rebus pacatis, nihil obstat quo minus excusatum sit, si alia civitas ipsorum operam ambire sibique

que pignerare cupiat. Optima quidem tum ratio ambiendi dicetur, si cum ipsa republica, cujus cives sunt illi bellatores, res communicetur. Quod si tamen statim ipsi appellantur semotis callidioribus consiliis, non abs re videbitur, bene speravisse de virtute tantorum virorum, tanquam qui in adnuendo vel abnuendo, nihil contra fidem aut dignitatem admissuri sint.

Minus dubitationis habet in concienda hominum multitudine, *commerciorum omnis generis copia & commoditas & facilitas, privilegiis & immunitatibus indultis procurata*: itemque *rerum necessariarum victusque parabilis facultas.* utraque res invitat homines & retinet. Belgio Confœderato magnum inde robur: neque tamen eo unquam processurum, nisi Augustanæ Confessioni addictis, liberam religionis publice exercendæ in præcipuis Civitatibus potestatem fecissent.

Faciunt huc etiam *Scholæ nobiles*, quibus variæ disciplinæ artesque, conductis viris celebribus & peritis, tum ordinata ad proficiendi felicitatem docendi discendique ratione, traduntur. Confluunt eo, non tantum, qui ad tempus erudiri cupiunt, sed etiam alii homines, qui opportunitate loci & commodis uti cupiunt. Et quoniam de potentia nobis sermo est, quam esset huic proposito accommodatum, in civitate potentiæ studiosa institui scholas mathematicas, in quibus accuratius demonstrarentur, non tantum quæ ad architecturam civilem & militarem faciunt, sed etiam quæ ad Geogaphicos usus, ad rem nauticam, ad mechanica varii generis pertinent? Talia enim vix serio hodie tractantur in Scholis: ut &, quæ Oeconomici argumenti sunt, & ad modos artesque acquirendi & mercandi spectant. Qualibus disciplinis studiosius operam dari, è re civitatum esset, copiis omnigenis locupletari amantium.

Splendorem & apparatum & humanitatem Aulæ in iis numerari, quæ alliciunt præsertim peregrinos nobiles aut artifices, manifestam rationem habet: etiam quatenus de Civitate agimus. quo vocabulo hactenus semper totam

Rempublicam, totum imperium significamus. Ceterum in unius Imperii complexu, urbes incolis frequentari amplificarique, si aula certum ad tempus ibi subsistat, eamque non raro caussam fuisse, aulæ de loco in locum transferendæ, pluresque Regias constituendi, compertissimum est.

Nullo autem modo probari possunt illa inventa, quibus *contra pacta confinii aut fœderis, certi alicujus populi cives, clanculum pelliciuntur per emissarios ac promissores*; *atque veluti subducuntur de corpore alterius civitatis*. id quod modo apertius, modo occultius, fieri videmus; dum per speciem receptationis allicefacti præsertim vicini, dominos mutant. Sic ex Ingria agrestes cupidine præsentia novandi, subinde apud Moschos sedes reperere. quam rem paucos ante annos magna vi pecuniæ apud Suecos luere, consultum rebus suis duxit Magnus Dux Moscoviæ. Barbaræ prorsus est immanitatis, latrociniis ad venationem hominum uti; atque ita captis, suam civitatem frequentiorem reddere.

Neque interim potentiam civitati solus præstat hominum numerus: nisi adsit *varietas & distinctio*, juxta munia & operas civilis vitæ. cui parum comodum est, si homines iidem & militare & agros colere, & opificia tractare debeant. Ut enim alicubi terrarum hoc fieret, vel necessitas exegit, vel bonarum rerum omnisque disciplinæ ignoratio effecit. qualia nomina à proposito & cultu potentiæ plurimum absunt. Septentrionales aliqui populi, olim eo more, veluti Delphico gladio usi sunt. Sed præsentior rerum in majus profectarum usus, vel maxime ejus commendavit distinctiorem tum aliorum negotiorum tum opificiorum culturam.

Modus quoque, ut omnium rerum, ita multitudinis, quamvis potentiæ studetur, spectari debet: tum, ne inhabilis ad regendum sit illa moles; tum, ne unum genus hominum nimis abundet, alterum deficiat. Ad monstri naturam accedunt corpora, in quibus membrorum habitus abnormi inæqualitate ibi exuberat, hic delinquit. Pone civitati immensam esse multitudinem monachorum, alio-

rumque

rumque religionis ſpeciem otio ſuo obducentium. Pone plurimos; qui artes ludicras aut deliciis deſtinatas tractant. Non ſuſtinebunt illa, ſed infirmabunt potentiam. Dicam, quod minus credibile non minus tamen verum eſt: ſi Militum numerus, cetera hominum genera in tantum excedat, ac ſi unius militiæ ratio habenda eſſet, ſpeciem ea re potius quam vim potentiæ exiſtimari oportere.

Verum ad rationem corporis nondum ſufficit; ſi & copia, & modus & varietas membrorum adſit: niſi diſponatur ſuo quodque loco, & connectantur ordine, & apte vinciantur. Ad potentiam ergo plurimum intererit, collectæ multitudinis *ordo & diſpoſitio civilis*. Ejus beneficii Romanis auctor Servius Tullius fuit, cum cenſum inſtituit, id eſt, populum per diſcrimina patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorum deſcripſit, retulit in cenſum, digeſſit in claſſes, curiis atque collegiis diſtribuit. quam rem non immerito ſaluberrimam magno futuro imperio, *Livius* prædicat. Rudis alioquin & indigeſta quantumvis magni populi moles, in argumentum potentiæ non valebit.

Sequitur, ut videamus, quid *Locus* ad potentiam civitatum conferat: quatenus eum in hos uſus vel Natura genuit, vel Ars conſtruxit, vel Prudentia accommodavit. *Naturæ* enim munus eſt, ſi locus civitatis limitibus arcifiniis muniatur; ſi deſcribatur ſitu facili ad commeandum, ad agendum, ad communicandum, conferendis in commune, quæ ubertati & copiis deſtinantur; ſi opibus nativis abundet; ſi ſpatiis minime anguſtis contineatur. Fines Civitatum natura munire ſolet montibus, fluminibus, maribus. Licet enim aliquando, etiam hoc modo diſcretis connexum odium comperiatur, facultas tamen nocendi haud perinde obvia, interjectu rerum, quas ſeparandis gentibus natura pro terminis conſtituit.

Commeandi, & communicandi facultatem, adjuvant præſertim etiam flumina & maria, navibus portandis, rebuſque devehendis. Unde non aliis pronior via ad potentiam, quam maritimis gentibus. id quod exemplis Cretenſium, Phœnicum, aliorumque, Hiſtoria probat, cujus ſummam

mam diligenter tradiderunt Thomas Rivius, Anglus; & è Gallis, Claudius Bartholomæus Morisotus; ille in Historia navali, hic in orbe maritimo. Tyri potentiam hinc potissimum arcessit etiam Prophetæ Ezechielis descriptio. Quare Romani, cum uno quasi ictu delere Carthaginensium potentiam destinassent, mari eos submoverunt.

Non immerito Galli jactant, populis Regni Gallici omnia communia esse; multitudinem & oportunitatem fluminum eo verbo laudantes: qui vel cingunt Franciam, ut Araris, Rhodanus, Mosella, Soma; vel intersecant, ut Sequana, Ligeris, Garumna; vel undique concurrentes, mercibus comunicandis omnia inter se devinciunt. Solos Andegavos quadraginta fluminibus irrigari, tradunt. Hinc Reginæ Catharinæ Mediceæ nata occasio, rem in majus augendi, cum diceret: in Regno Galliæ plures esse fluvios navium patientes, quam in omni cetera Europa.

Opes nativa locorum, verum solidumque potentiæ firmamentum præbent. Ludit ergo, & ingenium ostentat more suo Machiavellus, quando sterilia loca præfert, opibusque civium augendis aptiora judicat. Athenienses sane sterilitas loci ad virtutem incitasse, eoque veluti stimulo ad ingrediendam potentiæ viam propulisse existimatur: sicut Constantinopolis, rerum affluentia Romanam industriam eo translatam enervasse opesque publicas debilitasse creditur. Sed neutrum ex eo genere rerum dixeris, quæ naturali consecutione eveniunt: nihilque facilius erat, quam prævertere noxam abundantiæ Byzantinæ, nisi prudentia & vera virtus politica abfuissent. Jam, si historiam paulo accuratius introspicias, animadvertes, eos, qui inopiam parandæ copiæ incitamentum habuere, sæpius via non recta incessisse. quo factum est, ut imago virtutis & industriæ, veræ laudis habitum ementiretur; dum quærendis opibus latrocinium pro bello vindicant, nullumque scelus autumant, ad quod inopia se compelli obtendunt. Ingrati certe fuerint, qui nec beneficia divina agnoscere, neque iis recte uti studeant, quando accepere locum, ubi campi pa-

pi pa-

pi pabulo, agri frugibus, flumina & maria piſcibus, luci lignis, viſcera terræ metallis abundant.

Belgarum opes, quibus Cereales agri, & alia fertilitatis munera deſunt, induſtria mercaturæ & navigationis quin alte conſtituerit, negari nequit. Sed hæc potentia eſt ſimilis illis ædificiis, quæ mero artis machinamento, nullo fundamenti naturalis robore, ſuſtinentur. Quod ſi ergo in comparationem veniant Belgæ cum Anglis (nam hoc par nuper fortuna in publico theatro compoſuit) omnibus modis, Anglica præferenda eſt Potentia, quam natura tam ſtabili domeſticæ abundantiæ firmitate fundavit.

Amplitudo locorum exigitur ad modum & uſum civitatis. Non enim potentiores cenſentur, qui immenſis ſpatiis habitant. Talia enim ſub unius regiminis, ut ita dicam, contuitu, haud facile conſtituuntur: citoque magnitudine laborant ſuâ. Non modica pars amplitudinis, cohærentiâ, & habili non terminorum modo, ſed interjecti corporis compage conſtat. Hac ratione ducuntur, qui Gallici Regni potentiam Hiſpanicis opibus præhabere non dubitant: quod ibi complexu rerum virtus imperii expeditior; hic diſſita ac pæne diſperſa omnia tardiori molimine moveantur.

Longinquas colonias, & à cetero rerum contextu avulſas, veluti ſpeculas, aliquando ponere ſolent, qui potentiæ ſtudio in remota dimittunt animum & manus. Ea res quam ſit ardua, & eventus ancipitis, monſtrant coloniæ in Americanas terras ab Hiſpanis, Anglis, Gallis, Belgis deductæ. Quotiens enim irritus fuit conatus, non primarum tantum, ſed inſequentium etiam expeditionum? Quotiens deducta jam & munita colonia, vario infortunii genere diſſipata eſt? Fuerunt in illis coloniis, quæ præter inane nomen, nihil ad potentiam auctoribus conferrent. At quæ omnino convaluerunt, ſpe præmii, & mox fructu, incitante, mercaturæ & ærario accommodatæ ſunt. ſimul etiam, purgamenta urbium in iſta veluti exilia dimittuntur. Quo jure autem in alienis terris id potuerit vi ac armis

mis attentari, ſæpe diſputatum. parum curant, qui victoriæ rationem non reddi, ferociter opinantur.

Cæterum ſi amplitudo locorum non ſit eximia, ſupplebitur ingenio & induſtria; quibus etiam anguſtiora ſpatia, diffuſæ amplitudini æquiparari poſſunt. Artis enim, & Prudentiæ non minimam vim eſſe, in locis Potentiæ accommodandis, ante diximus. *Ars*, inquam, ſterilitatem & inopiam locorum variis commentis ſublevat; commeandi & communicandi facultatem inventis promovet: munit vias, ædificat domos, vicos, opida, locis opportunis, ſalubribus, amœnis. Eat in teſtimonium ipſa Germania noſtra; quæ Tacito olim dicta, *informis terris, aſpera cœlo, triſtis cultu aſpectuque.* At hodie fertilitate, cultu, ſplendore, cum florentiſſimis Europæ provinciis certare poteſt, niſi quatenus diuturni mala belli, de ſplendore priſtino aliquid detraxerunt. Fieri tamen, quæ olim facta, hodieque videmus: exſcindi ſilvas, conſeri colles, fluminum curſus conjungi, derivarique.

Urbium exornationem & amplitudinem, *Cicero* exempli ergo poſuit, cum vellet oſtendere Locum quoque habere aliquid ad potentiam momenti. Quo præſertim ſpectant, Urbes Regiæ, capita provinciarum, urbes urbium, metropoles, urbes unde in omnia regimen. Harum magnificus ornatus haud raro ad myſteria reipublicæ pertinet. In univerſum æſtimanti, facile conſtabit, commoditatem, ſplendorem, amplitudinem urbium allicere pariter ac locupletare incolas. Ita fit, ut hi veluti nervi ſuo quiſque
lib. 70. f. privatim robore valentes, corpus civitatis publice firment ac moveant.

Habet tamen & iſta res modum: quem ſine periculo non exceſſeris. Anno ſuperioris ſæculi octogeſimo, Eliſabetha Angliæ Regina, Thuano referente, cum videret Londinium nimis excreſcere, depletis digreſſu huc confluentium Angliæ urbibus, lege lata obviam ivit, vetans nova ad habitandum ædificia, intra tertium à portis milliare ſurgere; aut in ipſa urbe ſingulas domos à pluribus quam ſingulis familiis habitari. Præter enim detrimenta

cæteræ

cæteræ Angliæ, etiam pestis ac contagio morborum, in tam constipata multitudine ædium hominumque, immanius sævitura timebatur. Lutetiæ Parisiorum in Gallia, majora iis, quæ totiens hactenus sensit, mala, non dubitanter ex nimia magnitudine auguratur Bartholomæus Gramondus. *lib. 2.*

Quo sint situ, ad incrementa maxime opportuno statuendæ urbes, jam olim disputatum est: nonnullis maritima loca, aliis terrestria præferentibus. Aristoteles locum, nec à mari longe remotum, nec plane maritimum optat. Sed hæc tam certis regulis definiri nequeunt; ubi ad propiores civitatis usus, tempori suam adeoque non unam faciem debentes, ventum est. Situm certe solum non parere opes & incrementa urbibus, tum aliis exemplis ostendi potest, tum Vlyssingæ: quæ cum pluribus nationibus ultro citroque commeantibus & negotiantibus, opportunitate loci, usui sit; ad eximia tamen augmenta non profecit: Botero etiam notante, in opusculo hujus loci, de origine & incrementis urbium.

Ipsa urbium ad se invicem necessitudo, magni momenti est: si commode alias aliæ respiciant ac pertingant; viribus in catenæ seriem nexis. Ornandi autem studium, nisi in tempore adhibeatur, potentiæ officit, translatis huc impensis, quæ potioribus usibus ac necessitatibus publice privatimque debebantur. Prius de fundamentis potentiæ cogitandum; fastigii postrema cura est. nisi quis præposteri consilii pœnam civitati consciscere cupiat. Optabile fuerit, semel ita ædificari urbes, ne tædium incolis ac desiderium novandi aliquid in ædificiis, inoriri possit. sed necessitas ante rationem est, nec potuit, nisi lateritia surgere Roma; donec actu imperii marmorea fieret.

Omnia ista & Naturæ & Artis munera *Prudentia* moderatur; cujus singularis hic laudari occupatio debet: locorum intervalla, opes, ornamenta metiri modulo reipublicæ, munire provisu, connectere subsidiis. Quod quale sit, nullo fortasse melius exemplo doceri potest, quam Augusti, cujus consilio, *mari Oceano & amnibus longinquis se-*

ptum imperium; legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa; urbem ipsam magnifico ornatu, apud Tacitum prudentes viri prædicant. Partem hujus curæ faciunt, bonæ leges, quibus ad ea imbuuntur cives, quæ locorum genio sunt aptissima; apud maritima, ad studium navigandi & negotiandi; fertilibus, ad agriculturam; sterilibus, ad varia novorum laborum inventa.

Pecunia autem ac *divitiis*, vel ad parandam, vel ad augendam potentiam, maximam vim inesse, omnes prædicant; illudque Poëtæ huic loco, tanquam emblema, præscribunt: *Regina pecunia Rerum.* Usus pecuniæ in Civitate, rebus permutandis incolumitatique tuendæ, necessarius, atque adeo ordinarius, alterius disquisitionis est: hic copia & magnitudo pecuniarum, & thesauri, spectantur: quibus vel ut nervis sustinetur Potentia vel ut subsidiis acquiescit. Igitur proposito semel potentiæ studio, consequitur ultro vis pecuniarum. ut otio abuti videantur, qui in dubium vocare instituunt, an Civitati ejusve rectori pecuniarum collectio conveniat.

Licet enim sub favorabili illa præscriptione, quasi subsidium regno paretur, immensa sæpe avaritia latere cupiat; modique congregandæ pecuniæ plerumque invisi aut suspecti, rumoribus sinistris alimentum præbeant: detrahenda tamen rebus larva est, quam opinio & impetus non ratio imposuit. Pecunia opus est magnis civitatibus, ad varia hominum genera opportunis in locis & gentibus concilianda ac devincienda; ad conducendos, aut mittendos, qui apud vicinos, apud longinquos vel speculentur vel tractent, quæ in rem sunt: Pecunia est, quæ sociorum aut civitatum ad communis affinisve propositi finem tendentium commoda ac desideria sublevat; quæ advenas & legatos munifice habet; quæ præmiorum magnitudine ingenia & artes allicit fovetque; quæ rebus domesticis splendorem & ad exteros magnificentiam famamque adornat, quæ arcanis rebus securitatem & successum promeretur. Pecunia armis non decus modo sed robur comparat: ipsisque armis fortius sæpe in animos pugnat.

Persa-

Persarum Rex pro modo ditionum non est valde potens; quia reditus ejus non sunt magni. Tres, alii; quidam, quinque; sed qui sub finem superioris sæculi propius investigarunt, duos tantum milliones numerant. Tartarorum nullam agnoverim potentiam; ob paupertatem & pecuniæ inopiam: quæ vel prædones vel mercenarios perpetuos efficit. Nam quod nonnulli de immensis Chami thesauris suspicantur, fundamento idoneo caret. At Familiæ Austriacæ proventus uberes, splendidissimam potentiæ opinionem, tot militum stipendiis, tot munimentorum copiis, adversus Turcam præsertim jam pridem valentibus, merita progeneraverunt.

Parandæ pecuniæ usitatiores modi sunt: Fodinæ Metallicæ, Tributa, Mercatura, rerumque domi nascentium aut manu factarum exportatio, Bellum. In quibus singulis non unius generis dubitatio occurrit. Sed ad ista progredi non licet in præsens. Ac de Tributis quidem omnique exactionum genere alibi agendum est. Fodinæ metallicæ singulari peritia, arte, fortuna opus habent, sicut historia hujus argumenti abunde docet. Bello pecuniam cumulare, si necessitas bellandi absit, inter invisa, nec raro noxia, reputatur. Cum enim injustitia omnis vix unquam separari ab hoc genere possit; tandem felices aliorum populorum prædones vicissitudine rerum fatali plerumque evertuntur.

Mercaturam qua potentia præcipue maritima sustinetur, promiscuis consiliis juvare aut amplificare usitatum potius quam consultum est. Suadet nuperus Imperii Maritimi Scriptor, Belgis, ut curent omnibus modis, *ne conjungatur oriens & septentrio cum occidente; sive mercatores, qui ad orientem & septentrionem habitant, puta Hamburgi, Dantisci, Regiomonti, in Dania, Norvvegia, Suecia, Russia, &c. ipsi plagas occidentales adeant, & inde petant, qua sibi usui sunt, ac vice versa Occidentales, frequentent orientales & septentrionales regiones. Semel enim* (ita addit) *si hac conjunctio facta fuerit, ex Belgio medio loco consistente, & extrema illa loca frequentante, mercatura paulatim migratura est.* Quo jure impediri talis conjunctio

& libertas mercaturæ interverti aliis possit, desideres equidem audire. Contrarium enim qui suadeat maris ortivi accolis & septentrionalibus populis, quatenus facultas ejus rei sperari potest, is jure optimo niti censebitur.

Jam, quod idem Scriptor queritur, rei nauticæ & mercaturæ arcana Succis Anglisque propalata esse è Belgio, indeque Belgas minus æstimari cœpisse, sinamus interim dici credique. Sed quod inde extruit consilium, mercatores majores ne emigrent, impediendos omnique ope retinendos esse, an satis conveniat cum aliis status Belgici regulis, an in posterum eo valere queat, quò tam serò destinatur, non immerito dubites. Et de libertate mutandi civitatem, addiscendi mysteria mercaturæ reique nauticæ, in re tam clara, nihil attinet verba consumere.

Unica interim eaque perpetua cautio in quærendis opibus est, ne illæ postea *affligant sæculi mores, mersamque vitiis suis quasi sentina rempublicam pessum dent*; quod de Romanorum fato Florus conqueritur. Sallustius per omnis ævi seriem notari vult, *qui reges, quæ civitates & nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant*. Scilicet difficilius est, retinere divitias quam parare; propter immensam luxus cupidinem, quæ auctu opum adolescit erumpitque.

Inter præcipuos pecuniæ usus, eum supra retulimus, quem in Bello præstat. neque enim vetus verbum, quo *Pecunia nervus belli* laudatur, à Machiavelli ludentis cavillatione convelli potuit. Bello autem & armis patriam tueri, inter ea est, quæ primævo civilis consociationis jure continentur. Et, cum ab incolumitate civitatis ad amplitudinem ascenditur, tum parandæ, tum servandæ partem, *Arma* facere, in confesso est. Habent, quæ potentiæ amplificandæ causa induuntur arma, plurimum invidiæ: eaque demum laudata potentia censetur, quæ arma juste & necessario sumta ultro consequitur, non quæ materiam armis præbet.

Sed,

Sed, quatenus quidem movere arma fas ſit, amplioris nec in hunc locum contrahendæ quæſtionis eſt. Sufficiet attigiſſe, arma, quo apparatu, quo diſpoſitu, potentiæ ſerviant. Quamquam ſatius ſit, per imperia & nationes totius orbis circumferre oculos & ubique ſtudioſius notare, an armorum modus reſpondeat Reipublicæ opibus; quomodo miles alatur; quomodo limitibus proſpectum; quid in hoſtes, quid pro accolis aut contra eos deſtinatum ſit. Ita fiet, ut univerſi cognitio argumenti, tum copia tum varietate, ampliſſimam judicandi de talibus facultatem, & excogitandi nova oportunitatem afferat.

Cæterum Armis contineri videntur: Viri, Apparatus ſive Inſtrumentum militare, & Munimenta. Viros militares, ab officio & uſu ſolent partiri in cuſtodes ac ſatellites; milites ordinarios ac perpetuos; copias ſubſidiarias ſive cives more militiæ exercitos. Cuſtodum corporis & ſatellitum præcipuus in regno uſus, alibi explicatur. Circa milites ordinarios potiſſimam dubitationem affert, quomodo alantur ac habeantur, ſine ingenti civium incommodo.

Eſtque illa res in primis ardua: neque illis ipſis militiæ artificibus Romanis tam commode olim ordinata, quin ſemper querelis locus fuerit. Cum enim duo ſint bella, quibus hominum vita infeſtatur (ſicut eleganter Libanius oratione adverſus Ingredientes diſſerit) unum quod armis ferroque contra extraneos conſtat; alterum interius, quod in pace etiam domi mutuis maleficiis geritur: minime fuerit conveniens, illud hujus cauſſam & fomentum facere. Cujus tamen infortunii grandia ſpecimina tum cetera hiſtoria præbet, tum non vulgari deſcriptione Libanii oratio de Patrociniis vicorum. Deliberatum eſt hac de re in Gallia Henrici III. præſertim temporibus. cujus conſultationis momenta Argenidi ſuæ inſeruit non indiligenter Barclaius; ſtudioſiſque prudentiæ occaſionem ſuppeditavit, attentius ſingula diſquirendi, & ad ſtatum reipublicæ ac temporum exigendi. Sueciæ in hoc genere admirabilis eſt diſpoſitio, de qua alias.

Quantum ad subsidiarium militem attinet, nulla fere est civitas, quin tale propositum exercendorum more militiæ civium præ se ferat. sed, cum in rem præsentem veneris, segnius fere omnia administrari animadvertas: sive, quod ferociores & ad civilis obsequii modestiam impromti magis credantur, qui nimis ad audaciam militarem imbuuntur; sive, quod ex militaribus civium studiis impedimentum metuitur opificiis, negotiationibus, aliisque civilibus occupationibus. Igitur non amplius fere temporis huic rei videmus tribui, quam quod ludo & remissioni convenit. Quamquam in Germania non desint constitutiones Imperii & decreta Comitiorum, de exercenda in armis multitudine agricolarum & civium; idque toties inculcatum sit in consiliis de bello Turcico. Pertinebat etiam eo mos vulgo receptus, sclopos ad destinatum scopum explodendi propositis præmiis & institutis certaminibus.

Ad apparatum militarem, sive *Instrumentum militare*, pertinent tota Armamentaria. quæ hodie constant copia telorum, munimentorum corporis; tormentis & tormentario paratu, ornatu equestri, instrumentis ad faciendum opus, variis machinis, pulvere pyrio, & similibus. In quibus omnibus, copia quidem pro modo civitatis æstimatur; habilis usus ad temporis & loci oportunitates exigitur; inventio ad cæteros casus accommodatur; dispositio ad promtam expediendi facultatem & decus, adornatur.

Tela præcipui generis hodie sunt, gladii, sclopi, hastæ. nam quæ antiquioris ac rarioris formæ tela in armamētariis visuntur, pompæ & ostentationi non usui militari serviunt. In sclopis fabricandis, idonei opifices quærendi, ne per tubos male perforatos, plus nostris quam hosti noceatur. Eadem cautio in majoribus bombardis, machinisque & tormentis spectatur: quibus hodie potissima bellorum vis constat; vel in præliis, vel in oppugnatione ac defensione munitionum. Neque audiverit aliquis Scipionem Amiratum, & Laurentium Mellietum, antiquorum tormentis eandem vim tribuentes.

In pul-

In pulvere pyrio bene conficiendo & caute servando, multum solicitudinis versari debet. cujus quanta vis sit, in cuniculis præsertim apparere potest, Francisci Georgii Senensis invento, quanquam discipulus ejus Petrus Navarrus Cantaber gloriam ejus rei tulit. Machinas igniarias ceteras, omnemque militarem pyrotechniam nova quotidie inventa celebrant. Sicut & instrumenta alia, variis belli usibus destinata, novam subinde varietatem addunt Theatro Bessoni, Fortii, Hulsii, & aliorum, qui in libros ista collegere.

Munimenta corporis hodie fere sunt laminæ ferreæ, & galeæ. Totum corpus ferro includere, priorum magis quam nostrorum temporum mos probavit. In postremis Germanicis bellis, quibus nulla puto exercitatiora magisque strenua fuisse, rarior equitum cataphractorum usus. nisi quod aliquam hujus generis manum inter subsidia reliqui exercitus in promptu habere, partem consilii & disciplinæ magni duces judicarunt.

Ad ornatum equestrem referri par est omnia, quibus equi militares instruuntur, ephippia, frena, sclopos minores, & quæ sunt ejus generis. Equorum etiam pernicitas & agilitas, quatenus naturæ & loci munus non est, industria & arte promovetur. Hinc studium equitandi, & domitores equorum apud nationes bellicosas.

Munimenta quod attinet, arces, propugnacula, colonias militares intelligi palam est. De quibus tria fere quæruntur: primum, ubi & quibus locis potissimum; deinde quo modo, qua forma, qua arte extrui; denique qua cura, quo provisu instructuque haberi debeant. Variantur ista ætatibus & locis, & reipublicæ utilitatibus. Nostri sæculi peritia in hac parte militiæ ad summum processit: tum in iis, quæ ad tempus struuntur ex usu belli; tum in iis, quæ mansura surgunt opera. Polonis quidem negliguntur munitiones urbium arciumque; partim, quod dicant, se duo habere propugnacula adversus hostem, spectu suum in acie; & tergum suum, cum retro cedendum, & hosti solitudo facienda est; partim, quod libertatis amore istas

re istas veluti sedes dominationis Regibus futuras perhorrescunt.

Navalis militia in locis maritimis, desiderat navium omne genus; bellicas, onerarias, actuarias, cum armamentis navalibus: tum stationes & portus idoneis locis; naucleros & socios navales; sine quorum peritia nullus sperari successus potest. Non est autem certius opulentiusque potentiæ, vel parandæ, vel amplificandæ consilium, studio rei nauticæ in locis maritimis. Demonstravit id Atheniensibus suis Themistocles, eo successu, quem dixi. Inter ea, quæ Gustavo Magno Suecia debet plurima maximaque, est etiam rei navalis instauratio & amplificatio, bello & mercimoniis tam solerter ac industrie destinata, ut cottidiano subinde profectu ad præcipua potentiæ momenta plenis velis contendere videatur.

Verum ista vix obiter hic licet perstringere. Uberiorem cognitionem dabunt commentarii Regnorum ac Rerumpublicarum, ac descriptiones Armorum apud nationes singulas, quæ bello olim aut hodie magnas sibi opes magnumque nomen compararunt. Non capiunt hujus instituti disciplinam, qui in peregrinationibus suis, sola armamentaria, ut militaris potentiæ summam, requirunt. Otiosa hæc & inanima, quo rerum dispositu, in quos usus, ad quæ subsidia valeant, altioris & utilioris est indaginis. Falluntur interim egregiè, qui ad obvia quæque stupida admiratione defixi, diligentiam cogitandi projiciunt. Hinc intolerabilis illa hyperbole, qua armamentarium Venetum (incomparabile id quidem, & instructissimum) armandis quingentis hominum millibus sufficere, nonnemo scripsit. Quantum detraxerit Ducis Rohanæi æstimatio, in Itinere ipsius legas licet.

In *Fœderibus*, quæ Potentiæ caussa contrahuntur, infimi generis est Fœdus Clientelare; quo se una Civitas alteri dat in clientelam: vel ut incolumitatem suam aliena ope tueatur, quod frequentius est; vel ut potens videatur sociorum robore. Inter exempla periculorum, quibus hæc fœdera infamantur, Bodinus deplorat, Livonorum condi-

conditionem; quos Sigismundus Augustus Poloniæ Rex in clientelam receptos, pacto subinde contrario cum Moscouitis fœdere, plane deseruerit, & ut ipse judicat, potius prodiderit immanissimo hosti.

Hujuscemodi patrocinia, non tam conservandæ alienæ incolumitati, aut firmandæ alienæ potentiæ, quam amplificandis propriis opibus, speciose ultro offerre solent invalidioribus, potentiores, à quorum blandis persuasionibus metuere aut cavere, sæpe loco tutelæ est libertatem amantibus. cum haud raro primus ad servitutẽ gradus sit, potentem Patronum adoptasse. Quinimo imperium in alios cupientibus, aliquando inter artes est, se pro Patrono gerere, clientesque suos jactare, qui de patrocinio nunquam pacti sunt. Exempla non longe petenda essent, si consuetudo nostra ferret, ea quæ memoriæ omnium inhærent, stilo signare.

Veri autem fœderis ratio, communis utilitatis vinculo, Potentiæ accommodatur. Itaque nullum fœdus firmius est, quam inter eos, quorum utilitates arctissime inter se cohærent. Cumque in populorum & rerumpublicarum utilitatibus consiliisque primariis, crebra fiat commutatio, hinc est quod fœdera plenissimæ conjunctionis, aut raro, aut in breve tempus ineuntur. At quæ perpetua sunt, & ex communi caussa, ac inseparabili negotio, intimis nexibus colligata. Belgarum adversus Hispanos, Helvetiorum adversus Austriacos; unitiorem compagem, & quasi unius civitatis corpus constituere potuerunt.

Porro quæruntur fœdera, vel ad famam, speciem, pompam Potentiæ; vel ad vim, effectum, usus Potentiæ. Imo. in uno eodemque fœdere, aliqua in speciem præscribuntur; alia rerum momentis destinantur, & negotiorum publicorum fide nituntur. Atque sicut in illis, multa magnifice, ad metum alterius cujusdam evulgare, artificii sollennis est: ita in his, crebro secretos ponere articulos (quos vulgo vocant) juvat, nemini nisi fœderatis enuntiandos. Gallis pro lege politica est, omnium eorum amicitiam vel re ipsa parare, vel verbo & in speciem adornare,

qui Hispanorum opes metuunt. Hispani eodem consilio socios volunt, quibus Galli suspecti aut invisi sunt. Horum duorum Regnorum Potentia, non Italiam modo & finitima, sed nationum plurimas per varia fœderum consilia & vices diu distraxit; & nunc novum nescio quod fatum parturit.

Fœdera, quæ potentiæ augmenta in commerciis quærunt, partim ad communicationem faciliorem & ampliorem mercium pertinent; partim bellicas societates imitantur, adversus eos, qui longinquis navigationibus intercedere, aut monopolio quodam alias nationes onerare student. Dum vero Fœderatorum uterque potentiæ suæ servit, ordinaria ejusmodi necessitudinis labes æmulatio & invidia, opimas sæpe profectuum occasiones intervertit: fitque adeo, ut socius, non adjutorem se successuum socialium & incrementorum, sed arbitrum, & moderatorem adhibeat; si non & insidiatorem consiliorum. Nimis enim hic quoque valet illud Poëtæ:

Tuta frequensque via est per amici fallere nomen.

Nec adjecta fœderibus copula affinitas, & alia necessitudinum nomina plus fidei, aut minus periculi, aliquando habent.

Et quis per seriem mysteria ejus ludi exprimat, quo Potentior aliquis sua fœdera diversis interque se contrariis partibus venditat, ostentatque; donec pretium moræ, simulationis, cunctationis non simplex tulerit? Exemplum ingens, & præcipui ad Remp. novam momenti, in ore est omni populo. De honestate fœderum, dum modo utilitatis spes subsit, parca cogitatio, & perplexa oratio, apud eos, qui genio sæculi student.

Talibus fere propositis consiliisque fit, ut Potentia mobili transitu de gente in gentem, de civitate in civitatem migret. Fuit tempus, cum Hanseaticarum civitatum fœdus ingens; & Regibus quoque formidabilis potentia esset, mercaturæ illa quidem & negotiationum fulcro nixa. Expiravit, sine spe reparandi; & in Belgas lampada tradi-

tradidit. Quantum ibi, & quam excelſe floruerit, omnes admirati; nec pauci, contemtim ſe haberi ægre ferentes, dequeſti ſunt. Inclinatum eſſe rurſus id faſtigium, etiamſi externi diſſimularent, domeſtici teſtes fatentur. nec in arcano cauſſæ ſunt. Nihil augurabor de ullius populi fatis: ſed interrogabo prudentiores, an hoc putent ævum volvi, quod potentiæ civitatum, non unius generis mutationes portendat?

Atque iſtis quidem rebus, quas dixi, Civitatum Potentia conſtare creditur. Cujus interim parandæ tuendæque certiſſimum eſt auſpicium, vitata imperii ac divitiarum cupidine, juſtitia conſiliorum & actionum niti. *Id enim præcipuum virtutis ac virium* in populis *argumentum eſt*, ſi, *ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur*. quam Chaucis veteribus laudem *Tacitus* tribuit. Plena favoris & gloriæ fuerunt incrementa Romanorum, donec injuriarum propulſationem, ac defenſionem patriæ ſociorumque, armorum & victoriarum cauſſam habuere. Verum, ut bella non cauſſis, ſed prout eorum merces fuit, geri cœpere, non minus invidiæ, id eſt, fragilitatis, quam gloriæ & potentiæ quæſitum eſt. Athenienſes, victis inſidiatoribus & hoſtibus ſuæ libertatis, merito magni potenteſque viſi ſunt. poſtquam aliorum libertatem ipſi invadere concupiverunt, à ſummo faſtigio ad infimam ſortem res eorum præcipites iverunt.

Nimis incauta eſt erga ſua bona mortalitas. itaque Potentia plerumque ſuperbiam progignit, quæ Deum hominesque potentibus adverſos reddit. At ea demum ſtabilis fundataque eſt Potentia, quæ meminit: humanas opes ſine Numinis divini auſpicio neque ſurgere neque ſtare; ejus indulgentiam, moderatis potius, quam audacibus; honeſtis, quam callidis conſiliis propitiari; inania oſtentationis artificia hactenus admitti, ne inanem vel faciant vel prodant animum; virtutem apud hoſtes, comitatem apud ſocios, modeſtiam apud omnes, vera virium civilium fulcra eſſe. Hujus generis ſunt; fidem colere, religionem non inter ſtratagemata regnandi, ſed inter fundamen-

damenta regni ponere, amicos & inimicos, apertos, occultos, dubios, certos, dignoſcere, & accurata æſtimatione penſitare: remota, propinqua; obvia, recondita, vigili oculo perſpicere. In magno corpore, ſemper eſt aliquid, quod non ſatis valeat; ſemper eſt, quod dolorem minitetur aut excitet. Ad eum modum ſe habet omnis Potentia. Eſt enim inſtar molis, quæ niſi in ſolido cubet, aut premit aut ruit.

Inter exempla magnæ Potentiæ fatale imprimis eſt Turcici Imperii robur: à tenuibus initiis in id faſtigii progreſſum, unde omnibus admirationi pariter ac terrori eſſet. Meretur conſiderationem tam vaſta moles. cui fragile ſane fundamentum ſupponunt, qui ad genium cœli ſolique ita reſpiciunt, ut putent, populos inter Boream & Auſtrum interjectos, magnis imperiis aptos deſtinatoſque. Quo nomine Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, Hiſpanorum imperio, Turcicum componit Boterus.

Alii formam regiminis, & præſertim infinitam illam unius Domini poteſtatem, in tantum admirantur, ut præcipuum id ad potentiam momentum arbitrentur. Et ſane ad res magnas bello gerendas, nihil aptius fuerit, quam ſi unus rerum temporumque dominus, non ſuſpenſam aliunde vim imperii in præſentaneos uſus expediat. Nec diſplicet in hoc genere dominationis illius Turcicæ acerbitas, illis, qui terrore & metu optime teneri imperia, cum Machiavello ſtatuunt; neque meliori ſapientiæ auſcultant, nihil tuti firmique in tyrannicis conſiliis reponenti.

Loco plurimum juvari Turcicas opes, vel inde planum eſt, quod Conſtantinopolis, clauſtra Aſiæ Europæque, jam olim Romanis viſa eſt, tam opportune complecti, ut non alia Imperii ſedes, magno Principi expeditior, aut hoſti difficilior aditu judicaretur. Illud interim certum eſt, loca Turcis inſeſſa, neque agricultura, neque aliis modis in tantum excoli, in quantum naturæ ubertas ac oportunitas patiebatur. Mercatura quoque, ſi occaſiones & comoditates ad eam ſpectes, quid aliud, quam negligi videbitur

bitur à Turcis? de qua & Lusitanicæ navigationes plurimum detraxerunt. Non dico quod nulla sit: sed quod opportunitati tam luculentæ minime respondeat. Atque, si heroica consilia Christianorum Principum animos huc vocarent, nondum deessent occasiones Turcicos quæstus amplius accidendi.

Reditus ordinarii unius anni ad X milliones æstimantur; alii novem numerant. Quæ pecunia non est adeo magna, si cum vastitate tanti imperii conferatur. Sed plus spei reponit Turcarum tyrannus in vi & rapinis. Tantum enim quisque privatorum habet, quantum ille vult. Bassas suos, ut spongias habet; quæ & hauriant abunde, & subito exprimantur. Ad quales hæreditates, per atroces & inopinas cædes, via sæpe sternitur. Ad nutum tyranni, auferri potest, quicquid quisquam possidet. Mala sunt hæc alias diuturnitatis vincula.

Ceterum, si plane designateque oporteat dicere, quæ res maxime Turcicam potentiam sustineat, Militia est unicum illud præsidium, ad quam omnis ratio dominationis Ottomannicæ exigitur & formatur. Nil dicam de multitudine militum, qua plurimum gloriantur Turcæ: aliud enim erit, quod numero potentius mox nominabitur. Neque præstantia hominum talis est, ut præcipere aliis palmam hic dominatus debeat. Cum enim magna pars exercituum Asiaticis viris componatur, quam non sint illi aliis nationibus præhabendi, aut æquandi, omnes sciunt. Duo autem in militia Turcica, si à vetere Romanorum instituto discesserimus, hodie sine exemplo sunt: parabilis & bene disposita copia ordinarii perpetuique militis; tum admirabilis in ipso bello disciplina.

Timariotæ sunt, equites, qui in Timarris sive agris ex hoste captis collocantur, ut aliquot equos virosque in belli usum alant. ingens eorum multitudo: cujus in numero non consentiunt, qui heri atque hodie descripserunt. Cumque Turcis in equite plurima vis sit (pedites enim nullo modo, quantum ad summam belli, comparaveris) inter ipsos equites id robur est, ea primaria virtus. Alte-

rum tantum millionum auri, quantum ante ordinariis reditibus tributum est, requirendum esset ad alendam Timariotarum copiam, nisi hæc ratio inventa esset, qua ærario parceretur. Præter hoc alia quoque immodica multitudo militum per hospitia dispergitur: magno quidem cum subjectorum incommodo; quos ita affligi pariter & coërceri, pars securitatis est Tyranno, militibus exceptis omnes contemnenti. De Janizeris quoque, & eorum seminario, Azamoglanis aliisque militum generibus, quæ singularis instituti sunt, satis descripta apud alios, huc non revocamus.

Sicut & disciplina in ipso bello toties dilaudata est rerum Turcicarum scriptoribus, ut actum agere nemo hic debeat. Maritima nec peritia, nec potentia, cetero robori tantæ molis respondet: unde plerique hac quoque in parte cum Romanorum institutis satisque rem Turcicam comparant. Nam & Romani ad pompam magis, & ad coërcenda claustra maritimarum regionum ac insularum, ad subitos item casus & adversus piratas, quam proferendæ potentiæ gloriæque, classes adhibebant, rebusque maritimis non admodum dediti erant.

Cum autem, sicut dictum est, omne imperium Turcicum fundamento militiæ & armorum inædificatum ita sit, ut ad cupiditatem invadendi, sæviendique in devictos prima & summa regiminis ratio spectet: consequens est, ut subditi, præsertim Christiani, & à sede imperii remotiores, immaniter vexentur affligenturque, solamque malorum consuetudinem pro malorum remedio habeant. Aliorum autem in terris Principum & magna & justa esse in hanc Tyrannidem odia necesse est, tanquam in bestiam, omnibus nocere cupientem, nisi quatenus occasio grassandi intercipitur.

Magna hæc Christianis Principibus ad convellendam molem exitiabilem præsidia esse poterant; si ullam inter eos stabilem & firmam concordiam sperare fas esset. Verum huic ut sanctissimæ ita potentissimæ rei, quantum obstet genius sæculi, & privata apud singulos contra publicum

cum

cum decus ſtimulatio, & inextricabile æmulationis artificium, in labyrinthos neſcio cujus ſolertiæ circumductum; &, quæ ex his ſequitur, conſiliorum rationumque diverſitas: hæc atque talia, inquam, quam non patiantur formidabiles videri Chriſtianorum opes, eo minus poteſt ignorare crudeliſſimus Tyrannus, quo propius in conſcientiam rei per fœdera, legationes, aliaque ſecreta commercia aſſumitur.

Hac occaſione, de amicis & inimicis Principibus quid judicet Porta Ottomannica, non alienum fuerit attingere. De *Perſarum Sopho* ita arbitrantur Turcæ, quod equitatum quidem præſtantiſſimum habeat, ſed non ita numeroſum, ut ſibi bellum movere velit facile; peditatu autem plane inutili utatur. Timent tamen ſubinde, ne odium accerrimum Perſarum, occaſionem & vires captet, ex rebellione ſubditorum Turcicorum apud extrema habitantium: tum ſi bellum eo transferendum ſit, vel maxime metuitur ipſorum Turcarum favor, quo religionem Perſicam proſequuntur. Neque deſunt exempla rerum non adeo feliciter adverſus Perſas geſtarum.

Pontificem Romanum nihil minus quam timent. rati Principem debilem; neque ultra conatum conciliandi alicujus fœderis inter alios, quidquam auſurum. Non autem ſunt tam imperiti Turcæ, quin præclare intelligant; Fœdera ex utilitatibus ſtatus cujusque, & rationibus publicis, non ex conſiliis aut voluntatibus alterius conjungi. Quinimo nemini plus debet ſecuritatis dominatio Turcica, quam Pontificibus Romanis, quibus in hunc diem crebrum ſtudium fuit, Chriſtianorum Principum animos diſſociare, & ad inteſtinas contentiones incitare.

Cum *Gallorum Rege* fœdus eſt Turcis; cui fundamentum præbuit diſcordia Galli cum Hiſpano. Igitur, prout illa fervebat, vel tepebat, ita etiam Gallici nominis major minorve apud Portam Ottomannicam cura. Lubens enim ſane Turca uni Chriſtiano Principi contra alterum, favorem oſtentat: eſtque hæc via ad cognoſcenda rerum noſtrarum momenta. ſed & Gallicis Hiſpanicisque rebus omnis

omnis Europæ ſtudia quodammodo illigari, haud incompertum eſt.

Hiſpani potentiam Turcicæ componit diligenter, & præhabet Boterus. Nec poteſt negari, dominationis tam vaſtæ conſilia propoſitaque, Turcarum quoque animos advertiſſe, ut inimicis Hiſpanorum, ſicuti dictum eſt, æquiores ſe præberent. De cetero Turcæ magna ſe documenta nil timendi ab Hiſpanis putant habere, damna Hiſpanorum ad Zerbi inſulam, ad Guletam, ad Tunetum: qualia potentiæ clauſtra è manibus dimiſiſſe, non ſine inſultatione deridendum ipſis videtur. Vident etiam, Hiſpanis non tam inferendi, quam propulſandi belli conſilia placuiſſe. Clades Turcica ad Echinades, non Hiſpani, ſed fœderatorum Principum opus reputatur.

De *Venetis* terra marique finitimis, non minimum cogitationis in aula Ottomannica ſuſcipitur. quamquam exiſtimatio variat; ſicut & ipſa virtus Venetorum, non eodem ſemper gradu inceſſit. Non obliviſcuntur Turcæ, quæ Veneti damna dederunt: magnumque illis viſum eſt, quod Venetis plures aliquando Chriſtianorum auxiliari viderentur, quam vel Imperatori, vel Hiſpano. Sed de iſto auxiliandi ſtudio, quantum detraxerit volvenda dies, itidem haud ignorant: ſatisque meminerunt, Venetis in eo conſilia ſtetiſſe, ut pacis potius quam belli artibus adverſus Turcam defenderentur.

Imperii Germanici vires, quo minus Turca metuat, multa ſunt quæ efficiunt: triſtitia tamen, ut in domeſticis malis, operienda potius, quam ſermone refricanda. *Polonorum* equitatum non contemnunt Turcæ: neque nihil timendum rebus ſuis autumant, ſi Regi Polonorum Imperator & Moſcorum Dux arma ſociaret. Sed quia vident ſe timeri à Polonis, pacem potius optantibus, hoc quoque nomine ſecuri ſunt & arroganter ſe gerunt: reputantes, propter religionis apud Polonos varietatem, non duraturam in res arduas concordiam.

Tartaro-

Tartarorum amicitiam his fere ex caussis Turcæ colendam sibi arbitrantur: primo, quia pauperrimis istis populis inferre bellum, nihil aliud esset, quam jacturam rei suæ sine omni spe lucri facere. deinde, cum oppida, vicos, castella non habitent, sed vagabundi errent, Turcis adventantibus sterile ac nudum solum peragrare, & fugitivum hostem quærere, immanis esset difficultas. denique, quia Tartarorum equitatus utilem Turcis operam navare potest in bellis adversus Imperatorem, Moschos, Polonos, Persas.

In *Magnum Moscoviæ Ducem*, oculum non negligentem intendit aula Ottomannica. Credit enim, maximam equitum vim inde effundi posse; esseque homines Moschos audaces, robustos, obsequi gnaros, bene armatos, sclopis sive ex equo pugnent, sive pedestri acie, bene utentes: equos ad labores impetusque belli longe aptissimos. Tum vero, quia Moschi Græcam Religionem profitentur, multum timet Turca, ne populi Bulgariæ, Serviæ, Bosniæ, Peloponnesi, totiusque Græciæ, ejusdem Græci ritus studio, partes Moschorum eligant, & liberationem à Turcica servitute, novi Domini desiderio circumspiciant.

Ex his, & similibus, judicari de potentia Turcica paulo exactius queat. quæ, utut maxima sit, illius tamen fati viribus non est supervecta, quod altissimas quasque aliorum populorum opes pessum dedit. Christianorum & præsertim Græcorum Imperatorum ignavia, tum insana dissidendi concertandique libido, occasionem increscendi dedit tyrannidi illi. Eadem vitia nostra, ut in fastigio hactenus staret, ad nominis nostri dedecus & perniciem structa moles, perfecerunt. Quæ ad destruendam eam interea consultata sunt, quibus consiliorum propositis inquinata, quibus in suscipiendo administrandoque intertrimentis concussa, quo eventuum turbine desperata subinde fuerint, res ipsa loquitur. An melius sperare, vel nunc tempus est? Nescio, an idonea prudentem virum huc ratio ducat, si genium sæculi, & disjunctas potius quam contextas Christianorum populorum rationes intuea-

 mur.

mur. Nisi forte fatalis dies appropinquat, quo Deus inimica suo regna destruet. Quem in fine hujus dissertationis rogamus, ne civitates & Respublicas Christianas in potentiæ civilis studio usuque, patiatur à pietatis ac honestatis legibus aberrare; aut loco melioris prudentiæ in altissimo secreto reconditæ, audacis nescio cujus & perplexæ calliditatis mysteria consectari.

VIII.

TIMUR

Vulgo

TAMERLANES.

HUjus viri, ut olim terror, ita hactenus fama orbem totum pervagatur: non illa quidem satis vulgo explorata, aut consertis historiæ momentis explanata, sed inter securius accipientes tradentesque citra discrimen odii studiive, propagata. Inde consilium nobis, res cognitione dignissimas, ex iis repetere ac ordinare monumentis, quæ auctoritatem præstare vel unice vel præcipue possunt. Primus nominari debet *Ahmedus Arabschæ filius*, qui statim ab extincto Timuro floruit, multaque ad ejus historiam pertinentia usurpavit oculis, cetera è virorum eximiorum narratione aut commentariis hausit, luculentoque opere Arabico complexus est: quod *Golius* edidit, & nuper *Hottingerus* Latine fere per omnia descripsit. Post Arabschiadem, potissimum credendum videatur *Johanni Schiltbergero Monacensi*, qui infelici Sigismundi Regis expeditione adversus Bajazethem captus, occasionem nactus est Persiam Arabiamque peragrandi, & de his ipsis Timuri temporibus memoratu digna vernaculo sermone consignandi. Proximo ponendi loco sunt *Annales Sultanorum Turcicorum*, quos ab ipsis Turcis compositos, Latine ac Germanice conversos *Leunclavius* typis commisit, & explicavit. Non eadem æstimatione metienda

tienda est interdum Græca *Laonici Chalcocondylæ* historia, cum ab istis discrepat. Non exigui tamen momenti sunt, quæ hinc arcessere fas est. Hos auctores sequi, & ad eos, quæ *Perondinus, Richerius, Cuspinianus*, aliique tradiderunt, exigere constituimus.

Timur ergo vocatur accuratius scribentibus, quem alii *Temur*, *Temir*, & *Temerlenc*, (unde *Tamerlanes*) & cum imperii nota *Temur chan* appellitant. Natus est in pago obscuri nominis ultra Oxum fluvium, patre Taragæo, pecoris magistro: qui deinde Hoseini Regis centurio, inter proceres regni ascitus est, postquam, opinor, ipse Timurus in aulam & familiaritatem Regis penetraverat. cum enim angustis adhuc patris rebus adolescentulus rapinis operam daret, ac de equis regiis abigere quosdam pararet, gravi accepto vulnere, in regiam adductus, quo minus cruce facinus lueret, accuratissimis precibus filii Regis protectus est. Ferunt Regem, inspecta latronis indole, deprecanti filio prædixisse, *multarum in regno turbarum hunc quandoque auctorem fore*. Ex ambigua valetudine recreatum, sed altero cruce debilem, inter ministeria aulica, facile industria & morum præstantia, æqualibus procerum filiis commendavit. qua ille familiaritate callide usus, de cetero etiam ad conciliandas & adjungendas sibi hominum voluntates nihil reliqui facit: dispersis, quocunque venisset, hospitalis benevolentiæ tesseris, rebus novis, si daretur casus, materiam & fautores præparans. Qua re effectum est, ut certatim postea confluerent, qui ad majora aspirare Timurum levi auditu acceperant. Inter familiares autem crebro commemorare solebat Aviæ suæ somnium, quæ ex nepotibus unum, qui fortunam in potestate habiturus, multumque terrarum & hominum in ditionem redacturus esset, viderat. *Ille, ego sum,* inquiebat, *vestram nunc prenso dexteram, ut, quæ me cunque fortuna manet, vos adjutores, vos individuos habeam socios.* Dederunt illi fidem ad quadraginta homines, quibus neque bona spes neque bona res fere erat. quamquam subinde solicitudo incessit animo eorum ac dubitatio, cum putarent, monstri simile, virum corpore debi-

lem, nulla rei familiaris copia, vasta consilia agitare, bella loqui, regna crepare. Igitur, ut opinione religionis, qua plerique moventur, auctoritatem sibi aliquam compararet, celebratæ sanctitatis senem, ad quem veluti ad oraculum iis locis suas res referre solebant homines, adiit, suasque illi spes, quanta potuit, reverentia, commendavit. Miratus ille pietatem hominis (nam vestis venditæ pretio capellam emtam vati donum trahebat) ut prospere succederent, quæcunque destinasset, cum collegis rem divinam facit. Neque Timurus cessavit ex eo, quicquid speraret, à sanctissimorum virorum precibus arcessere. Inter hæc, prosperis adversus latrones præliis, quæ missu Regis subinde fecerat, tantam de se virtutis opinionem excitaverat, ut, cum Segestanæ regulus defectionem moliretur, non alium aptiorem Rex crederet, qui rebellibus opponeretur. Acceptis ergo copiis regiis Timurus, cum mira felicitate profligasset, quotquot arma contra tulerant, sibi jam negotium gerere cœpit: militemque victorem sacramento suo rogavit. Rex, antequam mora valescerent defectoris opes, exercitu misso, ultra Oxum fluvium, Timurum rejicit: & mox inter angustias montium conclusum ad ultimum desperationis adigit. unde se tali astu expedivit. Dimissis equis humi recumbere suos jussit, donec in prætervectos hostes repente à tergo coortus, magnam stragem edidit. Rex ad famam cladis, Balchum se recepit: atque Timuro spacium dedit, quo plerasque ultra Oxum regiones in ditionem redigeret; & cottidiana virium accessione, ad justæ militiæ morem, munitiora quoque adortus expugnaret. Samarcandam caput regni Ali Schirus, ab Hoseino præfectus tuebatur: hunc in societatem imperii subdole pellicit Timurus; atque securior jam ab hac parte, Balachsanum contendit; junctaque cum duobus hujus dynastiæ principibus amicitia, ut arma secum adversus Hoseinum sociarent, perfecit. Is Balchi mœnibus se suaque defendere parans, cum parum ad sustinendam hostis gravissimi vim profici animadverteret, de filiis suis obsides in manum ejus tradidit. quos ille sub oculis patris interfici; ipsum-

psumque Hoseinum destitutum à suis, & supplicem, Samarcandam abduci ibique trucidari jussit, anno Hegiræ 771. qui numeratur à Christianis 1370. Balchi Regem, hunc Hoseinum Turcæ Arabesque vocant: qui Chalcocondylæ Massagetarum Rex est. Quoscunque autem Timurus dignitatibus ornavit & imperiis, ad modum Calipharum, quando cum Sultanis apud Arabes olim comparabantur, non ultra, eminere voluit. ipse autem *Magnus Princeps* vulgo appellitabatur. Videbatur obstare adhuc singularis imperii majestati Ali Schirus, ad societatem regnandi nuper allicefactus. Hunc ergo non obscuro æmulatu discordem cum per insidias sustulisset, certatim reliqui proceres & reguli, in fidem ejus se permiserunt. præcipuam vero auctoritatem in Seidum Barkam, nec immerito transtulerat. ejus enim ope & consilio Touktamischum Tartarorum principem, qui magno animo successuque, Hoseini affinis & amici necem aggressus erat, devicit. Supererant in ipsis imperii vitalibus assidua turbarum semina, per factiones volonum Samarcandæ agentium. id genus hominum ex luctatoribus fere, gladiatoribus, pugilibus, circumforaneis constabat. hi miscendis cœtibus promti, quotiens ab urbe paulo abscessisset longius Timurus, præfectum urbis proturbabant, aut partium dissidiis protervè implicabant, nihil denique tranquillum & quietum satis patiebantur. cumque ab initio lenioribus remediis, ne quid in novitate acerbius fieret, lites eorum velut judex disceptasset sæpius, donisque & largitionibus animos emollire tentasset, tandem, ubi lenitate nihil profici intellexit, immane consilium commentus, publico instituto epulo, ad unum omnes, post multas insidiosæ humanitatis blanditias, interimi jussit. Cum domesticam quietem tantæ crudelitatis exemplo ac terrore videretur sibi constabilisse, foris etiam munimenta & præsidia potentiæ cœpit dispicere. Mogoenses vicini, viris armisque ea tempestate plurimum valebant. hos nullo non humanitatis genere, donis insuper & muneribus ita sibi devinxit, ut Rex Kamereddinus homini tam forti, potenti, eadem sacra colenti, filiam in matrimonium

collocare non dubitaret. Qua ille affinitate munitior, de proferendis imperii finibus enixe laboravit: facto in Chorazmiam (quæ & Chouvarezmia, & antiquitus Chorasmia) viciniâ opportunam, impetu; cujus rex, Hoseinus quidam, forte domo aberat. Per utrasque fluvii Gihon sive Oxi ripas, qua confecto tandem decursu vasto lacu excipitur, regnum hoc porrigebatur. A meridie Chorosanam, ab ortu Mauvaranaharam, desertis tamen intercedentibus, spectabat. Ad occasum solis & septentriones, Turcos habebat accolas. Urbes magnas, dynastas præpotentes numerabat. Caput gentis Gorghanum; ubi studia literarum, poësis, musica, aliæque disciplinæ magno concursu hominum colebantur. Prima irruptione, populatus late terras Timurus, plurimum prædæ ac opulentiæ reportavit. Instructis deinde majoribus copiis, cum iterum absentiam Regis speculatus esset, ipsam urbem Gorghanum circumsidere cœpit: quæ, captivitatis imminentis mala, consilio Haseni Saurbeghi mercatoris prænobilis, pecuniâ redimere statuit, tantumque argenti Timuro tradidit, quantum quinquaginta muli portare poterant. Dilato igitur hujus regni excidio, Geiatheddinum Hoseini Samarcandæ occisi filium, Hariæ regem, bello impetere constituit. Præmissi legati, ut munera Timuro, obsequii pignus, paret, aut exitium expectet, denuntiant. Rex legatos Timuro *præteriti temporis beneficia in memoriam revocare* jubet, &, *nonne*, inquit, *meis precibus infami supplicio ereptus, inter ministeria aulica assumtus, omnique à me honore & munificentia cultus est? an, ne bruta quidem animantia, à sensu beneficiorum minime aliena, imitabitur, si hominem exuit?* His Timurus renuntiatis parum sane motus, Oxum trajicit, regiam Geiatheddini Hariam obsidet, & ad deditionem paud difficulter compellit. in tanta enim multitudine hominum jumentorumque, comperto Timuri adventu undique huc coactorum, nec disciplina, nec concordia, nec corporum sanitas durare potuit. Pepercit dedito Timurus, & ab eo invicem servatus est. cum enim procerum Hariæ quidam, Timuri in arcem introducti occidendi impetum cepisset, suaque morte li-

te libertatem popularium redimere destinasset, obstitit Geiatheddinus, atque in prædictionis paternæ memoriam revolutus, fato reverenter parendum, cujus inevitabilis sors sit, disseruit. Cum in Chorasanam dehinc Timurus properaret, Segestanæ infestus, immane consilium, ulciscendi, quod his loc s prima ejus molimina quondam deprehenderat, infortunii, capit. Deditis ultro incolis, abunde benevolentiam pollicitus, ut arma traderent, imperavit. quod ubi factum, accurata inquisitione constitisset, inermes internecione conciduntur. Hic terror effecit, ut Sobzowariæ præfectus, Timurum illuc adventantem, omni obsequio mox muneribusque deliniendum sibi existimaret. Agebatin illa urbe, inclytâ famâ Muhammedus Sarbedalius, qui genus ad auctorem cognominem prophetam (impostorem, inquam) referens ingenio, consilio, moribus inter primos in oriente suspiciebatur. ad hunc invisendum cum venisse Timurus videri vellet, multa comitate ab eo requisivit: *quo potissimum pacto arduum Chorasanæ citerioris & ulterioris subigendæ negotium ad optatum posset exitum perducere?* cum ille, *nequaquam suæ opis esse, suadere Regibus, quod oporteat,* causaretur, instare Timurus, atque ex ipsis faciei notis indubie compertum sibi ingenium ejus, afferere cœpit: juvaret ergo consiliis cupientem ac obtemperaturum. Tum in hunc modum infit: *Non vero, si quid mihi credis, nec armis, sed consilio poteris facile ac cito tantum terrarum hominumque tibi subjicere. Unum tibi principem quibus potes officiis, adjunge, quem hac regna habent maximum. is est Choghiæ Ali, prudentia, virtute, fide, merito omnibus carus & venerandus. Si, ut ad te veniat, illi persuaseris, summisque honoribus memorem gratumque futurum colueris, non est, quod de cetero verearis.* Timurus, probata statim ratione tam expediti consilii, legatum ad Coghiam destinat; sed & Muhammedus eum per internuntios monet, *ne dubitet ad Timurum, victorem quascunque adiisset gentium, accedere, ejusque amicitiâ rebus suis consulere.* Coghia & monitu Seidi, & legati humanitate, tum literarum, quas attulerat, dulcedine permotus, statim se in viam dat. quem Timurus, primo obviam missis ducum præcipuis, mox præ-

præsentem multo honore, regiisque donis delinitum, pristino imperio præponit. Secuti exemplum reliqui Chorasanæ proceres ultro paruere Timuro: cujus potestas cum gloria ad vicinas mari Caspio gentes usque, veloci profectu, biennii vix totius spatio, ex quo Regem suum Hosseinum occiderat, amplificata est. Hinc Persidis & Mediæ regno, cui Schahschegahus præerat, animum adjecit; Regemque tali epistola exterruit: *Divinitus sibi datum in Reges gentium ac tyrannos imperium, perpetuo hactenus victoriarum in obstantes successu affirmari: dedente se Schahschegaho paratam clementiam; abnuenti obsequia, exitium imminere. trahere enim se quaqua incederet, comitem cladem, vastitatem, interitum.* Schahschegahum adeo perculit hæc epistola, ut imperata statim faceret, filiam suam Tumuri filio uxorem offerret, ac per omnem deinde vitam conservata fide, testamenti quoque tabulas decedens illi commendaret. Sed unde præsidium suis posteris speraverat, inde periculum extitit. Timurus enim, orta post mortem Schahschegahi inter posteros ejus discordia, obtentu testamenti tuendi, Schahmanzurum patrui interfectorem bello adortus est. Et restitit ille quidem, atque, quamvis sub ipsum prœlii tempus transfugiis suorum nudatus, exigua cum manu fortissime hostium vim sustinuit; donec noctis beneficio, absumtas jam vires dolo instaurare, integrum fuit. Immisso enim in castra Timuri equo, cujus caudæ ahenum alligaverat, tantum terroris excitavit, ut in mutuas cædes versi, ad fugam denique omnes se compararent. Hæsit in tergis fugientium Schahmanzurus, quingentis non amplius stipatus, insignique edita strage Timurum eo adegit, ut in agmine mulierum, quæ lege Arabum inter arma inviolabiles habentur, veste dissimulatus, periculum vitæ effugeret. Sed amissis denique omnibus suis (unicus enim vir huic pugnæ postea superfuit) Schahmanzurus mortuorum cadaveribus immixtus, perniciem vitare instituit. verum agnitus à Timuri milite, quo minus interficeretur, nullis precibus aut promissis impetrare potuit. Recisum à cervice caput, Timurum liberavit quidem metu, sed quod vivo potiri concupisset,

pisset, adeo truci ira accendit, ut auctorem cædis cum omni familia internecione deleret. Pericula autem hujus belli publicis locis expressa ac depicta conspici, perscribi literis, edisci à pueris voluit. Sed hæc postea acciderunt. Interea Chorasmiam tertio aggressus, regiam diruit, impositoque incolis præfecto, spolia Samarkandam deportat. Legatis quoque ad regulos, maris Caspii accolas, dimissis, ut plerique accederent supplices, perfecit. Solus iis locis Schahwalius restitit, fretus temeritate Ahmedi Babyloniæ Arabicæ & Adrebiganæ Principis, qui in Timurum insolenter verbis invehi solitus, nihil sibi in armis spei reliquerat. Venitur ad manus, pugnatur acriter, multum utrimque sanguinis funditur: sed victoria penes Timurum fuit. Schahwalius hac clade affectus ad Muhammedi Ghaucuri Reæ Principis opes confugit: qui Timuri majestatem comiter sibi conservandam ratus, interfecit hospitem, caputque ejus ad Timurum misit. In hoc bello singularis fuit & incredibilis virtus Abubecri Schasbanitæ: qui torrentis ritu non semel copiis Timuri incubuit: manu, consilio & struendis insidiis ubique infestus, ne angustiis quidem locorum conclusus deprehendi potuit. Unde inter Heroas inclytum ejus nomen, Taabeto Scharraho Arabi ante Muhammedem factis claro, carminibus poëtarum postea concelebrato, comparari meruit. Subactis late vicinis, ad Ispahanenses Timur processit. à quo urbs quidem Ispahanum multo auro pacem redemit; per agros autem præsidia dispertita sunt. hæc dirum in modum, omni contumeliæ ac injuriarum genere ita vexarunt agrestes, ut miseram pacem bello mutandam crederent, concursuque facto ad sex millia præsidiariorum occiderent. Tum vero accensus ira atroci Timurus, in rebelles expeditionem sumit, nullique nec ætati nec sexui parcit, quin militum libidini perdenda omnia & conculcanda præberet. Ferunt præmissum in urbem Ducem Timuri, cum immensam cædem edidisset, exoratum tandem ut reliquis parceret, jussisse parvulos per agmina in collibus disponi, si forte miserabilis facies periclitantium tot innoxiorum capitum, Timuri animum e-

molliret. Cui mox advecto, & interroganti, quid sibi vellet infelicium ille populus, Dux respondit: *Hi sunt quorum parentes tuo occubuere imperio, numero & ætate & orbitate, Tua, Rex maxime, misericordia digni, quam suppliciter implorant.* At ille, nullo dato responso, equum in tenellos concitavit aversoque ab immanitate facti vultu, non destitit grassari cum exercitu, donec equorum ungulis omnes protriti jacerent. Hæc sævitia, ei pro instrumento victoriarum fuit: cum Samarkandam relatis spoliis, partim per suos, partim per se, in ulteriora, armorum suorum terrorem ac fortunam maxima celeritate proferret. Arabiæ perdomandæ dehinc adjecit animum: quam tum temporis cum parte Armeniæ majoris & Mediæ tenebat Admedus. cujus ducem Sabtanæum Timurus memorabili prælio superat, multaque præda potitus, quod supererat militiæ, in aliud tempus differt: obitisque velut otiosa peregrinatione provinciis, quas subegerat, urbes extruit, palatia excitat, hortos ac viridaria disponit. inter quæ, cum aliud simularet, aliud constituisset, subito ad arma conversus, Lurensem provinciam imperio suo adjicit: magnisque opibus auctus, in Hamadanæos contendit. quorum rex Mogthaba, magna vi auri, nec semel, pacem & incolumitatem emere coactus, vix imminentem sibi perniciem vitavit. Quibus Ahmedus, de quo memoratum est, cognitis, Bagdato simul à Timurianis intercepto, quæ Babilonia hodie est, abjecta omni alia spe, in Syriam profugit, postquam pretiosissima rerum, cum filio & uxore, in Collem salutis (munitissimæ arci id nomen est) transtulisset. Tunus, cum trecentis non amplius præsidiariis, locum adversus ingentes Timuri exercitus tuebatur. duobus ergo in oppugnatione amissis ducibus, lenta obsidione cœptum est agi. qua nec ipsa post duodecimum annum arx capta esset, nisi per domesticam discordiam excluso Tuno, Ahmedi filius impar tantæ rei, vitam & incolumitatem pactus deditionem fecisset. Castris inter hæc ad Mauzolam positis (contra Niniven veterum sita est urbs) cum ingentes ex Mesopotamia prædas egisset Timurus, Diarbecram, jam ante excursio-

cursionibus tentatam, infestus adoritur. Rex Isa Malec-Taherus, imparatum se cernens, coactis ad urbem & arcem Maredinam copiis, mandat, ne dederent arcem. ipse autem ad tyrannum profectus, obsequium pollicetur. Timurus statim in vincula mittit hominem, atque ut arcem Maredinæ dedi curaret, minaciter expostulat. cumque negaret Rex, id suæ opis esse, propius accedens Timurus, ni dederent arcem, captivo regi se confestim necem illaturum, denuntiat. cum ne sic quidem aliquid proficeret, ingens pretium pro incolumitate regis pactus, quem arctioribus interim vinculis onerat, milites suos ad direptiones circumcirca dimisit: quos hac licentia instigatos, subito per inaccessa loca urbi Maredinæ infudit, omniaque cædibus ac ruinis miscuit. Arcem quoque, post quintum diem, recipit: & in deditos, quamquam incolumitatem promiserat, magna cæde sævit; non sacro, non profano abstinet: deletoque, cum ipsis supplicibus, templo, ac vicinis castellis subactis, magnam captivorum turbam trahens, domum revertitur, & Malec-Taherum novis custodiæ incommodis affligit, donec post Distanam expeditionem libertati restitutum, munificeque donatum, petita subdole prioris severitatis venia, amplissimis imperiis præfecit. Habuit Dista (cujus incolas Schiltbergerus Tartaros albos vocat) tum temporis regem Touktamischum, qui primus Islimicos ritus Distæis conciliasse fertur. is muneribus & obsequio Timuri adventantis animum expugnandum ratus, cum ejus nomine vota passim suscipi, & nummos signari jussisset, obviam procedit; atque exquisito adulationis genere ferociam tyranni demulcet. inter dona longus mancipiorum ordo, novenis copulatis, incedebat: nisi quod una tantum Mamlucorum copula octonos ligaverat. Timuro diversitatis caussam exquirenti, Touktamischus, *en me nonum*, inquit. Delectatus ingenio hujus blandimenti Timurus, *Tu vero filius mihi, & vicarius eris*, respondet, ac retro vertitur. Sed non longa Distæ quies mansit. Nam Idacu Turca amicorum Touktamischi præcipuus, diffidentia & metu amittendæ potentiæ ad Timurum

mutum profugus, opportunitates & illecebras invadendæ Distæ, nihil minus quàm negligenti talium consiliorum ostentaverat. Excitatus hoc infortunio ad fortiora consilia Touktamischus, & jaculandi peritia, qua præstare suos noverat, fretus, copias contra Timurum altera vice imminentem educit. Committitur atrox prælium triduo continuo; copiisque Touktamischi, quas defectio unius tribus jam diminuerat, in fugam versis, Distanus ager prædæ ac direptui fuit: unde magnas opes Timurus Samarcandam convexit. Ne tum quidem longum Distæ spatium ad respirandum contigit. Idacu enim, cum secessionem à Timuro fecisset, & Touktamischo reconciliari frustra cupivisset, solicitatis ad defectionem Distanis, magnis cladibus rem Distanam afflixit: sexto autem decimo prælio, postquam varia fortuna ante certasset: Touktamischum oppressit, suæque ditioni omnia subjecit. Timurum verò callidissimi ingenii hominem, tam malè habuit, quod Idacu à se dimisisset, ejusque astutiam sero advertisset, ut moriendi impetum ceperit. Audebant Timuri victoris opes adhuc contemnere Syriæ quidam reguli, Abulabassus præsertim, & Borhaneddinus. Miserat legatos Timurus & literas, quibus significabat: *Exercitum ira Dei creatum adesse, qui imperium decretum sit in omnes Deo invisos; victorem, qui nulla vi repelli; ultorem, qui nulla miseratione flecti queat. promte tamen & statim ad obsequium venientibus, paratam clementiam; tergiversentibus aut resistentibus internecionem denuntiari.* Addebantur quædam de cæremonia precum, & signo nummorum, quæ Timurus, ut pignus obedientiæ, postulare solebat. At reguli, legatis in frusta discerptis, finitimorum opes, & Bajazetis Othmanidæ Turcarum Imperatoris tum maxime florentis auxilium implorarunt. cujus fiducia Abulabbasus ad Timurum epistolam destinavit: *Desineret à vera religionis cultoribus impius Scytha ea postulare, quæ ipsos parum decerent. arma sibi & animos esse, multitudine terreri nescios, itaque vel victoriam luculentam de prædonibus barbaram feritatem ultro professis, vel certe honestam pro caussa tam bona mortem se à Deo exspectare.* Timurus maximum sane hujus repulsæ dolorem.

lorem, in occasionem tamen vindictæ differendum ratus, Indiæ interim regno spoliando animum adjecit. Irritabat occasio turbarum ex morte Regis Indiæ: qui, cum improlis decessisset, procerum certaminibus distractum quassatumque regnum ad unius tandem imperium cupide respexit. Et contigerat novus Rex: nisi consensum cæterorum, præfectus Multanensis Scharnech-chanus, opibus armisque longe princeps, rebellio suo inutilem fecisset. Adversus hunc ergo Timurus, quasi pro novi regis caussa, immensas copias educit, urbemque Multanensem obsidere parat. Præstabat veterano milite, & elephantorum numero (octingentos tradunt) Scharnech-chanus: neque ceterarum ei rerum, quibus bellum sustentatur, quicquam deerat. quo factum est, ut triennium Timuro strenue resisteret. ad extremum astu victus est, cum Timurus prælio indicto, murices ferreos, qua elephantos emissurus erat hostis, defodisset; quibus impactum vastum animal, inutile bello esse cœpit, versoque in suos ferore, initium cladis fecit. Quanquam alii camelorum conspectu, incensis, quas portabant, sarcinis ferocientium, turbatam elephantorum aciem tradunt. Hæc victoria, instrumentum Timuro Syriacæ expeditionis resumendæ fuit. Maximis enim divitiis collocupletatus, cum devictis Indiæ regionibus prætorem imposuisset, audita præsertim morte Borhaneddini, assumtis Indorum ducibus, elephantisque, Samarcanda egreditur anno Hegiræ 801. (qui esset Christianus 1401.) & infestus Syriæ incumbit. Ita Arabschiades tempora notat: quæ annales Turcici citerius, in hac historia & sequentibus ponunt. Borhaneddinum (qui aliis Burchanadin, & cadi Burchan) Sebastiæ regem, Otmanus Turcomanorum quidem, prælio victum interfecerat: & mox ad ipsam urbem Sebastiam victrices copias admoverat. cum autem in filio Borhaneddini parum præsidii esset, oppidani Bajazetem (qui & Abi Iezidus) ut adversus Otmanum suppetias ferret, exorant. Is filium cum viginti milibus equitum, & quatuor millibus peditum subsidio mittit. cumque jam profligato Otmano Sebastia se trade-

re filio Bajazethis vellet, ille patrem acciri voluit, recepturum in ſuam ditionem regnum. Veniſſe igitur Bajazethem cum CLM exercitu, acceptæque in fidem urbi regnoque filium Otmani victorem præpoſuiſſe, Schiltbergerus tradit, qui expeditioni, qua ſoluta obſidio urbis eſt, interfuit. Ex eodem diſcimus, Otmanum Timuri clientem fuiſſe, eique, ut ereptam ſibi è faucibus prædam Sebaſtiæ armis à Bajazethe repeteret, perſuaſiſſe. Timuri certe propoſitis mire conveniebat, Turcomanos, qui ad morem Nomadum, cum pecore ſuo modo hic, modo alibi errantes, temporariam ſedem à regibus vicinis impetrare ſolebant, addictos habere. Excitatus ergo querela Otmani, per legatos Bajazethem monuit, ut Otmano Sebaſtiam redderet. Sed rejectus non ſine inſolentia, maximo exercitu (decies centena milla armatorum memorantur) Sebaſtiam petit: eamque poſt vigeſimum primum diem capit. cuniculis potiſſimum res acta. habuit enim Timurus octo foſſorum millia in caſtris. Orthobulen Bajazethis filium ibi captum, & paulo poſt interfectum, *Laonicus* tradit. Sed nec nomen convenit, & fidem rei, multa ſunt quæ elevant, ſicut *Leunclavius* oſtendit. Facilius reliqua credimus, quæ crudeliter in omnem ſexum & ætatem patrata, idem *Calcocondyles* refert. *Arabſchiades* in præſidiarios præcipue, quos Bajazethes impoſuerat, contra fidem datam, ſævitum eſſe auctor eſt. Nimirum præfectus præſidio, ne ſanguis effunderetur, cum Timuro pactus erat. is ergo vivos defodi captivos, eluſa conventionis formula, imperavit. Quod cædibus ſuperfuit populi, in exilium abduxit victor. in quibus ad IXM captivæ virgines trahebantur. urbs ipſa ruinis fœdata eſt. Amiſerat Timurus in hac oppugnatione, tria militum millia. Diffuſam longe lateque populationem eſſe tam numeroſi exercitus, ſatis intelligitur. Receſſit tamen Cheriam (ſive Korabagum vocare mavis cum quibuſdam) in hyberna: ſed mox ampliore, quam antea exercitu in Sultanum Ægypti, cui ſe præſides Syriæ plerique adjunxerant, movit. Prima tempeſtas hujus expeditionis in urbem Alepi (Halebum etiam & Chalepiam vocant)

cant) desæviit: quo Syriæ præfecti se cum suis copiis contulerant. Ibi deliberatum est, mœnibus defendi, an in aciem prodire satius esset. Cum placuisset, castris in aperto positis hostium adventum expectare, Legatus à Timuro supervenit; quem ne auditum quidem præfectus Damasci, præcipuus ferocia inter hos præsides, interfici jussit. Adventantem Timurum levi certamine exceperunt: à quo postridie in urbem rejecti sunt. sed tantus fuit pavor fugientium, ut ad portas confertim ruentes, funera ipsi sua improvide cumularent, hostique persequenti occasionem irrumpendi darent. Initium fugæ, Tamardaschus fecit, Alepi præfectus, in occulto Timuri rebus favens. Supererat arx, in qua victi receptum habuere. quæ & ipsa post dierum septendecim circiter obsidionem, in Timuri, incolumitatem deditis poll citi, potestatem venit. Neque fides promisso extitit. castello enim exspoliato, opibusque maximis inde avectis, in captivos vario cruciatu sævitum est: adeo ut nullam urbem unquam, Timuriani militis majorem crudelitatem & licentiam pertulisse tradant. Ipse Timurus, quasi injussu suo patrata pleraque, cum fidei datæ admoneretur, excusavit. Hinc *Schiltbergerus* ad Antiochiam (Anthax) Syriæ translata castra, eáque post nonum diem captâ, Emissam obsessam, ac quintodecimo die deditam commemorat, antequam ad Damascum copias Timurus promoveret. Arabschiades, postquam arci Halebiensi præpositus esset Musa Taganæus, Hamatham direptam, inde Emissam, nemine repugnante, captam; postea Heliopolin eodem impetu vastatam refert. Monumentum quoque marmori incisum lingua Persica & in templo, Hamathæ positum describit: quo Timurus, *prolatos longe lateque imperii fines, justumque in Sultanum Ægypti bellum susceptum* consignaverat. Dum ad Damascum castra habebat, Ægypti præfectus exercitum subsidio adducit; ac duodecim millia armatorum in urbem immittit. varie interea certatum est, donec Ægyptius exercitus, simulato etiam transfugio Hoseini sorore Timuri geniti deceptus, & discordia ducum turbatus, terga dedit. Insecutus est Timurus Cairum seu Mem-

Memphim repetentes; ſed quo minus aſſequeretur, infecta veneno à fugientibus paſcua & aquæ effecerunt. Legati hinc certatim miſſi ad victoris opes Timuri converſam late viciniam memorabant ac obſequia deferebant. Præſidiarii Ægyptii Damaſco impoſiti, cum per trimeſtre tempus cottidianis certaminibus cum Timuro contendiſſent, ademta tandem auxilii ſpe, innoxium abitum pacti, in Ægyptum revertere. Neque urbs longiores moras fecit: in qua triſte ſpectaculum ira victoris præbuit. Supplices enim omnis ordinis, ætatis, ſexus in templum Ommiadarum ſalutis cauſſa confugere juſſi, cum ipſo ampliſſimo ædificio cremati ſunt. ad XXX millia traduntur, quos hæc calamitas abſumſit. Mandatum etiam eſt victoribus, ut unuſquiſque virile caput occiſi hoſtis ad Timurum afferret. quæ immanitas per triginta dies tenuit: viſebanturque horribili ſpecie extructa de capitibus interfectorum tria caſtella. Ad arcem, quæ Timurianos valde attrivit, plus laboris fuit. excitatum ergo eſt ex adverſo munimentum, quod ipſam arcem altitudine æquabat: hujus demum ope poſt XLIII obſidionis diem in ditionem venit. Præfectum arcis Ahmedum Schahaboddinum, militari laude in primis clarum, magno natu hominem (nonageſimum enim ætatis annum egreſſus erat) compedibus ferreis graviſſimis excruciavit Timurus, memoria damnorum, quæ apud arcem acceperat. Inter recedendum, iteratæ ubique locorum direptiones, & in Bagdadenſes omnis ſævitia effuſa eſt. Bagdadum enim (nova Babylon eſt) cum portas adventanti clauſiſſet, magnas ſuæ confidentiæ pœnas dedit, cæſorum ſanguine (90000. memorantur, præter aliunde ad hanc lanienam convectos) Tigris irrubuit: conſtructæque de capitibus interemtorum palæſtræ, deteſtabile barbari moris documentum exhibuerunt. Hæc expeditio immenſis opibus Timurum auxit: cui jam nihil inacceſſum aut arduum videri poterat. Haud ægre igitur cauſſam regulorum quos Bajazethes victos domo expulerat, Karamani præſidem etiam interfecerat, filiis in vincula abductis, tuendam ſuſcepit.

scepit. Bajazethes ille Turcorum princeps, quem *Gilderum*, sive fulmen; Græci autem Λαίλαπα turbinem, à celeritate bellandi appellitabant, admirandis successibus fines imperii protulerat, nec Europæ tantum infestus imminebat; sed Asiæ regulos complures, in his, etiam Timuri clientes quosdam domuerat ejeceratque. His apud Timurum confugium fuit, precantibus: ne sui generis homines innoxios neque quicquam contra fœdera ausos, impune vexari sineret. datum propterea illi Asiæ imperium, ut injurias suorum atque contumelias vindicaret. Ad illum se patrem, ad illum patronum respicere unicum, ajebant. Timurus per legatos primum & literas rem gessit aliquotiens repetitas, quibus Bajazethem monuit: *restitueret in regna inique pulsos; &, si quid deliquisse convincerentur, legibus ultro pœnas daturos. In Mahumetanæ potius cærimoniæ inimicos arma verteret, quod hactenus magna cum laude fecisset: ab innocentibus autem & cognatis manus abstineret. Sultanum Ahmedum & Kora Josephum, turbatores pacis & prædones, imperii sui finibus ejiceret, aut captos interficeret. nollet denique, justa negando irritare illam tempestatem, cui hactenus nemo non succubuisset.* Bajazethes ferocia temerarius nihil pacati respondit: vestis quoque dono missæ munus, ut ab impari profectum insolenter sprevit; *negans, minis se terreri. desineret conferre Bajazethem cum aliis barbarorum regibus, quibus vel imbellia sua, vel intestina dissidia, vel doli certe non arma Timuri exitio fuissent. sibi & assuetudine bellandi & spe melioris post mortem conditionis, virtutem in promptu esse, neque fortunæ se hactenus pœnitere. Et, quandoquidem arma minitaretur, veniret, aut ter repudiatas in matrimonium uxores reducere cogeretur. idem sibi ut infortunium contingeret, precari si adventum ejus perhorresceret aut defugeret.* His Timurus cognitis, exarsit, belloque adversus Bajazethem decreto, literas dimisit, insolentiam hostis & necessitatem vindictæ demonstrantes. iis inter alia hoc quoque continebatur: quod Bajazethes nomen suum aureis scriptum literis Timuro præposuerit; & in quadam epistola, etiam Timuri nomen Tahartano, quem in famulis ille numerabat, postposuerit. Rebus ergo domi compositis, &

nepoti ex filio traditis, exivit Timurus cum exercitu numerosissimo: quem ad centum myriades *Græci*, *Schiltbergerus* longe majorem fuisse tradit. centum enim & octoginta myriades numerat. Obstabat in Turcorum fines ituro arx inter munitissimas toto orbe celebris: aquis undique cincta, & Ephratis præsertim torrente præsepta. Camach nomen est castello. ad quod aditum sibi arboribus jactis molitus Timurus, ignibus repellitur. lapidibus igitur impletus torrens transitum præbuit scalas applicantibus. Deditam arcem, strenuoque præfecto commissam, à tergo munimentum habere, præcipui consilii fuit. Incidit hæc expeditio in annum Hegiræ 804. qui Christianis est 1403. & finitur tertio post anno, juxta *Arabschiadem*, à quo non abeunt multum, quæ *Leunclavius* putat. Obsidebat hoc tempore Bajazethes Constantinopolim, & devictis ante complures annos Hungaricis & Gallicis suppetiis, funesto illo ad Nicopolin prælio, parum à capienda urbe aberat: cum de adventu Timuri nuntius adfertur. Soluta igitur statim obsidione, & assumtis in commilitium Tartaris, extra fines imperii sui Timuro parat occurrere. Sed ille effusis in Turcarum regiones copiis, post multam populationem, apud Ancyram tandem castra ponit. ubi ad ultimum discrimen res deducta est. Timurus astu non minus quàm armis rem gerere solitus, occultis nuntiis Tartarorum duci persuaserat: *ne Bajazethis dominationi adversus homines ejusdem familiæ ac nationis suum sanguinem commodarent; sed à victore cognato tum cetera ingentia præmia tum sedem in his opulentis locis perpetuam expectarent.* Illi ergo fidem strenue simulantes, Bajazethi, à quo evocati erant, abunde pollicentur: sed mox sub ipsum discriminis tempus sublatis signis ad Timuri castra transeunt. De numero non consentiunt scriptores. *Schiltbergerus* 30000. nominat; alii 18000. corrupto tamen, ut arbitror, numero tradunt. Si enim tertiam partem exercitus Bajazethis constituerunt, quod & ipsum memoratur, ne tum quidem satis magnus ponetur numerus, si 180000. scribentur. Secessio Tartarorum fregit ceterorum animos; & quamvis Europæus miles duce

præ-

præsertim Despota Serviæ strenue rem in prælio gereret, cum tamen Timuriani invalescerent, in Asiaticis nihil præsidii fuit. Effusa suorum fugâ ipse etiam Bajazethes abreptus, apud montana tamen cum quinque millium manu restitit, captus subinde à Timurianis insequentibus & ad victorem perductus. Hunc casum Bajazethi omina quædam prænuntiaverant. quibus non magis tamen, quam consiliis opportune suggestis motus, relicta omni proba administratione militiæ, ad prælium concitato temere impetu festinaverat; admirante Timuro audaciam viri, neque frustra, Turbinis illum cognomine notari, increpante. Ferunt, eum secundæ fortunæ illecebris inescatum, plura & majora audendo, quam consulendo geri, dictitasse: sed neque fieri posse credidisse, ut Asiatica arma (Timuri) Europæum Principem vincerent. insigni documento, quam periculose ratiocinentur historias & casus præteriti temporis, qui eventus tantum, non eventuum rationes caussasque in consilio habent. Excepit captivum Timurus honorifice, cumque humi in eodem tapete secum considere jussisset, memorabile colloquium orsus, multum, inquit, debemus Deo, qui mihi quidem claudo, ab India usque ad Sebastiæ portas; tibi autem itidem debili, à Sebastia in Hungariam, imperium tradidit. Si totius orbis opes dispertire voluisset, quid claudo & debili majus potuisset dare? sed tu fortasse mentis parum erga Deum gratæ pœnas nunc luis. Multa autem prorsus humane fecit dixitque Timurus erga Bajazethem, quæ scriptorum invidia obliteravit aut in contrarium vertit. Tale est, quod uxori Bajazethis, contumeliæ caussa ad cyathum ministrare præceperit. quam Timurus nullius plane contumeliæ ergo in convivium venire, & assidere, vinumque, quod probro apud Scythas minime habebatur, infundere jussit. Illud quoque, quod de cavea ferrea circumfertur, dissimulatis fere initiis & causis rei traditur. Cum enim aliquando insolentissimum hominem & ferocissimum Timurus interrogasset, *quid me fecisses, si in tuam potestatem ita pervenissem, sicut tu in meam?* respondit ille, *cavea te inclusum circumtulissem,*

lissem, quoque castra mea promota essent. Tum temum exasperatus Timurus clathris ferreis ad modum sellæ fabrefactis eum inclusit: neque tamen, ut falso asseritur, multis annis circumduxit, cum anno insequente, nec occisus à Timuro, qui sperabat fore, ut redimeretur à filiis, sed ægritudine indignantis animi, cum Samarcandam se deductum iri intelligeret, vitam finierit. sic quoque crebris alloquiis captivi sui fortunam solari perseveravit Timurus; neque consilia ejus aspernatus est. Suaserat ei, ne Tartaros in his regionibus relinqueret, quas eis præmium defectionis, ut diximus, pollicitus erat; fore enim, ut novis rebus assidue studerent. Paruit Timurus, & fraude inductos Tartaros, secum in intima imperii traxit. In Musulmannos quoque minus sævire cœpit, postquam Bajazethes majorem ex clementia fructum ostenderat. Nec minus ab arcibus quibusdam Turcicis, & templis asylisque diruendis temperavit, ubi, ut id faceret, à captivo rogatus erat. Ceterum hac victoria Timuri nihil est illustrius: quam Deus singularibus momentis ad Turcicas opes, quæ tam veloci progressu hactenus ad terrorem gentium evaluerant, retundendas voluit pertinere. Offerebatur sane Christianis per ea quæ consecuta sunt, exoptata occasio perdelendi immanissimum hostem, cognatis jam armis fractum; nisi susceptam tempestivam expeditionem dissoluti moris licentia corrupisset, cladesque nostras iterum pudendo dedecore cumulasset. Post hunc tam incomparabilem successum, Timurus, expugnatis etiam Caraghæorum munitissimis castellis, & pecunia satis ingenti exacta, domum reverti statuit. Samarcandæ anno Hegiræ 807. magnifice exceptus, totum se reipublicæ administrationi dedit; mitiorque quam antea, visus, postquam ad sæviora consilia relapsus est, exitium sibi hoc eodem anno maturavit, sicut postea dicetur. Futuram viri magnitudinem ostenta quædam denunciaverunt. Qua natus est nocte, cassis ignea volavit per aërem, campisque patentibus impacta dissilire, ac incendia per urbes agrosque circumferre visa est. Ipse in lucem editus, plenas atro sanguine manus extulit:

tulit: crebro, nec unquam fallace, magnarum calamitatum à partu tali imminentium, indicio. Nec defuerunt, qui satellitem, latronem, lanium, carnificem denique, talibus notis portendi crederent. Timurus ipse, cum adolevisset, magna hinc omnia sibi plusquam animose interpretatus est. Nihil prius habuit & antiquius, postquam imperium adeptus est, quam ut præsenti statu tranquille omnes fruerentur. Hæc præfectis, hæc judicibus mandata. Scortationes, patibulo; furta cruce punivit. Duabus autem rebus potentiam & incrementa fundavit ac sustentavit, religione & studio armorum. Ubique Legis Gingis-Chanicæ reverentiam præferebat; & ad Deum auctorem successus suos referebat: conservatis sæpe, cum reliqua deleret, templis: sæpe & passim extructis. Islimismo tamen deditos, præsertim ante victum Bajazetem, infestis odiis persecutus, ab iis ut impius haberi & Deo inimicus, meruit. Non minus enim Mahumedani Islimici, Gingis-Chanicis; quàm Judæi, Samaritanis infensi sunt. Sed cessit majoribus cupiditatibus subinde religionis studium: ut &, fidei quam singulariter jactare consueverat, Deique se imaginem, servanda fide, referre gloriabatur. Sed, qui immensis opibus parandis totos se ac pertinaciter dederunt, omnes reliquos titulos, utut inter instrumenta regnandi assumtos, in secundis habent. hinc totiens fides violata, neque quicquam consequendæ dominationis nefas habitum. In re militari, Romanorum disciplinam accurate servavit: distributis per castra contuberniis, præpositis decanis, ut nemo peregrinus, aut explorator locum, quo se reciperet, inveniret, facileque à circumeuntibus vigilibus deprehenderetur. capitale enim & militibus erat, tempore, quo in contubernia conveniendum fuit, extra tentoria oberrare. In oppugnandis urbibus ac munimentis, modo vineas pluteosque, in quibus scalæ erant, rotis impellebat: modo coronâ loco circumdatâ, aggeres excitabat altitudinem mœnium æquantes: interdum cuniculos fodiebat, ligneis fulturis tantisper sustentans murum, donec igne subjecto unâ ruinâ cum lignis involve-

volverentur. Astu & excogitatis celeriter ac variè comentis plurima confecit. Inter mira ejus machinamenta pæne fidem superat, quod apud antrum quoddam Caraghæorum usurpavit. Edita rupes erat, in cujus medio, aditus in speluncam, tantum à terra recesserat, ut nec telum adjici, nec scala admoveri posset. Timurus ergo capsas audacissimis militibus repletas, catenarum serie ita suspendit, ut ex aëre oppugnata antri porta, obsessos cum multa præda caperet. Amorem literarum singularem præ se tulit: in historia præsertim rerum Orientalium & Africanarum eximie versatus. Philosophiam Græcam Avicennæ cedere jussit; editis contra illam decretis. Sapientes ubique secum circumduxit, honoribus affecit, consuluit: multa captiose interim & subdole requirens, ad quæ nec silere, nec respondere promptum esset. Medicis & Astrologis plurimum obediebat. Arabschiades nominatim recenset, quos in quoque arte præstantes Timurus habuerit, & eruditos. Imperii majestatem omnibus rebus conspici voluit. Samarcandam igitur splendidissimis ædificiis exornavit: nulloque non genere hominum implevit. huc artifices, huc raritate notabilia opera undique convexit. Specimen immensæ opulentiæ cerni potuit in nuptiis nepotis Timuri, quas non multo ante obitum suum celebrari voluit. Locum tam solenni spectaculo quæsivit, non procul Samarcanda distantem: in quo natura, quantum ad amœnitatem conferri posset, experta videtur. Ibi regibus, præfectis, ducibus, judicibus, undique convocatis, longa serie spatia distributa, quibus tentoria figerent auro gemmisque fulgentia, omnique æmulantium industriâ adornata. Timurus ipse pretiosissima Asiæ & Europæ spolia non alias magis ostentavit. Samarcandenses pro se quisque dona afferebant: & artificiosis spectaculis animos oculosque tenebant. Partem celebritatis non modicam legati multarum gentium implevere. Adjecta conviviis amplissima dona, fidesque omnibus facta; immensas Timuri opes neminis magnificentia aut splendore superari posse. Qui sub ejus imperio erant, magni etiam reges & principes, munera ob-

ra ob-


ra oblaturi, veniam adeundi eminus ſtantes præſtolabantur: qua per internuntium impetrata, proni in terram, flexo poplite, ut quiſque nominatim vocatus erat, arrepebant. Præter ſummi imperii vocabula, variis titulis & honoribus gaudebat. *Dominum ſeptem climatum, poſſeſſorem terræ & maris, victorem Regum & Principum* appellitabant. Quin & nomen ejus ſanctius prædicabatur, quàm ut jurandi cauſſa, aut omnino cujuſquam è vulgi ore enuntiaretur. Probabat enim ipſe adulatorum ingenia; non in convictu tantum, ſed in hiſtoria etiam & libris: nihil potius deſiderans, quàm incomparabilis & viri & Principis famam. quare & res à ſe geſtas omnibus prætoriis, palatiis, ornamentis conſecrari, & artificum labore deſignari curavit. Ingenio fuit ſagaci, veloci, profundo: magnis ſemper cogitationibus immerſus, judicio non facile deceptus, memoria non deſtitutus. conjiciendi de futuris, tanta in eo facultas fuit & felicitas, ut commercio dæmonum ſæpe tribuerentur, quæ præſagiebat. Plurima etiam per emiſſarios & exploratores nullis non locis diſpoſitos, cognoſcebat, quæ ad neminis notitiam emanare poſſe credebantur. Undique autem ad ſe perſcribi jubebat, quæ publicè privatimque eveniſſent, quæ ad hominum ſingulorum, locorumque notitiam pertinerent. cujus generis pleraque & coram requirebat, quoquo veniſſet. Miri in diſſimulando ingenii, ſemper alia minabatur, alia contendebat. Ad celeritatem, calliditatem, laborem, cujus patientiſſimus erat, ſuo exemplo exercitum duraverat: quam ad omnia promtiſſimum habuit. Sui plerumque judicii, inter ardua tamen, conſiliis ſuorum uti non dedignabatur. Ne ſecundis rebus exultare videretur, plerumque cavit: adverſis utique indomitum animum nunquam non oſtentans. Audaciſſimo cuique præcipua præmiorum decrevit. Ita enim evenire neceſſe eſt, omnia ad militiam & infinitæ dominationis licentiam referentibus. Hinc juſtitia, cujus videri volebat ſtudioſiſſimus, in ſævitiam; conſtantia, in pertinaciã ſubinde degeneravit. Adeo quippe in omnibus rebus, cupidine ſeveritatis truculentus fuit, ut ſuorum quoq; animos

mos efferaret, & adversus omnem misericordiam induraret. Ira non præfervida tantum, sed insanabilis; cum suspicionibus & vindictæ studio conjuncta. Itaque quos cœpit semel odisse, plerumque ad vitæ finem afflixit. Quæ res etiam ipsi exitium tandem, fatali justitia attulit. Alladadus erat, egregius vir, quem Timuro invisum fecerant divitiæ, bonæ artes, & ingens apud omnes auctoritas. accessit calumnia criminantium opes ejus, tanquam Syriacis spoliis interversis in tantum auctas. Cum perdere hunc hominem Timurus destinasset, frustraque caput ejus periculis objectasset, armis tandem opprimere statuit, cujus virtus & prudentia insidiis non patebat. Jam victor tot terrarum, imperio undique stabilito, congestis infinitis gazis, frui per quietem poterat, cum revolvens odia pristina copias cogit, & adversus Alladadum expeditionem parat. Non inclementia hiemis impetum ejus retundere poterat, quin cum numerosissimo exercitu egrederetur. Alladadus, in se conflari illam tempestatem, vel hinc intellexit, quod Timurus eum jusserat centum camelos onera portare solitos cum farina obviam mittere, id quod fluminibus gelu constrictis nulla humana ope effici posse videbatur. Tentavit sane, vicinorum præfectorum implorato auxilio, si molarum usus, excisa glacie, posset restitui. Quæ res eos frustra habuit. deprecatus igitur Alladadus jussa, quibus non sufficeret, ingentem pecuniæ summam tyranno offert; ac subinde, instigantibus amicis & implacabilem Timuri animum ostendentibus, exuere obsequium constituit. Sed Timuri iminentis furorem ita castigavit anni tempestas, ut attrita & consumta frigoribus maxima exercitus parte, ipse etiam Timurus, nequicquam medicorum, quos præstantissimos habebat, ope adhibita, extingueretur, anno Hegiræ 807. s. Christiano 1406. Octogenario majorem fuisse, probatissimus documentis constat; ne quis Lonicerum, & reliquos incertiora secutos audiat. Annos regni quadraginta, Annales Turcici ei tribuunt. Corpore traditur valido, statura eximie procera, latis humeris, digitis & cruribus crassis, barba pro-

promissa. Uxores quatuor in matrimonio habuisse fertur, quarum unam interfecit, vel quartam; vel, ut verisimilius est, primam. quam Laonicus Hoseini regis, quem occidit, viduam fuisse tradit. Filii ejus memorantur, Geban Kehir, ex quo nepotem vidit Sultanum Mahummedem tantis ingenii dotibus, ut successorem sibi destinaret Timurus, voto frustratus, ac nepoti superstes: Scharochus, qui in prælio adversus Bajazethem fortiter dimicavit: Amiranschahus, qui ausus est patri in India bellanti scribere: rectius facturum senem supremis jam propinquum, si relictis negotiis aliis, sacris vacaret; filiisque & nepotibus, ad res gerendas jam per ætatem idoneis cetera committeret. si quotquot fuerint reges divitiis aut gloria vinceret, moriendum tamen esse. desineret crudelitate & superbia uti, nisi Deum & homines, ipsosque filios vellet ultores expectare. Pepercit tamen, quod mirandum erat, filio Timurus, & in eos tantum iram effudit, qui eum contra patrem extimulaverunt. Scharocho quatuor filii tribuuntur: è quibus natu majoris Vlugbeki nuptiæ eo splendore, de quo ante dictum, celebratæ sunt. Imperii partem, unde in omnia regimen, Chalilus Amiranschahi filius, qui morienti Timuro avo adfuit, adeptus, facilitate & clementia popularium animos ad bonam spem erexit. Sed deficientibus passim præfectis, multis bellis jactatus, cum sæpius vicisset, in exilium tandem ejicitur, ubi versibus Persicis scribendis otium toleravit, fortunæque suæ vices describit; donec à patruo Scharocho reductus Reæ præficitur, non ita multo post extinctus. Amiranschahum Adrebighanæ regno & vita Kora Juseph privaverat. Schahrochum melior fortuna multorum rebellium victorem, & regnorum dominum constituit, diuque conservavit. Diem enim suum obiit anno Christiano 1447. Ad paterni tamen imperii magnitudinem non aspiravit: detractis undique de tam magno corpore membris, cujus contextus denique prorsus dissiluit. Timuro apparatissimum funus Chalilus fecit: decretis etiam, ut gentis superstitio fert, lectionibus, precibus, eleemosynis, quasi levamento futuris

Q q   turis

turis defuncto. Memoriæ ejus omnis honor habebatur: Vota nuncupare, efflagitare ab eo, quæ quisque prospera cuperet, multis solenne fuit. Reges & Principes, apud sepulcrum ejus, genua flectebant; ex jumentis desiliebant, nullumque reverentiæ genus omittebant. In tanti viri historiam aliena quædam intrusa sunt: quædam etiam non tam incorruptis rerum gestarum monumentis, quam rumoribus & famæ debentur. In quibus conducendis, si versarer, operæ me facturum pretium haud existimavi. Tale est, ut obiter aliquid attingam, quod de Abi-Jezido seu Bajazethe Turcarum Imperatore Arabschiades refert: cum militem, qui lacte repletam scutellam mulieri conquerenti se eripuisse negabat, dissecari jussit, & hausti lactis indicia requiri; cum præconio: sic datur ei, qui imperio regis justi Othmanidæ, rem alienam invadit. Quod de tentoriis candidis, quibus successerint coccinea, inde nigra, quotiens obsideret urbem aliquam Timurus, magno consensu commemoratur, id sicut apud Scriptores, quos mihi statui sequendos, non reperi; ita constanti fama (neque enim literis omnia immo paucissima Timuri, annotata sunt) ad posteros pervenisse, non tamen ut de perpetuo more, sed ut de re aliquando usurpata, haud ægre crediderim. Verum, sua cuique prudentia dictabit cautiones, quibus in ejusmodi negotio uti fas est.



IX. Ex-

IX.

EXERCITATIO

In

Fl. JOSEPHI ANTIQUIT. JUD.

Lib. 1. cap. 2. anno 1642. scripta.

DE *Flavii Josephi Historici* auctoritate, scriptura, instituto quæ dici possunt, & quæri solent, alio forte loco opportunum erit expendere. Nunc brevi specimine, quantum sine περιεργίᾳ fieri potest, disquerere animus est: *in quibus mentem S. codicis assecutus sit hic scriptor, & in quibus vel non exhauserit Divinorum librorum sensum, vel ad sequiores interpretationes deflexerit.* Cum enim ipse aliquoties promittat, se fidem sacrorum codicum bona fide in omnibus secuturum, indeque per modum interpretis ex Hebræa in Græcam linguam pleraque translaturum; non abs re fortasse fuerit, considerare, quantum homini sane industrio vel inscitia suæ, vel scientia externæ litteraturæ in hoc studio profuerit aut obfuerit; vel denique κάλυμμα Ἰουδαϊκὸν, quod facultatem interpretis subinde non poterat non lacessere, imposuerit. Versabimur autem ita in hoc argumento, sicut jam prædiximus: id est, ut adamatam nobis in omni Philologia modestiam & μετριότητα, hic quoque pro regula sequi videamur. *Confer. Antiq. 1, 1. & 20, 9.*

Post absolutam ergo, quæ *caput primum libri primi* Antiq. Jud. sibi vindicat, præfationem, in *capite Secundo* exponitur. 1. τὸ ἑξαήμερον, *sive opus creationis sex dierum spacio perfecta*, quod Moses capite primo Geneseos summatim descripsit. 2. κατασκευὴ τοῦ ἀνθρώπου, *creatio hominis seorsum explanata.* 3. καταφύτευσις παραδείσου *Plantatio Paradisi, sive Descriptio Paradisi.* Quæ duo membra continentur. *c. 2. Genes.* 4. παράβασις τῶν πρωτοπλάστων, *Lapsus primorum Hominum, quæ-*

que lapsum mox consecuta sunt. Quæ pars ex *cap. Genes. 3.* desumpta est. Nos *de primo* nunc agemus.

Ac principium quidem ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, recte se habet, & simpliciter exprimit veritatem Hebraicam: convenitque cum LXX. interpretibus, qui eodem modo, reddidere; nisi quod pro ἔκτισεν ibi legitur ἐποίησεν. quæ utraque vox de creatione in Sacris passim usurpatur: sicut & Hebræum ברא, cui proprie respondet κτίζω; & עשה. cui ποιέω convenit, sæpe permutantur. sive ποιέω ad τὸ יצר malis contendere, quo θεολογία ἐξηγητικὴ veterum in hujus argumenti explicatione subinde respicit; rursum usitata Scripturæ synonymia niti licebit.

Sequentium connexio & interpretatio est notabilis. Cum enim Moses dixisset והארץ היתה תהו ובהו וחשך על פני תהום ורוח אלהים מרחפת על פני המים ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור Josephus ita interpretatur: ταύτης (τῆς γῆς) ὑπ' ὄψιν οὐκ ἐρχομένης, ἀλλὰ βαθεῖ μὲν κρυπτομένης σκότει, πνεύματος δ' αὐτὴν ἄνωθεν ἐπιθέοντος, γενέσθαι φῶς ἐκέλευσεν ὁ θεός. Sensus est: *Deum in Principio creasse cœlum & terram: quæ cum sub conspectum non veniret, tenebrosa quippe abysso occultata, Spiritu superne eam permeante; ibi tum Deum produxisse lucem* qua scilicet tanquam congruentissimo διακοσμήσεως initio, ἄμορφος ὕλη, sicut *Sap. 11, 18.* appellatur, illustrata; ad διάταξιν illam & κατασκευὴν, quæ mox secuta est, velut extaret. sed videndum est de singulis.

Illud Hebraicum תהו ובהו exprimit Josephus per τὸ, ὑπ' ὄψιν οὐκ ἐρχόμενον. LXX eundem sensum in תהו agnoscunt: ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος; sed addunt, καὶ ἀκατασκεύαστος, quo altera vox בהו exprimeretur. quam tamen Josephus non tam neglexisse aut συνωνυμίας intellexisse, quam, περιφράσει totius molis illius complecti voluisse videri potest. cujus τὸ ἄμορφον, vocibus istis notatum, qualicunque facilitate & perspicuitate sc. adumbrandum duxit. Quod si tamen malis dicere, Josephum utramque textus Hebraici vocem sub una significatione accepisse, nolim repugnare. nec desunt exempla aliorum, qui ferme pro iisdem habent. *Chaldeus Paraphrastes* תהו explicat per צדיא. quod vastitatem huma-

humani cultus notat; תהו per ריקניא quod vacuum significat, & nonnullis respectum ad pecorum & belluarum inanitatem habere videtur: *Rabbi* autem *Salomon Jarchi* utramque interpretationem ad solum בהו accommodat. cum enim תהו seorsim explicasset, subjungit בהו לשון רקות וצדו. Porro quibus תהו per *invisibile* interpretari placuit, illi vel deduxisse vocem à תהום *abyssu* (v. Pagnin. in v. תהו) vel, quod verisimilius est, in sequentibus verbis *Propheta*, ubi tenebrarum & abyssi mentio fit, explicationem verius quam versionem præcedentium quæsivisse videntur.

Tenebras super abyssum eo refert Josephus, ut *terram* *βαθεῖ σκότει κρυπτομένην profundis tenebris sive altæ caligine contectam* dicat. ubi recte quidem abyssum terræ superinducit, sive terram abysso contegit (tenebræ enim erant super abyssum על פני תהום שעל הארץ quæ abyssus super terram erat, ut inquit R. Salomon. adde etiam *Basil. homil. 2. in Hexaëm.*) sed an per *abyssum, aquas* intellexerit, primo intuitu non statim apparet. Videtur tamen intellexisse. quomodo enim alias *τὸ βάθος τοῦ σκότους* locum inveniret? si de aërea profunditate voluisset accipi, cur statim repetisset, *spiritum terram superne permeantem*? de quo mox dicemus. Tum autem, cum Moyses clare dicat, Spiritum Domini *aquis* incubuisse, quomodo ipse *terram* substituere auderet, nisi terram aquis contectam vellet intelligi?

De cetero non dubitandum est, Josephum per *πνεῦμα ἄνωθεν ἐπιθέον*, non Spiritum Sanctum, sicut magno hactenus consensu rectissime Mosen exposuit Ecclesia tam vetus quam nostra, sed *aëreum quendam spiritum* intelligere. quod & alios olim fecisse, testantur *Basilius & Ambrosius in Hexaëm.* Qualem sententiam sc. ex tralatitia Judæorum theologia hauserat *Sanchuniathon*, de quo *Philo Byblius* apud *Euseb. præp. Evang. lib. 1. cap. 10.* *τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν ἐρεβῶδες.* *Principium Universitatis rerum statuit aërem tenebrosum & spiritu abundantem, sive statum tenebrosi aëris & chaos turbidum altaque caligine circumfusum.* Videas utro-

utrobique laborantia & caligantia circa hanc caliginem describendam verba : in cujus profundo non parum obscuritatis adhuc latere, etiam ii fatentur, qui Christiana luce illustrati majestatem Creatoris in S. codice recto itinere vestigant. nedum ut Judæis & gentilibus abyssum talem perspicere licuerit. quorum & illi post Christum natum, cum tenebras præ luce elegissent, in sua philosophia magis magisque cœperunt hebescere ; & hi, quæcunque è S. litteris ante Chr. N. traditione aut scripto accepissent, sui paganismi tenebris involuerunt atque corruperunt.

Subjiciemus pauca in exemplum, *de origine rerum & Universi* : quæ *ex Geneseos Mosaicæ principio* ad gentiles dimanarunt quidem, sed sub opinione vaga & obscura, adeoque ad certam fidem minime valida. Ex verbis quibus Moses, *in principio creatam rudem cœli & terræ molem, posteaque discretam* memorat, illa fluxere, quæ *Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothec.* refert. *κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τῶν ὅλων σύστασιν, μίαν ἔχειν ἰδέαν οὐρανόν τε καὶ γῆν μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως. Cum ab initio universitas rerum coagmentaretur, cœlum & terram permixtis invicem naturis unam habuisse formam. ideoque διάστασιν τῶν σωμάτων ἀπ' ἀλλήλων factam.* Producit etiam *Euripidis ex Menalippe* carmen :

ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία,
'Επεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
Δένδρη, πετεινά, θῆρας οὕς θ' ἅλμη τρέφει
Γένος τε θνητῶν.

ubi simul videmus cœlo & terræ tanquam principiis, cum ex permixtione illa, secreta essent, omnium rerum productionem à Poëta tribui.

Jam quia *Genes. 1, 2. abyssi & aquarum* mentio fit, hinc orta, quæ Thaleti adscribitur opinio, *Aquam esse rerum omnium principium*, *ἐξ ὕδατος γὰρ εἶναι τὰ πάντα καὶ εἰς αὐτὸ χωρεῖν. Euseb. P. E. 1, 8.* Item, quia *Spiritus aquis incubantis* mentio fit, hinc orta Anaximenis opinio, *Aërem esse principium*

pium rerum, ex eoque coacto & compresso terram natam, quæ propterea insideat aëri. Euseb. ibid. Empedocles *aquæ, aëri, terræ Ignem* addit, ut *illam* στοιχείων κρᾶσιν, quam vocat, origini rerum destinatam, conficeret. Quam sententiam in celebri exordio perpetui Carminis Naso sequitur. ne de iis nunc dicamus, qui ex Hebr. תהו ובהו suam ὕλην ἄναρχον commenti sunt. Sunt qui existimant ad κρᾶσιν elementorum primævam etiam *Homerum* respexisse, in imprecatione Menelai *Iliad. H. v. 99*:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Sed simplicius videtur, Poëtam proverbiali figura de resolutione animalis in sua principia accipere. ut recte *Scholiastes* explicaverit: ἀναλυθείητε εἰς ὕδωρ καὶ γῆν, διαλυθείητε καὶ ἀποθάνοιτε.

Quid ex Mosaico מרחפת Phœnicum Theologia concinnaverit, operæ pretium est adscribere. Apud *Eusebium P. E. 1, 10.* cum de tenebroso aëre spirituque præcessisset, sicuti antea diximus, sequitur: ὅτε δὲ ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν, καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκείνη ἐκλήθη πόθος. αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως ἁπάντων. *Verum ubi Spiritus amore suorum principiorum flagrare cœpisset, commixtioque facta esset, nexum hunc mutuum, cupidinem appellarunt. Atque is procreationis rerum omnium principium fuit.* & quæ amplius ibi leguntur, ubi præsertim etiam *de animalibus Deum contemplantibus, creatis ὁμοίως ὠοῦ σχήματι in formam ovi.* Quis enim non statim agnoscat illa commenta ex interpretatione vocis מרחפת originem habere? quæ nimirum per τὸ ἐπιθάλπειν καὶ ζωογονεῖν, κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ὑποθαζούσης ὄρνιθος, *ex similitudine alitis quæ ovis suis incubat, eaque prolifico calore fovet*, declaranda est: sicut jam olim se à Syro quodam didicisse gloriatur gaudetque *Basilius homil. 2. in Hexaëm.* Id quod neque *Onkelosi* מנשבא, *afflando*; neque Josephi nostri ἐπιθεῖν, *permeando*, utut eleganter quæsita vocabula, penitus assequuntur. Unum addo: etiam Platonicorum opinionem *de anima mundi, spirituque omnia permeante & agitante*, ex hoc loco Mosaico ortam videri.

Sed

Sed redimus ad Josephum. Ait ille: *καὶ γενομένου τούτου (φωτὸς) κατανοήσας τὴν ὅλην ὕλην, διεχώρισε τό τε φῶς καὶ τὸ σκότος. καὶ τῷ μὲν ὄνομα ἔθετο νύκτα, τὸ δὲ ἡμέραν ἐκάλεσεν, ἑσπέραν τε καὶ ὄρθρον τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν ἀνάπαυσιν προσαγορεύσας, καὶ αὕτη μὲν ἡ πρώτη ἡμέρα. Μωυσῆς δ' αὐτὴν μίαν εἶπε.* In verbis Mosaicis וירא אלהים את האור כי טוב postrema de bonitate lucis non attendit Josephus: sicut & in ceteris diebus *ἐπιμαρτυρίαν τοῦ κτίσαντος* omittit; mysterium hujus philosophiæ forte non assecutus, neque adeo stili Prophetici phrasin ubique *κατὰ πόδα* sequi ausus. Sive quis malit dicere: *Hoc quoque esse inter ea, quæ ad peculiarem curam ac φιλόσοφον θεωρίαν seposuit*; sicut id propositum *in sequentibus verbis mox* ostendit, & *in fine capitis primi* jam ostenderat. Etiam in eo differt, quod non dicit, *Deum vidisse lucem à se conditum* sed *κατανοῆσαι τὴν ὅλην ὕλην considerasse totam [illam molem*: conjunctum, ut opinabatur, visionis actum pro eodem interpretans, totamque hanc visionem cum discretione lucis & tenebrarum, de qua sequitur, caussali quodammodo copula connectens. Quod longe secus est. Moses enim istud *videre* (*θεοπρεπῶς* intelligendum) non ad *facienda* sed ad *facta* refert in tota *ἑξαημέρῳ* historia. estque hæc contemplatio cum quadam divina *ἐπικρίσει* & *ἐπιμαρτυρίᾳ* conjuncta: quæ utique hic *lucem factam* potius, quam *discretionem lucis & tenebrarum faciendam* respicit. Etiamsi enim dicas, *hæc non successive facta esse, sed Deum creando lucem eam à tenebris discrevisse & discernendo creasse* (vide *D. Gerhard. Commentar. in Genes. h. l.*) nihil pro Josepho dicis. Non enim contemplatus esset hoc respectu Deus totam materiam, ut lucem & tenebras distingueret, sed ut jam distincta approbaret. Verum hæc talia non ubique excutiemus, cum abunde appareat, Josephum in iis, quæ ex Scriptura sumit, ab accuratæ interpretationis legibus, subinde ad liberiorem Historicæ compositionis stilum confugere.

Cetera verba Interpres *Gelenius* ita reddidit: *discrevit lucem à tenebris; & his nomen imposuit noctem, illam vero diem appellavit, vespera & mane vocabulo exordiis lucis & quietis indito.* *Exordiorum* vocem *Cajetanus* arripuit & exposuit: *nimirum*

vespera

vespera est exordium quietis nocturnæ & mane diurnæ lucis initium. Quem refutat *Salianus in Annal. Ecclesiast. V. T. die 2. χολ. 11. ad n. 21.* inquiens: *Josephi alia mens fuisse videtur. Nam in Græco habetur* ἑσπέραν τε καὶ ὄρθρον τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν ἀνάπαυσιν προσαγορεύσας, *vesperam & mane principium & finem, supple* τῆς ἡμέρας *appellans. nam* ἀνάπαυσιν *pro fine accipi ex opposito* ἀρχὴν *ex convenientia textus intelligitur.* Recte id quidem, quod ἀνάπαυσιν de fine accipit, sed integer sensus verborum Josephi nondum patet. Si enim ex consuetudine Hebræorum initium diei est vespera: quid de ὄρθρῳ Josephi fiet? an finem noctis dices? atqui jam ἀπὸ κοινοῦ subaudivisti τῆς ἡμέρας. Mihi Josephus videtur non ad ἡμέραν tantum, sed etiam ad νύκτα (nam utrumque præcessit) respicere, hoc sensu: *discrevisse Deum lucem à tenebris, & tenebras quidem noctem, lucem autem, diem appellasse, vesperam autem & mane, utrimque initium & finem vocavisse.* ita ut esset *vespera* initium tenebrarum & noctis, atque in posterum finis diei, *mane* autem finis quidem noctis, initium autem diei & lucis. Quam hæc ad textum Mosaicum congruant, mox patebit: sed Josephus respexit potissimum ad illa verba, quibus *Deus tenebras noctem, lucem vero diem vocasse* dicitur. Ad hæc inquam, præcedentia appellationem vesperæ & mane retulit, non autem ad sequentia, quod Moses fecit. qui ad diei totius, quæ noctem complectitur, constitutionem, illam vesperam & mane adhibuit. Quo sensu cum Philo etiam diem considerat, *vesperam & mane vocat terminos in medio fixos.* Qui accurate considerabit verba Josephi, ille non inveniet forte caussas dubitandi.

Conclusio primi diei hæc est: καὶ αὕτη μὲν ἂν εἴη πρώτη ἡμέρα. Μωϋσῆς δ' αὐτὴν μίαν εἶπε. τὴν δ' αἰτίαν ἱκανὸς μὲν εἰμὶ ἀποδοῦναι καὶ νῦν, ἐπεὶ δ' ὑπέσχημαι τὴν αἰτιολογίαν ἁπάντων ἰδίᾳ συγγραψάμενος παραδώσειν, εἰς τότε καὶ τὴν περὶ αὐτῶν ἑρμηνείαν ἀναβάλλομαι. Ait: *potuisse se quidem caussas reddere, cur* primus *hic dies, à Mose* unus *vocetur; nisi tales expositiones peculiari operi, quod in cap. 1. jam promiserat, reservaret.* Quale mysterium hic *Philo Judæus, in unitate mundi intelligibilis* quærebat, vide *in libro de opificio mundi.* Verum nihil opus esse istiusmodi vel Judaica

vel Platonica περιφερής, plerique animadvertunt; cum *unus* hic pro *primo* ponatur. cujus locutionis exempla notavit præter alios *Sixtinus Amama*, *Antibarbari Biblici libro 2.* Hinc est, quod *Salianus* Josepho & Philoni ignorantiam Hebraismi tribuit. Quamquam autem non recte colligitur; Josephus non sequitur aut assequitur sensum Prophetæ; E. linguæ genium ignoravit, seu non satis calluit (caussæ enim possunt esse aliæ: de quibus alibi) non est tamen de nihilo, si alibi adhibeatur, hæc observatio. Interim nec illud recte autumat *Salianus*, *Basilium* & alios h. l. *ob Hebraismi ignorantiam* alias interpretationes adferre. An enim soli Hebrææ linguæ hoc proprium est, ut unum pro primo dicat? Nonne pleræque linguæ eam figuram agnoscunt? nonne Sanctis Patribus vel ex N. Testamento, de eo loquendi genere constabat? Quinimo existimarunt, *neque intempestive neque παραδόξως hic de profundiore scribentis consilio cogitari posse.* Certe non absurde *Basilius* τὸ μέτρον ἡμέρας καὶ νυκτὸς περιορίζεσθαι credidit. neque hactenus pugnat cum significatione Primi diei. Quod vero de die Dominico *Idem* philosophatur *homil. 2. in Hexaëm.* & *de Spir. S. cap. 27.* (ubi etiam *vid. Theodor. Balsamonis Schol. ad epist. canon.*) id cum similibus aliis consuetudini Patrum tribuendum est, qui subinde non contenti sensu litteræ, ad mysteria quantum libet, provehuntur.

Secundæ diei opificium ita describit Josephus: μετὰ δὴ τοῦτο τῇ δευτέρᾳ τῶν ἡμερῶν, τὸν οὐρανὸν τοῖς ὅλοις ἐπιτίθησιν, καὶ αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἄλλων διακρίνας, καθ' αὑτὸν ἠξίωσε τετάχθαι, κρύσταλλόν τε περιπήξας αὐτῷ, καὶ νότιον αὐτὸν καὶ ὑετώδη πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δρόσων ὠφέλειαν ἁρμοδίως τῇ γῇ μηχανησάμενος. In his omnibus suam opinionem potius declarat, quam scripturam Mosis. Quod *superimpositum universitati rerum cœlum* dicit, facile quidem admitti potest, neque disconvenit voci רקיע. Etenim dum expanditur, cetera ambit & includit. Antea i. e. die prima ex nihilo rude creatum erat cœlum, neque dum expansum dici poterat, de quo Moses *Genes. 1. 1.* Die secunda consummatur natura perfectiore ac expanditur. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

De ce-

De cetero ita ſenſiſſe videtur Joſephus : *cœlum extrinſecus quidem cryſtallo circumpactum eſſe, ab interiori autem & inferiori parte liquidiorem humiditatem & irroranda terra idoneam obtinere.* Scilicet *aquas ſupra cœlum* à Moſe memoratas glacie compegit ex vulgari opinione, quam refellit *Baſilius in Hexaëm. hom. 3.* cujus verba quoniam Joſephum illuſtrare poſſunt, adſcribam : Καὶ οὐ δήπου ἐπειδὴ κατὰ τὴν κοινὴν ἐκδοχὴν ἐκ τοῦ ὕδατος δοκεῖ τὴν γένεσιν ἐσχηκέναι, ἢ ὕδατι πεπηγότι ἐμφερὲς εἶναι, προσήκει νομίζειν ἢ τινὶ τοιαύτῃ ὕλῃ ἐκ τῆς τοῦ ὑγροῦ διηθήσεως τὴν ἀρχὴν λαμβανούσῃ. ὁποία ἐστὶν ἥτε τοῦ κρυστάλλου λίθου, ὃν δὴ ὑπερβάλλουσαν τοῦ ὕδατος πῆξιν μεταποιεῖσθαί φασιν, καὶ ἡ τοῦ σπεκλαρίου φύσις ἐν μετάλλοις συνισταμένη, λίθος ἢ ἐστὶ διαυγὴς ἰδιάζουσαν καὶ καθαρωτάτην διαφάνειαν κεκτημένος ὃς ἐὰν κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν οἰκείως εὑρεθῇ, μήτε καταβεβρωμένος σηπεδόνι τινὶ μήτε τὸ βάθος ὑπερρηγμένος ταῖς διαφύσεσι, μικροῦ τῷ ἀέρι τὴν διάυγειαν ἔοικεν. οὐδενὶ οὖν τούτων εἰκάζομεν τὸ στερέωμα, παιδικῆς γὰρ τῷ ὄντι καὶ ἁπλῆς διανοίας, τοιαύτας ἔχειν περὶ τῶν οὐρανίων τὰς ὑπολήψεις.

Habebant in animo Joſephus & alii, 1. *cœlum ex aqua eſſe productum, adeoque aqueæ naturæ affine*; 2. *Hebraicum* רקיע *antiquiſſimis interpretibus per* στερέωμα *ſive firmamentum, adeoque per ſolidum aliquid explicari.* Hinc στερέωσιν illam quæſiverunt in aquis ſupercœleſtibus, & quidem in condenſato aquarum corpore ſive chryſtallo. ſicut luculenter videre eſt ex locis quæ magno numero jam *Salianus* produxit *A. E. tom. 1. die M. 2.* Atque hæc ſententia à *Scholaſticis Doctoribus* veluti reſtaurata eſt. Qui haud dubie errant. cœlum enim totum non ſolidam, ſed liquidam habere naturam, idoneis rationibus pridem demonſtratum eſt. Vide etiam talia argumenta è rerum natura petita, apud *G. I. Voſſium Phyſiolog. Chriſtian. lib. 2. cap. 39.* Poteſt tamen quodam modo *ſolidum* dici : quia trina dimenſione conſtat, & totum ſui plenum eſt, annotante *Bartholino in Uranolog. cap. 2.* Aquas ſupercœleſtes quod attinet, veras ibi eſſe credimus, claritati verborum Scripturæ inhærentes, neque quidquam in potentia aut voluntate creatoris πολυπραγμονοῦντες, multo minus *ruinam cœli* extimeſcentes, ſi contra naturam ſuam aquæ in ſublimi detineantur. φύσις γὰρ, οἶμαι, τοῖς ἔστι τὸ

τῷ ἀλισαῦτι δοκεῖν ut illud *Cyrilli Alexandr.* huc transferamus: Nam quod *Sixtinus Amama Antibarb. Bibl. lib. 2.* animosissime propugnat eorum sententiam, qui per *aquas supra cœlos*, *aquas nubium in media aëris regione* intelligunt, nescio quam circumspecte faciat. Cui enim persuaderi possit, vocem רקיע in texu Mosaico μερικῶς de *aëre* tantum, excluso æthere, usurpari? Quidni intelligeretur totum expansum in eo loco, ubi de creatione expansi agitur? Quam violente porro hic exponeres, aquas aliquoties diserta & communi voce repetitas pro nubibus? Et quomodo probabitur, nubes statim in illo momento extitisse? quis hic aliquid imaginabitur, quod neque semper, neque æqualiter, neque omnibus locis similiter supra cœlos sit? Annon hac ratione potius & simplicius dicendum esset, *aquas illas nubium esse in medio expansi*? Plura sunt, quæ eam interpretationem prorsus respuunt, & prorsus mihi persuadent, moderatius hic philosophandum, neque sententiam, quam antea diximus, promte & facile traducendam esse.

Quod Josephus porro accommodat cœlo *humidam pluviamque conditionem ad terram rore recreandam, veluti per harmonicum naturæ consensum*: in eo reprehenditur à *Saliano χολ. 6. in D. secund.* tanquam nimis populariter locutus, si cœlo, id est, globis cœlestibus irrorationes tribuat. *Neque enim*, inquit, *Philosophi influentias, quas vocant, cœlisque attribuunt, pluvias irrorationes, ut nimium crassas atque materiatas, dici patientur.* Sed quid nodum in scirpo quæramus? Supra monuimus, Josephum non extrema tantum expansi, sed totum expansum (רקיע) attendere? *quod superiori parte sui* æther *vocatur, inferiori autem, qua terræ & aquæ globo incumbit*, aër *dicitur*, ut recte monet *Vir summus G. I. Vossius* loco quem prædiximus. Ita sumitur vox cœlorum *Genes. 2, 1.*

Progredimur ad Tertium diem; de quo *Josephus*: τῇ δὲ τρίτῃ ἵστησι τὴν γῆν, ἀναχέας περὶ αὐτὴν τὴν θάλασσαν. κατ' αὐτὴν δὲ τὴν ἡμέραν εὐθὺς φυτά τε καὶ σπέρματα γῆθεν ἀνέτειλεν. Hæc satis idonea sunt ad indicandam terræ stabilitionem, aquarum συναγωγὰς sive in maria congregationes, herbarumque & arborum productionem. Quæ hic quæstiones moventur, aliunde

aliunde petendæ ſunt. Si fas eſt obiter aliquid adjicere: vehementer erravit *Salianus*, cum apocryphi ſcriptoris auctoritatem ſecutus (*Eſdr. 4, 6.*) terræ ſex partes, aquæ ſeptimam tantummodo magnitudinis partem, contra irrefragabile experientiæ teſtimonium, tribuit A. E. *tom. 1. D. Tert. n. 6.* Cum de ἀκριβασμῷ maris, ſive determinatis exacte finibus, quos *Joſephus* circumfuſione iſta comprehendit, ſermo eſt (& meminit ſcriptura ſæpe; vide præſertim *Job. 38, 18. &c. Jerem. 5, 22. Prov. 8, 29.*) non ſtatim debet cauſſa ad altitudinem maris referri, quod mare ſit altius terra, ſed potius ad fluctus æſtuſque marinos, de quibus Scriptura locis adductis clare; & eleganter *Theodoretus ad* ψ *148.* cujus verba, nondum alias edita, *in notis ad Clement. Rom. Epiſt. 1. ad Corinth. pag. 28.* adducit *Patricius Junius*: Βλέπε τῆς θαλάσσης τὸ κῦτος τὸ μέγεθος &c: τὰ τῶν κυμάτων σκιρτήματα τὸν ἐπικείμενον αὐτοῖς τῆς προνοίας χαλινόν. δι' ὃν τὴν ἤπειρον ἐπικλύζειν οὐ δύναται, ἀλλὰ ὁρμῶντα κατὰ τῆς ψάμμου φοβεῖται τοὺς ὅρους καὶ τὸν θεῖον ἐκεῖ νόμον γεγραμμένον ὁρῶντα, οἷον τις γαῦρος ἵππος ἀγχόμενος ὑπὸ πωλοδάμνου ἀνακλᾷ τὸν αὐχένα, καὶ εἰς τοὐπίσω χωρεῖ, μεταμελόμενα ὅτι καὶ τῆς ψάμμου προσέψαυσε. Poſſis vertere: *Aſpice maris profunditatem, Magnitudinem, &c. fluctuum aſſultus, & impoſitum ipſis Providentiæ frenum; ob quod continentem inundare nequeunt, ſed ubi magno impetu ad arenas & littora ingruunt, formidant illos terminos, & vident ibi divinam legem ſcriptam; atque ſicut ferox equus cum coërcetur à domitore, reflectit cervicem & retrorſum concedit, ita reſiliunt ſcilicet tanquam pœniteret vel attigiſſe arenas.* Gemina his vide apud *Georgium Piſiden*: qui cum in ἑξαημέρῳ fluctus marinos & conatum erumpendi atque in terras excurrendi graviter deſcripſiſſet, mox *v. 381.* addit:

Ἀνθέλκεται δὲ καὶ φοβεῖται καὶ μένει,
καὶ τὰς ἐνύδρους οὐ παρέρχεται θύρας,
Ἀλλ' εἰς ἑαυτὴν ὕπτιος ἀνατρέχει,
ὡς οἷα δούλη τῶν τειχῶν κρατουμένη. adde v. 495.

Atque hæc aquarum in ſuum alveum congregatio *diei ter-*

tia, tum hic à Josepho, tum à plerisque tribuitur. Non desunt interim, qui existimant, *diei secundæ potius convenire.* Quam sententiam sequitur *G. I. Vossius in physiolog. Christ. lib. 2. cap. 67.* Rationes consideratu dignæ sunt, *1. Diem primum proprie creationis fuisse qua Deus ex nibilo res condidit; secundum secretionis, quo facta distinxit; ceteros, ornatus; quibus sic facta est distincta ornavit: ut tertio die terram plantis & paradiso, quarto cœlum sideribus, quinto aërem avibus, aquas piscibus, sexto terram animalibus.* Distinctionem ergo secundæ diei duplicem fuisse, *unam*, aquarum superiorum ab inferioribus; *alteram* aquarum inferiorum à terra. 2. *Quia, si communis sententia valeat, bis repetitur in tertio die, quod Deus viderit bonitatem operis, cum in secundo ne semel quidem occurrat.* Ad hunc scrupulum plerique obhæserunt, neque rationes ejus omissionis probabiles adferre potuerunt, Græci Patres *Basilius*, *Chrysostomus* & alii (ex Latinis more suo Ambrosius hic Basilium sequitur) versione τῶν ο quæ sola hic quoque habet solitam ceteris diebus ἐπιμαρτυρίαν, contenti, præterierunt potius, quam solverunt id dubium. Quod sublatum iri existimant, quos antea memoravi, si cap. 1. v. 9. & 10. ad secundæ diei opera referretur: tum enim verba, *& vidit Deus quod esset bonum*, ad secundam diem pertinere. Si cui obstare videatur, quod in versu 9. legitur; *& dixit Deus* &c. tanquam sc. in novæ diei opere: respondent, Hebraicum ויאמר tam in plusquamperfecto quam in perfecto exponi posse; exemplumque talis usurpationis & ad priora respectus esse mox in cap. 2. v. 7, 8, 9. Nostri instituti nunc non est, alterutram opinionem confirmare aut refellere: itaque in Josepho pergimus.

Qui de quarto die ita habet: τῇ δὲ τετάρτῃ, διακοσμεῖ τὸν οὐρανὸν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ τοῖς ἄλλοις ἄστροις, κινήσεις αὐτοῖς ἐπιστείλας καὶ δρόμους, οἷς ἂν τῶν ὡρῶν περιφοραὶ φανεραὶ σημαίνοιντο. Solet *Josephus* sæpiuscule verba scripturæ veluti in compendium contrahere, dum simplici interpretatione proponere conatur, quæ latiori stilo exposita ipsi videntur. Quæ res, si modum *popularis transsumtionis* spectamus, qua Historicus aliquid ex alio commentario Historico in suum trans-

transfert, aliquando non infeliciter ei ſuccedit. Sin eum volumus *ad leges boni fidique interpretis* adſtringere, tum ſane nuſpiam nobis ſatisfaciet. Si ex iis, quæ alibi latius forte dicturus ſum, aliquid hic præcipiendum eſt, non recte mihi videntur facere, *Salianus in præfat. tom. 2. Annal.* & quicunque Joſephum ad leges accuratæ verſionis aut *μεταφράσεως* alligant. Licet enim ipſe aliquoties promittat, ſe ex Sacro codice & Hebræo idiomate tranſlaturum pleraque, ſatis tamen demonſtrari poteſt, loqui eum de rerum potius fide & hiſtoria, quam de verſione *κατὰ πόδα* Hebræo textui inſiſtente. quam vel cogitare in hoc opere, abſurditate non caret, ni fallor. Tenenda ergo eſt media via; qua oſtendi quidem illud poteſt & debet, *quid Joſephus plane non ceperit in S. literis, aut certe detorſerit in alienam traditionem: at vero reprehendere eum, quoties non totidem verba ſcripturæ & ſingulos ſenſus retinet, ſcrupuloſum fuerit, & infinitum.* Nam ita nec inſtitutum Scriptoris attenderetur, nec examen ſcripti videretur ſuſcipi, ſed una induci litura.

Cæterum in iis quæ poſuimus verbis, *ſtellis cœlum ornatum à Deo eſſe oſtendit, 2. Solem & lunam nominatim exprimit, 3. motus curſuſque ſtellarum indicat. 4. finem iſtorum motuum oſtendit, ſc. diſtinctionem temporum.* Ac de *fine* quidem & *officio* ſtellarum Moſes plenius. principio enim Stellarum munus univerſim oſtendit: *dividere diem & noctem, lucem & tenebras*; item, *lucere in cœlo & illuminare terram*: tum, *ſignorum vice fungi*; denique *tempora, dies, annos diſtinguere.* Poſtea ſubtexitur *ſpeciale officium Solis & Lunæ, illius quidem præeſſe diei; hujus, præeſſe nocti.* Modus, quo his officiis funguntur, *alter* in ſacris diſerte nominatur ſc. *lucendo, illuminando*; *alter* ex dictis colligitur neceſſario adeoque ſubintelligitur: quem Joſephus expreſſit per *κινήσεις καὶ δρόμους* *motus curſuſque.* Nam *influentias*, quas vocant, conſequentia rei, utrique conjungit. Quod Moſes *Signa* nominat, & deinde *tempora. dies, annos* addit, *Joſephus* pro eodem habet, ac ſi dixiſſet, *ſtellas debere eſſe ſigna temporum, dierum, annorum*; ſive *quibus tempora, dies, anni ſignarentur.* In quo licet non exhauriat mentem prophetæ, longe tamen melior cenſen-

censendus ex iis, qui ex hoc loco Mosaico, majori ignorantia an temeritate non dixerim, genethliacas prædictiones suas & pruriginem affectatæ sapientiæ ac imposturam adstruere conati sunt. adversus quos, pro vindicando textu Mosaico, pio & libero ore plerique Patres dixerunt, quæque signa hic intelligenda sint, ex scripturæ ductu, satis exposuerunt. Certum interim manet, neque astrologiæ divinatoriæ de sorte & fatis hominum ullum esse in hoc loco subsidium; neque ab ullis astrorum viribus ad actiones & vitam hominum aliquid concludi posse; neque, si quid tale concludi posset, humano captui cognitum esse. *πολλῷ γὰρ μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπον, τὸ δύνασθαι κατὰ ἀλήθειαν ὑπὸ τῆς κινήσεως τῶν ἀστέρων τὰ περὶ ἑκάστου τῶν ὅ, τί ποτε ἂν ἐνεργοῦντων, ἢ πασχόντων*, inquit hactenus recte *Origines apud Euseb. præpar. Evangel. 6, 1.* Sed quod idem, hæc signa non hominibus verum angelis à Deo posita esse statuit, ut inde cognoscerent *πάντα τὰ περὶ ἕκαστον γινόμενα*: in eo, subtilioribus, quam par est, speculationibus, more suo indulget.

Quintum Diem ita describit Josephus: *πέμπτῃ δ' ἡμέρᾳ ζῶά τε καὶ αὐτῶν νηκτὰ τε καὶ μετάρσια, τὰ μὲν κατὰ βάθους τὰ δὲ δι' ἀέρος ἀνῆκεν, συνδησάμενος αὐτὰ κοινωνίᾳ καὶ μίξει γονῆς ἕνεκα καὶ τοῦ συναυξάνεσθαι καὶ πλεονάζειν αὐτῶν τὴν φύσιν.* sensus est: *Natalitia & Volatilia animalia, illa in mare, hæc in aërem à Deo opifice dimissa, & communione ac commixtione ad genituræ aptitudinem copulata esse, ut genus eorum succresceret & multiplicaretur.* Non male, quoad generalem sensum, hoc postremum ex Mosaica benedictione interpretatus est: nam benedictio illa rei non verbi fuit. Interim non exhausit benedictionis vim: quæ non tantum in conjunctione & conjuctionis aptitudine suppeditata consistit, sed etiam in perenni illo, ut sic dicam, fœcunditatis divinitus concessæ fonte.

Apud Mosen diligentius exprimitur illa productio & notanter dicitur, ישרצו המים שרץ item. ועוף יעופף על הארץ. Seorsim etiam *cetorum* mentio fit, unde & postea Sancti viri, cum marina animantia, eorumque varietatem ac multitudinem generaliter indicare volunt, non omittunt tamen speciale cetorum nomen Ps. 104, 25. *&c.* Syrac. 43, 27.

cumque

cumque Hebræus textus velit: *producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volitet super terram &c.* vulgatus interpres Latinus omisit illud, *volitet.* unde nascitur alia σύνταξις, quæ postulat: *aquas reptilia & volatilia produxisse.* Sed & LXX. reddidere: ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα, ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Quibus consentit *Onkelos.* Hinc nata sententia; *non pisces modo sed & aves ex aqua conditas esse.* quam plerique Patres sequuntur, etiam *Luthero Nostro* olim probatam *comment. in Genes.* Atque ut fatear, valde probabilis videtur opinio, aves ex alia materia creatas, quam animantia cetera die sexto producta, de quibus notanter, atque ut cum tacito respectu & distinctione quintæ Diei loqui videatur quodammodo Moses, *Genes. 1, 24. producat* TERRA *animam viventem* &c. cum antea dictum fuisset: *producat* AQUA &c. Licet enim versionem Hebræo textui respondentem ibi sequamur, non convelletur hæc sententia. Nisi quod locus *c. 2. v. 19.* obstare videtur, ubi diserte *animantia terræ tum volatilia cœli* מארמה *ex terra dicuntur formata.* Nam si volatilia cœli ad formationem tantum referas, non etiam ad formatæ rei materiam, durior videbitur connexio, quam quæ limatis auribus & violentas ἑρμηνείας formidantibus usquequaque placere possit. sicut etiam *G. I. Vossius Physiologia Christi. 3, 78.* monuit.

Sextæ Diei opificium, quod Moses diligentia exacta describit, *Josephus* omnium brevissime & veluti perfunctorie tangit, paucis hisce verbis: τῇ δὲ ἕκτῃ ἡμέρᾳ δημιουργεῖ τὸ τῶν τετραπόδων γένος, ἄῤῥεν τε καὶ θῆλυ ποιήσας. ἐν ταύτῃ δὲ καὶ τὸν ἄνθρωπον ἔπλασεν. *Sexto autem die condidit quadrupedum genus masculo femineoque sexu: atque eodem die etiam hominem creavit.* In textu Mosaico tres veluti animalium hoc die creatorum classes constituuntur. 1. בהמה *jumentum* שהם עם בני אדם לצרכם לרכוב ולאכול *quod humanis necessitatibus usibusq; servit ad vecturas & cibos*, sicut interpretatur R. *Aben Ezra* 2. רמש *reptile* הם הקטנים ההולכים על הארץ inquit rursus *Aben Ezra*: plane ut in operibus V. Diei *R. Salamon Jarchi* τὸ שרץ explicaverat: כל דבר חי שאינו גבוה מן הארץ קרוי שרץ *Ita scilicet humilia dici & parva animantia quæ ambulant super ter-*

 ram

ram sive quidquid vitam habet, nec se attollit altius à terra. 3. חית הארץ *bestia agri sive fera terra.* ubi additur הארץ ad restringendum generale vocabulum חיה׃ intelliguntur sc. feræ ac carnivoræ bestiæ, sicut vel ex ψ. 79, 2. patet: נתנו בשר חסידך חיתו ארץ. Ponitur autem hic ארץ pro שדה׃ quod R. Aben Ezra monet, & ostendit parallelismus scripturæ *Job. 40, 15.* ubi חית השדה׃ *Joël 1, 20.* ubi בהמות שדה׃ ψ. 50, 10. ubi חיתו יער. Hæc omnia comprehendit *Josephus* voce τετραπόδων generalius sumta, quam LXX. ad τὸ בהמה׃ exprimendum adhibuerunt, in alteram Tropi partem, specialius ea usi, quam ex indole sua significat. *Deliberationem de creando homine, hominis nobilitatem ex imagine Dei, ex dominio super terram, benedictionem divinam homini factam;* ἐπιμαρτυρίαν *& approbationem rerum conditarum generalem*, hæc omnia, inquam, Josephus transmittit, & ad campum *suæ* περιεργίας sive *operis ætiologici* seponit. Qualia autem futura fuerint illa φιλοσοφήματα, colligamus licet ex *Philonis commentario de opif. mundi*, ubi ex deliberatione, quam Moses annotavit, adjutores & cooperatores Deo ad hominis creationem tribuit, & plura ejuscemodi Judaici pulveris nube obscurata pariter atque corrupta tradit.

Hactenus de iis aliquid diximus, quæ ex *c. 1. Genes.* Josephus descripsit, i. e. de operibus ἑξαημέρου: cujus clausulam, cum descriptione septimi Diei sive Sabbathi, è capitis 2. initio mutuatur: καὶ τὸν κόσμον ἐν ἓξ ταῖς πάσαις ἡμέραις Μωυσῆς καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ φησὶ γενέσθαι. τῇ δὲ ἑβδόμῃ ἀναπαύσασθαι καὶ λαβεῖν ἀπὸ τῶν ἔργων ἐκεχειρίαν. ὅθεν καὶ ἡμεῖς σχολὴν ἀπὸ τῶν πόνων κατὰ ταύτην ἄγομεν τὴν ἡμέραν, προσαγορεύοντες αὐτὴν σάββατα· δηλοῖ δὲ ἀνάπαυσιν κατὰ τὴν ἑβραίων διάλεκτον τὸ ὄνομα. *Et mundum quidem cum omnibus, quæ in eo sunt, in sex illis diebus conditum esse Moses ait; septima autem die quievisse Deum & ab operibus cessavisse. unde & nos illo Die cessamus à laboribus, Sabbatha eum appellantes: quæ vox Hebræorum lingua requiem notat.*

Bene interpretatus est השמים והארץ וכל צבאם per κόσμον καὶ πάντα ἐν αὐτῷ. LXX. cœlum & terram retinuere

&

& τὸ צבאם per πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν reddidere: *κόσμον cæli & terræ vocantes, quidquid creaturarum* per *διακόσμησιν inde à die tertio accesserat.* 2. Bene ἐν ἓξ πάσαις ἡμέραις γενέσθαι: cum Moses dixisset, *Die septimo perfecta esse omnia.* Voluit enim ostendere Josephus, *septimum illum Diem* non pertinere ad continuationem operis, sed ad consummationem numeri, qui præcessit. Nondum intelligitur absolutus dies sextus, nisi jam succedat septimus: in cujus denominatione perfectio sexti demum agnosci potest, & notari solet. Eadem mens LXX. interpretibus fuisse videtur. qui ad sensum respicientes ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ reddiderunt. *Sixtinus Amama, Antibarb. Bibl. lib. 2.* & ex eo *Rivetus Exercit. 12. in Genesin* contendunt Hebraicum ויכל vertendum esse, *per plusquamperfectum: & absolverat.* 3. Non male fortasse & illud, quod Mosaicum אשר אלהים ברא לעשות tanquam per pleonasmum Hebræorum dictum, generaliter & simpliciter ad τὰ ἔργα sive ad opificium Hexaëmeri retulit, cujus tum creatio, stricte à nonnullis sic dicta, tum διακόσμησις in *capite 1. Mosaico* promiscue voce utraque ברא & עשה indicantur. Nam LXX. quæsitius: ὧν ἤρξατο Θεὸς ποιῆσαι. *Rabbinicæ nugæ* hic longum valeant. *Benedictionem & Sanctificationem Septimæ Diei* omisit, ejusque loco, quod inde resultat, posuit, *Sabbathi sc. apud Judæos institutionem & observationem*, quam inde deducit. clariora hæc erunt, si Judæum cum Judæo conferas, *Philonem* inquam *in opif. mundi* cum *Josepho Nostro.*

ABsoluta generali τῆς ἑξαημέρου Historia, nunc ad specialem ἐξήγησιν & *caput secundum Geneseos Mosaicæ* accedit Josephus: enarrans ante omnia, *Adami formationem ex limo terræ, animalium denominationem ab Adamo factum, Evæ ex costa Adami productionem.* Tot enim partes facit τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς, quam *tali transitione* orditur: καὶ δὴ καὶ φυσιολογεῖν Μωϋσῆς μετὰ τὴν ἑβδόμην ἤρξατο περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς, λέγων οὕτως. *Ceterum incipit post diem septimum Moses specialius disserere & de formatione hominis ita explicare, ut principia naturamque ejus sigillatim interpretetur; ita inquiens.* Recte sentit

ac ex mente veterum recentiumque interpretum, quod ea, quæ caput primum Mosis & creationis summariam Historiam; in cap. 2. sequuntur, sint ἐξηγητικὰ priorum & φυσιολογούμενα, sive naturam quarundam creaturarum paulo specialius declarantia. Quod institutum S. Spiritus, *non Historiamodo εὐρυθμίαν & dispositionis compendiique concinnitatem juvare; sed etiam rerum maxime memoratu observatuque dignarum quasi notam quandam habere*, existimandum est: *dum & congregandæ in unam σύνοψιν historiæ rotunditas cursusque non impeditur; & admirationis altioris argumentum seorsum panditur.* Sed age, videamus, quomodo Mosaica verba, quæ diserte laudat, *ex cap. 2. v. 7. Genes.* expresserit.

Ait ergo Josephus, Mosen ita scribere: ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ καὶ ψυχήν. *Et finxit Deus hominem accepto ex terra limo, & immisit in eum spiritum & animam.* Hactenus enim interpretem vult agere verborum Mosis: sequentia liberius & suo stilo pertexit. Initium interpretationis convenit plane cum LXX. versione, qui totidem verbis habent: καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς. Proprie redditum est τὸ יצר per ἔπλασεν, videatur *Rivet. Exercit. in Genes. 16.* Nec male evolutus est *Hebraismus Ellipticus* (secundum quem esset: *& finxit Deus hominem pulverem de terra*) supplendo pariter & interpretando, *ex sumto pulvere de terra formatum esse hominem.* id quod & aliis hactenus interpretibus placuit. Quoniam in Hebraico habetur עפר, quod *minutum pulverem* significat, inde *Salianus* colligit, *Deum sumsisse quidem illum minutissimum pulverem, sed quoniam propter diffluentem siccitatem in solidum corpus conformari non potuerit, pulverem aqua miscuisse ac lutum fecisse. Annal. Eccles.* Fortasse tamen simplicius sentiunt qui de *limo novæ terræ*, ut mox clarius dicetur, pronunciant, & *Fuisse* existimant *limum*, ex quo Deus formavit hominem, *non factum esse tum demum.* Neque *pulverem* excludit hæc opinio, quem τὸ עפר postulat, quippe cum superficies terræ limosa nihil aliud sit, quam pulvis aqua mistus: sed nec Græcum χοῦς, aridum pulverem præcise designat, quod rursum sine idoneo fundamento affirmat

tom. 1. die 6. n. 18.

mat *Salianus*. Quis enim neſcit *Pollucem* & *Suidam*, Grammaticorum doctiſſimos, χῦν generaliter *de terra* & *aggeribus* etiam exponere?

Quæ de *inſpiratione animæ* Moſes accuratius tradit, ac ſingillatim declarat: Joſephus haud dubie ad opus ſuum ætiologicum reſervavit, contentus interim *immiſſionem animæ generatim*, è verbis Moſaicis adferre. quod ei hic quidem non adeo infeliciter ceſſit. videtur enim animadvertiſſe, *inſpirationem* proprie dictam locum non habere, ſed *immiſſionem* θεοπρεπῆ, intelligendam eſſe, *naribusque inſpiratum dici ſpiraculum vitæ, figura καταβατικῇ* ad humanos de animæ natura, organis, actionibus conceptus. Tum autem illud נשמת חיים longe rectius per τὸ πνεῦμα ſignavit, quam illi, qui neſcio quas ſubtilitates in numero & diſtinctione vocis quæſivere. Adhibuit ſc. eas voces, πνεῦμα καὶ ψυχὴν, quibus etiam alias anima & vita hominis notari ſolet; quæque Hebræis ea de re phraſibus ſatis commode reſpondent. neque abiit à ſtilo interpretum: apud quos πνοὴ ζωῆς & ψυχὴ ζῶσα idem dicunt, niſi quod hi, fontibus prorſum inſiſtunt & *ad ipſum animal*, poſtremum membrum *tropice* propoſitum in Hebræo, referunt; *Joſepho* ad *animam* referente, ex qua ipſum animatum hominem ultro intelligi credidit.

Hac formatione hominis breviter & μεταφραστικῶς ex verbis Biblicis expoſita, ſubjungit *Joſephus, de nomine primi hominis*, quod & *appellativum* fuiſſe, quatenus naturam hominis ſignavit, & ex convenientia originis *Proprium factum* innuit Scriptura. ὁ δὲ ἄνθρωπος οὗτος ἄδαμος ἐκλήθη. σημαίνει γὰρ τοῦτο κατὰ γλῶτταν τὴν ἑβραίαν πυῤῥὸν, ἐπειδήπερ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει. τοιαύτη γάρ ἐστιν ἡ παρθένος γῆ καὶ ἀληθινή. *Atque hic homo* (primum à Deo productus ſc. & formatus) *vocatus eſt Adamus*; *quod lingua Hebræorum ſignificat rufum. quoniam ex maſſa rufæ terræ factus eſt. nam talis eſt intacta & vera terra.* Vult *primo* Joſephus, *hoc nomen eſſe Adamo valde proprium & ex re ſumtum*, ut ſolet nimirum Hebræa lingua κυριολεκτεῖν τὰς προσηγορίας. Notabilis eſt locus *Euſebii*: ἑβραίων γραφὴ εἴ ποτε τὸν κοινὸν καὶ πολὺν ἄνθρωπον, *Præp. Ev.* καὶ 7 r. 8.

καὶ τὸ γένος αὐτὸ χρεὼν διασημῆναι, πάλιν οἰκείᾳ καὶ προσφυεῖ χρωμένη προσηγορίᾳ τὸν πάντα ἄνθρωπον τῇ τοῦ Ἀδὰμ ἐπωνυμίᾳ σημαίνει. ὅτι δὴ τοῦτο τῷ προγόνῳ, καὶ πάντων ἀνθρώπων προπάτορι, κύριον εἶναι καὶ προσφυὲς ὄνομα, τὸν γηγενῆ δηλοῦν, κατὰ τὴν εἰς ἑλλάδα φωνὴν μετάληψιν ὑποφαίνει. Hebraeorum scriptura, si quando hominem communiter & universim, vel ipsum genus hominum designare opus est, proprio & congenito Adami nomine designat. Quoniam id nomen primo illi homini, hominum omnium parenti, proprium & à natura quasi ipsa inditum fuisse (Graece si interpreteris, terrigenam significabit) eadem illa litterae Hebraeorum ostendunt. Unde *Hebraeis* aliquando differentiæ causa אדם הראשון & *Chaldaeis* אדם קדמאה *Adam* primus.

Secundo, Rationem appellationis paulo diligentius & ita explicat, ut eadem opera allusionem scripturæ & verba האדם מן האדמה interpretari videatur. Hebræis אדמה *terram a rubedine* dici, notum est. caussam adferunt duplicem. *primo* enim *communiter* dicunt, *in Oriente colorem terrae natura rubeum esse*: *Altera* caussa hic à Josepho φυσιολογικώτερον suppeditatur, *intacta scilicet & pura terrae naturalem illum colorem esse.* quo sensu apud Hesychium legas: Ἀδάμα, παρθενικὴ γῆ. Addit autem Josephus: *ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης, ex rubra terra humore permista.* Si illud φυραθείσης *in ordinario Participii significatu* accipimus, prodiret ea sententia, quam supra è *Saliano* attulimus: *quasi Deus rufam terram acceperit, & miscuerit aquam & quasi subegerit.* Verum nulla necessitas in nobis imperat, nec levis est ratio quæ dissuadet. Videtur enim Josephus primæ & recentissimæ illius terræ limosam naturam in animo habuisse, adeoque per γῆν φυραθεῖσαν, *participio nominaliter, vice appositi usurpato,* nihil aliud indicasse, quàm *τὴν γῆν πηλώδη καὶ παντελῶς ἁπαλὴν, limosam & penitus mollem terram*, ut de primigenia terra ex vetustissima traditione loquitur *Diodorus Siculus lib. 1.* φυρᾶσθαι enim proprie est *misceri*: & γῆ φυραθεῖσα, terra non sicca & pulverulenta & nihil nisi terreum habens, *sed aquis & humore quodam mista & quasi fermentata.* eam enim vocem erudite in hujus loci versione usurpavit *Gelenius*, immerito reprehensus à *Saliano*: cui non in mentem venit *fermentari*

&

& *fermentescere* apud *Plinium & Columellam* de terra usurpari, *cum remollitur & à spissitudine ac duritie prohibetur.*

Hujus tam admirandæ productionis primi hominis è terra, ut & ipsius Protoplasti Adami historiam, etiam apud gentiles sub variis fabularum involucris jactatam, satis constat, unde *Lactantius de fals. relig. 2, 11. De hac hominis fictione poëtæ quoque, quamvis corrupte, tamen non aliter tradiderunt. namque hominem de luto à Prometheo factum esse dixerunt. Res eos non fefellit, sed nomen artificis.* Verum Promethei fabula potius Noachi historiæ congruit. magis huc spectabit illa communis opinio gentilium: *primos homines è terra generatos esse.* de qua *Diodorus 1. & Justin. 2, 1. & Lactant. de fals. rel. 2, 12. Adami* ipsius historia sub *Saturni* fabula videtur adumbrari, neque disconvenit nomen quod à *latendo* Saturno datum existimant. Nimirum pervenerat fama ad gentes, ocultati post lapsum, ex lapsus conscientia, Adami. vide de re & comparatione tota *Vossii lib. 1. de Theolog. Gentil. c. 18.* Quidam sub *Osiride Ægyptio*, *Adamum* figurari & *sub Iside, Evam* credidere. Certe non raro in hac disquisitione, *unam eandemque historiam Biblicam in diversas fabulas veluti dissipatam* est reperire. Nos prætermissis ceteris, unam nunc adjicimus veterum Germanorum θεολογίαν. Quis enim dubitet *Adamum* signari, per *Mannum* illum Germanorum Deum, de quo *Tacitus in Germ. 2, 3. Celebrant carminibus antiquis Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum originem gentis conditoresque* : & quæ sequuntur. *Tuistonis* vox, quemadmodum *Deum* notet, vide apud *Cluver. Germ. Antiq. 1, 9. Voss. Theol. Gent. 1, 38.* vere ergo *Dei Filius Adamus* (*Luc. 3, ult.*) sive *Mannus.* in eo corrupta fides, quod *Tuisto* non *Mannus terra editus* dicitur. Ceterum inter numina Germanorum *Tacitus* etiam *Isidem* memorat. ubi existimat *Vossius* non improbabiliter, Germanis *Issam* i. e. *Evam* ex Hebræo אישה cultam esse; ex qua Romani, quadam soni & litterarum conjectura ducti *Isidem* fecerint; cui alias nullus hic locus.

Sequitur in Josepho, nobile istud sapientiæ, qua Adamus πρωτόπλαστος præditus fuit, specimen, *cum animalibus nomi-*

nomina imposuit: παρέςησι ἢ ὁ θεὸς τῷ Αδάμῳ κατὰ γένη, τὰ ζῶα, θήλεα τε καὶ ἄρσενα ἀποδειξάμενος. καὶ τέτοις ὀνόματα τίθησιν, οἷς ἔτι καὶ νῦν καλῦνται. *Adduxit autem sive constituit ante Adamum Deus omnis generis animalia, ex utroque sexu, ostenditque illi. Atque his ille nomina imposuit, quibus adhuc hodie vocantur.* *Contractius* proponit, quæ Moses diffusius: qua de re jam supra monuimus. Recte ait, *animalia adducta esse*, κατὰ γένη: nimirum *non singula generum, sed genera singulorum* voluit notare, quod Philosophi dicerent. Quod addit θήλεα τε καὶ ἄρσενα, *ex connexione & circumstantia sequentium* haud dubie sumsit: *ubi comparatio quædam ex hac congregatione animalium instituitur, inter animalia cetera ad* κοινωνίαν καὶ μίξιν *diversitate sexus copulata*, ut supra loquebatur Noster, & *hominis solitudinem, cui socia non est reperta*: quæ ipsa *occasio* est historiæ de creatione Evæ. Illud ἀποδειξάμενος exprimit finalem adductionis caussam, quæ apud Mosen effertur *adductum esse omne animal, ut Deus videret, quomodo Adam vocaret unumquodque* לראות מה יקרא לו. Cum scriptura valde signanter *proprietatem* nominum ab Adamo impositorum indicet, & *perpetuitatem* eorundem *subinnuat*, Josephus cum perspicuitate Paraphrastica adjecit, οἷς ἔτι καὶ νῦν καλῦνται. plane ut *Rabbi Salom. Jarch.* παραφράζει sacrum textum כל נפש חיה אשר יקרא לו הארם שם הוא שמו לעולם *Quodcunque cuivis animali Adamus nomen posuit, id est nomen ejus in perpetuum.*

Recte autumat *Philo Judaus de opific. mund.* Impositionem illam nominum primævam ad *sapientiam & regnum* pertinere. Quippe ex profunda cogitatione naturarum cujusque animantis impositio nominum proficiscatur, necesse est. id quod & eventus à *posteriori* satis approbat, & ratio, à *priori* ultro colligit. Unde *Plato in Cratylo*: Δηλονότι ὁ θέμενος πρῶτος τὰ ὀνόματα, οἷα ἡγεῖτο εἶναι τὰ πράγματα, τοιαῦτα ἐτίθετο καὶ τὰ ὀνόματα. *Nimirum qui primus imposuit nomina, quales arbitrabatur res esse, talia imponebat nomina.* Idque quia ingentis sapientiæ opus esse videret, postea ad divinam quandam suggestionem, εὐστόχως sane refert. Etiam de *Pythagora* annotat *Ælianus*, *quod sapientissimum existimaverit, qui numeros reperisset, proximum, qui rebus nomina imposuit.* Verba ejus

4 Var. hist. 17.

ejus ita habent: ἔλεγεν ὅτι πάντων σοφώτατος ἐστιν ὁ [ἀριθμοὺς εὑρὼν] δεύτερος ὁ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα θέμενος. Quem locum ideo attuli, quia admirabilem in ipsis tenebris εὐστοχίαν de luce licet observare. Primum numerorum inventorem fuisse *Theut* apud *Platonem* in *Phædro* legimus: atqui illa voce *Theut* (quam nonnulli ad *Mercurium Ægyptium retulere*) significare *Deum*, luculente ostendit *G. J. Vossius Theolog. Gentil.* 1, 37. Ecce, numeros & numerorum illam harmoniam in universo diffusam ex mente Phythagoræ, verè invenit qui solus & unus sapientissimus, Deus: hujus autem imago & Exemplar & filius Adamus, nomina imposuit rebus.

Digna sunt, quæ paraphrasin ὀνοματοθεσίας hactenus ex Josepho & ad Josephum explicatæ, hic exhibeant illa *Suidæ*, in laudibus *Adami*: quas *divino experimento spectatas*, ait. καὶ, ἡ φησὶν ἡ γραφὴ, ἐποίησεν ὁ Θεὸς πάντα τὰ κτήνη καὶ τὰ θηρία, καὶ τὰ ἑρπετὰ, καὶ τὰ πετεινά. καὶ ἤγαγεν αὐτὰ πρὸς τὸν Ἀδὰμ ἰδεῖν, τί καλέσει αὐτά. καὶ ὡς ἐκάλεσεν Ἀδὰμ, τοῦτο ὄνομα αὐτῷ. τί τῆς φωνῆς ταύτης καὶ μαρτυρίας ἀριδηλότερον; τί τῆς σοφίας ταύτης καὶ διαγνώσεως ὑψηλότερον; ἐκάλεσεν ὀνόματα, τὴν φύσιν αὐτὴν καὶ ὑπόστασιν ἑκάστου ζώου ὥσπερ ὑπογραφόμενος, οὐ μελετήσας οὐ προσκεψάμενος, οὐδέν τι προπεπονθὼς τῶν ὅσα μεταμανθάνουσιν ἄνθρωποι καὶ πολλῶν καὶ ἀναρίθμων γενεῶν παραδραμουσῶν, οὐκ ἴσχυσεν οὐδεὶς ὑπαλλάξαι κἂν τοῦ τυχόντος ζώου τὸ ὄνομα, οὐδὲ τῆς ἐκείνου δεδέξασθαι μεγαλονοίας καὶ διαγνώσεως. μᾶλλον μὲν οὖν μένουσιν ἅπαντες κατὰ πᾶσαν ἐσπαρμένοι τὴν γῆν, τοῖς ἐκείνου στοιχοῦντες ἀμεταθέτοις θεσπίσμασιν. *Quippe, ut scriptura dicit, fecit Deus omnia jumenta & feras & volatilia, & adduxit ea ad Adamum, ut videret, quomodo vocaturus esset ea. & quomodo vacavit Adam, id unicuique nomen est. Quid hoc elogio testimonioque illustrius? quid sapientia illa & cognitione magnificentius? Imposuit nomina, quibus ipsam naturam & penitissimam vim uniuscujusque animantis describeret: non præmeditatus, non antea perspeculatus, non denique ullo eorum praexercitus, quæ homines à posteriori, ut loquuntur, condiscunt. (sive, quæ hominibus etiam postea i. e. post indicium*

cium ab Adamo factum discenda sunt.) *Cumque hactenus multa atque adeo innumeræ ætates prætercurrerint, non valuit quisquam ullius animantis nomen mutare, aut ad amplitudinem sapientiæ atque cognitionis Adami satis penetrare. Quin potius universi per omnem terrarum orbem dispersi homines permanent in vestigiis ejus, iisque tanquam immutabilibus oraculis insistunt.* Non soleo prolixiores exscriptiones amare, sed profectui juventutis & usibus aliquando serviendum est.

Adductio illa animalium ad Adamum & discretio, occasionem dedit Adamo observandi, & *admirandi* (ut *Josephus* autumnat) *sibi deesse, quam alia animantia haberent, comparis societatem.* Sumsit fundamentum sententiæ suæ ex eo, quod notanter subjungitur *Genes.* 2, 12. adductioni & nominationi animalium: ולאדם לא מצא עזר כנגדו *& homini non est repertum adjutorium coram ipso.* Plane ad eam mentem *R. Salom. Jarch. Adamum* introducit, consideratis animalibus specie sexuque distinctis dicentem: *Unicuique est copulata socia, mihi autem prorsus nulla.* כשהביאן הביאן לפניו כל מין ומין זכר ונקבה אמר לכלם יש בן זוג ולי אין בן זוג מיד. Quare apud veteres nonnullos & recentiores complures obtinuit interpretatio: Adducta esse ad Adamum animalia non tantum, ut nomina iis imponeret, sed etiam, *ut cognosceret simul, se socia carere.* vide *Saliani A. E. di. n. 94.* Sed adferamus ipsa Josephi verba, quibus *Occasionem producendæ mulieris, ipsam productionem, & nomina productæ* complectitur: omissa expressiori commentatione, quam Moses habet de deliberatione Dei, de circumstantiis ad institutionem conjugii & vinculum pertinentibus. βλέπων δὲ τὸν Ἄδαμον οὐκ ἔχοντα κοινωνίαν πρὸς τὸ θῆλυ καὶ συνδιαίτησιν, οὐδὲ γὰρ ἦν, ξενιζόμενον δὲ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὕτως ἔχουσιν, μίαν αὐτοῦ κοιμωμένου πλευρὸν ἐξελὼν, ἐξ αὐτῆς ἔπλασε τὴν γυναῖκα. καὶ ὁ Ἄδαμος προσαχθεῖσαν αὐτὴν ἐγνώρισεν ἐξ αὐτοῦ γενομένην. ἤσσα δὲ κατὰ τὴν ἑβραίων διάλεκτον καλεῖται γυνή· τὸ δ' ἐκείνης ὄνομα εὔα ἦν. σημαίνει δὲ τοῦτο πάντων τῶν ζώντων μητέρα. *Videns autem* (Deus) *Adamum carere societate fœminæ ac convictu (quippe quæ*

nec-

necdum erat) adeoque mirari, quod cætera animantia se ita haberent: Adami sopiti costam unam exemit, atque ex ea mulierem finxit. Adamus ergo adductam eam agnovit, quod ex ipso facta esset. vocatur autem mulier Hebræorum lingua, Issa. hujus vero nomen Eva erat, quod viventium omnium matrem significat.

Quod ait, *Deum vidisse &c.* ex deliberatione ista hausit, quæ est apud Mosen *v.* 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, quod sit coram ipso. De admiratione Adami* jam dictum est. Per illam κοινωνίαν καὶ συνδιαίτησιν apposite & ἐν μοίρᾳ παραφρόσεως expressit Hebraicum עזר לנגדו, de quo tot Interpretum sententiæ. In *agnitione & denominatione mulieris* minus attendit connexionem, sane quam accuratam & elegantem, Mosaici textus. Nisi quod apprime congruerent omnia, si τὸ γνωρίζειν in Josepho *active* pro *notare, imposita nota aut nomine designare*, interpretemur, ut esset: *Adamus ergo, cum adducta esset mulier, ut ex se factam notavit*, sive nominavit, *quippe Hebræis Issa dicitur mulier.* Nolo tamen auctor esse deserendæ communis interpretationis, & ad cogitandum magis istud propono, quàm ad amplectendum. Hebræam elegantiam, qua איש & אישה consonant hic pariter & se invicem explicant, Interpretes in aliis linguis non potuerunt consequi. nisi quod *Symmachus, pulcre volens etymologiam etiam in Græco custodire* (ut inquit *Hieronymus*) efficto ex analogia nomine vertit αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη αὕτη. Latinè possis dicere: *Hæc vocabitur vira* (nam *virago*, de quo *Hieronymus*, hic minus proprium est) *quia de viro sumpta est.* Coronidis loco adjiciemus locum *Suidæ* de agnitione & appellatione mulieris. In voc. Adam scribit: οὗτος καὶ τὴν γυναῖκα πρῶτος ἰδὼν, οὐχ ὥσπερ ἐκ στόματος ἀνθρωπίνου περὶ ταύτης ἐφθέγξατο ἀλλ' ὡς ἔκ τινος θείας ὀμφῆς ἐνηχούμενος, εὐστόχως τὸ πολυύμνητον ἐκεῖνο καὶ θαυμαστὸν ἀπεφοίβασε λόγιον. τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστέων μου καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου. αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. *Hic* (Adam) *cum primum conspexisset mulierem, non ut ex humano ore*

de ea locutus est: sed tanquam resonans divinam vocem, celeberrimum istud & admirabile oraculum ut vates protulit: hoc est os de oßibus meis, & caro de carne mea. hac vocabitur vira, quia de viro suo sumta est. De Evæ autem nomine (*in voc. Ev.*) sic inquit: Ἀδὰμ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ζωὴν ταύτην κέκληκεν, ὡς ἐσομένην μητέρα τῶν ζώντων. *Adamus vir eius, vitam eam vocavit, tanquam futuram matrem viventium.*

AGgredimur nunc argumentum admodum difficile, quod veterum recentiumque interpretum ingenia fatigavit, multosque eò adegit, ut, quod secundùm literam explicare non possent, transferrent ad allegoriam, nec in historia modo mysterium quærerent, sed pro historia, mysterium substituerent. Fecerunt id non Judæi tantùm [inter quos notus est *Philonis* pro allegorica expositione zelus] sed & Ecclesiarum Doctoribus non paucis visus est Moses, quæ de Paradiso memorat, κατά τινας ἀπορρήτους λόγους ἀλληγορεῖν, ut hoc cum *Eusebio* dicam. Nonnulli pulchritudinem terrestris loci ad domicilium corporis humani, sed penitiora symbola & delicias interiores, ad animi pabulum pertinuisse, crediderunt. Quos laudat & sequitur *Suidas, in voce παράδεισος.* Nos ut caruisse altioribus symbolis & cœlestibus deliciis, illud in terra extructum protoplastis ab ipso DEO domicilium, nequaquam diffitemur: ita nolumus à textu & historiæ littera eò usque recedere, ut vel confundamus ista, vel invicem permutemus, vel etiam conjectandi studio animosiùs, quàm par est, scrutemur. Ac in præsens quidem, missis omnibus ambagibus *Josephi* expositionem adferemus primò, ac deinde expendemus.

P. E. 12, 11.

Φησὶν δὲ (subaudi, Μωϋσῆς) τὸν θεὸν καὶ παράδεισον πρὸς τὴν ἀνατολὴν καταφυτεῦσαι παντοίῳ τεθηλότι φυτῷ. ἐν τούτοις δ' εἶναι καὶ τῆς ζωῆς τὸ φυτὸν, καὶ ἄλλο τὸ τῆς φρονήσεως, ᾧ διαγινώσκοιτο τί ποτε εἴη τὸ ἀγαθὸν, καὶ τί τὸ κακόν. εἰς τοῦτον δὲ τὸν κῆπον εἰσαγαγὼν τόντε ἄδαμον καὶ τὴν γυναῖκα ἐκέλευσε τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι. *Ait autem*

autem Moses, Deum plantasse hortum ad orientem omni planta virente; atque in eo etiam lignum vitæ, itemque alind sapientiæ, per quam dignosceretur, quid esset bonum, quidve malum. In hunc hortum induxit Deus Adamum & uxorem, & jussit plantarum curam gerere. Tota περικοπὴ Josephi, usque ad historiam lapsus habet IV. membra. quorum 1. *Paradisi plantationem.* 2. *Protoplastorum introductionem.* 3. *fluviorum Paradiso egredientium descriptionem.* 4. *divinam, de non comedendo fructu ex arbore φρονήσεως, præceptionem* complectitur. nisi quis malit, hoc postremum membrum, cum sequenti mox historia lapsus connectere. Agendum nobis erit de singulis.

Quæ producta sunt verba, *duo priora membra* continent. φησὶ δὲ Μωϋσῆς. scilicet in speciali illa sua φυσιολογίᾳ de qua præcesserat: καὶ δὴ φυσιολογεῖν Μωϋσῆς μετὰ τὴν ἑβδόμην ἤρξατο. *Hortum in Eden* גן בעדן dixerat Moses: Josephus simpliciter παράδεισον vocat. si illud בעדן de *voluptate* accepit, ut multi; videri potest, reservata illa appellatione in opus suum ætiologicum, hortum interim nominasse, vel ipsa παραδείσε voce *hortum ad voluptatem exactum* denotasse. nam & hujus usurpationis exempla occurrunt. sin vero de loco accepit, non bene factum est, quod omisso proprio hoc nomine, generale tantum posuit. πρὸς τὴν ἀνατολὴν *ad orientem*, expressum ex Hebraico מקדם LXX. καὶ ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς. Notum est, de utroque acriter disceptari. Nos amplectimur eam sententiam, quæ עדן pro *nomine proprio* accipit, & מקדם de *Oriente*. *Prius* sic intelligi potest: *ut hortus ipse habuerit id nominis, Eden.* unde in hoc *cap. Genes. v.* 15. גן-עדן *hortus Eden* appellatur. Neque repugnat, quod antea dictum erat, בעדן *in Eden*, ut *Eden* sit nomen loci, ubi plantatus est Paradisus. utrumque pulcre subsistit. Habemus hic, ut omnes intelligunt, *primæva rerum vocabula, & originarias appellationes:* ut vix dubitandum sit, nomen loco, ab horto aut propter hortum factum; & hortum quidem à voluptate appellatum, nomenque horti loco pa-

riter accommodatum. Nulla enim idonea ratio patitur, ut originem, & significatum vocis *Eden* plane negligamus. Quod ad *posterius* attinet, Hebraicum מקדם, *Aquila* (referente *Hieronymo quæst. in Genes.*) vertit ἀπὸ ἀρχῆς; *Symmachus* ἐκ πρώτης (subaud. ἀρχῆς) *Theodotion* ἐν πρώτοις, subaud. χρόνοις, vel accipe neutraliter. Unde putat comprobari *Hieronymus* manifestissime, *quod priusquam cælum & terram Deus faceret, paradisum ante condiderit.* Verum nullam inesse consequentiam illi opinationi, etiamsi admittatur talis versio, aliis pridem ostensum est. cumque simplicius sit credere, *Paradisum die tertio conditum esse*, eo ipso potior est explicatio de Oriente. Alias res difficultatibus non carebit. in quas tacite induit se *Eucherius Lugdunensis:* qui cum à principio, ante conditum cælum & terram, Paradisum esse creatum dixisset, *sequentem versum 9. cap. 2. Genes.* de producto omni ligno pulcro & suavi, statim ad *diem tertium* refert, inquiens: *Non ut aliquod novi generis lignum condiderit, sed ex his generibus quæ jam tertia die produxerat, exorta sunt postmodum, & ex illa virtute, quam jam terra generandi acceperat.* Quæ hic est ratio, cur dicamus: Paradisum ante omnia conditum, plantas autem paradisi, postea productas; nec tertia die, sed post illam; & tamen ejusdem speciei? Longe rectius ad verbum *plantandi* נטע, & ad cohærentiam S. textus, *Josephus* dixit: θεὸν καταφυτεῦσαι παράδεισον παντοίῳ τεθηλότι φυτῷ *Deum plantavisse Paradisum omnigena florenti arbore, sive planta.*

lib. 1. in Genes. c. 13.

Suidas ad hunc modum de Paradiso explicat: καὶ οὗτός ἐστιν ὁ θεῖος παράδεισος, θεοῦ χερσὶν ἐν Ἐδὲμ πεφυτευμένος. (Ἐδὲμ δὲ τρυφὴ ἑρμηνεύεται) ἐν τῇ ἀνατολῇ μὲν πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερος. κείμενος εὐκραὴς δὲ ἀέρι λεπτοτάτῳ, καὶ καθαρωτάτῳ περιλαμπόμενος. φυτοῖς ἀειθαλέσι κομῶν εὐωδίας πλήρης, φωτὸς ἔμπλεως. ὥρας ἁπάσης αἰσθητῆς, καὶ κάλλους ὑπερβαίνων ἔννοιαν. *Atque hic est divinus ille hortus, Dei manibus in Edem plantatus (explicatur autem Edem cibus) & in Oriente altiore quam cetera terra loco situs: aere subtilissimo bene temperatus, & purissima*

cæli

cœli nitidate resplendens; plantis semper virentibus comans, plenus suavi odore, plenus luce; ita ut omnis quæ sensu concipitur venustatis & pulcritudinis cogitationem exsuperet. Quæ ipsa verba in *Damasceno* leguntur. Mirum quod non animadverterunt interpretes manifestum loci vitium. pro τροφὴ enim legendum est τρυφὴ, *deliciæ, voluptas*, atque ita demum verum erit: ἐδὲμ δὲ τρυφὴ ἑρμηνεύεται). vide *Suid. voc.* ἐδέμ. Videmus autem hic iterum, viros eruditos, quorum sententias transcribit Suidas, indulgere conjecturis suis in hoc argumento, & *altiorem locum Paradiso tribuere*, qualia in sequentibus passim occurrent. *Moses Bar-cepha Syrus, Episcopus in Beth raman & Beth-ceno comment. de Paradiso part. 1. cap. 9. ideo altiore loco situm Paradisum* affirmat, *quia quatuor illa flumina, necessario ex loco altiore in ceteras terras diffundantur.* Ceterum de absurda hypothesi, qua in ista explicatione mirabiles fluminum cursus imaginatur, postea dicetur. **Biblioth. Patr. tom. 6.**

Præter generalem autem omnigenarum plantarum in hoc horto mentionem, seorsum Moses duarum arborum, singularium & admirabilium, nomina ponit. *Unam* vocat עץ החיים *lignum sive arborem vitæ*, plantatam בתוך הגן *in medio horti alteram*, עץ הדעת טוב ורע *lignum scientiæ boni & mali.* Josephus illud, *in medio horti*, non videtur *de medio loci aut dimensionis* accepisse, sed pro eodem habuisse, ac si dictum esset, *in horto, inter ceteras horti plantas.* Qualem scilicet significationem Hebraicum תוך sæpissime sustinet. Reddidit ergo: ἐν τούτοις δ' εἶναι καὶ τῆς ζωῆς τὸ φυτὸν, καὶ ἄλλο τὸ τῆς φρονήσεως, ᾧ διαγινώσκοιτο τί τε εἴη τὸ ἀγαθὸν, καὶ τί τὸ κακόν. Præcesserat: *Dicit Moses Deum plantasse etiam hortum in oriente, producto omni plantarum genere*; sequitur, *& in his esse arborem vitæ & aliam scientiæ, cujus ope dignoscatur, quid sit bonum, & quid sit malum.* ubi sicut *arborem vitæ* κατὰ ῥητὸν reddidit: ita alteram arborem *cum periphrasi* extulit. sicut & *Chaldæus paraphrastes* vocavit *arborem, cujus fructum qui gustaverit, sapiat quid sit bonum aut malum.* Josephus infra: τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύ-

τητος

τηλ☉ καὶ διανοίας ὑπῆρχεν, *arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat.* quo de loco dicendum erit, cum de *nuditate* Protoplaſtorum agetur. LXX. non inerudite, quanquam fortaſſis ſubobſcure: τὸ ξύλον τοῦ εἰδέναι τὸ γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ. *Videtur autem*, ut hoc citra præjudicium cujusquam dicamus, *Deus indidiſſe id nomen arbori, ex eventu, hunc in ſenſum: Hæc arbor eſto ſcientia boni & mali, ut quandocunque homo contra edictum divinum comederit de ea, ipſo actu experturus ſit, quantum interſit inter bonum & malum*, id quod *Joſephus* non cepit, ſicut in loco trademus. Diabolus ergo, cum poſtea ſeduxit Evam, ipſa hac appellatione à Deo facta ita abuſus eſſe videtur in hanc ſententiam: ἐν αὐτῷ λέγων εἶναι τήν τε τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τὴν κακοῦ διάγνωσιν, *dicens in ea arbore eſſe vim dignoſcendi boni & mali*, idque vel ex nomine, quod Deus indiderit, intelligi poſſe. *Coέπιτεχνῶς. quod Deus de eventu comeſtionis dixerat: impoſtor ad naturam arboris refert. Moſes Bar-Cepha comment. de Paradiſ. part. 1. c. 19.* ex ſua & aliorum ſententia *ad bonum obedientiæ & malum inobedientiæ* refert. quam opinionem plurimi ſecuti ſunt hactenus: neque ſane aliquid incommodi ea habet, niſi quod in terminis formalibus, quos vocant, accepta interpretatio anguſtior videtur, quam pro ſcopo & eventu totius rei. Non enim excludendum eſt malum mortis, & totius corruptionis, quod Deus graviſſimo interdicto ſuo incluſit: nec bonum originalis innocentiæ, quod abſtinentia hujus fructus cuſtodire debebat. Quæ ſi quis bono obedientiæ & malo inobedientiæ comprehendit, tum jam idem dicit, quod nos dicimus. De *fructu hujus arboris* fruſtra quæri, exiſtamamus, ut & de *arbore vitæ*, qua ſpecie, quibus fructibus ornata fuerit: ſicut ingenue fatetur, curioſus alias in talibus conquirendis *Syrus* ille, quem bis laudavi. De effectu & ratione appellationis teſtatur ipſe Moſes *Geneſ. 3, 22.* quem locum malumus cum cordatis & orthodoxis ſimpliciter accipere, quam curioſe cum aliis interpretari. Utraque arbor videtur id etiam ſingulare habere: *quod ceteræ quidem arbores & plantæ ab ipſo Adamo nomina*

nomina accepisse verisimillime creduntur; has autem ab ipso Deo appellatas, nullum est dubium.

Collocatum esse hominem πρωτόπλαστον in Paradiso, duplici fine, ostendit scriptura: *ut operaretur*, scilicet non servili labore, sed honesta animi voluptate; *& custodiret hortum*, à bestiis nimirum, & ad eum modum quem Deus præscripserat. *Josephus* hæc ita refert: εἰς τοῦτον τὸν κῆπον εἰσαγαγὼν καὶ τὴν γυναῖκα, ἐκέλευσεν τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι. Quod *introductionis in hortum* meminit, recte & ex mente scripturæ facit. sed cur ait, *tam Evam quam Adamum introductos esse?* Adamum quippe solum introductum, Evam autem in Paradiso ex Adami costa conditam, ostendit series Historiæ. Videtur respexisse communem fœminæ cum viro horti curam, adeoque non tam ad Adami introductionem proprie dictam, quam ad utriusque in Paradiso collocationem, retulisse suam expositionem. *Fines* illos antea nominatos generali formula complectitur, τῶν φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι *plantarum curam agere*, quasi illud *operari* & *custodire*, specialibus vocabulis generalem curam indicaret, figura passim obvia. Non erimus jam in eo scrupulosi: quippe cum jam suprà ostenderimus, *Josepho non tam expressionem emphaticam textus originalis, quam comprehensionem historiæ liberiorem esse propositam.* Adjicit autem, ἐκέλευσεν: *jussisse* Deum, ut curam horti agerent. non absurde. *introductio* enim, & *diserta expressio finis*, voluntatem Dei, & quoddam jussionis genus significant.

Pervenimus nunc ad difficillimam *de fluviis Paradisiacis* disputationem. in qua cum verbis Josephi paulatim progredietur investigatio nostra. ἄρδεται δὲ ὁ κῆπος ὑπὸ ἑνὸς ποταμοῦ, πᾶσαν ἐν κύκλῳ τὴν γῆν περιρρέοντος, ὃς εἰς τέσσαρα μέρη σχίζεται. *Irrigatur autem hic hortus ab uno fluvio, omnem in circuitu terram circumfluente; qui in quatuor partes diffinditur. Mosaicus textus* ita habet: ונהר יצא מעדן להשקות את הגן ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים *Et fluvius egrediebatur ex Eden ad irrigandum hortum, & inde dividitur, abitque in quatuor capita.* Egrediebatur ex Edem, ut irrigaret

hortum: hæc locutio non caret difficultate. Si enim Paradisus est pars cultissima Eden, sicut cum *Mose Bar-cepha comment. de Parad. part.* 1. *cap.* 15. & 28. complures statuunt, quomodo nomen totius regionis ponitur, ubi initium ex determinata & peculiari regionis parte arcessendum est? *Salianus* ita se expedire conatur: *Eden & Paradisum esse unum idemque, adeoque id dici, quasi quis ita loqueretur, fons exiliens in platea civitatis, totam rigabat civitatem.* Sed profecto non solvit nodum, qui ita respondet. Equidem si Scriptura diceret בעדן *in Eden oriebatur fluvius*, facilius ejusmodi cogitationes procederent: sed diserte dicitur מעדן *ex Eden.* Quid quod ipse *Salianus* & alii necesse habent ad specialem & determinatum locum recurrere? itaque in exemplo, *platea civitatis:* in præcedentibus *editior aliquis locus Paradisi* designatur. Solida explicatio hujus loci, tam diu, ut arbitror, vix dari poterit, quamdiu de ipsa regione Eden ignorabitur. De ejus enim amplitudine & conditione cum nulla nos monumenta doceant, non video, quid certi de talibus quæstionibus pronuntiari possit. Si aliquis hic esset conjecturis locus, expeditissima fortasse ratio foret, dicere: *Edem neque majus spatium occupasse Paradiso* (quippe cui à plerisque maxima amplitudo tribuitur) *neque æqualem horto amplitudinem habuisse; sed sufficere, ut Paradisi pars & initium in Edem collocetur.* Ita & illa locutio scripturæ constabit, *plantatum esse Paradisum in Eden*; nec difficile erit intelligere, quomodo *fluvius egrediatur ex Edem.* Quod Josephus addit fluvium πᾶσαν ἐν κύκλῳ γῆν περιῤῥεῖν, *omnem circumambire terram:* id sumsit ex *versu 6. cap. 2. Gen. & vapor ascendebat de terra sive fons, irrigans universam superficiem terræ.* quasi utrobique de eodem ageretur. Quam sententiam etiam *Salianus* tuetur, aliique. Sed præterquam quod ibi vocabulum Hebraicum אד rectius de *vapore* accipitur (nam quæ contra adfertur ratiuncula, nihil obtinet) novis insuper difficultatibus caussam præbet, ex quibus nemo se bonis rationibus extricaverit. Quomodo enim illud περιῤῥεῖν πᾶσαν ἐν κύκλῳ γῆν stabit sine de universa terra, sive de Asia tan-

A. E. di 3. n. 69.

tantum capias? Jam, quam distinctis vocibus נהר & אד ibi & hic utitur scriptura? Quantum dissident illa השקות את-כל פני האדמה & השקות את הגן. Quanta scopi utrobique diversitas? Et quis nescit illam versionem vocis איד quam pro fonte vulgatus habuit, potius ex cogitatione interpretis, quam ex natura rei fluxisse?

Illum grandem fluvium in quatuor μέρη sive capita findi, dictum est. Ubi fit illa divisio? Respondent, *extra Paradisum:* id enim velle Hebraicum ומשם quod ad irrigationem horti respicit, quasi Moses diceret: *postquam hortum rigavit, inde diffinditur, & in quatuor fluvios extra Paradisum abit.* Atque hæc simplicissima est sententia: licet in tanta rei obscuritate non sufficiat ad omnia dubia tollenda, sicut postea videbimus. Nonnulli, cum amplecterentur hanc expositionem, & tamen Paradiso totas regiones quas Tigris & Euphrates interfluit, attribuerent, in novas difficultates inciderunt. Multi, & inter eos Josephus, plane præterierunt, istam divisionis designationem. haud dubie, ne tenerentur rationem reddere ejus rei, cujus liquidior notitia post diluvium vix superfuisse videtur. Alii, parum specialia curantes, ita se expediverunt, ut dicerent: *quatuor illos fluvios & ipsum irrigare Paradisum, & post egressum de Paradiso absorberi in terram, & alibi emergentes universum terrarum orbem irrigare.* sicut eorum mentem refert *Adrichomius.* Valde de plano scilicet transigunt, quibus ista sufficere videntur. *Theatr. terr. sanct. Chron. 2. p. 201.*

Primus fluviorum è quatuor *Phison* appellatur. καὶ ὁ μὲν φεισὼν ὀνομαζόμενος, σημαίνει δὲ πληθὺν τὸ ὄνομα, ἐπὶ τὴν Ἰνδικὴν φερόμενος, ἐκδίδωσιν εἰς τὸ πέλαγος, ὑφ' ἑλλήνων γάγγης λεγόμενος. *Atque ex his ille, qui Phison nominatur (significat ea vox multitudinem) in Indiam defertur, atque ita in mare effunditur, Græcis Ganges appellatus.* Hinc sumsit κατὰ πόδα & tanquam interpres *Hieronymus de loc. Hebr. Phison quod interpretatur caterva, fluvius quem nostri Gangen vocant, de Paradiso exiens & pergens ad India regiones, post quas erumpit in pelagus.* Tribuitur autem non tantum huic

copia & abundantia aquarum, sed & ceteris Paradisiacis fluviis apud *Syracid.* 24, 35. verum si Phison est Ganges, quod cum Josepho plerique veteres existimarunt, magnitudo ejus præ cæteris eam notationem meretur. ὅτι μὲν γὰρ μέγιςος γάγγης τῶν μνημονευομένων κατὰ τὰς τρεῖς ἠπείρους, καὶ μετ' αὐτὸν Ἰνδὸς, τρίτος δὲ καὶ τέταρτος ὁ Ἴςρος καὶ ὁ Νεῖλος, ἱκανῶς συμφωνεῖται. *Quod enim Ganges omnium fluviorum, qui in tribus continentibus memorantur, maximus sit, proximus Indus, tertius & quartus Ister & Nilus, satis consentitur,*
25. γεωγραφικῶν. inquit *Strabo.* Deducitur autem פישון à radice פוש quod est *multiplicari, augescere.* Hinc Josephus, πληθὺν vocat, *Scaliger* πλημμύραν. Judæi varia adferunt: vel ita appellari, quia limum פשתן Pischtan ferat, vel quia extendat se super terras & inundet eas irrigetq;, ut ad *Nilum* referatur. De utraque opinione meminit Rabbi *Salomo ad h. l.* ubi etiam disertis verbis ait: *Hunc esse Nilum Ægypti fluvium.*

Est & tertia sententia, quæ Phison pro *Hyphasi* accipit, itidem Indico flumine, quod *Straboni* ubique *Hypanis* dicitur; *Curtio* sine aspiratione *Hypasis.* Adstruit eam sententiam *Philostorgius in epitom. Photiana nuper ab illustri viro Jac. Gothofredo edita, lib. 3. c. 10.* ἔτι δὲ καὶ διότι ὁ νῦν Ὕφασις καλούμενος ποταμὸς (ὃν ἡ γραφὴ φισὼν ὀνομάζει) καὶ αὐτὸς τοῦ παραδείσου ἀναβλύζων τῶν ἐκ ἀρκτώων μᾶλλον τῆς ἀνατολῆς μερῶν, ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν φαίνεται ῥέων, καὶ εἰς τὸν ταύτῃ ὠκεανὸν τὸ ῥεῖθρον εἰσερευγόμενος, ἄντικρυ τῆς νήσου ταπροβάνης. Præcesserat de situ Paradisi, quem Philostorgius κατὰ τὰς ἰσημερίας τῆς ἠοῦς, *ad æquinoctium orientale* collocat, postea inter probationes sequitur: *Ad hæc, & qui nunc Hyphasis vocatur fluvius (quem scriptura Phison nominat) & ipse Paradisum irrigans, ex Arctois magis Orientis partibus meridiem versus fluere videtur, & in Oceanum, qui ibi est, aquas suas condere, è regione insulæ Taprobanæ.* Adfert subinde duo argumenta, sive commenta, quibus stabilire conatur suam opinionem: primo, *quia ad ripas ejus reperiatur caryophyllum, sive fructus sive flos, de quo incolæ credant,* ἐκ τοῦ παραδείσου

δεῖν τοῦτο δένδρον εἶναι ex Paradiso *esse hanc arborem.* Secundo, *si quis valida febre æstuans in id flumen mergatur, eum statim morbo liberari, idque adeo esse* σύμβολον τῆς παρὰ τὸν παράδεισον γινομένης ἐπιμιξίας, *indicium cujusdam ad terram Paradisi commercii.* Quod ut verisimilius fiat, ait, *hunc fluvium sub terra fluere, nullatenus absorptum.* Id quod commune suffugium est eorum, qui fluminum Paradisiacorum origines cursusque investigant. Ceterum de *Gange* plerique maluerunt cum *Josepho* accipere. *Moses Bar-Cepha* itidem de *Indico flumine* sentit, sed nomen ejus corruptum est: existimo tamen *Gangen* reponendum esse. Verba ejus, quibus textum Mosaicum παραφράζει, *comment. de Paradis. part.* 1. *cap.* 21. hæc sunt: *Unus illorum quatuor fluviorum Phison vocatur, qui ubi ab ingenti illo flumine medium perluente Paradisum derivatus est, atque in terram sub Oceani vada se recepit, rursus prosilit, emicat, scaturitq; in occidua mundi regione, unde septentrionalem petens, totam Indorum ditionem alluit (hac enim Havila nomine significatur) ac tandem in Mare desinit. Græce Phison Duobis vocatur. Ferunt autem pleramque hujus fluvii arenam atq; etiam alvei, præstante auro abundare, & gemmis pretiosis: nam vocem Hebræam Bedolah, margaritas significare.* Repetit eadem c. 28. ubi *Diiabis* legit. credo utrobique substituendum *Gangen.*

Regio *Hevilah* à plerisque, ut hactenus vidimus, cum Josepho de *India* accipitur; alii tamen de *Arabia* senserunt. præter *aurum*, Moses adjungit duo χρήματα, *primo* quidem הבדולח, *deinde* אבן השהם. quæ varie explicantur. vulgatus, *Bedolah* reddidit *bdellium*, eamque sententiam fuse confirmat *Clar. Salmasius exercit. Plin.* siquidem bdellium de lacrima arboris translucida, pingui, æqualiter cerea, quæque facilè molliatur, ut *Isidorus* describit, accipiatur: de *lapide* enim non dici, maleque huc Prisciani autoritatem trahi. esseque hoc ipsum quod Lusitani *Anime* vocant. Equidem juvatur non parum hæc interpretatio, ex ipsius vocis convenientia. Haud

part. 2. pag. 1149. & seq.

dubie enim ex Hebraico *Bedolah*, facta est *Bedella*, quam *Isidorus* vocat, sive absorpto scheva βδέλλα: unde diminutivum *Bedellium*, quod in antiquis *Plauti* codicibus apparet, & βδέλλιον. אבן שהם vulgatus reddit *lapidem Onychinum*. *Hieronymus*, qui בדלח pro carbunculo habuit, אבן שהם *lapidem prasinum* vertit, planè ut LXX. apud quos ὁ λίθος πράσινος. *Chaldæo est* בורלא *beryllus*, sicut alias etiam Hebraicum שהם exprimit. De *gemma Onyche* (nam & marmor notat) plerisque placuit. *Moses Bar-cepha* fluctuat, & ad latam explicationem confugit. *Hebræum Bedolah* (inquit cap. 28. lib. prædict.) *gemmas vocat: beryllos verò lapides pretiosos. Alii* bedolah *candidos uniones significare existimant*; Beryllos *verò, sardos, topazios, & ceteras id genus gemmas.*

Εὐφράτης δὲ καὶ τίγρης ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν ἄπεισιν θάλασσαν. καλεῖται δὲ ὁ μὲν εὐφράτης φορὰ, σημαίνει δὲ ἤτοι σκεδασμὸν, ἢ ἄνθος. τίγρης δὲ, διγλὰθ, ἐξ οὗ φράζεται τὸ μετὰ στενότητος ὀξύ. *Euphrates autem & Tigris in rubrum mare exeunt: & vocatur ille quidem Phora, quod significat dispersionem aut florem; Tigris autem Diglath, quo angustia & velocitas indicatur.* Ita pertexit Josephus de Tigride & Euphrate; quos cum Scriptura tertio & quarto loco ponat, ipse secundo præponit, atque inter primum & secundum medios interserit. Etiam ipsos inter se transponit. Tigris enim apud Mosen ante Euphratem ponitur. Euphrates פרת indigitatur, celebre & notum flumen, quod ob celebritatem suam aliquando à Thargumistis generali voce נהר, sive per fluminis nomen absolutè notatur. Quod ait Euphratem vocari φορὰν, probabiliter corrigit *Salianus* χολ. 12. ad D. tert. n. 17. & mutat in φρὰθ. Voluit enim Josephus Hebræum nomen exprimere. originationem ejus à diversis radicibus accersivisse videtur; primò quidem à פרש, quod est spargere, hinc σκεδασμὸν interpretatur; sive etiam à פרת, quod est rumpere, unde propriè petenda est fluvii etymologia; deinde à פרח quod efflorescere;

rescere ; hinc τῦ ἄιθει sumsit explicationem. Quæ diversitas non adeo miranda est, cum satis constet, inde à longa vetustate, rationem etymologiarum etiam inter doctos sæpe conjecturis potius quam scientia, inventis cujusque quam regulis stetisse. Quam ego rem inter argumenta & effecta pœnalis linguarum confusionis, numerare soleo. Eandem cum Josepho diversitatem in animo videtur habuisse *R. Salomo* in illa glossa: פרת שמימין פרין ודבין. Tigrim *Diglath* vocat Noster, sicut & Chaldæus Paraphrastes, cujus vocis notationem vid. ap. *Mos. Bar-Ceph.* 1, 28. Hæbraicum est חדקל, cujus etymologiam hanc ex compositione nominis adfert *R. Salomo* שמימיו חדין וקלין *cujus aquæ sunt pernices & veloces. Nec enim alius fluvius ad Orientis plagam* (loquar cum *Curtio* 4, 9, 16.) *tam violentus invehitur; multorum torrentium non aquas solum, sed etiam saxa secum trahens, itaque à celeritate qua defluit, Tigri nomen est inditum: quia Persica lingua Tigrim sagittam appellant.* Josephus τὸ ὀξὺ & στενότητα, conjunxit φυσιολογήσας, *quippe angustis ripis coërcita flumina, & in angustiorem alveum elisa torrentes aquas invehunt: contra spatio alvei segnior cursus est*, ut rursum est apud *Curtium* 9, 2, 17. Nomen *Diglath* apud *Plinium* etiam comparet 6, 26. *Ipsius, qua tardior fluit*, Diglito, *unde concitatur, à celeritate* Tigris *incipit vocari.*

Hic locus eo notabilior censendus est, quod eam observationem haud parum juvat, quam *Salmasius in exercitat. Plinianis* prolixè exequitur: *Multos auctorum ponere fontem Tigridis non ubi nascitur primum, sed ubi hoc nomen adipiscitur*, quod & in Euphrate factum. Hinc illa discrepantia de ortu utriusque fluminis. Laudat inter alia *Salmasius veterem auctorem ἀνέκδοτον, de quatuor fluminibus Paradisi*, qui tradat *Tigrim & Euphratem à fontibus suis protinus mersos sub terra fluere, & in Tauro monte utrumque erumpere & apparere.* Scilicet inde factum est, ut ibi fontes collocarentur fluminum, ubi existe- p. 693.

existebant iterum. *Philostorgius Hist. Eccles.* 3, 10. ὁ δὲ τίγρης καὶ Εὐφράτης καταδύεται καὶ πάλιν ἀνίσχουσιν &c. *Tigris & Euphrates terram subeunt rursumq; emergunt*, ubi vide *Dissert. Gothofredianam. Moses Bar-Cepha comment. de Parad. part.* 1. *cap.* 2. *&* 28. tradit, non hæc duo tantum flumina, *sed omnia illa quatuor, cum egressa sunt è Paradiso, præcipitari sub Oceani vada, indeque tandem in adversis terris erumpere.* Quem res ipsa facilè arguit. Exitum utriusque fluminis deducit Josephus *in mare rubrum*, εὐφράτης δὲ καὶ τίγρης εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἄπεισιν θάλασσαν. Ita *Curtius* 5, 1. 15; cum utriusque cursum accuratè descripsisset, adjicit: *Iidem per Babyloniorum fines in rubrum mare prorumpunt.* Neque dissentiunt, qui in Persicum sinum exonerari dicunt: cum & ille in mare rubrum tendat. Nonnulli, Tigrin & Euphratem pro præcipuis fluminibus Paradisiacis habent, eorumque duo brachia à Mose Phison & Gehon appellari credunt.

De *quarto fluvio Gehone*, qui Mosi secundus est, ita expedit Josephus: Γεὼν δὲ δι' αὐτῆς αἰγύπτου ῥέει. δηλοῖ δὲ τὸν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον ἡμῖν, ὃν δὴ νεῖλον ἕλληνες προσαγορεύουσιν. *Gehon autem per ipsam Ægyptum fluit: significatq;, ab oriente nobis exorientem, quem Græci Nilum appellant.* Etymologiam Josephi carpit & in suspicionem trahit *Salianus* σχολ. *ad D. tert.* quasi ab Ἕως aut Ἠὼς deduxisset. Quid opus erat id suspicari, & cui verisimile videri potest, hominem Judæum in antiquissimo vocabulo ad Græcam originem confugere? Haud dubiè cum ceteris, & ex reipsa, deduxit à גוח quod est *emergere, erumpere, exoriri*, id ut explicaret, glossam addidit: ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς. Nihil certius. Nilum indicari, per hunc fluvium, plerique consensere: quamvis multis dubium movit, quod Moses ait, *circumire eum totam terram Æthiopiæ.* Possis dicere: illud *circumire*, nimis strictè accipiendum non esse: sed ita sicut diligentissimus
lib. 17. Geographorum *Strabo* de Nilo explicat. *Nilus*, inquit, *Ægypto*

Ægypto & contiguæ regioni, & Æthiopiæ, quæ supra est, præstat communia, ut quod suis incrementis eas rigat, & solam hanc partem habitabilem reddit, quæ ejus exundationibus tegitur; quidquid editius est, & fluento ipsius sublimius, id ab utraque parte desertum, & ob aquæ penuriam cultoribus vacuum transit. Ceterum neque totam Æthiopiam Nilus permeat, nec in rectum, nec solus, nec bene habitatam; οὔτε παρὰ διέξεισιν, οὔτε μόνος, οὔτ' ἐπ' εὐθείας, οὔτ' οἰκουμένην καλῶς: *Ægyptum vero & solus & totam, & in rectum, à minore cataracte supra Syenen & Elephantinam incipiens qui sunt Ægypti & Æthiopiæ fines, usque ad Nili ostia in mare exeuntis.* Et *Ammianus Marcellinus lib. 22. cap. 36. Æthiopiæ partes prætermeat Nilus.* Sed, si accipienda aliquis putet, quæ de brachiis Tigris & Euphratis dicta sunt, hæc quidem difficultas vitabitur; si modo ceteræ non augebuntur.

In quarta propositæ περικοπῆς parte hæc sequuntur. ὁ δὲ θεὸς τὸν ἄδαμον καὶ τὴν γυναῖκα τῶν μὲν ἄλλων φυτῶν ἐκέλευσε γεύεσθαι, τοῦ δὲ τῆς φρονήσεως ἀπέχεσθαι, προειπὼν, ἁψαμένοις ἀπ' αὐτοῦ, ὄλεθρον γενησόμενον. *Porro Deus Adamum & uxorem de ceteris quidem plantis gustare, arbore autem scientiæ abstinere jussit, prædicens ipsis, quandocunque eam attigissent, exitium ipsis superventurum.* Disputatur alias, an Hebraicum האדם *in v. 16. c. 2. Gen. proprie* de Adamo, an *communiter* de homine i. e. de Protoplastis Adamo & Eva accipi debeat. *Josephus* posteriori modo accepit: sicut & septuaginta interpretes, licet dixissent, ἐνετείλατο τῷ Ἀδὰμ, subjunxerunt: οὐ φάγεσθε. quæ sententia facile se tuetur, & prolixe confirmatur à *Saliano.* neque opus est ad ea confugere circa quæ *Ambrosius* laborat *lib. de Paradiso cap. 5.* Quæritur deinde, an præceptum proprie ita dictum, tam ad ceteros arborum fructus gustandos, quam ad arborem scientiæ non attingendam spectet. Moses enim ἀπὸ κοινοῦ suum illud ויצו adhibet, quem Josephus κατὰ πόδα hic sequitur. Verum neque Hebraica neque Græca vox tam præcisæ significationis est, ut in eam sententiam nos adigat. Quinimo in quavis lingua frequens est, ut connexio membrorum ab ejusmodi vocabulo pendeat, quod φράσεως οἰκειότητι quidem uni tantum convenit, sensum autem ad plura sustinet. Comminatio divi-

na *ἀναδιπλώσει ἐμφατικῇ* proposita in sacris, & ad mortem relata, generaliter tangitur à *Josepho*, exitium pro morte, ponente. Ego hoc quoque inter ea pono, quæ cum profunde & emphatice in sacris dicantur, à Josepho non penetrantur, qui ob id generalibus locutionibus sibi cavere solet. qualia infra passim occurrent. Sed de re quidem ipsa, in sequentibus amplius agendi locus erit.

IN superioribus, quædam de Paradisiacis fluminibus, *ad mentem ac opinionem Veterum Interpretum, & Josephi Nostri expositionem*, annotavimus. Quid recentiores ea de re sentiant, quamque à veteribus in diversum abeant, merito in alias occasiones distulimus, cum præsertim res tota sit conjecturæ: in qua cuique facilius fuit aliorum sententias confutare, quam suas satis confirmare. Quare nec nunc arbitramur cunctandum, quin statim ad sequentia in Josepho progrediamur.

Sequitur autem *Historia Lapsus Protoplastorum*, è *cap.* 3. *Geneseos*. In qua describenda, si ullibi, vere monstravit *Josephus*, quam non effugerit nugas Judæorum & futilitatem, res gravissimas in somnia & aniles fabulas corrumpentium. Quod ut clarius æstimetur, totam ejus orationem, sicut hactenus consuevimus, singillatim examinabimus: si prius animadverterimus, *quacunque de Serpente in Sacris invenerat, ea illum omnia de nudo & naturali serpente, citra ullum Diaboli Serpente abutentis respectum, ita accipere, ut multa interim Serpentis natura, veluti ὑποθέσεως χάριν affingat, quæ & falsitate & absurditate pracipua sunt.* Sicut in progressu amplius apparebit.

Primo omnium *occasionem lapsus*, *μάλα μυθολογουμένως*, veluti per ambages otiosæ conjectationis orditur, *cui tanquam fundamento tentationem & seductionem* superstruit: ὁμοφρονούντων δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τῶν ζώων ἁπάντων, ὄφις συνδιαιτώμενος τῷ τε Ἀδάμῳ καὶ τῇ γυναικὶ, φθονερῶς μὲν εἶχεν, ἐφ᾽ οἷς αὐτοὺς εὐδαιμονήσειν ᾤετο, πεπεισμένους τοῖς τοῦ θεοῦ παραγγέλμασιν. οἰόμενος δὲ συμφορᾷ περιπεσεῖσθαι παρακούσαντας, ἀναπείθει κακοήθως τὴν γυναῖκα γεύσασθαι τοῦ φυτοῦ τῆς φρονήσεως, ἐν αὐτῷ λέγων εἶναι τὴν

τε τοῦ

τι τῦ κακῦ διάγνωσιν, ὃ γινόμενον αὐτοῖς, μακάριον κὴ μηδὲν ἀπολείποντα τῦ θείυ διάξειν βίον. Pacem & concordiam agitabant per id tempus cuncta inter se animalia; cum Serpens, propioris cum Adamo & muliere commercii occasione, invidere eis cœpit: cumque animadverteret, observatis Dei præceptis perpetuo felices; contra autem transgressione eorum, exitio obnoxios fore; maligne persuadet mulieri, ut gustaret de arbore scientiæ, dictitans: in illa esse boni & mali discretionem; ex illa si gustarent, beatam adeoque divinam vitam acturos.

Qualis illa animalium inter se & cum homine concordia, quæ Serpentis cum homine συνδιαίτησις atque familiaritas? Non plus hic vidit Josephus, quam gentiles, qui talia de Saturni sui temporibus μυθολογῦσιν: occasione quidem Paradisiacæ felicitatis, cujus ad ipsos fama dimanaverat, sed in magna opinionis nube singula fingentes. Prorsus tale est, quod *Plato* tradit in Politico & ex eo refert. *Euseb. P. E.* 12, 14. *εἰ μὲν τοίνυν οἱ τρόφιμοι τῦ Κρόνυ, παρέσης αὐτοῖς ὕτω πολλῆς χολῆς, κὴ δυνάμεως πρὸς τὸ μὴ μόνον ἀνθρώποις ἀλλὰ καὶ θηρίοις διὰ λόγων δύνασθαι συγγίγνεσθαι, κατεχρῶντο τύτοις σύμπασιν ἐπὶ φιλοσοφίαν μετά τε θηρίων κὴ μετ' ἀλλήλων ὁμιλῦντες, κὴ πυνθανόμενοι παρὰ πάσης φύσεως, εἴ τινά τις ἰδίαν δύναμιν ἔχυσα ᾔσθετό τι διάφορον τῶν ἄλλων εἰς συναγυρμὸν φρονήσεως, εὔκριτον, ὅτι τῶν νῦν οἱ τότε μυρίῳ πρὸς εὐδαιμονίαν διέφερον. Si alumni Saturni summo in otio, summaque non cum hominibus modo, sed etiam cum bestiis familiari sermone agendi potestate, iis omnibus ad Philosophiæ studium utebantur, tam inter se mutuo, quam cum bestiis ipsis versando; & ab unaquaque natura sciscitando, num quid diversum ab aliis vi quadam singulari propriaque sentiret, ut hoc pacto suam quandam à quibusque prudentiæ stipem acciperent: liquet omnino, ætatis illius homines infinitis ad beate vivendum præsidiis nostros superasse.* Et de concordia animalium præcesserat: *καὶ δὴ τὰ ζῶα κατὰ γένη καὶ ἀγέλας οἷον νομεῖς θεῖοι διειλήφεσαν δαίμονες, αὐτάρκης εἰς πάντα ἕκαστος ἑκάστοις ὢν οἷς αὐτὸς ἔνεμεν. ὡς τε ὔτ' ἄγριον ἦν ὐδὲν, ὔτε ἀλλήλων ἐδωδαί. πόλεμός τε ὐκ ἐνῆν, ὐδὲ στάσις τοπαράπαν. Animalium quoque genera gregatim distincta, dæmones quidam, tanquam divini pastores, sortiti sunt: quorum quisque muneri suo*

 obeundo

obeundo quum satis valeret, singuli singulis, sicut ille (Deus) *voluit, praeficiebantur, quibus praerat ipse. Quocirca nihil erat ferum, neque aliae alias vorabant animantes: aberat bellum penitus atque seditio.*

Nimirum videbat Josephus, Serpenti *astutiam tribui, & sermonem*, ex quo ille & *rationem* colligebat: videbat, Serpenti pœnam irrogari postea: unde de facinore Serpentis colligens, talem ejus naturam fabricatus est, qualem seductio hæc videbatur postulare. Hinc est, quod *invidiam* Serpenti tribuit erga hominum felicitatem: & *consilia invidiae doloque*, sicut in adductis verbis patuit. Et sane difficultates istæ multis in extrema utrinque exerrandi occasio fuere. Dum *nonnulli* cum Josepho, *de nudo Serpente* omnia accipiunt, quæ Scriptura *sub nomine organi de auctore seductionis Diabolo* refert; *nonnulli* meras allegorias, organo veri Serpentis plane excluso, sectantur, & de solo Diabolo ejusque suggestionibus interpretantur, neque ii tamen uno eodemque modo sentiunt. *Quidam* enim transformatum in Serpentis speciem Diabolum ista molitum esse: *alii*, per externæ speciei vocabula, internas suggestiones notari, crediderunt; atque hi adeo utrique Serpentis vocabulo Diabolum ubique intelligunt, hunc sub titulo Serpentis maledictum punitumque esse statuentes. *Philo Judaeus* more suo in Platonicam allegoriarum subtilitatem hic quoque delapsus, de *voluptate* maluit explicare Serpentem. *Ephraemus* apud *Mosen Bar-Cepha comment. de Paradis. part. 1. cap. 27.* inter hæc ancipitia medium iter quæsivit, nec invenit. *Satanam*, ait, *à Deo petivisse, ut Serpenti sermonis facultatem concederet ad tentandum Adamum, sicut opes Jobi quoque sibi permitti postulavit, quò de ejus patientia faceret periculum. Ex quo consequitur, ita illi corporeo Serpenti sermonis usum fuisse datum, ut Asinae Bileam: imo vero non solam elocutionem, verum etiam intellectum illi Serpenti inditum fuisse affirmat Ephram, cum Deus ipsum ut intelligentem sit affatus, his maledictis perstringens: pulverem edes & super ventrem tuum ambulabis.* Hactenus *Moses Bar-cepha* de sententia *Ephrami*. Sed quis non videt, difficultatibus novis involui rem potius, quam prioribus expediri. valde animo-

animoſe utatur cogitationibus ſuis neceſſe eſt, qui ſeductionis cauſſa ab ipſo Deo conceſſam animali bruto orationem & rationem, i. e. ex irrationali rationale factum animal, opinari poteſt. Et quam levis illa ratiuncula, de ſermone Dei ad Serpentem. Qua de re poſtea, ſuo loco, aliquid dicetur. Quod de *aſina Bileami* adfertur, ita demum locum habebit, ſi dicatur, Deum Diabolo permiſiſſe, ut vocem formaret in Serpente, & ex Serpente loqueretur; ſicut in ore aſinæ Angelus Dei formavit vocem & articulata verba, quibus herum ſuum argueret, non autem, quaſi vel Serpenti vel aſinæ propterea ratio aut facultas loquendi data eſſet.

Adeo eſt periculoſum conjecturis, extra Scripturæ litteram indulgere. Quod in rebus Paradiſiacis plerique tamen nimis animoſe fecerunt. Quis non miretur, ſummum virum, & graviſſimum alias Theologum *Baſilium Magnum* in ſermone de Paradiſo, eo uſque provehi, ut animantium quoque brutorum vocem intelligi potuiſſe opinaretur, celebrans inter alia ϗ ζώων ποικίλων θεάματα, πάντων ἡμέρων, πάντων ὁμονοούντων ἀλλήλοις ϗ ἀκουόντων ϗ φθεγγομένων ἐυσύνετα; *variorum ſpectacula animalium, quæ omnia manſueta erant, omnia invicem familiaria, quæque audirent & ſonarent talia, quæ intelligi poſſent.* Dignior Judæis quam Chriſtianis eſt illa de Serpente ſeductionis organo ſententia, qua nonnulli ex ipſis ſtatuunt, *Evam ſibilum Serpentis intellexiſſe, ſicut & aliorum animantium linguas intellexerit.* vide *Paul. Fag. exegeſ.* Quale quid fabulator *Philoſtratus* de impuriſſimo mago Apollonio Tyaneo refert: καὶ ἐς ξύνεσιν δὲ τῆς τῶν ζώων φωνῆς ἦλθε; *pervenit ad eam ſcientiam, ut brutorum voces intelligeret.* cujus traditionis vanitatem pro merito explodit *Euſebius contra Hieroclem, confutatione libri primi.*

Sed non debemus prætervehi occaſionem erroris, quo Joſephus, totam ſeductionis machinationem Serpenti, inter alia ideo tribuit, quia Moſes Serpenti calliditatem præ ceteris animantibus præcipuam adſcribit. Verum id quidem *pro modo animalis bruti & conſuetudine loquendi*, de ſagacitate quadam naturæ brutæ, citra rationis aut affectus *Gen. 3. 1.*

 veri

veri usum, accipi debuisse, poterant Josepho facile tot exempla Scripturæ persuadere. Neque etiam opus erat, Hebraicum ערום de *malitiosa calliditate* interpretari. quod tamen *Aquila* etiam atque *Theodotion* fecere, πανοῦργον vertentes, id est, explicante *Hieronymo*, *versipellem & nequam.* Haud dubie enim bona fuit naturalis illa sollertiæ, ut sic dicam, in Serpente facultas: & vocem ערום in bonam partem, ac de prudentia etiam usurpari, vel ex *Proverb.* 12, 23. & 13, 17. clarum est. Quare rectissime hic LXX. per φρονιμώτατον reddidere. ut prorsus frustra sit *Moses Bar-cepha*, cum quæstionem movet: *cur Moses Serpentem scripserit astutiorem fuisse bestiis agri; non autem prudentiorem?* & respondet: *prudentiam virtuti affinem esse, astum vero vitiis.* An ad calliditatem Serpentis probandam pertineat *locus difficilis* Ψ. 58, 5. qui à plerisque interpretibus adfertur, hac occasione disputari posset, nisi destinatum nobis esset, à digressionibus remotioribus abstinere. Videatur interim *G. I. Vossii Physiolog. Christ.* 1, 8.

cap. 27. extremo comment. de Parad. part. 1.

Ceterum de ipsa serie tentationis & colloquii expedienda non solicitus est *Josephus*, sed cum malitiam Serpentis & propositum seductionis indicasset, mox argumenta persuadentia ponit: *primo* quidem, *quia in ea arbore sit scientia & discretio boni & mali*; *deinde*, *quia beatitudo divinæ similis esu fructus vetiti comparari possit.* *Similitudinem divinitatis*, quam textus Sacri εἱρμὸς præcipue ad scientiam boni & mali refert, sive ad scientiam, qualem Deus habet; extendit *Josephus* ad totius vitæ beatitudinem & felicitatem. nam id est, μακάριος καὶ μηδὲν ἀπολείπων τοῦ θεοῦ βίος, quem serpens pollicetur Protoplastis. Rectiori quidem pedi incedit hic, quam Judæorum ceteri: è quibus *Abenezra* illud Hebraicum כאלהים exponit כמלאכים *sicut Angeli*; *Rabbi Salomo* יצרי עולמים *conditores seculorum.* Chaldæus: כרברבין *sicut Proceres aut Principes.* Cordatissime videntur sentire, qui ex *v.* 22. *cap.* 3. i. e. εἰρωνείᾳ Dei, ad hæc Diaboli verba haud dubie alludente, explicationem petunt, de vero sc. Deo, sicut & *Lutherus Noster* reddidit. LXX, qui verterunt, ὡς θεοὶ, non videntur, *Deum* intellexisse: quippe concedatur

datur hactenus *Drusio* sua notatio; *Nomen Elohim, quando verum Deum notat, etiam cum essentialiter sumitur, semper converti, ὁ θεός.* nisi quis malit opinari, τοὺς LXX respexisse ad ipsos Protoplastos, in verbis, *eritis sicut Dii, quasi quis diceret, Dii eritis, tanquam Dii eritis.* Qualia ferme ad h. l. excogitat *Rivetus*, nisi quod Protoplastos cum vero Deo conjungit. Verum mihi longe potius videtur, relictis omnibus interpretibus, S. textui simplici & directa, ut innui, interpretatione insistere.

in comment. ad loc. Gen. diffic.

exercitat. 32.

Pergit *Noster*: *καὶ παρευκρέσται μὲν οὕτω γυναῖκα τῆς ἐντολῆς τοῦ θεοῦ καταφρονῆσαι. γευσαμένη δὲ τοῦ φυτοῦ, καὶ ἡσθεῖσα τῷ ἐδέσματι, καὶ τὸν Ἄδαμον ἀνέπεισεν αὐτῷ χρήσασθαι. Atque hoc quidem pacto subvertit mulierem* (Serpens) *ut praeceptum Dei negligeret. quae cum gustasset de arbore, delectata cibo, etiam Adamo persuasit, ut eo uteretur.* Summam historiæ iterum stringit, gradusque tentationis & delicti notanter à Mose expressos, parum curat. Quod ait, *delectatam cibo*, id Scriptura ad aspectum refert ותרא האשה כי טוב העץ למאכל *& vidit mulier, quod bonũ esset ad vescendum* (להיות כאלהים addit παραφραστικῶς *R. Salomo*) וכי תאוה הוא לעינים *& quod dicit oculis esset delectabile* (כמו שאמר לה ונפקחו עיניכם) ונחמד העץ להשכיל *& desiderabile lignum ad faciendum sapientes*, כמו שאמר לה יודעי טוב ורע inquit rursũ *R. Salomo*, qui ex hoc posteriore mẽbro haud dubie priorum παράφρασιν sumsit, omniaque ad ratiocinationem Evæ jam labantis retulit, quasi Scriptura, ad singula Serpentis verba respiciendo, hoc vellet: *Evæ bonum esse visum lignum ad vescendum, dum de adipiscenda divinitate cogitaret ex eo, quod dictum erat à Serpente, eritis sicut Dii; visum item oculis delectabile, dum apertionem oculorum à Serpente promissam animo volueret; denique, visum esse desiderabile ad faciendum sapientes, quia dictum erat à Serpente, eritis scientes bonum & malum.* Non absurda cogitatio. Sed quanto magis à simplicitate textus S. recedit, tanto minus vim ejus directam exhaurit. Revera enim hoc dicit Scriptura, Evam *triplici cupiditate motam esse, quod esui gratam, oblectamento oculorum convenientem, & ad prudentiam acquirendam plane existimaret idoneam* arborem, ut melius παραφράζει *Pelargus.*

In

In sequentibus plane & multifariam aberrat *Josephus.* καὶ συνίεσαν ἑαυτῶν, ἤδη γεγυμνωμένων· καὶ σκέπην ἑαυτοῖς ἐπενόουν. τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητος καὶ διανοίας ὑπῆρχεν. φύλλοις οὖν αὐτοὺς συκῆς ἐσκέπασαν· καὶ ταῦτα τῆς αἰδοῦς προβαλλόμενοι, μᾶλλον ἐδόκουν εὐδαιμονεῖν, ὡς ἂν πρότερον ἐσπάνιζον εὑρόντες. *Atque tum intellexerunt, quod adhuc essent nudi, & prospexerunt sibi de tegumento. Habebat enim arbor acumen in se & vim cogitandi. foliis igitur ficus convelarunt sese; eaque pudendis prætexentes, feliciores sibi jam videbantur, quippe qui invenissent aliquid, quo prius carebant.* Nihil hic de *apertione oculorum*, nihil de *nuditate* intellexit: unde factum est, ut nec de *arbore* aliquid intelligeret, cui manifesta absurditate attribuit *vim conferendæ intelligentiæ.* *Salianus* etiam majoris errati arcessit Josephum, inquiens: *Non contentus Josephus facere Serpentem rationis compotem, etiam arbori acumen & mentem videtur attribuere. in quo longius etiam aberravit, quam qui dixerunt, arborem vim habuisse ad faciendum intelligere.* Sed norunt periti linguæ, nulla nos necessitate adigi, ut Josephum ita interpretemur. Quidni enim *effective*, ut loquuntur Scholæ, non *subjective* illam ὀξύτητα & διάνοιαν in arbore accipiamus? Certe hoc adeo non repugnat τῇ φράσει, ut nihil usitatius sit, quam ita loqui. Sicut nec Latina *Gelenii* versio alium sensum obtrudit: *arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat.* Certe ne dubitaverim quidem, interpretem de virtute arboris vim intelligendi acuente accepisse & reddidisse.

A. E. tom. 1. d. m. 13. n. 27. ex. 7.

Quod Scriptura nude dicit, *Evam dedisse viro, qui comedit*, *Josephus* interpretando supplet, ἀνέπεισε τὸν Ἄδαμον αὐτῷ χρήσασθαι. Non male. Hinc *Moses Bar-cepha comment. de Parad.* quæstionem movet: *Existimandumne est hic, mulierem simpliciter viro porrexisse, virum vero edisse, cum neque illa verbum ullum ad illum faceret, neque ille rursus apud illam de eo cibo disquireret?* & respondet: *sane nos censemus, & virum de cibo disquisivisse, & mulierem ipsi tum ea verba retulisse, quæ serpens dæmon sibi dixerat, tum alia præterea ex suo ingenio adjecisse, quæ ad persuadendum Adamum facere putaret.* id quod in sequentibus fusius demonstrat. Unde & *Augustinus*: *dedit viro suo secum, fortassis etiam cum verbo suasorio, quod scriptura tacens intelligen-*

part. 1 cap. 28.

telligendum reliquit. an fortaſſe non ſuaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non eſſe cernebat. 11. *de Gen. ad lit.* 30.

Illud autem plane negligentis animi παρόραμα eſt, quod ex textu Sacro non intellexit *Joſephus*, apertionem illam oculorum, quæ fructus vetiti comeſtionem conſecuta eſt, cum pudore, verecundia, confuſione conjunctam; ſed & ſuccinctoria illa ficulnea nihil aliud quam triſtia turpitudinis animadverſæ velamenta fuiſſe. de quibus ille diſſerit, *tanquam in parte novæ & tum primum eſu fructus vetiti adeptæ felicitatis habuiſſent Protoplaſti, inventionem tegumenti quo ante carebant.* μᾶλλον ἐδόκυν εὐδαιμονεῖν, ὡς ἂν πρότερον ἐσπάνιζον εὑρόντες, inquit. Quaſi nimirum eveniſſent quæ Serpens prædixerat. Qualem opinionem refellit etiam *Moſes Bar-cepha loco ante memorato: Sunt qui temere atque etiam impudenter dicant, jam nunc evenire, quod Serpens h. e. Satanas fore prædixerat, nempe ſi Adam Evaque ederent de illa arbore, apertum iri ipſorum oculos: id enim hic narrat Moſes, poſt guſtatum cibum vetitum ipſis accidiſſe. Verum nos reſpondemus, aliter Moſen, aliter Serpentem de aperiendis oculis eſſe locutos. Serpens enim volebat oculorum apertura ſignificare, futurum ut acri atque perſpicaci eſſent ingenio, bonumque ac malum perinde ac dii poſſent dignoſcere: at Moſes apertis oculis nihil aliud vult, quam ſuæ ipſos nuditatis conſcios ſibi factos, h. e. pudore verecundiaque affectos.* Explicat amplius & *Ille* in ſequentibus, & *Auguſtinus*; cujus 14. *de C. D.* 18. hæc leguntur verba: *Aperti ſunt oculi amborum non ad videndum, nam & antea videbant; ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum, in quod ceciderant. unde & ipſum lignum eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali.*

Et de tegumentis mox: *Proinde confuſi inobedientia carnis ſuæ, conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi campeſtria, id eſt, ſuccinctoria genitalium. Nam quidam interpretes ſuccinctoria poſuerunt. Porro autem campeſtria Latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum, quod juvenes qui nudi exercebant in campo, pudenda operiebant: unde qui ita ſuccincti ſunt, campeſtratos vulgus appel-*

lat. Quod itaque adversus damnatam culpa inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia pudenter tegebat. Congruit in eo Josephus, quod חגרת περιςράζει: φύλλοις ὖν αὐτὸς συκῆς ἐσκέπασαν, καὶ ταῦτα τῆς αἰδῦς προβαλλόμενοι, &c. Planè ut Græcum περιζώματα, qua voce LXX & Vulgatus usi sunt, *Suidas* circumloquitur: τό ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα. Quod autem ex ficulneis περιζώμασι *Gennadius, Theodoretus, Hugo de S. Victore* aliique colligunt, *vetitam arborem ficum fuisse*, fundamento idoneo caret, neque pauca sunt, quæ illam conjecturam minime patiuntur esse verisimilem. *vid. Salianum.*

A. E d 3. n. 54. & seq.

Cum ad judicium Dei, primo citantis, mox accusantis, inde Sententiam pronunciantis progreditur *Noster, traditiones quasdam suorum* sequitur: adeo ille quidem secure, ut perspicuam seriem Mosaicæ narrationis fere obliviscatur ac involvat. Inquit enim: τοῦ θεοῦ δ' εἰς τὸν κῆπον ἐλθόντος, ὁ μὲν Ἄδαμος πρότερον εἰς ὁμιλίαν αὐτῷ φοιτῶν, συνειδὼς αὐτῷ τὴν ἀδικίαν, ὑπεχώρει. τὸν δὲ θεὸν ἐξένιζεν τὸ πραττόμενον, καὶ τὴν αἰτίαν ἐπυνθάνετο, δι' ἣν πρότερον ἡδόμενος τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίᾳ νῦν φεύγει ταύτην καὶ περιΐσταται. τοῦ δὲ, μηδὲν φθεγγομένου, διὰ τὸ συγγινώσκειν αὐτῷ παραβάντι τὴν τοῦ θεοῦ ἐντολὴν καὶ πρόσταξιν· ἀλλ' ἐμοὶ μὲν εἶπεν ὁ θεὸς ἔγνωστο περὶ ὑμῶν. κτλ. *Cum autem Deus in hortum veniret, Adamus prius conversari cum eo suetus, sed nunc peccati sibi conscius, secedebat. Admiratus eam rem Deus, caussam interrogavit, ob quam consuetudine sua antea gavisus, nunc eam refugeret? Illo autem nihil quidquam respondente, eo quod sibi conscius esset violati divini præcepti, infit Deus: Mihi vero de vobis visum decretumque erat*, & quæ sequuntur. Notamus 1. satis incommode & minus θεοπρεπῶς illa exponi de Deo mirante, quod Adamus refugeret suam consuetudinem. nisi quod tamen ad figuram confugere possunt, qui Josephum mallent tueri. Sicut in textu ipso sacro more humano introducitur Deus quærens ubi Adam esset, non quod nesciret, sed *quod tales interrogationes, suas caussas habent*, ut *Syrus* ille loquitur. 2. Sumserit ergo istud de admiratione, & interrogatione Dei, sicut ipse format, quasi ex emphasi & paraphrasi formulæ Mosaicæ: *Adam ubi es?* quasi & admiratio

miratio ἐλεγκτικὴ fugæ, & exprobratio ſubitæ occultationis & pudendæ nuditatis contineretur. 3. Quod ait, *Adamũ nihil reſpondiſſe*, non congruit veritati Hiſtoriæ ; reſpondit enim, *Vocem tuam audivi in horto, quia nudus ego, & abſcondi me.* Licet enim excipi poſſit. Adamũ nihil reſpondiſſe, i. e. non directè & ſatis reſpondiſſe; tamen illam interpretationis ſubtilitatẽ parum recipere videtur phraſis, qua uſus eſt, μηδὲν φθέγγεσθ. 4. Etiã iſtud, quod dicit Adamũ antea conſuetudine Dei gaviſum, ſpecialiorem verborum ὑπόθεσιν præfert, quam ut illuc tantum ſpectet, quo in hac hiſtoria tendit *Moſes Barcepha*, de appraitione Dei Adamo antea facta, *primo cum eum conderet ; deinde cum legem de arbore daret ; tertio cum Evam ei collocaret.* videtur enim *Joſephus* ex traditione potius communi hoc velle, Deum ante lapſum hominis ſæpius cum eo locutum converſatumque eſſe. unde etiam *Salianus* ad confirmandam ſuam ſententiam, quod nimirum Protoplaſti octavo à ſua productione die, id eſt, feria ſexta ſecundæ mundi hebdomadæ peccaverint ejectique ſint, hunc Joſephi locum, *veluti non excogitatum, ſed ex communi Hebræorum ſenſu, vel traditione relatum*, adducit. *A. E. d. 7. n. 11.*

In oratione quam Deo tribuit ad Adamum, totus eſt in eo, ut εὑρεσιλογίᾳ ῥητορικῇ argumentum exornet potius, quam fide Hiſtorica denarret. Ἀλλ᾽ ἐμοὶ μὲν, εἶπεν ὁ θεὸς, ἔγνωσο περὶ ὑμῶν, ὅπως βίον εὐδαίμονα, καὶ κακῶ παντὸς βιώσεσθε ἀπαθῆ, μηδεμιᾷ ξενιζόμενοι τὴν ψυχὴν φροντίδι, πάντων δ᾽ ὑμῖν αὐτομάτων, ὅσα πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ ἡδονὴν συντελεῖ κατὰ τὴν ἐμὴν ἀνιόντων πρόνοιαν χωρὶς ὑμετέρυ πόνυ καὶ ταλαιπωρίας. ὧν παρόντων γῆρας τε θᾶττον ὐκ ἂν ἐπέλθῃ, καὶ τὸ ζῆν ἐς μακρὸν ἂν ὑμῖν γένοιτο. νῦν δ᾽ εἰς ταύτην με τὴν γνώμην ἐνύβρισας παρακύσας τῶν ἐμῶν ἐντολῶν. ὐ γὰρ ἐπ᾽ ἀρετῇ σιωπὴν ἄγεις, ἀλλ᾽ ἐπὶ συνειδότι πονηρῷ. ἄδαμος δὲ παρῃτεῖτο τῆς ἁμαρτίας αὐτὸν, καὶ παρεκάλει τὸν θεὸν μὴ χαλεπαίνειν αὐτῷ, τὴν γυναῖκα τῦ γεγονότος αἰτιώμενος, καὶ λέγων ὑπ᾽ αὐτῆς ἐξαπατηθεὶς ἁμαρτάνειν. ἡ δ᾽ αὖ κατηγόρει τῦ ὄφεως. *Mihi vero, inquit Deus, decretum de vobis erat, ut vitam felicem omniſque mali expertem viveretis, nullas animo novas curas ſentiretis, omniaque vel ad uſum vel ad voluptatem ſacientia, mea vobis providentia, abſque ullo veſtro labore ac miſeria provenirent.*

 inter

inter quæ, nec senectus vobis maturius superveniret, & vita in longum produceretur. Nunc autem tu spretis meis præceptis, illam sententiam meam illusisti. Neque enim virtutis est, quod siles, sed malæ conscientiæ. Adamus autem excusabat peccatum suum, rogabatque Deum, ne succenseret sibi, mulierem facti ducem accusans, dicensque ab ipsa se deceptum peccavisse. Mulier rursum, accusabat Serpentem.

Operæ pretium fortasse fuerit, considerare hoc loco, quæ *Salianus* in his & paulo ante memoratis *Josephi* verbis castigat. Et primo quidem tragico exordio in eum invehitur, inquiens: *Et sane contra scripturam aliquid scripsisse illum, qui eam divinam prædicet, sceleratum profecto est, & insanum: præter Scripturam autem scribere, ne Josepho quidem tolerabile, quippe qui hanc sibi sustulerit libertatem, cum in præfatione in hos libros diceret*: sed hæc omnia: *quæ scilicet scripserit Moses ante bis mille annos, & quinque millium annorum historiam sacris litteris proditam*, procedens oratio accurate suo quæque ordine docebit, ita ut nos facturos sumus polliciti, neque subtrahendo quidquam, neque addendo, οὐδὲν προσθεὶς οὐδ' αὖ παραλιπών. *Quod unum de maximis ejus latissimeque patentibus mendaciis, atque erroribus; ut plus sexcentis locis ostendemus.* Non constituimus, ullum ex Josephi erroribus defendere, aut minuere; quinimo id ipsum agimus hac exercitatione, ut ostendamus, quantum non penetraverit in S. textu Josephus: sed non video, quid ad usum & auctoritatem bonarum literarum faciat, omnia statim in atroces censuras & interpretationes inclementiores corripere, contra & præter mentem Scriptoris, aut sententiam contextus. quod non dubitat facere in aliquibus *Salianus*, sicut deinceps intelligi poterit. vel in hoc ipso atroci introitu ad refutationem, amplius sævit quam opus erat. Nam à sceleris quidem consilio facile liberabit Josephum, qui cogitabit, Josepho non fuisse propositum aliquid contra scripturam scribere. quod si accidit ipsi postea, ignoranti accidit: credebat enim secundum Scripturam esse, quod contra eam erat. Dum enim profunditatem Sacri styli non assequitur, dum multoties ejus oculis κάλυμμα Ἰουδαϊκὸν obversatur, delapsus

A. E. d. 13. n. 42. & seqq.

lapsus est in erroneas opiniones. sed sub ea tamen opinione, quasi vel maxime essent ad mentem Scripturæ, quæ tradit. Quod autem urget *Salianus* promissum Josephi, de exprimenda historia S. textus sine detractione & adjectione, de eo jam ante monuimus, quomodo intelligendum sit. Nunquam sane Josepho in mentem venit, *κατὰ πόδα* & *κατὰ ῥητὸν* sequi litteram Scripturæ, quasi per modum versionis, sicut præter rationem opinatur Salianus: sed argumentum Historiæ secuturum se pollicitus est sine adjectione talium, quæ eo non pertinerent, & sine detractione eorum, quæ ad integritatem historiæ proprie pertinerent. Non dicam nunc, quam bene hoc ipsum præstiterit; sed de *ὑποθέσει* Scriptoris & *διαθέσει*, ni fallor, utique constare debet iis, qui *κρίσιν* exercere volunt in Scripta. Apparet autem ex tractatione Josephi, ea quæ omissa sunt, ea opinione esse omissa, quasi ad rem ipsam non admodum pertinerent, aut in dictis jam continerentur, vel ut circumstantiæ subintel-ligi aut libere etiam omitti possent. quæ vero addita sunt, ea per modum interpretis, aut ex traditione interpretum, aut quasi declarantia Historiam Scripturæ & cum ea connexa, adeoque sine vitio alienæ adjectionis, visus est sibi adjicere. In quo haud dubie, sæpissime falsus est: sicut suis locis notabitur. Interim hoc in tractatione hujus Scriptoris monendum, atque etiam explicatius repetendum videbatur.

Nunc ad recensionem errorum à *Saliano* institutam pergemus: *Errat ergo*, inquit, *primo*, *quod ait post admissum peccatum visos sibi feliciores*, *contra Scripturam*, *quæ timore confusos ait latebras quæsisse*, *quam omnem ex nuditate confusionem*, *toties à Scriptura & Patribus inculcatam*, *ille pro sua scribendi libertate prætermisit*. [& hunc errorem jam notavimus, ex eo natum, quod non caperet Josephus, quid sibi vellet Scriptura memorans, *Protoplastos vidisse quod nudi essent*. Ita dum miser interpres de uno membro textus cogitat, ceterorum cohæsionem, per insignem *ἀβλεψίαν* dimittit.] *Errat* secundo, *quod ex illo esu sapientiam illis contigisse credidit*, *ut notavit Abulensis*. *propterea enim ait Josephus*, *eos invenisse*,

quæ prius carebant, ſicque veram impoſtoris promiſſionem facit, cum potius certo conſtet, ut poſtea docebimus, eos ſibi ſuisque omnia bona ſupernaturalia amiſiſſe, & luctuoſiſſima nuditate affectos, in graviſſimas calamitates incurriſſe, quorum initium in pudore, & metu experiebantur. [Hoc quoque recte notari & reprehendi, antea indicavimus.]

Etiam ſequentes errores recte notantur à *Saliano*: *Errat* tertio, *quod latebras diſſimulat, pro quibus neſcio quo modo ſecedentem ac fugitantem facit, etiam præſente jam Deo, cum è contrario ſtatim evocatus prodierit, nec ullo modo colloquium declinarit. Errat* quarto, *quod nullam in divino cum Adamo colloquio nuditatis aut pudoris mentionem facit, cum tamen id ſit totius colloquii & manifeſtatæ culpæ fundamentum. Errat* quinto, *cum admirationem Deo, præter Scripturam affingit, quæ nullam ei hoc loco tribuit admirationem, vel veritatis diſſimulationem. Nam ſi quid Hebræi hoc toto loco admirationis cognoſcunt, id mulieris interrogatione intervenire poſſe putant, ut notat Vatabl. Eugub. Admirationem ſaltem decore fingeret, in aſpectu novorum perizomatum, quorum cauſſam ſciſcitaretur. Errat* ſexto, *cum facit Adamum tacentem, præ conſcientia peccati, falſo utique, cum nullum ſilentium appareat, imo nimis multa locutio in excuſationibus, quæ debuerat eſſe in confeſſione peccati.* Qualia paulo ſuperius animadvertimus.

Septimum errorem, non recte videtur Joſepho impingere *Salianus*, cum inquit, *Errat* ſeptimo, *quod ignavam & cura vacuam homini à Deo tributam vitam ſcribit: citra omnem, inquit laborem veſtrum & ſolicitudinem, omnibus ſua ſponte provenientibus. utrumque falſo, & contra illud. tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis.* Sed, *ut operaretur & cuſtodiret illum. Neque enim tum tellus ſegetes, ſine ſemente ac terræ cultura profudiſſet. Quod ethnici poetæ finxerunt, Joſephus pro oraculo habuit.* Notandum hic *primo* Græca Joſephi verba non ignavam vitam, ſed moleſtia laboris carentem innuere. unde ſemet ipſe interpretatus πόνον καὶ ταλαιπωρίαν conjunxit, χωρὶς ὑμετέρου πόνου καὶ ταλαιπωρίας, *abſque labore & moleſtia veſtra* id quod negligi non debuit. certe vacua curis, laboribus, moleſtiis erat vita (ſcilicet, ut contextus facile

facile suadet, curis quæ animum fatigarent aut gravarent) si comparetur cum laboribus vitæ curisque, quibus post peccatum damnati sunt homines. *Deinde* nec illud quidquam absurdi habet, si in comparatione secuti laboris agriculturæ, ad quem Adamus damnatus fuit, dicatur, ante peccatum Sponte i. e. citra difficultatem laboriosæ molitionis, omnia proventura fuisse. quippe & terra facilior ferendis frugibus fuisset, Deo fecundante; quæ nunc multis sudoribus ad ferendos fructus solicitanda est: & spontanei proventus rationem habet, quidquid citra laborem provenit. Recte *Lutherus noster in cap. 2. Genes. si Adam mansisset in innocentia, coluisset terram, plantasset areolas aromatum, non solum sine molestia, sed quasi per lusum & cum summa voluptate.* Et paulo post: *Ita reliquam habemus operationem, sed longe dissimilimam illi priori: non solum quod cum summa molestia conjuncta est, sed etiam quod terra quasi invita & parce dat, quæ Adamo cum summa voluntate dedisset, & in maxima copia &c.*

Errat Octavo (ita pergit *Salianus*) *quod depravat fructum justitiæ originalis, immortalitatem; non ausus eam apud infideles profiteri, veritus ne non faceret fidem, irrisionique eorum pateret, generali mortalitatis experientia refragante; itaque rem totam velamento tardissimæ senectutis obtexit, forte ut* Romano *illi poëtæ inveniretur consentiens:*

semotique prius tarda necessitas
lethi corripuit gradum.

cum satius esset illud audire: ne forte sumat de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum. vide de hoc errore Josephi Pererium l. 6. ubi Pelagianorum hæresim vocat, dicentium, Adamum, licet non peccasset, moriturum. Etiamsi largiamur id Saliano, Josephum immortalitatem primi hominis non intellexisse satis, quanquam mortis vocabulo in hac expositione abstinuerit, ut videri posset, non negasse immortalem vitam, postquam ex longissima terrena vita in æternam beatitudinem homo translatus esset: certe illud frustra asseritur, quasi hic in gentilium gratiam aliquid dissimulaverit. Multo minus congruit, quod ex Genes. 3, 22. adfertur. Nam illud

illud וחי לעלם de æterna & immortali vita accipiendum esse, animosius forte sumi, quam validius probari potest; cum rectius de longiore vita accipi, etiam *Bonaventuræ* sententia sit, à plerisque Pontificiis approbata.

Errat nono (inquit porro *Salianus*) *quod ait Adamum veniam petiisse: sic enim interpretandum est illud,* Ἄδαμος δὲ παρῃτεῖτο τῆς ἁμαρτίας αὐτὸν, *Adamus vero culpæ veniam ab ipso deprecabatur. Quo modo olim vertit Ruffinus, & agnoscit Tostatus, & Suidas interpretatur* παραιτεῖσθαι, συγγνώμην αἰτεῖν, *quod pluribus confirmat exemplis; idque requirit oratio consequens,* καὶ παρεκάλει τὸν θεὸν, μὴ χαλεπαίνειν αὐτῷ, *& rogabat Deum, ne ipsi irasceretur, vel ne se ipsi exhiberet infensum: hæc enim rectius convenit cum petitione veniæ, quam cum excusatione peccati, quæ valet potius ad accendendam, quam ad mitigandam iram. Quo posito, errat vehementer Josephus: non enim veniam petiit Adamus, sed peccatum à se in mulierem transtulit.* Nimio censendi studio factum est, ut hic ipse censuram incurreret censor. Prorsus enim sine fundamento παραιτεῖσθαι hic *deprecari* interpretatur. Debebat attendere, *Suidam* huic interpretationi minime favere. Nisi enim vehementer fallor, plurimum differunt, παραιτεῖσθαι τινά (de quo *Suidas* in exemplis) & παραιτεῖσθαι αὐτὸν ἁμαρτίας τινὸς; cum *illud* significet, *deprecari aliquem*; *hoc* autem, *excusare se de delicto*, ut vulgo loquuntur, sive *excusare delictum aliquod suum.* Negligentius ergo egit, quod non φράσιν totam accepit, cujus clarissima est sententia, sed aliquam inde particulam avulsit. Neque sequentia id postulant, ut existimavit Salianus. Quippe nec ex illis aliud exsculpi tandem potest, quam Adamum rogasse, *ne sibi Deus irasceretur, cum mulier hujus ipsi delicti caussa extiterit.* nam illud λέγων, quod τὸ παρακαλεῖν, sequitur, connexionem sententiæ illam postulat, ut intelligamus, *Adamum culpam & indignationem culpæ debitam, in Evam transferre voluisse.* Itaque nodus in scirpo non erat quærendus.

Quod tamen in sequentibus denuo facit *Salianus.* Ait enim: *sed utcunque excusari possit hoc ejus peccatum, sine ulla dubitatione errat, cum ait, Adamum dixisse, se à muliere deceptum peccavisse, idque aliquanto post rursus affirmat, quod non solum*

ſolum Moſes non dicit, ſed Paulus etiam contradicit: Adam, inquit, non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Quod ſi quo modo ſeductus fuit, certe à muliere non ſeductus, ſed ſubverſus fuit, ut loquitur Bernardus. Et cum in deceptione interveniat ignorantia, idem aſſerit, illam per ignorantiam, hunc per infirmitatem peccaſſe; dum eam non vult afficere moleſtiâ. Mirari poſſis, hæc tam præfidenti aſſeveratione Joſepho impingi, ut erronea. Si ſuam hypotheſin tantopere amat Jeſuita, neceſſe eſt, ut eandem dicam ſcribat etiam S. Patribus. E quibus *Ambroſius: Adjicit & aliud, quia Diabolus non virum ſeduxit, ſed mulierem: vir autem per mulierem deceptus eſt.* Libet adhuc argutari in voce *deceptus*, quæ *Ambroſio*, ipſi *Auguſtino*, multiſque aliis cum Joſepho communis eſt? rationem reddit *Ignatius in epiſt. ad Trall.* τῦ διαβόλυ γάρ εἰσιν ἐφευρέσεις τῦ ἀρχεκάκυ ὄφεως, τῦ διὰ τῆς γυναικὸς ἀπατήσαντος Ἀδὰμ τὸν πατέρα τῦ γένυς ἡμῶν. *Inventa enim ſunt Diaboli* (hæreſes ſc.) *Serpentis illius malorum auctoris, qui per mulierem decepit primum generis noſtri parentem Adamum.* A muliere ergo ſeductus & à Diabolo; hoc ut auctore, illa ut inſtrumento. Mulier ipſa prior & immediate ſeducta; quod vult locus *Paulinus* adverſus Joſephum fruſtra productus. *In 1. Tim. 2.*

Sequitur Sententia judicis, quam Joſephus ita complexus eſt: ὁ δὲ Θεὸς ἥττονα γυναικείας συμβυλῆς αὐτὸν γενόμενον ὑπέτιθει τιμωρίᾳ, τὴν γῆν οὐκ ἔτι μὲν αὐτοῖς τὰ ἑαυτῆς ἀναδώσειν αὐτομάτως εἰπὼν, πονῦσι δὲ καὶ τοῖς ἔργοις τειβομένοις, τὸ μὲν παρέξειν, τὸ δ᾽ οὐκ ἀξιώσειν. Εὔαν δὲ, τοκετοῖς καὶ ταῖς ἐξ ὠδίνων ἀλγηδόσιν ἐκόλαζεν, ὅτι τὸν Ἄδαμον οἷς αὐτὴν ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν, τύτοις παρακρυσαμένη συμφοραῖς περιέλαβεν. ἀφείλετο δὲ καὶ τὸν ὄφιν τῆς φωνῆς, ὀργισθεὶς ἐπὶ κακοηθείᾳ πρὸς τὸν Ἄδαμον, καὶ ἰὸν ἐντίθησιν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ, πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς, καὶ ὑποτιθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγὰς, ὡς ἐν ἐκείνῃ τῦ τε κακῦ τῦ πρὸς ἀνθρώπυς κειμένυ, καὶ τῆς τελευτῆς ῥᾴστης τοῖς ἀμυνομένοις ἐσομένης. ποδῶν τε αὐτὸν ἀποστερήσας, σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς εἰλισπώμενον ἐποίησε. *Tum Deus Adamum, quod muliebri conſilio ceſſiſſet, pœnæ ſubjecit, dicens, terram non amplius ipſis ſuos fructus ſponte daturam; ſed laborantibus & opere attritis, alia quidem exhibituram eſſe, alia vero non largituram. Evam autem parturitionibus punivit, quod*

virum per ea decepisset, quibus à Serpente ipsa erat decepta, eumque ita deceptum tot calamitatibus objecisset. Serpenti quoque vocem ademit, indignatus ob malignam ejus erga Adamum vafritiem, venenum item linguæ ejus indidit, hostemque eorum declaravit; admonens, plagas capiti serpentis potissimum inferendas, quippe in quo & vis homini noxia resideret, & facilime ad mortem adigi serpens ab oppugnantibus posset. Pedibus insuper privavit, effecitque ut humi volutatus per terram corpus traheret.

In his reprehendit *Salianus* 1. *quod dicat, terram jussam nullos sponte fructus proferre, contra loca Scripturæ Levit.* 25, 4. 4. *Reg.* 19, 29. *Es.* 37, 30. *qualia Josephus ipse tradiderit* 3. *Antiq.* 10. Sed hæc quidem Paraphrasis *maledictionis agri* facile in sanum sensum redigi potest. qua de re supra aliquid monuimus. Neque repugnant dicta, quæ allata sunt. 2. & 3. *quod secundam & tertiam Adæ pœnam intactam reliquerit, cum tamen spospònderit, nihil se additurum Scripturæ aut detracturum.* Redit ad ὑπόθεσιν suam *Salianus*, quam removimus supra. De cetero notandum est, tertiam tantum pœnam omissam esse, secundum Saliani numerationem. Prima enim, *maledictio terræ*; & secunda *laboriosa vita* in verbis Josephi clare continentur. Tertia erga tantum omissa fuerit *de spinis & tribulis.* cujus omissionis occasio facile conjectari potest. Josephus enim, profundiori Scripturarum meditatione parum exercitus, existimavit in maledictione terræ includi, & ἐξηγητικῶς tantum adjectum, ideoque in historiæ cursu præteriri posse. 4. *quod mortis supplicium, ne supra quidem satis clare nominatum, hic plane omittat.* quod facere utique non debuit. quamquam existimo, eum multa talia in opus suum αἰτιολογικὸν & philosophiam diligentiorem reservasse. inde enim videtur factum, ut quoties locutio profundior, aut locus difficilior occurrit, prætereat eum, aut vix ἀκροθιγῶς perstringat: ut fortasse hic quoque illud, *in pulverem reverteris*, ampliore expositione indigere existimaverit. 5 & 6, *quod de tribus mulieris pœnis duas commiscuerit atque confuderit, tertiam prætermiserit.* 7, 8. & 9, *circa serpentem, quod serpenti articulatam & humanam vocem adimat, quam nunquam habuit; quod ejusdem linguæ venenum in-*

diderit.

diderit, quo nunquam caruit; quod prædictionem conterendi capitis in admonitionem verterit. de *primo* ſupra dictum eſt, de *ſecundo*, non eſt mirandum, ſi Joſephus communem jam tum plerorumque opinionem ſecutus exiſtimavit, Serpentem ante veneno caruiſſe. Et qnomodo probabit Salianus, fuiſſe antea venenatum? De *tertio* rectè monet Salianus. 10 & 11, *quod Serpentem pedibus privatum dicat, cum conſtet, naturalia plane integra in brutis manſiſſe, ut quæ nihil peccarint; cum ea miſericordia Deus etiam in homines angeloſque peccatores uſus fuerit; quodque cibum ei à Scriptura aſſignatum omiſerit.* Rurſum multi ſenſerunt & adhuc ſentiunt, quod Joſephus; *pedibus uſum Serpentem ante lapſum.* Ceteri ſaltem fatentur, erecto capite inceſſiſſe. Deinde, quod naturalia etiam in dæmonibus & hominibus lapſis manſerint prorſus integra, confidenter ſumitur ex pontificia hypotheſi, non probatur. atque ad hanc ipſam ὑπόθεσιν tuendam, commodius exiſtimat Salianus, negare Serpentis pedes & erectum inceſſum, ne *inſtantia* ab exemplo Serpentis de perditis naturalibus in ipſos torqueatur. quod tamen conceſſerat de Serpente *Bellarminus 3. de am. grat.* 11.

Quantum ad ordinem ſententiæ attinet, invertit eum Joſephus, cumque Scriptura primo Serpentis, deinde mulieris tertio Adami pœnam ponat; ille primum Adami, poſtea Evæ, denique Serpentis nominavit. Notamus hac occaſione mendum lectionis, quo Joſephi textum nonnulli corrupere, indeque anſam arripuere defendendi vulgatam verſionem: *ipſa* conteret caput tuum. *quaſi & Joſephus haberet αὐτῇ, diceretque præceptum eſſe ut mulier capiti Serpentis plagas inferret.* vide *Dn. D. Gerhard. in cap. 3. Gen.* Verum p. 100.
in textu Joſephi nihil tale comparet. quippe ἀπὸ κοινοῦ ad Adamum & Evam omnia referuntur, cum ait, Deum Serpentem *ipſis* hoſtem declaraſſe. πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς, καὶ ὑποθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγὰς &c. itaque illa impetitio capitis ad utrumque hominem ſpectat. Neque eſt, quod quiſquam credere velit, pro αὐτοῖς legi αὐτῇ, ut ad mulierem ſolam referatur. Negligenter inſpexerint textum neceſſe eſt, qui id opinari poſſunt. mox enim per-

ſtat in locutione plurali, inquiens, τῆς τελείως ἰάσεως τοῖς ἀμωμωμένοις ἐσομένης. ecce τοὺς ἀμωμωμένους habet, in reſpectu ſcil. αὐτῶν quod præceſſerat, cum alias τῇ ἀμωμωμένῃ dicendum fuiſſet, ſi ad mulierem potius, quam ad utrumque Protoplaſtorum referri voluiſſet. Igitur tale hinc nihil poteſt adſtrui; cum Joſephus, qui πρωτευαγγέλιον illud abſque omni Evangelica hypotheſi, ad naturalia tantum deflexit, & de Serpente naturali penitus intellexit, minime ſibi inſiſtendum verbis S. textus autumaverit, ſenſum autem talem concinnaverit, qualis ad notas inter Serpentem & hominem inimicitias congruere videbatur.

Quem errorem pleriſque communem futurum fuiſſe, abſque interventu revelationis, exiſtimat *Petrus Cunaus 3. de rep. Hebr. cap. 1.* ubi poſt diſſertationem longiuſculam de ſenſu protevangelii, ait: *Nunc illud addimus, vaticinium illud, quod de Meſſia proditur in principio Geneſeos haud potuiſſe à primis parentibus noſtris intelligi, niſi ex interpretatione Dei, qui arcanos hos abditoſque ſenſus quadam animi miſeratione illis retexit. Nam ſi id modo ſequimur, quod verba ſonant, tota res optime in Serpentem quadrat. Qui aliter exiſtimarunt, na nos in illis magnopere hic judicium deſideramus. Enimvero, quid reperias omnium veterum, etiam gentilium ſcriptis tam vulgatum, quam hominum naturale in Serpentes odium? Hanc pœnam iſti animali poſuit Deus, cum antea eſſet mortalium generi amiciſſimum. Apud Artemidorum lib. 2. ſerpens, inimicitiarum ſymbolum eſt. & in Theocriti* ἀδωνιαζούσαις *ait muliercula:* Ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα. *Ecce, anguem rem cunctis maxime formidabilem eſſe ait. Faliſci olim Tarquinienſeſque, teſte Livio, M. Fabium Ambuſtum prima acie fuderunt, cum ſacerdotes eorum, anguibus prælatis, inceſſu furiali militem Romanum inſueta turbarent ſpecie. Quod autem pedibus amiſſis reptile factum ſit id animal, ſane neutiquam Satanæ convenit. Ariſtoteles, quia veram cauſſam ignorabat, rationem ejus rei mire ingenioſam ex ipſa attulit natura. Nos meliore uſi magiſtro, eſſe iſtud ſcimus ab irato numine. Neque vero res inaudita eſt, brutum animans excepiſſe voces & reddidiſſe. nam & de Bileami aſina palam eſt; & alibi balænam affatur ipſe Deus. Pœnam quoque haud immerito tulit coluber, quippe miniſterium impuro*

puro genio commodaverat ad immane flagitium. De contritione capitis quod subditur, aptissimum est. Etenim hac parte qualiscunque læsio anguibus lethalis est. itaq; quoties periculum iminet, admiranda industria in spiram se colligunt, & caput reliquo operiunt corpore. Libuit hæc ideo adscribere, quia per modum commentarii hypotheses Josephi & sententiam declarant. De cetero, sicut quæ aspersit φιλολογήματα itidem ad illustrationem argumenti nostri pertinent; ita judicium de protevangelio dilutius videtur. Sane ut versum 14. de Serpente naturali intelligeres, verba tamen 15. ἐμφατικώτερα, & ad specialem expositionem οἰκειότερα sunt, quam ut ab attento & meditante debuerint simpliciter de Serpente accipi. Unde & *Targum Hierosolymitanum*, non tantum de metaphorica contritione capitis & calcanei, inter fideles & Diabolum accepit, sed denique ad Messiam complementum vaticinii retulit. Quod ad inimicitias inter serpentem & hominem attinet, non opus est ut moram hic trahamus. Illud ἐν παρόδῳ adjicimus, admiranda bonitate Dei factum esse, ut adversus istam Serpentum inimicitiam homines non suis modo auspiciis pugnarent, sed etiam tot animantium genera pro homine adversus Serpentem militarent. de quib. vid. *G. I. Vossii Physiolog. Christ.* 4. 59. Quo eodem etiam illa pertinent, quod Serpentibus alæ negatæ sunt & pedes, ne tam facile nocere possint; quod tot ex plantis & fossilibus remedia adversus Serpentes; quod eadem ex variis animalib. ipsoque homine suppeditantur; quod non omnes serpentes venenati sunt aut hominibus noxii; quod & alimenta & medicamenta & amuleta ex animali tam infesto, petere homini licet. de quibus omnibus vide eruditissimam tractationem *Vossii, in capitibus libri indicati sequentibus.*

Claudit *Josephus* Historiam hanc breviter indicata καταστροφῇ tristissima, in hanc sententiam: καὶ ὁ μὲν Θεὸς ταῦτα προστάξας αὐτοῖς πάσχειν, μετοικίζει τὸν Ἄδαμον καὶ τὴν Εὔαν ἐκ τοῦ κήπου εἰς ἕτερον τόπον. *cumque Deus ista ipsis patienda destinasset* (sive, illa in pœnam constituisset) *transfert Adamum & Evam ex horto in alium locum.* Omittit, quod de colenda

 da

da terra, & terribili custodia Angelica Moses addidit: quippe illum locum, tanquam difficiliorem & curatiore disquisitione indigentem, operi suo philosophico reservandum, ut opinor, ratus. Multi hic indulgent conjecturis suis, quas etiam aliqui solent pro oraculis venditare, solenni in talibus morbo curiositatis. Ego de angelica custodia, igneum fulgorem ad formam gladii vibrantis jactante, lubenter acceperim cum *Luthero Nostro*. De cetero, quis est ille tam sublimis scientiæ doctor Seraphicus aut Cherubicus, qui possit dicere: καὶ γὰρ ἐγὼ δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν ἀρχαγγέλων καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγὰς, δυνάμεών τε καὶ κυριοτήτων διαφορὰς, θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγὰς, αἰώνων τε μεγαλότητας, τῶν τε Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ τὰς ὑπεροχάς. *Etiam ego cœlestia intelligere possum, angelicos ordines, archangelorum militiarumque cælestium discrimina, virtutum dominationumque differentias, thronorum potestatumque distantias, ævorum magnificentias, Cherubim & Seraphim excellentias.* Quis, inquam, talia de se jactare potest? Tribuitur quidem hæc μεγαληγορία Optimo Patri *Ignatio*: in cujus *epistola ad Trallianos* ista leguntur. Sed quis de viro tam pio, tam gravi & modesto talia expectaret? Quare jampridem non *Sculteti* modo & *Vedelii* censura, sed cordatissimi cujusque judicio pro spuriis & intrusis habentur. præsertim cum utrinque male, imo non cohæreant vel cum antecedentibus, vel cum sequentibus. Certe corruptissima esse omnia, ne ex pontificiis quidem cupide talia arripientibus, doctior quisquam negare poterit.

Superest, ut in gratiam studiosæ juventutis, sicut cœpimus, his ad Josephum annotationibus adnectamus, *quædam vestigia Paradisiacæ vitæ & lapsus Protoplastorum* in gentilium scriptis. Equidem jam supra monuimus, Saturni ævum huc pertinere. Sed audiamus, quid *Eusebius* de Prima hominum vita ex Platone observet. *Præpar. Evang. 12, 13.* *Primam*, inquit, *hominum vitam in Dei Paradiso Moses ductam esse scribit, ubi eorum curam sine ullo divitiarum opumque commercio Deus ipse gereret, omniaque ipsis absque ulla vel semente vel agrorum cultura nascerentur, cum interim eo, qui deinde secutus est, amictu nudi essent. Quæ omnia*

Philo-

Philosophum audi Græce totidem pæne verbis explicantem. Illos, inquit, pascebat Deus, tum eos per sese regens, quo modo nunc homines, Divinioris animantis naturam sortiti, alia quædam inferioris ac deterioris conditionis animalia pascere consueverunt. Quo dum ipse munere fungeretur, nullæ dum respublicæ erant, nec ducebantur uxores nec liberi suscipiebantur; (omnes quippe tum ex terra, superiorum omnium obliti, reviviscebant) verum ista cum abessent omnia, fructum affatim ex quercubus, aliisque passim arboribus suppetebat, utique quos sine ullo cultu, ipsa sponte terra profunderet. Nudi præterea, nullisque ut plurimum stragulis sub dio passim degebant; quippe qui & tempestatum clementiori temperatione uterentur, & in tanta vi herbarum ex terræ visceribus existentium, mollium quoque tororum copiam haberent. Hæc *Eusebius* ex *Platonis Politico*: quorum nos, brevitatis studio, tantum versionem descripsimus.

Alii gentilium cum *de nuditate primorum hominum, & de arboris vetitæ fructu ejusque comestione* aliquid inaudissent, ad miseriam & infelicitatem istum statum retulerunt. Qua de re videndus est *Diodorus Siculus in primo Bibliothecæ*: ubi ait: *primos homines vitam beluinam & inconditam egisse, ut qui sparsim ad pascua exierint, & sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comederint.* item: *primo homines, cum nihil dum utile ad vitam inventum esset, laboriose vitam sustentasse, utpote vestibus nondum amictos, domiciliisque & igni non adsuetos, & mansuetioris victus omnino rudes. postea usum & necessitatem pleraque suppeditasse.* Transscripsit ea omnia *Euseb. in P. E. 1, 7.* Verisimile autem est, talia gentiles hausisse & corrupisse ex fama primævæ vitæ & maledictionis lapsum secutæ. cumque non haberent certum ejus traditionis fundamentum, mirifice & ridicule etiam indulserunt suis conjecturis. videre licet specimen earum apud *Vitruvium*: *Homines*, inquit, *veteri more, ut feræ, in sylvis & speluncis & nemoribus nascebantur, ciboque agresti vescendo, vitam exigebant. Interea quodam in loco ab tempestatibus & ventis, densæ crebritatibus arbores agitatæ, & inter se terentes ramos, ignem excitaverunt; ex eo flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati. Postea re quieta propius accedentes, cum animadvertissent, comoditatem esse magnam corporibus ad ignis teporem, ligna adjicientes & eum conser-* *lib. 2. cap. 2.*

vantes, alios adducebant, & nutu monstrantes ostendebant, quas haberent ex eo utilitates. addenda sunt sequentia, quæ vitandæ prolixitatis, non exscribimus. An & huc pertinere dicemus, quod *Eusebius* P. E. 1, 10. ex *Taauti* commentariis refert, de Ævo & Primogenito figmentum? *Ex Colpia vento atque ejus uxore Baau, quam Græci νύκτα h. e. noctem interpretantur, Ævum ac Primogenitum, mortales, procreatos, Ævumque cibi ex arboribus petendi auctorem fuisse.* Cogitent, quibus otium est. mihi certe, non citra respectum veræ historiæ, illa videtur excogitata fabula.

De *historia lapsus* iterum *Eusebius* P.E.12,11. *sub ipsa,* inquit, *conditi mundi cunabula, Dei paradisum aliquem extitisse, ubi homo à Serpente per mulierem in fraudem inductus fuerit, Moses arcana quadam oratione commemorat. Hujus verba palam tantum & aperte non immutata, audi sis quemadmodum in* Symposio *allegorice* Plato *expresserit. Quem enim ille* Dei Paradisum, *hic* Jovis hortum *appellavit: Serpentis ac fraudis per eum concinnatæ loco, insidiantem* Paupertatem *introduxit: primi hominis vice, quem Dei consilium ac Providentia; tanquam filium paulo ante natum produxerat,* Porum *quendam Metidos (h. e. consilii) filium subjecit: pro eo denique ut conditi mundi sub cunabula diceret,* sub Veneris ortum *dicere maluit, ut hoc allegoriæ genere mundi speciem ac pulcritudinem adumbraret. Sic igitur ad verbum ipse loquitur. Nata Venus cum esset, convivium Dii celebrarunt, quos inter Porus etiam Metidos filius discubuit. Sub exitum cœnæ Paupertas eo, utpote ad lautum epulum; aliquid emendicatura sese contulerat, hærebatque in vestibulo: cum Porus nectare ebrius, necdum enim vinum ullum erat, Jovis in hortum ingressus, alto somno corripitur. Hic Paupertas occulte ac per insidias id agens, ut inopiæ sublevandæ caussa prolem ex Poro susciperet, juxta illum accubuit, Amoremque concepit. Hæc ipse: quibus sane mentem illam Mosis, subobscure licet, expressit.* Hactenus *Eusebius.*

Quoniam *Nectaris* in fabula Platonis facta est mentio, liceat obiter annotare nonnullorum opinionem, qui ex *arbore vitæ*, cujus Genesis Mosaica meminit, occasionem traxisse credunt, quæ Gentiles de *nectare* & *ambrosia* fabulati sunt, sicut originatio illarum vocum indicat. videatur de illa re

Rivet.

Rivet. in Exercit. in Genes. 40. Denique allusioni quam conjecturæ similius est, quod *Clemens Alexandrinus in Protreptico*, & ex eo *Eusebius* de orgiis Bacchi habet. *Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐαν, Εὐαν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε. καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν, ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος, αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν, τὸ ὄνομα τὸ Εὐια δασυνόμενον, ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια. Dionysum Manolen orgiis Bacchi celebrant, crudarum carnium esu sacram agentes insaniam, & cæsarum carnium peragunt divulsionem, coronati serpentibus, ululantes Evan, Evam illam, per quam error est consecutus: & signum Bacchicorum Orgiorum est serpens mysteriis initiatus. Jam vero si accurate vox spectetur Hebraica, nomen Hevia aspiratum exponitur serpens fæmina.* Sed hæc *ἐν προσθήκης μοίρᾳ* adjecisse suffecerit. P. E. 2, 3.

CApite 3. lib. 1. Antiq. Josephus ea, quæ in Genesi Mosaica cap. 4. & 5. habentur, memorat, non sine solitis erroribus; sicut curiose *Salianus* animadvertit, & partim in progressu dicetur. De nominibus filiorum Adami ita loquitur: *προσαγορεύονται δ' αὐτῶν, ὁ μὲν πρῶτος, Κάϊς. κτῆσιν δὲ τοῦτο σημαίνει μεθερμηνευόμενον τὸ ὄνομα. ἄβελος δὲ ὁ δεύτερος. σημαίνει δὲ, πένθος, τοῦτο. Prior filiorum Adami nominatus est Cain, quo vocabulo, si interpreteris, possessio notatur. Alter Abel dictus est, quod luctum significat.* Verissimum est, quod *Eusebius* ait: *Parentes imposuisse filiis suis nomina diviniore quodam consilio instinctuque, ὅτι κατά τινα θειοτέραν προμήθειαν γενομένοις τοῖς παισὶ ταύτας τίθενται τὰς ἐπωνυμίας.* Sed in assignanda Nominum ratione discrepat. Ait enim Caini nomen *ζῆλον æmulationem* notare, quia *invidia & æmulatione in fratrem* stimulatus fuerit. Verba ejus sunt: *τούτου δ' ἠξιώθη τοῦ προσρήματος ὁ δηλούμενος, διὰ τὸ ζηλῶσαι τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἄβελ.* De Abelis nomine consentit: *καὶ ὁ Ἄβελ δὲ ἑρμηνεύεται πένθος. τοῦ πάθους γεγονὼς καὶ αὐτὸς τοῖς γονεῦσιν αἴτιος. A luctu nomen accepisse Abelem, quod luctus causa parentibus extiterit.* Repetit post multos *Eucherius Lugdunensis*: Abel, *luctus seu miserabilis.* Cain *possessio, sive lamentatio.* Caini etymologia in ipso sacro P. E. 2, 6. in nom. Hebr.

ero textu clare expressa est. Abelem potius à *vanitate* nomen accepisse, scriptionis ratio evincit. qua de re aliis abunde actum.

Addit Josephus: Γίνονται δ' αὐτοῖς καὶ θυγατέρες. *Natæ sunt eis & filiæ.* Haud dubie ex Gen. 5, 4. Ex quibus scilicet illam ipsam necesse est fuisse, quam Cain in matrimonio habuit Genes. 4, 17. Nonnulli & nomen exprimunt: sed traditiones istæ de nominibus filiarum Adami parum testatæ veritatis habent. Hac occasione disputant de *matrimoniis fratrum & sororum*: quæ sicut ab initio necessitatis & indulgentiæ fuerunt; ita multiplicato genere humano ἡ ἀκρίβεια ἡ κατὰ τὸν γάμον τὸν σεμνὸν ἐπλατύνετο καθεξῆς προβαίνουσα, ut *Epiphanius* loquitur: ita ut præter legem divinam ipsa naturalis ratio talia conjugia damnaret. *hæres. 39.* Cæterum, quæ sit ratio habita cognationis circa conjugia inter ipsa rerum initia usque ad legem Mosaicam, vide disquisita *Seldeno lib. 5. de jur. nat. & g. juxta disciplinam Hebræorum cap. 9.* Apud eundem *capite præcedenti, ex Saido Batricide* relatum leges: *Primos parentes, tametsi fratribus sorores conjungere tunc necesse erat, nihilominus ita statuisse, ut, qui in ipsis fratribus & sororibus, magis essent cæteris invicem natalibus dissiti, non conjunctiores matrimonio copularentur. Conjunctiores vero fuisse gemellos, quam qui partu diverso nascuntur. Inde, adolescentibus gemellis eorum paria ita disjungi voluisse, ut gemella fratri, qui non esset gemellus, nuberet. Hinc Caino Avvinam, Abeli Atzronam destinasse. Quod cum Caino, qui sororem sibi gemellam, utpote venustiorem, deperiret, maxime displiceret, Adamum utrumque filium, alterum ut frugibus, alterum ut pecorum fœtu Numini in monte sancto sacrificium faceret, monuisse: utque ad bonam mentem, quæ peractis sacrificiis adesset, nuptias inirent. Peractis sacrificiis Cainum, ne gemella sibi soror alteri jungeretur, fratrem illiso in caput saxo interfecisse, idque animo, ante sacrificium, præstituisse.* Hæc cujusmodi sint, ex ipsa lectione statim animadverti potest.

In instituto vitæ utriusque fratris exponendo conjungit Josephus notam morum; Abeli justitiæ & virtutis cultum assignans, Caino lucri & vitiorum amorem. Ita *Suidas*

das voce Ἄβελ. ἦν ὁ παρθένος καὶ δίκαιος ὑπῆρχε, καὶ ποιμὴν προβάτων. In Caino *Josephus* inventionem agriculturæ, ipſamque agriculturam, quaſi ex ſolo habendi ſtudio profectam, & injuriam terræ ſpectantem, abſurde vellicat, ſicut *Salianus* jam animadvertit. Poeticam licentiam potius iſta ſapiunt, quam hiſtoriæ gravitatem. Liceat obiter annotare conjecturam *Seldeni* de Caino, ut appareat, quomodo οἱ ἔξω hiſtoriam ſacram corrumpere ſoleant. Memorat *Schickardus in proœmio Tarich Regum Perſiæ*, Orientales quoſdam Adamo præter filios nobis cognitos, aſſignare alium nomine *Abdalcariths*. Hunc exiſtimat *Seldenus* ipſum Cainum eſſe; quia *Abdalcariths* Arabibus ſit *cultor agri*, quod de Caino ſacer codex teſtatur.

A. E. tom. 1. an. M. 130. ſ. 20.

p. 24.

Non immorabimur in examinanda ſacrificii materia, quam *Joſephus* eatenus tamen immutavit, quod pro *adipe, lac* ſubſtituit, in oblatione Abelis. majoris momenti eſt, quod in cauſſa probati & improbati ſacrificii peccat. Abelis enim ſacrificium ideo gratum fuiſſe DEO ait, quod αὐτομάτοις καὶ κατὰ φύσιν γεγονόσι, *ſponte provenientibus & ſecundum naturam*, ſive ab ipſa natura *genitis* conſtaret, cum ex diverſo Caini muneribus τοῖς κατ' ἐπίνοιαν ἀνθρώπου πλεονέκτου κατὰ βίαν πεφυκόσι, *quæ labore hominis avari veluti per vim producta erant, non potuerit Deus delectari. In quo profecto (utar cenſura Cunæi è 3. de rep. Hebr. 1.) ratio eum fugit. Agrum enim primus hominum ſator Adamus verterat, juſſu ipſius Dei: & patrem ſecutus filius erat optimo exemplo. Sed procul dubio Rabbinos ſecutus eſt, uti ſolet interdum. Enimvero Joſephus, etſi gravitate ſupra cunctos Judæos eminet, tamen haud utique à deliramentis abhorret popularium ſuorum.* Philo hanc cauſam aſſignat, *quod non de primo fructu obtulerit.* In qua ſententia eſt etiam *Aben Ezra* כי לא הביא קין מין הבכורים Nec diſſentit *Ambroſius*: *Duplex*, inquit, *culpa. Una, quod poſt dies obtulit, altera quod ex fructibus.* Adde *Suidam*, cujus hæc eſt annotatio: ὁ γὰρ Ἄβελ τὰ πρωτότοκα τῷ θεῷ καθιερῶν, φιλόθεον μᾶλλον ἢ φίλαυτον ἑαυτὸν καθίστη, ὅθεν καὶ διὰ τὴν ἀγαθὴν αὐτοῦ προαίρεσιν, ἀπεδέχθη. ὁ δὲ κάϊν δυσσεβῶς ἑαυτῷ ἀπονέμων τὰ πρῶτα γεννήματα, τῷ θεῷ δὲ τὰ δεύτερα, εἰκότως καὶ ἀπεβλήθη. & mox: ὥστε

lib. 1. de Cain & Abel c. 7

διὰ τοῦτο κάϊν ἐλέγχεσθαι ὅτι μὴ τὰ ἀκροθίνια γεννήματα προσήνεγκε τῷ θεῷ, ἀλλὰ τὸ μεθ' ἡμέρας τινὰς, καὶ δεύτερα. Sed veram caussam notum est proditam esse *Hebr.* 11, 4. Quæ in sacris habentur de indignatione Caini, de reprehensione Domini, de dolo Caini fratrem in agrum educentis, *Josephus* omnia omittit: post parricidium autem, colloquium Dei cum Caino frigide fingit potius suo arbitrio, quam refert, omissis quæ in sacro codice, non parvam ἔμφασιν habent; & insertis, quæ à scopo abludunt. qualia videas etiam interdum Paraphrastis accidere, cum suis cogitationibus plus indulgent, quam scripturæ gravitati attendunt.

De pœna parricidii non quidem negat Cainum cædis gratia punitum esse (quod *Salianus* existimavit) sed non plenam statim aut parem tanto facinori pœnam irrogatam statuit: *eo quod sacrificio facto Deum mitigasset.* quæ caussa refutatione peculiari non indiget, satis quippe manifesta suæ absurditatis. Quod ait, *ἐπάρατον δ' αὐτὸν ἐτίθει, καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτοῦ τιμωρήσασθαι κατὰ τὴν ἑβδόμην ἠπείλησε γενεάν. Maledictum eum constituit, & posteris ejus pœnam comminatus est usque in septimam generationem: Vel,* ex eo oritur, quod textum sacrum aliter distinguit, & illa Dei verba, *Qui interfecerit Cain, septuplum punietur,* ita disjungit, ut post priora, *Qui interfecerit Cain,* subauditur, *punietur*: & sequentia, *septuplum punietur,* ad Cainum referantur, sicut etiam recentiores nonnulli inter nostros faciunt: Vel, quod de Josepho Judaici acuminis ostentatore credibilius est, illud *septuplum punietur* (quod *Onkelosus* etiam exposuit *in septimam generationem punietur*) quasi cum interpretatione ad Cainum refert, tanquam si Deus interfectori Caini ipsam Caini pœnam interminatus esset.

Metum Cain, ne occideretur à quocunque, ad feras refert *Josephus*: nec desunt, quibus placuit conjectura de excitatis divinitus in ultionem parricidæ feris. sed comminatio divina interfectori Caini destinata, satis ostendit, Cainum ab hominibus metuisse. Unde colligunt nonnulli jam tum fuisse Adamo filios, & nepotes multos. Vide Jacob. Capell. an. M. 129. Possitque huc

referri

referri obſervatio *Auguſtini ex 15. de C. D. 8. Non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, ſcriptorem ſacræ hiſtoriæ neceſſe habuiſſe nominare, ſed eos ſolos, quos operis ſuſcepti ratio poſtulabat.* Id quod etiam valet, ad latrocinia & rapinas Caini, quas nonnulli autumant fingi à Joſepho, confirmandas; itemque, quod de urbe Henochia (*Joſephus* negligentius *Enoſan*, quaſi ab *Enos* appellat) mox ſequitur, cujus extructionem *Joſephus* ad violentæ vitæ inſtituta refert. Qua de re ſtatim videbimus, ſi prius monuerimus, manifeſte abſurdum eſſe, quod excogitata à Caino *pondera, menſuræ, agrorum limites* ad pravos mores, & inſtrumenta verſutiæ, qua ſinceritas humanæ ſocietatis corrupta ſit, Joſepho referuntur, quaſi abuſus rerum, aut conſilium utentis, res ipſas penitus redderet vituperabiles. Serviunt iſta juſtitiæ & ordini & harmoniæ; adeo ut Deus ipſe dicatur omnia in numero & pondere feciſſe. Quid, ſi Joſephus hic facit, quod antea in agricultura fecerat? quam ab Adamo inventam, Caino tamen tribuit. Certe, qui ad Adamum pleraque ſapientiæ & artium inventa referunt, non difficiles ſe hic præbuerint.

Urbis autem à Caino conditæ quæ cauſſa fuerit, diſputant. conveniunt tamen in eo plerique, quod partim metu, quo aſſidue fluctuabat; partim, ut arcem latrociniorum & violentiæ in alios, extruxerit. Neque tamen hoc ita univerſim ad originem urbium referendum eſt, ut ſolum metum attendamus: cum præter eam conſiderationem, ex ipſa ſocietatis humanæ ratione peti poſſint argumenta, quæ videntur pleriſque urbes & mœnia ſuaſiſſe, cum præſertim veriſimile ſit, etiam ſi lapſus & corruptio hominum non eveniſſet, urbes fuiſſe futuras. Quæ *Cicero* 1. *de invent.* 2. diſputat de origine urbium, illuc referenda ſunt, ut ipſa ratio ad urbes condendas credatur homines duxiſſe. Quod ut declarent Philoſophi, multa ſibi ὑποθέσεως cauſſa, imaginari & figurare, fas exiſtimant.

Lamechi filios artium inventores ita deſcribit Joſephus, ut dicat *Jobelum* (Jabel is eſt) *tabernacula conſtruxiſſe, & paſtoralem vitam amplexum eſſe*: σκηνὰς ἐπήξα-

τὸ καὶ προβατίαν ἠγάπησεν. Satis dilute. In Hebraico est: אבי ישב אהל ומקנה pater habitantis tentorium & possessionis sive *pecoris*, ut transtulit etiam Chaldæus, cui Jabal est מרי בעיר *dominus*, *magister* (respondet enim τῷ בעל) *pecoris*. Septuaginta per glossam conjungunt: οὗτος ἦν πατὴρ οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων, *hic fuit pater habitantium in tabernaculis pastorum*, sive eorum, qui jumentis alendis dant operam. σκηνίτης βίος Græcis dicitur, cujus in ethnicorum fabulis aliqua vestigia. Notum illud *Ovidii*:

—— domus antra fuerunt,
Et densi frutices & vincta cortice virgæ.

Sequitur Jubal; quem ait Josephus invenisse ψαλτήριον καὶ κιθάραν: secutus LXX. *Interpretes*, additque glossam: τὴν μουσικὴν ἤσκησε. Melius vulgata כנור per *citharam*; עוגב per *organum* reddidit, cum qua consentit *Chaldæus*: in quo est אבובא quod *organum* vel *pneumaticum instrumentum* notat. Unde nonnulli *Horatii Interpretes* deducunt *ambubaiarum* vocem. i. e. τῶν αὐλητρίδων, ut autumant. Vide *Casaubon. ad Sueton. Neron.* 27. Ψαλτήριον autem non τοῖς ἐμπνευστοῖς sed τοῖς κρουομένοις ὀργάνοις accenset accuratissimus *Pollux lib.* 4. *c.* 9. Etymologicum Magnum etiam cum τριγώνῳ comparat, & utrique ἐξάρμοσιν ὁμοίαν tribuit. Est autem etiam ὁ τρίγωνος, τῶν κρουομένων. Ceterum Jubalem hunc *antiquissimum* esse gentilium *Apollinem*, cui Musicen tanquam auctori tribuunt, erudite disputat *Vossius* [*Theol. gentil.* 1, 16. Variorum instrumentorum inventionem, quibus gentibus aut hominibus adscribant veteres, videre licet apud *Clem. Alexandr. lib.* 1. *Stromat.*

In Tubalcaini descriptione paraphrasten agit *Josephus*. Nam quod Scriptura dicit, *eum acuisse omne opus æris & ferri*, ita explicat: ἰσχύι πάντας ὑπερβάλλων τὰ πολεμικὰ διαπρεπῶς μετῆλθεν, ἐκ τούτων καὶ τὰ πρὸς ἡδονὴν τοῦ σώματος ἐκπορίζων, χαλκείαν τε πρῶτος ἐπενόησε. Natum hinc esse, quod de *Vulcano* gentiles fabulantur, plerique vel ex ipsa nominis congruentia statuunt. Ille *Diodoro* εὑρετὴς τῆς περὶ τὸν σίδηρον ἐργασίας ἁπάσης, καὶ τῆς περὶ τὸν χαλκὸν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον, καὶ τῶν

τῶν ἄλλων ὅσα τὴν ἐκ τοῦ πυρὸς ἐργασίαν ἐπιδέχεται. Quod de *Naama* ſubjungit *Joſephus*, quaſi Tubalcaini filia fuerit, non ſoror, aperte falſum eſt. cumque tantus error vix videatur in ullum Scripturæ lectorem cadere, cui mens conſtet, probabiliter exiſtimat *Salianus*, vocem *Lamechi* hic excidiſſe, aut transpoſitam eſſe. Cur autem jungatur in ſacris Naemæ ſive Naamæ nomen cum inventoribus artium, certa quidem nequit ratio dari, non abſurda tamen eorum conjectura eſt, qui & ipſam artis alicujus inventricem ſignari autumant; cumque feminæ convenientiſſima ſit texturæ & lanificii ars, factum eſt, ut eam reperiſſe credatur. & hinc ad eam pertineant, quæ gentiles de *Minerva* jactarunt. nam ea comparatio eruditior videtur, quam altera illa de *Venere*. Vide iterum *Voſſ. Theol. gentil.* 1, 17.

In Lamechi πολυγάμου hiſtoria, ipſum viri nomen è nonnullis Joſephi exemplaribus exciderat; quod merito repoſitum eſt. De cetero confundit hiſtoriam, cum ait: *Lamechum ex notitia rerum divinarum vidiſſe, quod ipſe parricidii à Caino perpetrati pœnam luiturus eſſet, idque uxoribus ſignificaſſe.* Sed id *Saliano* jam notatum. Nos inſuper non videmus, unde Lamecho hic tribuatur, τὸ τὰ θεῖα σαφῶς ἐξεπίστασθαι: quo loquendi genere non vulgaris notitia & conjectura divinæ vindictæ, ſed *eximia ſcientia legis juriſque divini* indicatur. Forte; quia oratio Lamechi in ſacro textu verbis ad gravitatem altioris ſenſus compoſitis, & cum ἐπιδείξει ἐπισταλικῇ veluti vaticinium quoddam ſpirantibus deſcripta eſt, ideo tale quid fingendum ſibi, aut ex Rabbinorum ſuorum ſcholis imitandum autumavit.


De Sethi ingenio, moribus, ſtudiis, progenie, conſentanea ſacræ hiſtoriæ narrat *Joſephus*. Longius à vero abeſſe videntur, quæ apud *Suidam* legimus voce Σήθ: quaſi primus Sethus acceperit cognomen *Dei*, ſicut poſtea Moſes *Deus*, itemque Principes *Dii* vocati ſint. Non dubitandum eſt; quæ in textu ſacro de Enos mox ſequuntur quod *iſte primus cœperit invocare nomen Dei*, negligenter verſa & ultro ad Sethum eſſe traducta; contra, quam fieri oportebat. Vide *Jacob. Capell. ad A. M. 234.* De Enoſo eandem fove-

foverunt sententiam *Cyrillus*, *Theodoretus*, & alii. Sed quis non videt, rectius illa verba (quibus *cap.* 4. *Genes.* clauditur) accipi de instauratione cultus divini in publicam certamque disciplinam ordinata? Non pigeat legere, quæ *Eusebius* (*P. E.* 7, 8.) de eo loco philosophatur, erudite, ut solet, & facunde: quanquam tota interpretatio versione τῶν LXX, non textu Hebraico nititur.

Sethi posteros, ut avitæ virtutis æmulos, & *sideralium artium inventores* laudat Noster, simulque memorat, *erectas ab iis esse duas columnas, lapideam unam, lateritiam alteram, quibus inventa sua inscripserint, ut si lateritia diluvio interiret, lapidea ad posteros perennaret, & de lateritia insuper posteris testaretur. audivisse enim*, ait, *ab Adamo vaticinante, mundo interitum, semel quidem diluvio, iterum incendio, imminere.* Atque alteram ex his columnam in Syria suo tempore superfuisse, adjicit *Josephus*. Locum *Josephi* emendatum, cum versione Ruffini (nam *Geleniana* aberravit) legas licet apud *Gerard. Jo. Vossium lib.* 1. *de art. Grammat. cap.* 9. ubi de inventoribus litterarum disputat, *Sethoque aut* etiam *Adamo deberi ejus inventionis gloriam*, ostendit. Quo de argumento qui tractarunt, multi annotantur ad *Curt.* 4, 4, 19. *Radero & Cl. Freinshemio.* Nonnulli *ab Adamo positas* statuunt *duas tabulas, in quibus scripserit initia creationis, lapsum hominum, & promissionem; atque has tabulas existimant tanquam templum fuisse, & certi loci signum, in quem solitus esset convocare suam ecclesiam, & ubi sacrificia facta sunt & recitata doctrina.* Quæ, quia nec ex Josepho, cujus nomen præfertur, desumta sunt, nec historica fide confirmantur, inter conjecturas eruditorum merito jubentur subsistere.

Interim, hac occasione de rerum inventione & inventoribus, ista observari possint: Plerasque omnes artes, quæ sunt gravioris momenti, in mundo antediluviano repertas videri. Sicut autem in mundo antediluviano ad Adamum atque filios ejus pleraque inventa merito referuntur, ita in mundo post diluvium instaurato, Noachum cum filiis restitutarum artium auctores haberi par esse. In hoc argumento semper distinguenda esse, quæ ad rem & substan-

ſubſtantiam artis, ut ſic loquamur, ſpectant; ab iis, quæ modos & gradus & adjectiones ſpectant. Rudia enim ſunt ſcientiarum artiumque principia; donec progreſſu temporis expoliantur. Hinc factum eſſe, ut, qui aliquid adjeciſſet poliendæ arti, aut in ea commutaſſet, auctor totius rei celebraretur. Itemque, ſi quis ex hac gente in aliam primus intuliſſet artem. Ad illum modum propagandi artes ex gente in gentem, acceſſiſſe poſtea ambitionem gentium, dum ſibi quæque vindicat inventionem & inventores rerum, ne aliunde accepiſſe videatur. Interim ſatis conſtare, pleraque omnia eſſe antiquiora, quam quæ jactitant ethnici; quod in parte *Joſephus*, & præſertim *Clemens Alexandrinus* aliique urgent adverſus paganos. Judæis itaque primas rerum inventarum laudes deberi; à quibus ut quæque gens commercio & loco proxima fuit, eo magis participaſſe videri poteſt. Non tamen diſſimulandum eſt, poſt diſperſionem Babelicam, cum ipſis tot gentium conditoribus artium ſemina in orbem diffuſa, alibi felicius, alibi parcius proveniſſe. Sed, quoniam gentium ex diſperſione iſta paſſim exortarum prima initia ad liquidam memoriam non pervenerunt (forte ea pars fuit pœnæ divinitus per illam diſperſionem deſtinatæ) factum hinc eſſe, ut omnia diſſenſione & ignoratione plena ſint, in diſputatione de primis rerum inventoribus. Interim ſufficere, ſi agnoſcamus pie, DEUM omnibus ætatibus lociſque dediſſe homines, qui artes vitæ utiles & decoras excolerent, reperirent, aut ſocietati civili accommodarent.



X.

IN PHILONIS JUDÆI LEGATIONEM AD CAJUM σχεδιασμα.

DEdit huic libello titulum *Philo*, περὶ ἀρετῶν καὶ πρεσβείας πρὸς Γάϊον, *de virtutibus, & legatione ad Cajum.* Ex duplici scilicet proposito; nam & Legationem ad Cajum voluit describere, & eadem opera Caii dedecora insectari. Hinc ironia quadam *Virtutum* nomen præscripsit. Testis *Eusebius*, cujus hæc sunt Verba: τὰ περὶ τῆς θεοστυγίας Γαΐου γεγραφότα μετὰ ἤθους καὶ εἰρωνείας ἐπιγράψας περὶ ἀρετῶν. *Quæ de nefaria Caii impietate scripta sunt, eleganti sermonis lusu, de virtutibus, inscripsit.* Detracta igitur figura Γάϊος ψεγόμενος, *Cajus vituperatus*, de quo est apud *Photium in Bibliotheca*.

Hist. Eccles. lib. 2.

cod. 105.

Cum enim orta Alexandriæ seditione, Judæi multis acerbitatibus essent affecti, missi sunt & à Græcis & à Judæis ibi habitantibus, terni utrinque ad Cajum legati. Græcorum Legatorum primus Apion, multa in Judæos invectus, præcipue crimini dedit, quod Cæsari statuas dicare, & per nomen ejus jurare, soli ex omnibus populis detrectarent. Philo legationis ab altera parte princeps, cum pararet objecta diluere, à Cajo jam exasperato, non sine contumelia, repulsus est. Memorat *Josephus* ἀρχαιολ. XVIII, 10. cui addas licet *Suidam, voce* φίλων. qui &, altera vice, Claudio Imperante Romam reversum Philonem, auctor est. Tum ergo magno cum applausu publicavit, quæ in Cajum scripserat, referente *Eusebio*. Ipse *Philo* non *tres*, ut Josephus, sed *quinque legatos* nominat. Et, quoniam pars hujus libri extrema periit, deficimur plena historia.

Sicut præsertim res ipsa satis loquitur. Paucula enim de Legatione sua cum commemorasset Philo, in ipsa transitionis ad ulteriorem narrationem formula deficit. Summa autem libelli, qualem nunc habemus, ista est: Orsus à sin-

à singulari divinæ Providentiæ circa res humanas cura, læta permutantis tristibus, initia Caii, quam exoptata, per provincias acciderint, describit; repentinamque Principis in deterius mutationem, atque consecutam inde felicitatis publicæ eversionem per domestica exempla, ad exteros, præsertim Judæos, deducit. Postea, ex ambitione Caii, Divinos honores affectantis, Odii caussa arcessitur in Judæos: quippe, qui Principum ἀποθεώσειν, Dei immortalis injurias crederent. Ea occasione, multa atrocia in Judæos Alexandriæ patrata memorantur; dirutis, præter varias cædes, eorum Proseuchis, aut statuis in eas introductis. Hinc occasio supplicandi per legatos & litteras Principi. Dum legati Romæ sunt, inimicos suæ gentis & delatores certius cognoscunt. in quibus Capito Quæstor, ob tumultum Jamniensem, quem Judæorum adversarii, excitata Caio ara, machinati erant, vehementer Judæos incusavit, tanquam Imperatoris honori contumaciter repugnantes. Eam Cajus occasionem nactus, mandat Petronio Syriæ præsidi, ut loco aræ subversæ, colossum capite radiato in templo Hierosolymitano statueret, armisque coërceret, si qui auderent resistere. Petronius, cum secreta æstimatione diu pensasset, quantum periculi haberet consilium tam præceps, tandem sacerdotes & Principes Judæorum hortatur, imperata faciant, & extrema, quæ imminerent, obsequendo prævertant. Fatigatus autem infimis obtestationibus concurrentis undique multitudinis, Cajo respondet, facturum se, quod imperátum esset, ut primum opifices absolverent opus, quod inchoaretur. Interea Agrippa quoque Rex Romam redierat, Cajumque ipsa Petronii epistola irritatum, pro Judæis accuratissime deprecatus erat. Ita factum, ut verbo omitteretur, re autem ipsa denuo destinaretur, JOVIS Caligulæ dedicatio. Audiuntur post hæc legati Judæorum, nec audiuntur. adeo vagabunda Principis mobilitas, & scurrarum aulicorum illusio omnia confuderat. dimissi tamen, nunc quidem citra atrociorem injuriam, quo in posterum usi sint fato, in obscuro est.

Quæ Philo ab initio de Providentia divina philosophatur, & sententiis illustribus & rationum gravitate præcellunt: neque vel facundissimorum Scriptorum commentationibus cedere debent, si quis inter se contendere velit. Id quod ab instituto nostro nunc quidem alienum est: dum ad historiam præcipue oculum intendimus. Neque enim immerito forte aliquis miretur singularem Philonis in rebus Romanis, aulaque Caii & Imperii totius statu peritiam.

Si quis ergo subtili & accurata explicatione sibi cupiat demonstrari, quid sit *Felicitas Publica* Imperii Romani, cui toties numos olim dicatos novimus; huic Philo exemplum, quod in posterum sine exemplo fuit, illud tempus nominabit, quo Tiberius Cajo reliquerat cum imperio suam pacem terra marique per omnes provincias diffusam, domi thesauros, foris exercitus, opes publicas, munitum Euphrate & Rheno, quicquid Romanæ ditionis erat; & hinc omnia gaudio, festis, apparatu denique aurei sæculi fulgentissima. cujus rei, quantus in animis hominum sensus fuerit, interposito, ex valetudine Caii, metu mutationis, veluti distinguit, & mox resumtam lætitiam publicam avidius instaurat. Res Historicum, verba Oratorem produnt. Tiberius enim, utut domi per sævitiam invisus, illacessitam foris pacem conservaverat, ejusque dulcedine provincialium animos devinxerat. Quantum autem bonæ spei de Cajo omnes conceperint, quibusque gratulationibus ad famam successionis Caii exultaverint, vel ex *Suetonio* discas licet *in Calig. cap. XIII. & seqq.* Jam confer, quomodo felicitatem & lætitiam publicam, concisius quidem, descripserit *Vellejus lib. 2. c. 89. & 103. & 126.*

Conversus hinc ad facinora Caii narranda *Philo*, Tiberii, qui tantum quod ad pubertatem pervenerat, à Caligula, jam patre adoptivo, interfectus est, cædem miserabilem solus ita describit, ut *Suetonius*(Calig. 23.) *Dio*(*lib. 59.*) *Josephus* (ἀρχαιολ. 18, 8.) summam facinoris designasse, ipse seriem

riem repræsentasse, videantur. Cujus diligentiæ, plura ipsi monumenta in hac scriptione debebimus.

Sublato igitur æmulo, ad alterum certamen, & Macronis exitium prorupit Cajus. Hujus *Macronis* Philo *primum merita* describit in Cajum. Cum enim Tiberius Imperator sæpe destinasset Caligulam occidere, Macro præcipuus post Sejanum in amicitia Principis, laudando & excusando variis & artificiosis asseuerationibus Cajum, non iminenti tantū exitio subtraxerat, sed etiam ut successor constitueretur, effecerat. Magnum hoc meritum: nec alterum multo minus, cum præceptis consiliisque bene regendi imperii, ornandique loci Principis eum cottidie cohortatus, ne in dedecora prorumperet, pravoque ingenio obsequeretur, aliquamdiu obstitit. Qua occasione Philo facunde in locum de officio Principis digreditur, monitorique Macroni plenam sapientia orationem tribuit. Deinde *Odium Caii in Macronem & machinationem* ordine edisserit; qua ambitione moneri nescia surrexerit; quo furore exarserit; quibus prætextibus latere voluerit; qua acerbitate desævierit. Jucundum autem fuerit, ante omnia hic observare, quomodo Philo sit imitator sui, si conferamus cum his, quæ *in Flacco* de Macrone scripsit. De cetero servient hæc, illustrandæ breviori historiæ *Suetonii Calig.* 26. *Taciti 6. A.* 45, *&* 46. (qui in eo discrepat à Philone; quod hic Enniæ adulteria clam Macrone; ille conscio & parario facta tradunt) *Dionis* 59.

Sequitur tertium Principatus Caiani facinus, cædes M. Silani, nobilissimi viri. Hunc enim Socerum, eoque necessitudinis titulo monitorem & consultorem non magis quam Macronem ferre potuit Cajus: ratus, (quod recte judicat Philo) sicut Tiberii cæde Consanguineis; Macronis exitio, Equestri ordini terrorem incusserat: Ita Silani interitu Senatorium decus conculcari. Addatur *Sueton. Calig.* 23. *Dio* 59. *Tac. Agr.* 4.

De his immanissimæ tyrannidis rudimentis *occulti* primo *questus*; mox *adulatorum & imperitorum excusationes* referuntur. τυφλώττει γὰρ ὁ ἄνθρωπος νοῦς πρὸς τὴν τοῦ Συμφέρον-

τος ὄντως αἴσθησιν, εἰκασμῷ καὶ στοχασμῷ μᾶλλον, ἢ ἐπιστήμῃ χρῆσθαι δυνάμενος. *Cæca enim ad dignoscendum quæ vere prosunt mens humana, non tam scientia, quam conjectatione quadam & assimilata specie ducitur*; ut hoc *Philonis* efferamus verbis. Adulatorum autem proprius is est character, quod *omnia Principum, honesta atque inhonesta, laudant*. Tac. 2. A. 38.

Hinc *Philo* ad exagitandam Caii insaniam progressus, *quod* DEUS *haberi voluit*, facundissime, per gradus veluti, & figuras gravissimas, suam εἰρωνείαν exequitur. Primo enim (adulantium vocibus haud dubie) inductum refert; ut eum, qui præstantissimæ hominum parti præest, hominibus majorem crederet, sicut est opilio ovibus, bubulcus bobus; parum scilicet memor congeneris naturæ. Hinc locus *Panegyristæ*, in comparatione exemplorum tam abominabilium, laudandi egregia sententia Trajanum:

Plin. Pan. 2. *Unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat: nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit*. Huc ergo pertinebat judicium Jani apud *Senecam*: *censeo, ne quis post hunc diem deus fiat ex his*, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν: ex his, quos alit ζείδωρος ἄρουρα. Sed ab hac, sive credita, sive non repudiata vanitate, Cajus procedit ad *Semideos* æmulandos; qui ex hominibus scilicet, in Deos relati finguntur; Liberumque, & Herculem, & Castores videri vult referre. Atqui, inquit, *Philo*, virtute Dii fiunt; vitiis divinitas, si qua fuit, exuitur. *Utilitatum enim magnitudine constituti sunt ii Dii, qui utilitates quasque gignebant. Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber etiam*. Verba *Ciceronis* sunt.

Sen. lud. de morte Cl.

2. de nat. deor. 23. & 24.

Atque, si omnino is error Caii imminutam mentem occupavit, *Ejusdem Scriptoris* verbis liceat ethnicis fateri, quod *hac res* genuerit falsas opiniones, erroresque turbulentos, *& superstitiones pæne aniles*. *Et formæ enim*, inquit, *nobis deorum, & ætates & vestitus ornatusque noti sunt: genera præterea, conjugia, cognationesque, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. nam & perturbatis animis inducuntur*:

2. de nat. d. cap. 28.

tur: accipimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, ut fabulæ ferunt, dii bellis præliisque caruerunt. quæ dicuntur & creduntur stultissime, & plena sunt futilitatis, summæque levitatis. Opportuna tamen excusando Caio, si quis velit ejus causam suscipere. Quod est enim omnino vitium in eo, quin aliquis, non dicam Semideorum, sed Deorum, quos imitatus est, eo teneatur?

Ridet quidem acerbe *Philo* Cajum, quod *Apollinem, Martem, Mercurium*, nulla virtutum aut meritorum æmulatione, voluerit æquare. Sed horum quoque non minora extant in fabulis flagitia, quam celebrantur merita. Ut & ipsius *Jovis*, cujus tandem affectavit nomen. Ac Philonis quidem satyrica *μίμησις*, ornatissima censeri debet. Historiã ipsam petere debemus ex *Sueton. Calig.* 22. qui hanc ἐκθέωσιν non tanquam de Principe, sed tanquam *de monstro* narrat. *Monstrosam* scilicet *stultitiam* intelligas licet. Nec aliter judicat *Josephus* ἀρχαιολ. 19. *pr.* & *Dio*, cujus hæc ipsa verba sunt: ἀνακαλέντων δὲ αὐτὸν τῶν μὲν, ἥρωα, τῶν δὲ, θεὸν, δεινῶς ἐξεφρόνησεν. *Cum alii eum Heroëm, alii Deum vocarent, supra modum insanire cœpit.* lib. 59.

Clausulam *Philonis* possit curiosior aliquis forte mirari, cum inquit: ἅλις γε ἤδη μεμαθήκαμεν τούτων, ὅτι οὐδενὶ θεῶν ἀλλ' οὐδὲ ἡμιθέων ἐξομοιοῦσθαι δεῖ Γάϊον, μήτε φύσεως μήτε οὐσίας ἀλλὰ μηδὲ προαιρέσεως τετυχηκότα τῆς αὐτῆς: *Satis nunc equidem cognovimus, nemini nec deorum nec semideorum Cajum æquiparari posse, quippe qui nec naturam, nec essentiam, nec studia & proposita ejuscemodi nactus sit.* An περίεργον & superfluum fuit, de natura dicere? quam cum semideis communem habebat; cum diis autem quod non haberet communem, nulla opus erat demonstratione: si vulgarem sententiam spectamus. Alias, accurate loquendo, quid Jupiter, Mars, Apollo, Mercurius aliud fuerunt, quam homines, quos opinio meritorum quondam in cœlum & deos retulit? Plus gravitatis habet ἐπίκρισις, qua, *libidinem animi male morati, ambitione, pervicacia, licentia regni, usque ad cæcitatem dementari*, pronuntiat.

Et

Et hanc quidem amentiam, *ceteras gentes pertulisse*, ait, *ita ut etiam Romæ introduceretur* βαρβαρικὸν ἔθος, προσκύνησις, *barbarus adorandi mos.* Cujus moris peregrini auctorem *Suetonius* facit L. Vitellium, his verbis: *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit: cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.*

In Vitell. cap. 2.

Dum autem *Philo* explicat, *quomodo Judæi in societatem hujus adulationis propter decreta divinæ Legis pertrahi nequiverint, eaque re iram Caii Cæsaris meriti sint*, interjicitur sententia, quæ τὸ τῆς ἀποθεώσεως ἄλογον ita demonstrat, *quod facilius sit deum in hominem mutari, quam hominem in Deum*, θᾶττον γὰρ ἂν εἰς ἄνθρωπον θεὸν, ἢ εἰς θεὸν ἄνθρωπον μεταβαλεῖν. In hanc sententiam congruere puto *Photii* Censuram, cum ait; *Philonem interdum* τὰ τῆς Ιουδαϊκῆς φιλοσοφίας ἀλλότρια, *ab Judaica sapientiæ placitis aliena scripsisse.* Parum certe consentiunt cum iis, quæ ipse habet, *libro* ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, *quod Deus sit immutabilis.* Si dicas, figura ὑποθέσεως hoc significari; impossibile esse, ut homo fiat Deus; sicut nec Deum posse in hominem mutari quisquam crediderit: Philosophum, qualis est *Philo*, nondum excusabis, quod comparationem instituit, in re, quæ citra injuriam divinæ majestatis, nec simplici nec comparato sermone efferri potest; & ubi pars comparationis prævalens sine sensu dicitur.

Quoniam ergo Judæi divinos Caii honores, non admissuri videbantur, facilius patuit occasio inimicis eorum & obtrectatoribus, criminandi eos apud Cæsarem, tanquam qui soli ex omnibus populis colere Cajum dedignarentur. Hinc Alexandriæ, Græci pridem Judæis infesti, ingentem tumultum cient; omnibusque rerum & verborum acerbitatibus exagitantes eos, Caii imagines passim in Proseuchis eorum (sive synagogis) collocant. Quæ seditionis ac injuriarum series, non hîc tantum à *Philone*, sed in altero etiam *in Flaccum* libro describitur. Unde & *Baronius* depromsit, suisque *Annalibus* inseruit.

ad ann. Chr. 40.

Dum

Dum autem *Philo* cupit ostendere, non veneratione Cæsarei fastigii, sed hostili odio in Judæos hæc facta; quippe cum ante Caium, nullius Cæsaris honori talia moliti sint Græci: ea occasione in laudes Tiberii, & præsertim *Augusti* digreditur, illustrisque panegyrici materiam, in summam facundissime contrahit; atque inter alia, ejus in Judæos indulgentiam exquisita historia deprædicat. An autem in hoc præconio, Judaicæ Philosophiæ consentiat *excusatio, quod Augustus quoque, non à Judæis quidem sed ab aliis, divinos honores receperit*, facile reperiet, qui cogitare voluerit. Ait enim: *recepisse eum talia, non quod cæca elatione jura & leges aliorum subvertere cuperet*, ἀλλὰ καὶ τῷ μεγέθει τῆς τοσαύτης ἡγεμονίας ἑπόμενος, ἣ διὰ τῶν τοιούτων πέφυκε σεμνοποιεῖσθαι, *sed quod tanti Imperii majestati id tribueret, quæ ejusmodi artibus non parum illustrari solet.*

Inter delatores Judæorum *Helicon* Ægyptius fuit, Caio per malas artes & scurriles facètias mire gratus: qui ab Alexandrinis emtus, inter oblectationes Principis accusatoriam diritatem in Judæos exercebat. Cujus ingenium, mores, commenta, graphice describit *Philo*, solus historiæ ejus in obscuro latitantis interpres.

In æstimanda Caii insidiosa humanitate, singularem quandam prudentiam non ostendit modo, sed explicat.

Multam subinde vim & commotionem habet descriptio illius pavoris, quo nuntius de colosso Caii, legatorum animos perturbavit. Hic enim, quod *Fabius* de narratione dixit, *docere & infigere animis res cupit.* Quamquam, *eodem magistro*, narratio *non sit sinuosa, & arcessitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poëticæ licentiæ ducuntur, lasciva.* *Instit. Or. IX, 3. II, 4.* Quod an aliquando in hoc opere acciderit Philoni, eruditis expendendum relinquo: certe nullam ullius figuræ aut amplificationis occasionem prætermittit. Igitur inter præcipuos auctores copiosæ adornatæque orationis commendari meretur.

Ut autem Caio injiceretur cupiditas, statuæ suæ colossicæ in templo Hierosolymitano consecrandæ, effecerant Capitonis Quæstoris in Judæa literæ, quibus incusabat

bat Judæos Jamnienses, tanquam ob excitatam à paganis aram tumultuatos. Irritatus ergo Cajus, cum præsertim Heliconis & Apellis tragœdi calumniæ accederent, Petronio Syriæ Præsidi accuratissimis literis mandat, ut statuam colossi forma sibi in templo Judæorum primario dedicaret, obsistentesque Judæos armis coërceret. Quæ fuerint exinde lamentationes Judæorum, quæ ad Petronium concursationes, quæ deprecationes; quæ Petronii secreta, & cum amicis consultatio; quæ ad Caium literæ; denique, quæ Caii iracundia & dissimulatio, solitis & suavissimis ambagibus exequitur *Philo*; conferendus erudite, cum civiliore *Josephi* historia, in ἀρχαιολ. XVIII, 11.

An illa oratio, qua senes Judæorum dicunt, *se jugulaturos uxores, liberos, denique seipsos*, conveniat philosophiæ Judaicæ, facile judicatu est. Sicut & illud notari meretur, quod sequitur, *de Gorgonis capite.* cujus fabulam Judæos suæ orationi aptaturos fuisse, ego quidem distulerim credere. Sed qui tam frequenter inducunt personas, & totiens alieno, quam suo ore loqui malunt, vix ubique feliciter custodiunt mensuram sui argumenti.

Consultationem Petronii, sententia civilissimæ gravitatis conclusit: τοῖς δὲ ἀγαθοῖς, ἀγαθὰς ὑπηχεῖν εἴωθε γνώμας ὁ θεὸς, δι' ὧν ὠφελοῦντες, ὠφεληθήσονται. ὅπερ κἀκείνῳ συνέβη. *Solet Deus bonis viris bona suggerere consilia, tum ipsis tum reipublicæ commoda, quod & tum Petronio accidit.*

Agrippæ pro Judæis deprecationem longe aliter *Josephus* memorat. Sed *Philonis* narratio habet veluti περιπέτειαν τραγικήν. Epistolam autem Agrippæ, sive potius orationem deprecatoriam, omni apparatu eloquentiæ percoluit. Venustum est & dulci similitudine illustratum argumentum, quo *Judæos ex omnibus primos Caio Imperium gratulatos* prædicat. De M. Agrippa, de Augusto, de Tiberio, quales erga Judæorum nationes, ritus, civitates fuerint, nullibi alias tam accurrate traditum habetur.

Pilati quoque Procuratoris, ad cujus iniquum tribunal Christus est adductus, descriptio, non æque in vulgus nota, in hoc transcursu prætereunda non videtur. Agrippa enim

pa enim ait fuisse hominem *contumaci arrogantia intractabilem*; Judæis tamen aliquando indulsisse, metuentem, ne administrationis malæ reus ageretur; sive, ne Judæi apud Principem incusarent τῆς αὐτοῦ ἐπιτροπῆς τὰς δωροδοκίας, τὰς ὕβρεις, τὰς ἁρπαγὰς, τὰς αἰκίας, τὰς ἐπηρείας, τοὺς ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, τὴν ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα. *Venditatas sententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, acerbissimam crudelitatem.*

Venia Agrippæ literis data, qualis fuerit, novi declaratione consilii ostenditur: quo Caius decrevit alium colossum inauratum Romæ factum, clanculum in templum Hierosolymitanum introducere, atque dedicare, sub titulo Διὸς ἐπιφανοῦς νέου Γαΐου *Novi Jovis Illustris Caii.* Qua occasione tyrannici animi indoles, offensiones omnes revolvens, & semel indulta in contrarium vertens, notabilibus exemplis describitur.


Illud autem ludibrium cognitionis, cum veluti ad dicendam caussam accirentur Legati Judæorum, mimi cujusdam & ἐνθεατρισμοῦ speciem habet. Capita philosophiæ, unde ducuntur sententiæ ac inventiones, sunt: de officio Judicis, de mobilitate vagabunda tyranni, de reorum solicitudine, de accusatorum improbitate.

Quoniam autem ab initio dictum est, hunc Philonis librum, ad vituperationem Caii pertinere, non alienum fuerit, notas morum ejus excerpere, ac sub uno conspectu proponere. Summatim primum in eo notat τὸ τῆς φύσεως ἄμικτον καὶ ἀκοινώνητον, καὶ τὴν τῶν ἠθῶν ἀνωμαλίαν, *naturam insociabilem & à civili consuetudine abhorrentem, cum morum inæqualitate.* Quæ qualis sit adjicitur: ἀλλόκοτα γὰρ αὐτῷ καὶ ἐπιμανῆ (τὰ ἤθη) κατεφαίνετο, μηδεμιᾶς σωζομένης ἀκολουθίας, μήτε ἐν λόγοις, μήτε ἐν ἔργοις. *Absurdi apparebant & insani mores, quique nec in verbis nec in actione sibi constarent aut congruerent.* Adhuc gravius: ἦν μέντοι πρὸς τἄλλα πάντα τὴν φύσιν ἄπιστος, ὡς εἰ καί τι χρηστὸν ἐργάσαιτο, μετανοεῖν εὐθὺς, καὶ τρόπον τινὰ δι' οὗ καὶ τουτὶ λυθήσεται ζητεῖν μετὰ μείζονος ἀνοίας βλάβης. *Erat ingenio inconstans, ut eum mox pœniteret si quid boni se-*

ni fecisset, idque irritum facere cuperet, quo infestior nocentiorque esset. Subinde dicitur φίλεεις καὶ φιλόνεικος ὤν, *contumax & contentiosus.* Iterum tribuit ei τὸν φέναχα τρόπον: sive, ut mox explicatur, τὸ πεπλασμένον καὶ ποικίλον τῶν ἠθῶν, *ficti fucatique moris assimulatam speciem. Monitores & consultores*, ait, *cane peius & angue eum odisse*: ἤχθαιρε μᾶλλον τῶν ὁμολογουμένων πολεμίων τοὺς διδάσκοντας. quippe cum esset ἄνθρωπος οὐδὲν φρονῶν ἀνθρώπινον. νέος καὶ νεωτεροποιὸς, ἀνημμένος εἰς τὴν ἐφ' ἅπασιν ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν *homo nihil humanum spirans, juvenis, rerum novarum cupidus, ac infinita licentia in præceps vergens.* Quæ omnia, ab *incivilitate animi morisque*, initio ducto; *mobilitate, calliditate, pertinacia, acerbitate*, desinunt denique in παράφορον καὶ παράκοπον μανίαν, *vecordem insaniam.* Habes ergo teterrimæ, id est, Caianæ tyrannidis specimen & complementum.

Quod si quis instituat aliorum scriptorum testimonio illustrare, *Dio* præsertim pleraque asseverabit. Ex quo summatim potissimum descripsit *Suidas.* Ad cujus elogium de Caio obiter aliqua annotabimus. Hæc autem sunt ejus verba: Γάϊος ῥωμαίων βασιλεὺς τὸ μὲν πρῶτον μεγαλοφρόνως διῴκει τῆς βασιλείας τὰ πράγματα, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπηκόοις καθηκόντως ἐχρῆτο, μετὰ δὲ δύο χρόνους ἐκστὰς τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, κατὰ μίμησιν τοῦ πατρὸς ἀπεθέωσε. Cetera vel *Philo* satis explicaverit. Quod autem de imitatione patris dicit, vel obscurum est, vel mendosum. Sive enim Avum Augustum velis intelligere (nam de Patre qui potest?) parum exprimetur, quod dici debuit: Sive Jovis imitationem suspiceris, hoc modo, his verbis efferri non potuit. In sequentibus, cum ait voluisse eum statuam suam oppidatim per templa consecrari, etiam in templo Hierosolymitano, cum inscriptione νέου Γαΐου ἱερὸν: ex *Philone* corrigi debet. Quin enim νέος Ζεὺς exaudiendus sit, eo minus dubitationis datur, quo certius ex *Dione* constat, eum *Juvenis* appellatione in primis offensum esse. Interponit hic *Suidas*, *legem* Lib. 59. Caii, *qua servis licentiam accusandi dominos concessit, eaque re veluti signum ad calamitatem omnis Romani orbis, & ad intolerabilem δουλοχεστίαν extulit.* contra morem & prudentiam vete-

veterum, qui mali exempli id esse judicaverant. Igitur ne in civili quidem bello, Julius Cæsar admisit. *Cum enim populus legi de modo auri argentique caput adjici postularet, quo servis dominos deferentibus μήνυτρα sive præmia indicii decernerentur, non tantum nihil ea de re addidit legi; sed diris se devovit ipse, si quid unquam servo contra dominum crederet.* Narrat *Dio lib.* 41. Et Caligulæ quidem legem non abrogavit modo successor Claudius, verum insuper eos servorum, qui adversum dominos delationes factitassent, severissime ultus est, aut dominis ulciscendos tradidit. Sicut iterum ex *Dionis lib.* 60. discas. Ac sub Neronis initia *non receptus inter reos Carinas Celer Senator, servo accusante.* apud *Tacitum* 13. A. 10. Pergit *Suidas*, & *de muliebri vestitu Caii* memorat. Explicabit *Suetonius in Calig.* 52. *&* *Seneca* 2. *de benef.* 12. Adjicitur *de peregrinis mysteriis* (quæ spectent forte ad *Suetonii* historiam *Calig.* 22.) *de adulteriis & raptu alienarum sponsarum uxorumque*, itemque *incesta cum sororibus consuetudine* (quod exemplis firmant *Dio lib.* 59. *Sueton. Calig.* 24. *&* 25.) *de profusione & prodigalitate*, iisdem *Scriptoribus* declarata. Addit tandem *Suidas*, *Tiberium tali Successore desiderabiliorem redditum; cujus facinora in tantum superaverit Caius, in quantum ipse Tiberius Augusti crimina vicerat.* Descripsit ipsa verba *Dionis ex lib.* 59. ὥστε τὰ τιβερίου ἔργα, καίπερ χαλεπώτατα δόξαντα γεγονέναι, τοσοῦτον παρὰ τὰ τοῦ Γαΐου, ὅσον τὰ τοῦ Αὐγούστου παρ᾽ ἐκεῖνα, παρενεγκεῖν. Quæ verba *Æmilius Portus* fere ad eum modum quo posuimus, Latine convertit. At *Dionis* interpres ita reddidit: *Ut Tiberii acta, quanquam visa molestissima, tantum à vitiis Caii abfuerint, quantum ab Augusti virtutibus Tiberius.*



XI.

Exercitationum Rhetoricarum ſpecimen anno 1643. αὐτοσχεδιασὶ propoſitum.

Gratulationis ; qua civis in dignitate conſtitutus, patria

E conſpirationis, incendii clanculum ſtructi, aut ſimilium caſuum periculo liberatæ, obſequium officiumque approbat.

ad Flori lib. 4. cap. 1. de conjurat. Catilin.

CHaracter λεκτικός. Convenit talibus argumentis ſtylus civilis, moderatus, decenter ornatus.

Τύπος πρακτικὸς æſtimatur partim *ex perſona dicentis* ; partim *ex perſona eorum , ad quos loquimur* , partim *ex argumenti indole* , partim *ex circumſtantiarum , quas vocant, conditione.* Ergo ubique eluceſcent *fides erga ſenatum & magiſtratus ; gravitas erga cives ; ſolicitudo , pro aris & focis ; providentia futuri , ſolers judicium de præſentibus.*

DESIGNATIO IPSIUS ORATIONIS.

Ingreſſus ab officio affectuque boni civis in patriam,

EST quidem ſingulis civibus non tam præceptus lege quam natura inſitus is affectus , ut patriæ ſuæ adverſis doleant, ſecundis lætentur : ſed intendit eam curam vel evidentia exempli cauſarumque apud ſimpliciores ; vel apud prudentiores , arcanus ille fortunæ publicæ ſenſus ; qui arctiſſima copulatione venerationi majeſtatis cordatas mentes

mentes devincit. Quod commercium, quo est sanctius & interius, eo minus ostendi cum pompa, aut verborum expressione potest declarari. Mihi certe nec eloqui nunc licet, quæ mente concipio; nec concipere integrum est, quæ recondito caritatis in patriam instinctu sentio. Prorsus enim magnum est, & admirabile divinæ in rempubl. nostram curæ argumentum, quod hesternus dies vidit, quod nulla dies, nulla posteritas ignorabit. Structæ erant non in singulorum civium capita insidiæ, sed in universorum animam atque vitam pernicies comparata: in omnem ætatem, in omnem sexum, in sacra, in profana, jamiam grassatura erat nefanda sævities, cum ecce, quæ calide excogitata, quæ audacter conata, quæ strenue provisa erant, pæne in ipso furoris ultimi effectu dissipata repente & repressa sunt. Nimirum ipsa reipubl. hujus fortuna, veluti ex cœlesti machina sceleratorum machinas discussit. idque non sine miraculo præsentanei auxilii & potentis efficaciæ. Legimus in Romanis annalibus, cum inita adversusPrincipem conspiratio esset manifestata, grates Diis decretas, & præsertim *proprium Soli honorem, quod occulta conjurationis in æde Solis parata, numine retexisset.* Nobis sine omni superstitionis imitatione, Solem nostrum venerari licet i. e. providentiam cœlestem, quæ non intuetur tantum & invisit nostra, sed tutelari numine complectitur salutem omnium atque singulorum. Ista Lux illuxit nobis, & dispulsæ sunt tenebræ arcani sceleris: Ista lux affulgeat nobis clariora in posterum fata, & benefico sidere consilia publica temperet pariter atque prosperet. Namque id solenniter & publica voce nunc precari fas est, imo & sperare. Discet enim, ni fallor, & videbit quantumvis cæca improbitas; nullas sceleribus etiam instructissimis adversum majestatem vires esse, quam tuetur invicta atque supra fraudes & opes totius orbis constituta majestas, quæ rebuspubl. majestatem & majestatis tutelam largitur conservatque. Itaque quamquam vestræ in rempubl. fidei, providentiæ, laboribus plurimum debemus, Patres magnifici & strenui, plus tamen est quod vobis

Proponitur argumentum gratulationis i. e. liberatio ex periculo; Cujus periculi magnitudo describitur;

item modus liberationis extollitur.

Qua occasione ad grates Deo habendas pietas stimulatur:

cum voto & spe securitatis in posterum;

bis de tam inexpugnabili præsidio, gratulandum habemus. Ex vestra enim mente sensuque loquimur, vestrum est singulare illud & inusitatum hoc tempore elogium, quod, cum omnia vigilia curaque complectamini attentissima, sic tamen de vestro opere sentitis, ut nihil in ulla quam divina ope reponatis. Quam mentem ut vobis conservet Deus immortalis, merito precamur omnes: neque tamen interim pauca in vobis miramur, & saluti publicæ destinamus. Infundit se vigilantibus, agentibus, prospicientibus divinus ille fortunæ & providentiæ publicæ vigor, qui vos calamitati temporum & casibus pares, molitionibus nefariorum hominum, ac sceleribus superiores præstat, præstabitque. Agite modo, quod agitis, & audete vestros cives tueri, pugnare cum probris seculi, vincere adversa, secunda tueri; nihil negligenter, omnia cum dignitate, singula cum observatione, universa cum congruentia tractare. Sic & gloriam vestram & rempublicam reddetis immortalem. Equidem si altiore consilio dispositionem fati rerumque ordinem assequi quodammodo licet, crediderim, perpetuitatem reipublicæ, hoc tanquam divino monito stabiliendam fuisse. Nam nec clariore exemplo discere, quàm præsenti auxilio divina bonitas nos tueatur; nec efficaciore instinctu ad industriam & officia quæ Deo patriæque debemus, adigi poteramus. Quod superest, quicunque civium numero animoque sumus, si quid in nobis consilii, actus, virium est; id omne cum ipso, quem in hac patria haurimus ac ducimus spiritu, æternitati reipublicæ & securitati in solidum consecramus. Dixi.

Senatus pietas & industria tanquã pignora spei concepta celebrantur.

& hortatu obsequioso instigantur.

Rursum nova spes pignus ex abdito petitur.

Obsequiorum civilium studium asseveratur.

ANNOTATIO.

P*Ertinet huc Cic. Catilinaria secunda, itemque oratio Catonis apud Sallustium, in Catilina cap.* 52.

Loci qui amplificationem recipiunt, sunt potissimum: *descriptio periculi*, ubi figuris evidentiæ & repræsentationis διατυπωτικῆς locus est. E. G. posset produci miserabilis facies

cies exitii & ob oculos poni: atque hic imitationis causſa legendæ ſunt, *captivitates urbium, incendia, ruinæ* apud *Hiſtoricos & Poëtas*, 2. *commendatio cœleſtis præſidii.* qua occaſione tractari poſſet ille locus: *Quibus rebus reddatur reſpubl. immortalis.*

Ex re nata, temporiſque & loci reſpectu, *inventiones* decore petuntur, e. g. Si percenſeatur duratio Reipublicæ, indeque vel de terminis fatalibus, vel de comparatione caſuum; vel de futuri ſpe ſententiæ concinnentur.

Item ſi perſona cujus ope detectum eſt, *aliquid ominis* habet, aut *conſiderationis emphaticæ.* ſunt e. g. nonnullæ familiæ quæ ſervandis rebuſpubl: deſtinatæ videntur: itemque nonnullorum obſcuritatem Deus per talia nobilitat, qui exempli publici cauſa etiam in civitate honorandi ſunt.

Ad Flori lib. 4. cap. 2. de bell. civ. Cæſ. & Pomp.

τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Καῖσαρ τὴν τοῦ Πομπηΐου κεφαλὴν ἰδών.

Qualia verba potuerit Cæſar facere, viſo Pompeii capite.

PRænotari hic debet, quod *Dio* 42. memorat; *Cæſarem viſo Pompeii capite illacrymatum*, civem & generum *appellaſſe, veterem neceſſitudinem commemoraſſe, percuſſorum ſcelus improbaſſe, caputque honeſte funerari juſſiſſe.* Sed riſu mox & ἐλέγχῳ εἰρωνικῷ proſequitur iſtas lacrymas; *feras* nimirum & *ſimulatæ pietatis.* unde & *Lucanus* 9. *Pharſal.*

—— quiſquis te flere coëgit
Impetus, à vera longe pietate receſſit.

Apparet ergo, quoad τύπον πρακτικὸν *mixtum* ἐκ τοῦ ἤθους καὶ τοῦ πάθους *Characterem* adhibendum: *partim* enim miſericordiæ luctusque ſpeciem induit ſuis lacrymis; itemque iraſcitur percuſſoribus; *partim* pietatis, comitatis, mo-

destiæ & gravitatis imagines exhibet. Cetera ex *circumstantiis*, quas appellitant, pendent; quarum observationem etiam hic diligenter commendat *Theon in Progymnasm.*

Stylus quis huc quadret, τύπος λεκτικός, *Aphthonius in Progymnasm.* designavit : ἐργάσῃ δὲ τὴν ἠθοποιίαν χαρακτῆρι σαφεῖ, συντόμῳ, ἀνθηρῷ, ἀπολύτῳ, ἀπηλλαγμένῳ πάσης πλοκῆς τε καὶ σχήματος, i. e. interprete *Joach. Camerario* : *Ethopœia elaborabitur forma orationis perspicua, brevi, florida, soluta, ab omni implicatione & figurarum gestu aliena.*

DESIGNATIO.

Διαιρέσεις ἀντὶ κεφαλαίων τοῖς τρισὶ χρόνοις, τῷ ἐνεστῶτι,

NOn hoc ego, Fortuna, vel votis petii, vel armis quæsivi. quem pene in Pharsalia vicisse pudet, quia cives erant, qui vincendi fuere. An ideo civibus, etiam inter commissas manus & expedita in mutuas cædes tela parcendum duxi, ut civium eminentissimus, cui & fortuna prælii pepercerat, quemque ego non servatum modo sed reconciliatum propediem videre festinabam, nefando interiret parricidio? Heu me infelicem, qui præcipuo & armorum & victoriæ fructu spoliatus sum! Nam nec sumsi arma, ut sanguinem civicum funderem; nec vincere optavi, ut gener periret. Solam sub clypei tutela pacem spectavi : neque premere adversarios clade, sed apparatu belli in gratiam volui revocare. Te autem, ô Magne, ô gener, non tam bello superare, quam superatum conservare, omnique cultu, fide, amicitia honestare, & semper alias, & in ipsis, qui nostro proh dolor tumultu inhorruere, campis unica certaque destinatione decreveram. Egone id caput, cujus veneratione orbis quondam universus contremuit, impiissimo facinore recisum aspiciam? Vos vero, ô devota capita, ô nefarii parricidæ, quis tandem malus dæmon furiavit, ut majus sorte vestra facinus ausi, sacrum & gentibus adoratum caput consceleratissimis manibus violaretis? An ideo Ægyptum Pompeius olim servavit, ut beneficiorum suorum magnitudinem exitio lueret? O sortem bellorum! quid bella incuso, quorum invidiam & crimen

crimen, Ægypti perfidia vel abſolvit vel minuit? Ægyptium ſcelus, ipſum Romani imperii lumen, humani orbis decus, clariſſimum ſuæ Reip. principem extinxit: meam autem victoriam, per ſe, ut de civibus, illætabilem, ſed quæ miſerrimæ neceſſitudini, qua in arma actus ſum, imputari poterat, veriſſimo luctu & infamia contaminavit. Neque enim mihi dediſtis, mortalium peſſimi, iſtud ſcelus, quidquid ſimuletis aut præferatis tandem, ſed partium fato imminentes, cum fortuna mutaviſtis fidem. Defleo interim te, cariſſime gener, ſemperque deflebo: cum virtutes tuas, noſtraſque caritates recolam & neceſſitudines, quibus nos tam diu, tam arctis vinculis conjunctos fortuna tenuit. quid ego de amicitiæ fide, de affinitatis pietate, de collegii ſanctitate dicam? Quidquid vel ad publicum decus, vel ad privata ornamenta à nobilibus & amicis ingeniis conferri unquam potuit, contulimus; utriuſque fortunæ ſocietate, tanquam in mutuo complexu, immoti ſtetimus; non ſeria, non jocos alter ſine altero amavimus. donec utrique in tantis verſanti rebus, reique publicæ tot perturbationibus implicatæ induſtriam quidem ſed arduam & ancipitem navanti operam, neſcio quæ deorum ira, qui caſus, qui amicitiarum corruptores diſcordiæ ſemina injecerunt. cujus nec occaſiones, nec fomenta, temporibus tam perplexis, poterant deeſſe. factum ſane eſt, quod infectum mallem, ſi qua potuiſſet fatorum decretis intercedi. itaque nihil intentatum reliqui, quod ad conciliandam pacem poſſet pertinere. jam arma tenebam: & adhuc concordiam non ſuaſi modo ſed rogavi. nihil litteræ, nihil internuntii, nihil conciliatores & amici valuere. Ita in aciem & armorum diſcrimina propulſus, vel ſic ſervare quam pedere adverſarios præoptaſſem, ſi jacta ſemel Martis alea, ullum ſui regimen in jacientis manu relinqueret. Teſtor cariſſimam Patriam, pro qua totiens infeſtis hoſtium telis meum caput obtuli, me nec deinceps vindictæ potius quam paci & civium incolumitati conſulturum, & nunc nihil magis dolere, quam quod præcipuam benefaciendi materiam & oſtendendæ

τῷ παρηχηκότι,

 volun-

voluntatis occasionem cum & in Pompeio amisi. cui nunc, præter solennia funeris, & inania munera, quæ etiam hostis hosti debet, vix quidquam licet præstare nisi quod memoriam tanti & viri & generi, omni officio, cærimonia, pietate celebrare, nullo tempore desinam. neque quisquam posterorum Pompeii exitum miserabitur, quin Cæsarem suæ miserationis & socium & exemplum habeat. Sed nec unquam, inter maxima vertentis fortunæ documenta, & civilium armorum lamentabiles vices, Magni nomen memorabitur, quin apud omnes, Ægyptii sceleris perfidia cunctis furoribus civicis truculentior judicetur. Væ tibi profana, & innocui hospitis Patronique sanguine temerata tellus! Nulla tui Nili exundatio eluet hanc maculam, nulla Nemesis ignoscet: donec, quæ inusitati facinoris exemplum dedisti, singulare fias & perenne non inultæ perfidiæ monumentum. ut una eademque opera resciscat orbis, *ita recipi in Ægypto amicos; ita receptos occidi; ita occisos vindicari.*

τὸ μέλλον.

ANNOTATIO.

TRactatio margini adscripta est ex *Aphthonio*, qui distribui vult hoc genus meditamenti Oratorii secundum tria tempora: partemque ad *præsentis* rei considerationem referri, partem ex *præteritis & antegressis* sumi, partem denique ad *futura* i. e. ad ea quæ consequi, & deinceps fieri possunt aut debent, dirigi.

Exempla universim ad hoc scriptionis genus pertinentia præsertim *Libanius Sophista* dabit, cujus XXVII. extant in duobus operum tomis *Ethopœiæ*. De cetero, in contextis operibus, ut *in historia*, *in dramatibus*, *argumentis*, *epicis carminibus*, *orationibus*, egregia specimina reperiuntur *τῆς ἠθοποιΐας*, quæ eo diligentius sunt cognoscenda, quo clarius inde usus hujus eloquentiæ enitescit. nam separatæ ejusmodi Ethopœiæ, qualem dedimus, *ἐν προγυμνάσματος μοίρᾳ*, æstimandæ & ad competentiam totius orationis exigendæ sunt. Interim si ullum ex ejusmodi *præexercitaminibus*

minibus, (ita enim interpretatur *Priscianus* προγυμνάσματα) certe hoc est diligentissime & frequentissime tractandum. Quippe cum præcipuam disertæ scriptionis & laudem & artem τὸ ἦθος absolvat, amplissimæ illi cognitioni & longe lateque diffusæ, quibusdam rudimentis clariorum affectuum morumque præludendum est. Seorsim huc pertinet oratio quam Cæsari Pompeii cædem aversanti tribuit *Lucanus l. 9, prope extremo.*

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ ἘΠΙΤΑΦΙΟΝ,

sive

Inscriptio sepulcralis tumuli Pompeiani.

CElebrantur defuncti apud Veteres, partim quidem *Orationibus & Laudationibus funebribus* in publico habitis, sicut apud *Dionem* e. g. Julium Cæsarem, Antonius; Augustum, Tiberius laudavere: partim scriptis elogiis, quorum exemplum præsertim *Hieronymi Epitaphia* esse possunt: partim *Inscriptionibus.*

Quæ primo simplices erant; mox cœperunt admisceri ornamenta non una: cumprimis autem *sententiarum quædam gravitas, inventio, & brevitas*; tum *numerorum non affectata illa quidem, sed notabilis tamen cura.* Unde in charactere ἐπιγραμματικῷ (qui longe interim ab alteris illis, peculiariter ita vocatis epigrammatis abest) ubique observes τὸ εὔρυθμον; nec raro τὸ παράδοξον τῆς γνώμης: constatque hactenus ea res observatione potius, quam disciplina, quam nemo τεχνικῶς adhuc dum interpretatus est. Continent autem præter elogia, potissimum graves ἐπικρίσεις & judiciorum è philosophia generosiore pondera. nam id maxime est notandum.

Quod ad historiam attinet, Truncus Pompeii Nilo jactus à Servio Codro rogo inustus, humatusque est, inscribente sepulcro: HIC SITUS EST MAGNUS POMPEIUS. referente *Aurelio Victore in Pomp.* Sed qualis potuerit inscriptio concinnari, ex altero illo ge-

nere ἐγκωμαστικῷ & ἐπιχειρητικῷ, monſtravit *Lucanus lib.* 8. poſt illa;

Inſcripſit ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen :
HIC SITUS EST MAGNUS.



TUMULUS POMPEII.

HIC SITUS EST POMPEIUS MAGNUS,
NEC MAJORA QUÆRE ELOGIA.
NIHIL MAJUS HOC NOMINE
ORBIS HABET.
CUJUS QUOT PARTES,
TOT MAGNITUDINIS POMPEIANÆ
MONUMENTA,
TRIUMPHATORI EUROPÆ, ASIÆ, AFRICÆ
PERENNE VEL CONDITORIUM
ERUNT
VEL TROPÆUM,

Alia inſcriptio.

HIC SITUS EST POMPEIUS MAGNUS,
nomen venerationi gentium,
memoriæ temporum,
tuæ, quiſquis iſta legis, diſciplinæ
ſacrum.
cuius immenſas cogitationes non cepit orbis,
illum acta Niliaca,
rudi & tumultuario ceſpite
concludit.
ita conditur, qui Romanis orbem vicit.
Quod nemini hominum contigerat,
nulla pars orbis fuit,
de qua non triumpharet
POMPEIUS

vere

vere & merito & consensu
MAGNUS.
ô rerum vices!
cujus virtute Romæ caput extulerat
supra populos,
illius caput, non hostis, non amicus,
non miles, non vir,
sed castratum regis pueri mancipium,
ipseque rex mancipii mancipium.
cervice revellunt;
Cæsari donum,
sibi piaculum,
generi humano abominationem
per ultimum scelus meditantes.
Talem Ægyptus suo Patrono,
filius paterno amico
& servatori,
gratiam rependunt.
Ita, qui Romanas vires in immensum auxerat,
Romanis armis, in cladem;
qui Ægyptum totam suis beneficiis pigneraverat,
Ægyptio scelere, in exitium
detruditur:
nusquam infelix, aut intutus
nisi
inter amicos, & clientes,
& soceros.
cecidit autem,
non sibi magis, quam auctoribus
infausto exitu.
Manebit enim gloria terrarum,
stupor populorum,
utriusque fortunæ
utrobique memorabile miraculum
POMPEIUS.
At vero, jamiam vigilat
ultricis Providentiæ oculus,

in ste-

in sceleratorum capita,
quæ paulo post sanguine madebunt.
Age Cæsar,
vindica generi manes tantisper
in Ægyptum,
cæde, ure, vasta:
melius uteris gladio in perfidos,
quam in cives,
quorum sanguinem paulo post,
tuo lues,
cum idem fies, quod POMPEIUS.

Ad Flori lib. 4. cap. 3.

ELOGIUM AUGUSTI.

PRæmonemus hic studiosos eloquentiæ, *Laudationes personarum sive virorum illustrium* non esse uniusmodi. Percensebimus potiora genera, quæ & utilem & necessariam observationem habent. *In primis* noti sunt πανηγυρικοὶ λόγοι & ἐπιδείξεις, *orationes totæ multo apparatu artis, splendore verborum, gravitate sententiarum, laudes alicujus complexæ.* cujuscemodi scriptionis incomparabile & loco omnium nominandum exemplum *Plinius in laudatione Traiani* dedit.

Sunt *deinde*, brevioris instituti stilique *Elogia*; duplicis rursum generis: *Alia* enim, simplicitate quadam stili aut facilitate item sententiarum, ad historiæ quendam typum accedentia, minora majoribus, judicia narrationi ita miscent, ut narrandi instituto intervenisse aut servire judicia videantur. Simplicissime versatus est in hoc genere, *Aurelius Victor de Viris illustribus.* E recentioribus eximia mediocritate & temperatissima dictionis elegantia *Gallorum illustrium elogia quatuor libris* complexus est *Scævola ille Sammarthanus doctissimi vir ingenii.* *Janus* autem *Nicius Erythræus in Pinacotheca* plus amœnitatis admisit, sed ut videatur non excedere voluisse mediam gratiam, inter Panegyricam magnificentiam, & Historiæ simplicitatem. Nullo interim modo

modo comparandus fuerit ingenio Sammarthani. *Alia* autem *elogia* non tam historiæ succenturiantur, quam civili Prudentiæ judicioque in solidum destinantur; perpetuamque *ἐπίκρισιν* super præcipuis actibus moribusque viri publice utilis aut noxii graviter, & sententiose exprimunt; quale quid mox in persona Augusti tentabimus.

Denique (describam hoc genus Elogii verbis *M. Senecæ Rhetoris è suasoria 7.*) *quoties magni alicujus mors ab historicis narrata est, toties fere totius consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur. hoc semel atque iterum à* Thucydide *factum, in paucissimis personis usurpatum à* Sallustio, Livius *benignius magnis viris præstitit. sequentes historici multo id effusius fecerunt.* Exempla ibi habes è *Livio* & *aliis.* quibus adde *Curtii*, quod Parmenioni præbet, testimonium 7, 2, 33. & quo Alexandrum summatim laudat 10, 5, 26. *& seq.*

ELOGIUM AUGUSTI.

C. Octavium Cæsarem ad omnia summa & publica, vel natura genuit, vel virtus instruxit, vel fortuna provexit. Singularis præstantiam indolis super cetera, quibus futuram magnitudinem pueritia prodit, etiam celebrium actuum præludia & prudentissimorum virorum omina abunde ostenderunt. Neque enim aliunde ipsi Cæsari Julio, sagacissimo homini, quam similitudine cælestis indolis in adoptionem placuit. Consecuta est mox educatio, & cura tanti Parentis, & ingenio acerrimi alumni, & fortuna rerum, quibus destinabatur, dignissima. Nimirum, cujus magnitudo futura esset incomparabilis, eum non solius naturæ dotibus, sed quibuscunque animi & industriæ artibus oportebat præstare. Quis enim non agnoscat hic divinæ curam Providentiæ? quæ Augustum his temporibus, & imponendo rebus Romanis fastigio, produxisse & conservasse putanda est. Hinc illa imminentium periculorum profligatio perpetua: hinc fortunæ, ingentes spiritus & vigorem inusitatum comitantis, efficax illa benignitas æstimari debet: qua factum est, ut adolescentis aucto-

ctoritatem viri suspicerent; Prudentiam viri senes non caperent; privatum nemo despiceret, Principem orbis veneraretur. Bellis invictus. sed quorum gloria non parum minuitur, quia multa cum civibus gesta sunt. Quanquam mira Dei sapientia, etiam pravo consilio ab Augusto gesta, in salutem orbis Romani vertit: ut expiarentur tot exitialia luxuriantis potentiæ & felicitatis vitia. Mox natus in terris Deus, Princeps Pacis, armorum Dominus, pacis cupiditate imbutum Augusti animum armis abstinuit. Quis enim dubitet, cælo deberi pacem illam Augustam, tot oraculis prædictam, tot præconiis celebratam? Ex quo enim hunc imperio orbis ordinando ministrum Providentia divina delegerat, omnia summa & singularia & illustria sub ejus auspicio & nomine geri voluit. Effectum certe est, ut etiam ii, qui libertatem maluissent, gratularentur sibi de tali instauratore reipublicæ: quæ non longius ab exitio, quam ab Augusti principatu abfuisse, consensu credita est. Jam ipsa formatio regni illius Cæsarei, quam profundis consiliis est fundata, quam amplis diffusa provisionibus? Hic vero se explicavit vastus ille animus, & par terrarum orbi indoles: quam non labores fregere, non exhauserunt curæ, non moles negotiorum oppressit. Sæpe dubitatum est, an unius hominis animus regno sustinendo par esset: sæpe per exempla euntibus nemo reperiri potuit, qui dubitationem eximeret. & ista quidem in regnis, qualia passim & multa orbis numerat. de Augusto loquentibus cogitandum est regnum, pleraque regna complexum; monarchia monarchiarum pariter & rerumpublicarum domina; summum in maxima imperia imperium; quod ab omni ævo non habet nisi tria quibus comparetur, ut longe lateque præcellat? Tantam ergo rerum molem, qualis à condito orbe in unius dominationis dignitatem non coivit, sustinuisse, pene supra hominem videtur: quid formasse? quid, stabilivisse? Admisit equidem inter istas imperatorii muneris curas multa tanti & Principatus & Principis fastigio indigna: patefecit aures callidis consultoribus; commovit ipse & tentavit sa-

cra

cra verſutiæ; ſtuduit flagitiis, quibus ſecuriorem paganiſmus licentiam promittebat. nam hæc & talia nemo excuſat niſi vel adulator, vel impius. Sed prudentibus incumbit, divina in Heroibus munera & opera à vitiis, quæ excellentiori naturæ magis inſidiantur, diſtinguere: neque horum execratione, omnem illorum gloriam, quæ in auctorem utique Deum unice redit, obterere. cur enim Deo placuerit, talem orbi dominum imponere, qui nulla veri Numinis cognitione illuſtratus erat, jam non eſt hominum diſceptare. quibus ſufficit ſcire, quod Deus voluerit & fecerit AUGUSTI nomen vere auguſtum, & incomparabile, & propterea omnibus populis ſæculiſque venerabile. De quo ne quis dubitare poſſet, ipſius Æternæ Veritatis non voce modo, ſed exemplo proſpectum eſt.

ANNOTATIO.

IN talibus elogiis plena libertas merito relinquitur Scriptori, ut excerpat ex toto laudum cumulo, quæ *vel* ad ſummam compendioſa, *vel* ad judicium eximia, *vel* ad claritudinem inſignia videntur. Nam, ſi quis nimis *ἐπὶ ῥητοῖς* & ad regulam, quadam præceptionum ſuperſtitione, velit alligari, præcipuum hujus inſtituti decus amittet, quod *in judicandi gravitate expedita & libera* conſiſtit.

Seorſum etiam commendanda eſt *judiciorum perſpicuitas.* ſolenne fuit gentilibus, in graviſſimis quibuſque negotiis *judicium affectare potius, quam expromere.* hinc tot obſcuræ, vagæ, & in generalem ſenſum patentes, *de fato, de fortuna, de Diis, de natura* ſententiæ: quibus gravitatem negotio, ſed ſub velo, & per affectati ſpeciem myſterii quærunt. A quo more Chriſtiani, vel in honorem Chriſtianæ philoſophiæ, longiſſime debebant recedere.

Et quoniam in toto illo genere *κριτικῷ*, ſive in ferendis judiciis, ſæpiſſime ad reconditioris ſapientiæ ſubſidia veniendum, & à vulgi opinionibus longiſſime recedendum eſt; opera tamen cumprimis dari debet, ut de rebus

ſupra communem captum poſitis, ad communem captum loqui, adeoque minime vulgaria vulgi ſenſibus quodammodo exponere videamur.

Ad idem caput Flori.

POſſemus hic adjicere *Characterem inquieti & factioſi hominis*, occaſione Antonii, quem hoc nomine *Florus* deſignat. Sed quia *in Charact. Vell. cap.* 5. aliquid tale tentavimus, nunc nihil aliud, quam brevem *de ejusmodi Characteribus* (de quibus præter *Caſauboni* nonnulla *ad Charact. Theophr.* nihil admodum explicate traditum recentioribus memini) annotationem apponemus.

Tenet autem non poſtremum in Philoſophia Practica locum illud diſciplinæ genus, quod *Characteriſticum* vocatur. quippe quod & jucundum eſt, & ad doctrinæ efficaciam perſpicuum, Vide omnino *Senecam epiſt.* 95.

Eſtque χαρακτὴρ, de quo nobis hic ſermo, nihil aliud quam deſcriptio hominis boni aut mali per notas ſive per morum actionumque ſpecimina. *Auctor librorum ad Herennium* reddit Latine, *notationem*. Hinc apud Theophraſtum frequens eſt illa formula : *ſolet autem e. g. cavillator, loquax, ruſticus, talia ferme agere & dicere.*

Genera *Characterum* hæc ferme reperiuntur : *Theophraſtei*, quos merito & ſignificanter videmur ita appellare poſſe, ab exemplo Theophraſti ; qui ſuos *Characteres* ita ordinavit, *ut præmiſſa brevi deſcriptione vitii, de quo agitur, ſubjungantur ſelecta atque ex communi uſu ſenſuque petita actionum & ſtudiorum ſpecimina, quibus tanquam brevibus & evidentibus notis deſignetur vitii ac vitioſi hominis indoles.* Qua in re ſectatus eſt Theophraſtus magnam tractationis ſimplicitatem & facilitatem, ſed cum tanto judicio & delectus prudentia, ut mirari facilius ſit, quam imitari.

2. Appellabimus aliud genus, *Rhetoricum*: quia non tam in ſimplici commemoratione notarum occupantur iſti Characteres, quam per figuras evidentiæ, cum ornatu quodam, imaginem rei repræſentant. Qualis character legitur

legitur *lib.* 4. *Rethor. ad Herenn.* ubi *Ostentator pecuniosus* notatur. Apud *Dionem Prusaeum Chrysostomum orat.* 4. *de regno* ita χαρακτηρίζονται homines φιλήδονοι, φιλόπλουτοι, φιλόδοξοι. Quo referri debent Ciceronis χαρακτηρισμοὶ, quos multo cum apparatu & facundia Antonio in Philippicis appingit.

3. Inveniuntur etiam *Characteres Dramatici*; qualem *Horatius* dedit *lib.* 1. *Sat.* 9. hominem garrulum describens.

4. Possumus & quosdam Characteres *Historico-politicos* appellare, *quibus scilicet, tanquam in parte narrationis historicae homines memorabili & quasi Characteristico signandi genere, per varias morum, ingenii vitaeque notas describuntur.* Qua in re eximia est, & propterea singulari consideratione digna veterum *Historicorum* industria. quorum *descriptiones*, quibus praecipuos homines non tam ad filum historiae, quam informationis civilis contextum, signare solent, suo merito appellari possunt *Characteres Politici, Ethici*, aut *Ethico-politici.* Quo in genere excellunt *Tacitus* & *Velleius.* Vide quae diximus *Charact. Vellei. cap.* 1.

5. Sunt & *mixti Characteres*, e. g. *Isacii Porphyrogeniti*, quos *Janus Rutgersius* 5. *Var. lect.* 20. primus publicavit: singulis ferme epithetis, partim τὰ φυσιογνωμονικὰ, partim τὰ ἠθικὰ, in personis notantes. Pleraque sui parte sunt φυσιογνωμονικοί. Vide *Charact. Vellei. cap.* 5. 6. & *Edon. Neuhus. theatr. ingen.* 1, 2. & *seq.*

6. Quo referemus, inquiet aliquis, *Barclaii iconem animorum*? Nonne & in eo opusculo, tersissimo sane subtilissimoque, εἰκονισμοὺς tales sectatus est? Fecit id quidem tanta elegantia, inventione, contextu, ut mutuatus videri possit quaedam ex singulis illis generibus. ut non erraverit. qui novam illis stationem assignaverit: nisi quod ratione diffusioris elegantiae ad *secundum genus* videntur accedere, instituto autem & civilitate dictionis, ad *quartum* referri non immerito poterunt.

7. Praeter haec observabis *in Scriptoribus bonis*, quaedam non tam in characterem totum adornata, *quam χαρακτηριστικῶς dicta*, i. e. *quae & emphasi & forma expressionis tanquam notas morum graviter designant.* Qualia & multa passim in Histori-

ſtoricis, Poëtis, Oratoribus occurrunt, & diligenter ſunt obſervanda.

In ſcribendis Characteribus, *Philoſophia intimas* tibi rationes morum recludat; *Eloquentia*, delectum verborum & civilitatem ſententiarum ſubminiſtret; *Hiſtoria* judicium circa utramque cognitionem exemplis dirigat, ut congruentia experientiæ rebuſque ſint vel præcipue, quæ ſic ſcribuntur. Exempli gratia dicam, *Scribendum eſſe Characterem Hominis Oligarchici.* Abi ante omnia ad *Ariſtotelem*, cognoſce naturam Oligarchiæ & oligarchica ſtudia; perge ad *Platonem*, qui *lib.* 8. *de rep.* diligenti philoſophia deſcripſit, *qui mores ſint hominum oligarchicorum, & Democraticorum.* Propone tibi *Characterem hominis oligarchici à Theophraſto* compoſitum. Inquire poſthæc in exempla *Appiorum*, & ſimilium: quæ ubertim ſuppeditat Hiſtoria. Jam viſa erit pedum via, ſi judicium & eruditio aderit, ſine quibus nihil in ſtudiis præclare geritur. Et hoc genus ſcribendi non cadit in cujuſvis ingenii facultatem.

Ad Flor. lib. 4. cap. 4.

Diſquirendum:

Quid ſentiendum de rumore, qui increbuit, Panſam & Hirtium Coſs. quorum hic in acie, ille paulo poſt ex vulnere obiit, ambos opera Cæſaris occiſos? Sueton. Aug. 11. *Dio* 46. *p.* 360. *Tac.* 1. *A.* 10, 2.

PRO CONFIRMATIONE EJUS RUMORIS.

POſſet dici: Non abhorrere à vero eam famam, ſive æmulatio Cæſaris, ſive propoſitum ſpectetur. quippe cum pro prætore juſſus eſſet bellum gerere cum Conſulibus, ſtatim graviter tuliſſe, quod ſua & dignitas & opera conſulari auctoritate obumbraretur. cupidine dominandi omnia pro licitis vindicaſſe, conſulatum mox avidiſſime pe-

me petisse. nemini sane, præterquam Cæsari, mortem consulum profuisse. calliditatem ejus in ipso commento agnosci posse, ut ad casum scilicet belli referretur, quod ipse machinatus erat. ejusque rei exempla domestica ipsum habuisse in Julio patre, qui inimicos pari dolo in tumultu præliorum per suos occidi curavit, memorante *Dione*. Prudentes, non modo ejus temporis, sed, qui postea vixere, Historicos non refutasse eam famam, ut appareret, pro vera habitam aut certe pro verisimili. *lib. 42.*

DESTRUENDI EJUS RUMORIS HÆC suppeterent argumenta:

HIstoricos hic nihil certi tradere, *Suetonium*, rumores & suspiciones; *Dionem* obtrectationes adducere; *Tacitum* sive Prudentes apud Tacitum dubitare. infirma fidei documenta esse rumores vulgi, qui in utramque partem ex nihilo sæpe, & quidem quo vanius eo vehementius consurgant. suspicionibus non plebem modo deditam, sed Prudentes pleraque, præsertim eorum, qui dominatum occuparunt, deterius interpretari, & afflictis censuris vexare. Sparsum haud dubie aliquid tale ab iis, qui patriæ & libertatis amorem præferentes, dominandi cupidis omni modo invidiam creare, civilis officii duxerint. forte & inde arreptam occasionem, quod, non uno sed utroque Cos. occiso, ipsa casus magnitudo perculsos hominum animos varia cogitatione, & eorum, quæ quocunque modo fieri potuissent, excogitatione, in suspicandi & sequius opinandi licentiam abripuerit. Jam, unde adolescenti, & suas res cautissima & pene timida dissimulatione adhuc agenti, tantam subito inter initia audaciam accessisse? Pansæ mortem tali perspicuitate ab Historicis narrari, ut ne locus quidem suspicioni superesse possit. Quippe veruto per ilia trajectum letale vulnus accepisse, posteaque nulla maturati exitii indicia, nullam veneni vim prætulisse. Idem ergo de Hirtii exitu judicandum. Sed nec prudentiæ Cæsaris convenire, ut tanti facinoris infamia

mia, quam præsertim servis & militibus in conscientiam admissis facile emanare posse intelligebat, futuris rebus atque operibus suis vim & auctoritatem detraheret.

ANNOTATIO.

NOtum est, alias inter *Progymnasmata Eloquentiæ* tradi, *ἀνασκευὰς* & *κατασκευὰς*, *Destructiones & confirmationes*. Quas *præcipue* olim Rhetores, tanquam *meditamenta forensium actionum* commendabant discentibus; cum omnis vis oratoris forensis & actoris causarum in eo consistat, ut sua valide tueri, objecta fortiter & perite possit depellere. unde *Aphthonii* judicium de hoc exercitationis genere: *ἡ γυμνασία δὲ αὕτη πᾶσαν περιέχει τὴν τῆς τέχνης ἰσχύν*: *hæc exercitatio omne artis robur in se continet.* Sed de eo proposito hic non agimus.

Est *deinde* aliud consilium *Destructionum & Confirmationum*, priore restrictius & moderationi prudentiæ quam certaminibus eloquentiæ accommodatius: nimirum ut serviant *Consultationibus*, & *Deliberationibus*; ubi rei momenta in utramque partem expendere, unamque modo sententiam confirmare, modo aliam infirmare, aut potius (nam id moderationis *Συμβουλευτικῆς* πρέπον requirit) examinare oportet.

Est *tertio* adhuc angustioribus scriptionis limitibus conclusum, quamquam de cetero in profundissima quæque prudentiæ adyta demissum genus, *Historicis* proprium. cum rumorem aut famam aliquam gravioris momenti, ex occasione, breviter & ad gravitatem historiæ exacto examine, vel affirmant, vel refutant. iisdẽ usi argumentis, quæ alias hic obtinent, *ἐκ τοῦ ἀσαφοῦς, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ἐκ τοῦ ἀνακολούθου, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου*, & in contrario contrariis; sed libertate majori ac securitate, quoad artem; & moderatione accinctiore, quoad prudentiã. sicut & alias, *electio potius argumentorum ex rei propositique indole*, quam *collectio ex libellis artis* locum debet habere. *Tacitus* vel *aperte* id facit, sicut illustre habemus exmplum 4. A. 10. & 11. itemque 1. A. 6. in utram-

utramque partem. adde 2. Hist. 37. & 38. vel *tectius* & *cum arte*, de qua diximus *annot.* 1. *ad cap.* 5. *lib.* 1. *A.* vide *Theonem Progymnasm.* Nobis hic propositum fuit, ad Historicorum exempla & *pragmaticum illum modum confirmandi destruendique respicere.* Nam *ῥητορικώτερον* illud genus satis est à Sophistis percultum: in quo multa sunt, quæ à seria scriptione longius abeunt, ut *κατασκευὴ τῶν ἀπιθανωτέρων* & similia. Alias de *exercitatione ipsa*, post memoratos, adi *Libanium.* Nobis enim non est animus ad generales illas præceptiones nunc hærere: sed ad *ὑποθετικώτερα* & *πραγματικώτερα* præceptionum usum instituimus revocare.

Liceat porro hic annotare quasdam exercitationes, quæ possent ex Historia belli Mutinensis & Scriptoribus illam tractantibus utiliter & apte desumi.

Conqueruntur, nec immerito docti, de *Scholis declamatorum veterum* & *sophisticis exercitationibus*, quod argumentis longius ab usu vitæ & rerum actu remotis juventutem fatigaverint. id quod hodieque nimis proh dolor! videmus evenire. eo major nobis opera danda est, ut omnia ad præsentiores usus eloquentiæ & vitæ dirigamus.

Videntur ergo hæc maxime ex nostra historia juventutis exercitationi convenire: 1. *Vituperatio Antonii*, non illa quidem *per scholasticos tantum locos & formulas* instituenda, sed partim *ex Historicorum de Antonio judiciis*, partim *ex Ciceronis invectivis sive Philippicis*, ita componenda; ut sive velis *χαρακτῆρα ἠθικὸν* potissimum sequi, civilibus sententiis morum indoles deformetur; sive *χαρακτῆρα πολιτικὸν* præcipue spectes, ex publici actus statusque contextu, propriis & veris judiciis omnia innitantur: sive mixtum ex utroque genus præplaceat, per vestigia Ciceroniani & stili & judicii inaffectatæ gravitatis censura decurrat. omissis scilicet, quæ amplificationibus, aut figurarum pompæ, aut affectibus Cicero permisit.

2. Quoniam *Philippica Ciceronis* incomparabile & utilissimum eloquentiæ pariter & prudentiæ civilis monumentum sunt, varia in illis poni industria debebat, inter cujus

jus specimina etiam posset institui *Comparatio Philippicarum Ciceronis & Philippicarum Demosthenis.* Fallor enim, aut eximium habebit in κρίσει tum eloquentiæ, tum civilis status reique publicæ usum, *si occasio & propositum utriusque operis politicum, si industria actionis, auctorum studia in rempublicam, eloquentia, fata*, cum *attinentibus* & *innexis* in mutua civilis elogii judiciique declaratione ponantur.

3. *Disquisitio Politica*, & *discussio illius quæstionis: An M. Antonius crimen majestatis commiserit, adeoque meruerit hostis reipublicæ judicari?* ad hunc modum adornari posset, ut ex Ciceronis præsertim Philippicis gravissima illa *de juribus reip. & majestate imperii, senatusque* argumenta, veluti in cumulum collecta, & *excerptioni Politicæ* super tam memorabile opus Ciceronis; & *accommodationi sive usui*, sub exemplo servirent.

4. *Oratio illa Ciceronis à Dione lib.45. Græce descripta*, posset *ipsius Ciceronis stilo & phrasi*, ex Philippicis desumenda, *in Latinum sermonem*, cum cura purioris elegantiæ, *transferri.*

5. Sicut ex diverso, *si quis unam & alteram è Philippicis Græce vellet convertere*, non deficietur phrasi & idiomate Græco, si *Dionem* & *Appianum* in subsidium adhibeat. Nam de *Demosthenis imitatione*, frustra monuero, nisi cum eruditis & exercitatis mihi res sit.

Nondum dimittemus illustres illas Philippicas, nisi novam exercendæ industriæ occasionem invenerimus. Fortasse hæc poterit esse: *si colligantur ex Philippicis ea* (sunt autem eximia & compluria) *quæ de rebus & actibus politicis non judicio politico, sed colore oratorio, & ὑποθέσεως χάριν, in favorem caussæ artificiose dicuntur tractanturque.* Liceret enim & hos *colores Philippicarum*, non quidem ut scopas dissolutas spargere, sed cum judicio ita connectere; ut partim imitaremur *M. Senecæ in Suasoriis & Controversiis* morem, quantum præsertim ad ἐπικριτικὰ attinet; partim ex occasione argumenti, aut invento ingenii, quodammodo contexeremus dispersi operis tractationem.

De

De Ethopœiis, quarum occasio non una ex hac historia emergit, nunc nihil addo. Illud tantum suaderem, ut vel *in Dione*, vel *in ipsis Philippicis brevi expositione* τὸ ἦθος, quantum ad Ciceronem attinet, *ostendatur*. Cum enim ad examen & observationem lectioni conjungendam pertineat, ut *Halicarnassens* peculiari libello monet, non modo τὴν λέξιν, & τὴν τέχνην, sed etiam τὸ ἦθος *observare*, operæ pretium utique erit in tam nobili argumento experimentum facere, juxta illam ipsam methodum, quam *Dionysius* commendat.

Ad Flor. lib. 4. cap. 5.

FOrmetur *oratio legatorum Lucii ad Cæsarem*, cujus delineationem in historia belli Perusini dedit *Appianus cap. 5. b. c. pag. 694.* Cum enim res ad extremum necessitatis esset adducta, Lucius tres ex optimatibus misit deditionem & preces Cæsari perlaturos. οἱ δὲ τρεῖς ἐντυχόντες τῷ Καίσαρι ἀνεμίμνησκον τοῦ γένους τῶν στρατηγῶν ἑνὸς ἑκατέροις ὄντος, καὶ στρατειῶν ὁμοῦ γενομένων, καὶ φιλίας τῶν ἐπιφανῶν, καὶ ἀρετῆς προγόνων, οὐκ ἐς ἀνήκεστον τὰς διαφορὰς προαγαγόντων, ὅσα τε εἰκὸς ἦν ἄλλα ἐπαγωγὰ τούτοις ὅμοια ἔλεγον. *Tres autem illi legati cum venissent ad Cæsarem, communem utrisque ducum* (Cæsari & Antonio) *patriæ necessitudinem, commilitium antea usurpatum, illustrium utrinque virorum amicitias, cordatam majorum gravitatem, qui non soliti fuerint inexpiabiles exercere inimicitias, aliaque his non absimilia memorabant.*

ORATIO IPSA:

CUm primum adversus te arma induisset Antonius, nihil inimicitiæ, quam tecum nec optabat nec habebat, Octaviane Cæsar, sed amori patriæ & libertatis omnia dare constituit. Neque nunc alia viro mens est: sed fortunæ iniquitate circumventus, pro fortibus viris, publicam secutis caussam, veniam petit; non tam ille quidem de sua incolumitate, quam de conservandis Patriæ civibus solicitus.

citus. Qui nec ipsi ab externo hoste vel petituri vel accepturi erant salutem. Tuum erit deliberare, an gloriosius tibi futurum sit, si quid in deditos possis, sævitia quam clementia velis testatum. Ex eadem urbe, quam & patriam habetis uterque, & dominam revereri debetis, contraria induistis arma: utrinque Romana acies, Romana signa, Romanus sanguis. Qui cum Antonio nunc faciunt, eorum magna pars sub tuis auspiciis ductuque paulo ante adversum patris interfectores pugnavit. Neque exolevit sane in eorum animis prioris militiæ necessitudo: credo, nec in tuo. sed illos quidem perturbatio temporum non tam à te avertit, quam communi patriæ contra omnium amicitias & inimicitias obligavit: tibi autem vel hic dies suadeat, reverenter habendam, quæ tam instabili varietate sua munera non dispensat magis quam transfert, fortunam. Sunt in tuis, sunt in Lucii castris ipsa nobilitatis Romanæ, & utriusque ordinis decora. credisne tales viros mutui pignora animi & coalitam tam diuturna vitæ consuetudine caritatem, cum toga exuere tanquam vestem, aut brevissimi temporis militia oblivisci potuisse? Imo vero ipsa civilis belli miseria renovat priores affectus, armisque non minus quam odiis terminum ponit: ut haud dubie tuis gratificaturus sis, cum Antonii sociis parces. Sat scio idem nobiscum oraturos plerosque non milites modo sed amicos tuos: si vel dubitare de clementia tua, vel arbitria tuæ victoriæ agere fas existimarent. Majores nostri, viri invicti, qui non virtute magis quam prudentia hoc imperium ex minimo maximum fecere, non ferro discordias civium, sed conditionibus transigebant, & cives civibus parcere, justum æquumque censebant. Etiam patris tui, ne ad vetustiora nunc veniendum sit, laudatissima vox in Pharsalica acie, qua *civibus parcendum* inclamavit, satis te monere potest, quid victorem civilis belli deceat in victos consulere. Damnare sua ipse videtur arma, quisquis aliud quam victoriam quærit: à qua ipsa optimus quisque abhorrere solet, si ullam judicii aut pactionis habeat facultatem. Fallor an hanc vi-
ctoriam

ctoriam in experimentum tibi fata concessere, si parem in secundis moderationem, ac virtutem in adversis præstare posses. Nec plura opus est dici apud cordatum & prudentem: quo nemo præclarius intelligit, quantum victoris intersit, an vincere tantum, an vero victoriæ etiam sciat moderari.

ANNOTATIO.

INter exercitationes eloquentiæ, vel maxime commendandam judico istam, cujus hic qualecunque specimen damus. Cum enim *Historici*, partim *integras orationes* scriptioni suæ inserant; partim compendio expositionis & cursui historiæ servientes, *delineationes* tantum *orationum*, ut sic dicam expressis argumentorum & capitum momentis, designent: plerumque sane mereatur argumenti gravitas, & subsidiorum ex ipsa historia emergentium opportunitas, *ut in justum corpus adornetur, quod per lineas tantum adumbratum est.* præsertim cum ad exempla ceterarum & integrarum orationum, ista industria exigi possit.

Sicut ex diverso *nonnunquam amplioris orationis & eloquentiæ ubertas, in compendii istam brevitatem, veluti in summam utilissimo exercitio, colligi posset.* Ratio & usus utriusque operæ patet. cum enim duobus potissimum modis in actu civili res explicari soleant, vel *integra justisque viribus & cultu idoneo instructa oratione*, vel *summaria per partes designatione*: certe utrobique eloquentiæ: *ibi* quidem amplioris, *hic* accinctioris usus, adeoque exercitatio requiritur.

In nostro exemplo simplicissime secuti sumus lineas ab *Appiano* descriptas. Ceterum liberiori alias amplificationi locus est, prout suaserit rei natæ genius.

Esset etiam exercendæ eloquentiæ occasio, in

VERSIONE *Talium Orationum è Græco in Latinum,*

quales in hac historia & alias passim complures *Appianus* inserit. Certe Crassus apud *Ciceronem* 1. *de orat.* 34. fatetur se non parum adjutum esse eo genere exercitationis. *Placuit mihi,* inquit, *eoque sum adolescens usus, ut summorum oratorum Græcas orationes explicarem. quibus lectis hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova nostris essent, dummodo essent idonea.* Et Cicero ipse de suo exemplo testatur *lib. de opt. gen. orat.* 5. *Converti ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Æschinis Demosthenisque: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis eisdem & earum formis, tanquam figuris; verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere.* Addenda est *epistola D. Hieronymi ad Pammachium de opt. gen. interpret.*

Orationes historicorum eo utilius converti possunt, quia plerumque τὸ ἠθικὸν i. e. præcipuum civilis eloquentiæ robur accurrate observant. Ad illud autem vel impediendum vel juvandum non parum præstat dictionis concinnæ proprietas & elegantia. Consideret e. g. is, qui orationes Lucii ad Cæsarem, hujus ad illum Latine interpretatus est, memorabilem illam ἐπίκρισιν *Appiani* tanquam re-
5. B. C. p. 697. gulam laboris: καὶ διεκρίθησαν, ὁ μὲν Καῖσαρ ἐν ἐπαίνῳ καὶ θαύματι ἔχων τὸν Λεύκιον, οὐδὲν ὡς ἐν συμφοραῖς ἀγεννὲς οὐδὲ ἀσύνετον εἰπόντα. ὁ δὲ Λεύκιος τὸν Καίσαρα τοῦ δὲ ἤθους καὶ βραχυλογίας. *Mirati sunt alter alterum: Lucium quidem Cæsar, quod nihil, ut in calamitatibus, à constantia aut prudentia alienum dixisset; Cæsarem vero Lucius, quod morata modestaque gravitate ac brevitate respondisset.*

Ad Flor. lib. 4. cap. 6.

CICERO PROSCRIPTUS.

HOc genus scriptionis & argumentorum, *mixtum* est: sicut ex ipsa tituli compositione potest intelligi. constat

ſtat enim partim *expoſitione hiſtorica*, partim *amplificatione Rhetorica*, partim *diſſertatione ſive philoſophia politica*.

Amant autem ejuſmodi titulos & argumenta, *tria* potiſſimum *ſcriptorum genera*: 1. *Dramatici*, ſicut e.g. *Hercules Furens, Aiax Lorarius*, & ſimilium dramatum appellationes notæ ſunt; 2. *Recentiores epigrammatarii*, ſicut exemplo *complurium* notum eſt. *Auſonii*, *Cupido Crucifixus* in confinio utriuſque ſcriptionis, dramaticæ, inquam, & epigrammaticæ poſitus, tituli talis elegantiam ad idyllia tranſtulit. 3. *Oratores ii*, qui Græcis paſſim diſtincte πολιτικοὶ dicuntur. Qui quam formam in hoc ſcribendi genere ſequantur, præſcripſimus, & nunc rudi delineatione monſtrabimus.

DESIGNATIO IPSA.

NOn comprehendi numero poſſunt, ſed defleri per cumulos debent, quæ Romanos obruerunt mala, cum Triumviratus ille poſterior urbem & remp. oppreſſit. Eminet tamen, etiam in tanta multitudine cladium, etiam per publica nomina miſeriarum, fatum M. Tullii Ciceronis. quem virum nemo privatis vel cogitationibus intelligere, vel nominibus laudare poteſt, ex quo per tot documenta apparuit, pleriſque ſummis reip. fatis ſive divinitus deſtinatum, ſive officii civilis occaſione immiſtum, maxima eum in hanc vel illam partem momenta aut feciſſe aut ſuſtinuiſſe. Certe poſt Julii Cæſaris cædem, ſolus iſte fuit, cujus arbitrio conſilioque ampliſſimus ordo ſua propoſita, ſtudia, factiones, decreta diſpenſaret atque moderaretur. Hic in curia pluſquam conſul; in concione pluſquam tribunus, utrobique ita regnabat, ut neuter ordo ſalvum ſe ſine tanti auctoris auſpicio exiſtimaret. Atque hic immenſa illa perturbatæ reip. difficultas in Antonium, id eſt, in facem ſæculi & Furiam, omnem ſummi oratoris ac principis induſtriam, tanquam in ſcopulum, impegit. Jam reipublicæ vicerat Cicero, jam Antonius ſuccubuerat: cum

cum ex nec-opinato nova ſe tempeſtas, triumvirali conſpiratione, veluti inauſpicato ſidere agitata, in remp. pariter & reip. vindicem concitavit. Oppreſſa armis urbe, ferales diverſis locis proponuntur tabulæ: clariſſimorum virorum vita & bona exitio ac rapinæ deſtinantur: atque in his Cicero cum neceſſariis & amicis ad necem conquiri jubetur. In Tuſculano ſuo accipit nefariæ proſcriptionis nuntium: dubitat, an occurrere imminenti fato fortius ſit, an ſpe aliqua patriam juvandi ſupervivere? Tandem luctata aliquantiſper cum fugæ conſilio conatuque prudentia, patriæ ruinis & tot illuſtrium virorum fortunæ ſociare ultimum decrevit ſpiritum. Regreſſum ferunt dixiſſe ‡: *Moriar in patria ſæpe ſervata.* Si morientium voces aliquid præſagi in ſe aut divini habent, prorſus digna eſt oratio, in quam Ciceronis vel eloquentia deficeret, vel prudentia ſe expediret. An vitam cuperet, qui dominante Antonio, vitam omnibus in dubio, mortem honeſtis pro ſolatio fore, & prævideret ſemper & prædixerat? An, qui reip. & libertati ſexaginta amplius annos vixerat, utriuſque exitio intereſſe diutius ſuſtineret, aut ſupereſſe? Interim feſtinant Antonii inquiſitores, & Ciceronem non jam ſponte, ſed ſervorum pietate in fugam abreptum, aſſequuntur. Hic vero non alieno amplius arbitrio vivendum, ſed ſuo ſibi moriendum exiſtimans Cicero, lecticam deponi jubet, cervicem ad ictum intrepide protendit. Horridior ſqualore, an venerabilior ſenecta facies fuerit, incertum eſt. Certe contexerunt oculos, ne viderent cædem, qui aſtiterant. ſolus percuſſor, infamis ad omnem poſteritatem nebulo, Popilius Lænas non timuit ejus viri caput repetito aliquoties ictu præcidere potius quam amputare, cujus eloquentia è judicio capitali olim ſervatus erat. Quanquam majus eſt tuum ſcelus, Antoni: Tu vocem publicam abſcidiſti, tu ſervatorem patriæ, decus ſæculi, Senatus principem, nefario & quaſi publico parricidio ſuſtuliſti. Tuam tibi infamiam nuntiant, qui per mare per terras Ciceronis cædem perferre accelerant. Sed (pro furor ſcelerum!) tu infamia & infamiæ cauſſis jam gaude-

gaudere didicisti. Exultas ad conspectum nemini nisi pessimis invisi capitis, jubes illud inter ambas manus, itidem præcisas, postquam insanienti tuis & suis furiis uxori ludibrio fuit, toti civitati spectaculo esse. Næ spectaculum magnum & horribile, & quale Roma nunquam vidit! Concurrite, cives, concurrite; Cicero in rostris conspicitur; non illo quidem habitu, in quo dicentis facundiam, agentis decorem admirari consuevistis. Sed non minora, credite mihi, discetis à muto, quam audivistis à loquente. Subibunt in aurium vicem oculi, & effusa in spectaculi studium pectora, sic quoque suum agnoscent Ciceronem. Hic est ille, cujus ingenium cum magnitudine imperii Romani paria fecit, cujus eloquentia forum, sapientia curiam, doctrina orbem universum illustravit pariter & erudivit. hujus nemo vincet studia, nemo implebit opera, nemo æquabit gloriam. Cogitate optimatum dignitatem: quis gravius eam asseruit? cogitate populi libertatem: quis civilius eam defendit? cogitate fata reipublicæ: quis generosius ea temperavit? Numerate clientes: repetite beneficia: conferte merita. Obruet singulorum civium studia communis patriæ pietas: quæ, ut omnium salutem se uni debere testetur, nova appellatione PATREM suum appellabit; cujus ope Catilinas evasit, Antonios ejecit. atque hæc, dum sinebant fata; id est, dum reipublicæ & Ciceronis idem fatum adventaret: ut intelligatur, non potuisse à Triumviratu extingui Ciceronem, nisi extincta fuisset Respublica. cujus reliquias non mitior manebit fortuna, donec commotus tam periculose imperii orbis vel corruat, vel in novam sedem statumque redeat. Hæc CICERO PROSCRIPTUS, de proscriptione & proscriptoribus, vel spectatoribus sui fati, arcano mutoque monitu suggessisse, vel lectoribus diserta confirmatione ubique & semper suggerere arbitrandus est.

ANNOTATIO.

AD accuratius elaborandum hoc argumentum (nobis enim sufficit, qualiscunque invitamenti caussa ἀνθαγχιδιάζειν talia) profuerit legere non tantum *Plutarchi*, *Appiani*, *Dionis*, *Val. Maximi* expositionem historicam: sed præsertim etiam *M. Senecæ Rhetoris Suasoriam de tragico Ciceronis exitu* ubi insignia fragmenta veterum tum in *prosa*, tum eruditum & grave *Cornelii Seueri carmen.* Sed & *Velleii* illud παθητικὸν ἐπιφώνημα, quo scelus Antonii & laudem Ciceronis prosequitur (2, 66.) peculiaris ad hoc propositum commendationis est.

τὸ ἦθος hujus scriptionis paulo distinctius alibi explicabitur.

Ad Flor. lib. 4. cap. 7.

Allocutio imperatoria Cassii ad milites, ante prælium Philippense.

DIo, *orationes utrinque habitas, quales tempori & rebus & consiliis utriusque partis convenirent*, memorat. Nam id præsertim observandum est. Neque aliud voluit *Curtius* 3, 10. cum de Alexandro prælium commissuro, *varia oratione*, inquit, *ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur*: Macedonas, gloria; Thracas, præda stimulando; denique, diversimode animatos, diversis argumentis conciliando.

EX PERSONA CASSII.

ADest, Commilitones, exoptata tot votis dies, qua liberatæ decus patriæ, cum immortali ad posteros gloria reportabitis. Si omnia nobis iniquiora essent, quam hostibus, meliorem tamen secutos caussam, ipse Deorum favor, redderet inexpugnabiles. Pro patria, qua nihil est

sanctius

ſanctius ; pro libertate, qua nihil carius ; pro imperii majeſtate, qua nihil eſt ad victoriam auſpicatius, arma ſumſimus. Illuſtria per ſe nomina, imo momenta militiæ, amplificant inſuper tot religiones, tot divina humanaque pignora, quibus non noſtra magis pietas obſtringitur, quam ſucceſſus involuitur. Majores noſtri, viri fortes & ſtrenui,& quod ſuper omnia æſtimari debet, Patriæ amantiſſimi, non reges tantum ſed & ipſum regnum ex ea proſcripſerunt urbe, quam non decebat domi ſervire, cum ceteris eſſet foris imperatura. Præſagiebant quippe viri divini, terrarum orbis imperio, quod fata deſtinabant, non pares fore niſi liberæ gentis ſpiritus. itaque cum fundamenta vellent jacere æternæ magnitudinis, jurejurando & devotionibus ſe ac poſteros obſtrinxere, ne quiſquam regno unquam faveret, aut libertati non faveret. quam propterea ſacroſancto magiſtratu, comitiis, omnique jure & honore ita communiverunt, ut nemo poſſet eam tentare, niſi qui divini humanique juris diſcrimina polluere, patriam impugnare, ſuum vero caput eadem opera exitio cuperet offerre. Et inventi tamen ſunt (tantus eſt ambitionis furor) quibus parta ſcelere poteſtas Deorum hominumque favore potior eſſet : qui arma pro libertate patriæ accepta, in remp. verterent ; perpetuas dictaturas invaderent, omnia denique agerent. quæ nemo niſi tyrannus facere, nemo niſi ignavus queat perpeti. Sed jacet equidem tyrannus, non tam noſtra manu, quam una totius Senatus voluntate juſtiſſimo multatus ſupplicio, & jam redierat vobis, Commilitones, libertas, antiquique juris decus revixerat ; niſi ſimilis amentia quorundam animos occupaviſſet, & in talia conſilia egiſſet, quæ non poſſunt alium, quam cujus exemplum dii dedere, exitum nanciſci. Atque utinam vel nunc, Triumviralis dominatus flagitiis ſatiati reſipiſcerent, & communia nobiſcum pro patria arma ſociarent ! ſed ex quo ſemel inexpiabili flagitio occupatæ reip.caput alligavere,non ſanari aut corrigi poſſunt, ut video, donec exemplum tale ipſi fiant aliis, quale debuerat ipſis noſtri temporis Tarquinius eſſe. Nam

quis dubitet de eventu, cujus documenta jam vidit? Quamquam haud pauca sunt, quæ præterea nobis non incertam patiantur spem victoriæ. Nam nec numero exercitus inferiores, & omni belli apparatu copiisque instructiores, & favore publico populorum gentiumque haud paullo florentiores sumus. Et quid de vestra virtute dicam, viri invicti? quantos illi stimulos dabit propria cujusque vel utilitas vel necessitas? Hostiles exercitus sola largitio ad gratificandum alienæ dominationi sanguinem invitat. Vestras mentes, præterquam quod multa jam vobis dedimus, plura etiam deinceps dabimus, generosum acerrimæ libertatis studium in victricem constantiam accendit. Quam ultro exeritis, & pulcerrima alacritate, non sine omine victoriæ, ostentatis. Virtutis iste clamor est, cum totiens hactenus ingeminatis; cur non pugnamus, imperator? cur hostis nos provocat? cur vallo potius quam manibus nostris salutem armati debemus? Equidem poteramus hostem nostrum mora & inopia, citra sanguinem debellare, locus pro nobis est, & rerum omnium abundantia. illos omnia adversa fatigant interim, &, si potestis virtuti vestræ frenum imponere, mox absument, aut ad deditionem adigent. Quod si tamen generosius exarsistis, quam ut sisti præclarissimus impetus possit, agite, ite fortes, ite strenui, ite felices. fortuna, quæ vobis tantos inspiravit animos, præstabit, quod tam luculento pignore potius quam omine promittit. Denique, quæ nos cumque sors manet, satis illustri ad omnem memoriam vel elogio vel epitaphio, LIBERTATIS VINDICES noscitabimur.

ANNOTATIO.

EST inter præcepta militaria, & provisiones imperatorias ante prælium, *ut milites oratione excitentur ad fortiter capessendum pugnam.* Unde *Lipsius 5. polit. 16.* quædam in exemplum hortamenta ponit. Et commune quidem assiduumque argumentum est *honestas & gloria mortis militaris.*

taris. quam commendatione fortitudinis, contemtu mortis, exemplisque speciosis solent illustrare. Tum *enumeratio commodorum*, quæ expectari possunt ex victoria. Adeoque *Bona spes.* quæ variis momentis provocanda est. atque huc pertinet *Facultatis*, quam vocant, *descriptio*, & comparatio virium, cum similibus. Aliquando *necessitas*, loco plurium argumentorum est. Quæ notissima sunt, & scholarum quoque præceptionibus trita. de quibus nunc agere non est animus.

Majus enim momentum est *in ipsa ad rem præsentem accommodatione*; quod supra prænotavimus. Atque hic ille prudentissime videbitur dicere, qui *animos militum*, *statum militiæ*, *momenta temporum, occasiones argumentorum;* ita observabit, *ut quæcunque maxime opportuna videbuntur*, *arripiat*; *efficacibus ad vim argumenti immoretur*, *necessaria repetat, jucunda dispenset*, *gravia seligat*, *illustria ostentet*, *verisimilia excogitet*: *denique id agat*, *ut sui temporis negotiique genio per singula serviisse videatur.*

Mos talium exhortationum in eo consistit, ut partim *populariter* & veluti æquata ad commilitii societatem familiaritate; partim *graviter* & memori dignitatis imperatoriæ constantia, dux loquatur: præsertim autem *fortitudinem*, *amorem militum*. *fiduciam*, *militarem peritiam*, *& quidquid est ejus generis ad captum & studia exercitus*, præferat. *Externis* quoq; hic magna vis est: atque ut penetret oratio, *vigor orantis* efficit & *alacritas*, itemque *auctoritas*, quæ *viro militari*, ut acute *Tacitus*, *pro facundia* esset solet. Loquor nunc de *auctoritate illa externa vultus habitusque* (nam sublimior illa altera & interior omnino hic quoque requiritur) ad cujus secretiorem vim pertinent illa *Curtii 6, 2. Nunquam infractos & abjectos recessisse Alexandri milites, quoties ipsius alacritatem & tanti animi spiritus haurire potuissent.*

De cetero videntur plerique in orationibus ejusmodi & allocutionibus militaribus majorem cultum adhibuisse, quam τὸ πρέπον personæ & negotii militaris postulat: quippe ubi fortiores simplicioresque sententiæ dominari debebant. Neque sane de nobis pollicemur, quod magis expresse-

presserimus genium militiæ in Cassio: quippe quibus nec curæ fuit hac vice, ab exemplo ceterorum discedere; suffecitque festinantibus, potissima argumenta designare, & ad prælii instantis tempora accommodare. Eadem argumenta alias fusius tractata, & nondum tam propinquo discrimine, vide apud *Appianum* 4. ἐμφυλ. qui Cassium universim suæ caussæ longa oratione patrocinantem introducit.

Ad Flor. lib. 4. cap. 8.

ORATIO EX PERSONA MÆCENATIS AD OCTAVIUM CÆSAREM, belli Siculi victorem.

ARgumentum *mixti generis* est, ex consuetudine & indole negotii. Solent enim, exempli gratia, *Interiores aulici & amici* post victoriam à Principe partam, *partim fortunam gratulari, partim de usu victoriæ rebusque ordinandis consilii sui copiam facere.* Concurrunt ergo τὰ εὐφημιστικὰ, τὰ ἐγκωμιαστικὰ, τὰ συμβουλευτικὰ, *applausus, encomia, consilia.*

Applausus ad fidem & affectus sinceritatem declarandam accommodatur: *encomia* è rerum ipsarum interioribus momentis ita adornantur, ut gravitati quam adulationi viciniora sint: *consilia* vel insinuantur ex occasione, vel recta via, tanquam ex officio & amicitia expromuntur. Si enim ullum tempus est, quo Consiliator τὸ προνοητικὸν sive providentiam futuri, cum auctoritate & gratia & arte potest adhibere; utique ex talibus eventibus propria & fertilis est occasio.

Personam Mæcenatis quod attinet, notum est jam tum intima cum Augusti gratia amicitiaque floruisse, consiliaque dominationis præcipua partim callide suggessisse, partim industrie promovisse.

Dictio qualis ad demonstratum ἦθος conveniat, ultro intelligi, & ex iis, quæ alibi dicta sunt, repeti potest. Quod si enim

ſi enim quis exiſtimat, Mæcenati *molliorem & delicatiorem ſtilum* convenire (qua de re eſt apud *Sueton. Aug.* 86. & *Senecam epiſt.*114.) illum ſatis erudire ratio negotii & temporis poterit, ne in ejuſmodi conſiliis colloquiiſque Mæcenatem tali ſermonis luxuria uſum credat, qualem in pangendis carminibus & otioſis meditationibus amare alias ſolebat.

ORATIO IPSA.

ACcedimus tandem ad portum, Octaviane Cæſar, fortunæ tuæ rebuſque Romanis per ipſas tot tempeſtates deſtinatum pariter atque demonſtratum. Profligaviſti molem, ancipitis æternique futuram operis, ſi ab alio fuiſſet profliganda. Afflicta eſt Pompeii domus; & tanquam alter Neptunus freto ſimul regnoque ſuo ejectus Sextus, reliquias paterni fati nequidquam infeſtis diis hominibuſque ſuſtentare conabitur. Quantum pro te Fortuna pugnaverit, vix humana cogitatione comprehendi poteſt. Illa non victoriam modo tibi illuſtrem ſed deſperationem hoſti tam ſtupidam reliquit, ut reparandi belli unicam ſpem & certa præſidia, ex ſua memoria & quaſi ad victorem ultro dimitteret. Macte tanto Numinum favore, Cæſar! quæ per ipſa hujus belli pericula oſtenderunt tibi, quam eſſes cœlo carus, quam cœleſtibus operibus abſolvendis, tanquam uno fatorum ſuffragio deſignatus. Age Imperator fortiſſime, viva herois Julii & ſpirans imago, ſequere tua auſpicia, fortunæque clavum gubernantis benignitatem velis remiſque adjuva. Nobis, ſicut ſucceſſus tui ingenti ſunt lætitiæ, ita nihil optatius poſſit accidere, quam ſi noſtra qualicunque opera, veluti remigum manu nautæ ſolent, omnes articulos temporis negotiorumque occupes, prorſumque tibi perſuadeas, nihil arduum aut moleſtum fore iis, qui totos tibi tuæque fortunæ ſemet conſecrarunt. Equidem jam te credo, Cæſar, non tam gaudio victoriæ, quam conſiliis ordinandæ compo-

componendæque pacis, mentem occupare. Frustra enim vicimus, nisi victoriæ fructum non minus prolixe quam caute ratiocinamur. Supra omnia autem, pulcerrimorum consiliorum occasio nunc est occupanda, ut bellorum, quæ hactenus toleravit respublica, invidiam victoriæ hujus gratia aboleat, & ostensa futuræ pacis spes, favorem publicum nostræ caussæ conciliet. Quanquam enim satis pridem mente provides, quid certaminis tibi patriam in tuto collocare cupienti supersit, maximopere tamen è re & tempore tuo fuerit, si, dissimulatis omnibus illis altioribus curis, pacem in curia, pacem in concione, sedulo, & cum gratulatione omnibus ostentes; atque nunc libertatem, nunc tranquillitatem Reip. rediisse, publice profitearis: idque populo Romano illustrissimum munus veluti de manu in manum largiri videaris. Quippe hoc est illud tempus, quo vel maxime reipublicæ pristinæ amor & studium præferri debet: neque accuratiore unquam dissimulatione opus habent consilia summi imperii, quam cum res ipsa pæne in manibus est. Itaque ab exordio repete, quæ reip. caussa, inde ab interitu D. Julii, gesseris: consulatum recense, Triumviratus rationem redde; nihil aliud te vel suscepisse, vel collegis indulsisse, quam quod restituendæ in antiquum decus reipublicæ ratio & necessitas imperasset, testare. Nunc gaudere te, & toto pectore exultare, quod deponi tandem possit, nemini magis quam tibi onerosa hactenus potestas: scripturum te Antonio, ut statim abdicato Triumviratu, uterque cum in republica pacata locum obtineatis, quem civiles vobis leges & populi favor tribuerit. Quantum, obsecro, in animis turbarum assiduitatem pertæsis gaudium excitabis? qui te clamores, qui plausus in cælum tollent? Qui favor ne deflagrare cito possit, præsenti pignore animi futuris usibus firmandi sunt. Dicam, quam opportune id possit fieri. Nosti tributa ob belli necessitates hactenus indicta quosdam ægre contulisse, multos adhuc debere. Fac tibi alio nomine debitores: qui pro pauculis nummis, quos & debere, molestum omnibus, & solvere, multis impossibile esset, æter-

nam

nam tibi benevolentiam debere incipiant. Aufer debiti, tributique nomen: ſubleva pauperes, reditus publicanis, mercedes conductoribus: denique da operam, ne quicquam bellici oneris in pace ſupereſſe exiſtimetur. Hæc atque talia non verbis modo ornanda, ſed ſcripto publicanda cenſeo: ut in omnium manibus quaſi verſari videatur occaſio, beneficia tua contemplandi pariter atque interpretandi. Subnaſcentur interim quotidie nova fidei pignora, & publicæ ſpei, quæ ſuppeditabis, argumenta, ex correctione licentiæ, quam in provincias ipſamque urbem bella invexerunt. Talibus operibus occupatum nemo non amabit ac venerabitur. Atque ita non timebis collegas dicam an æmulos illos tuos: quorum alterum impotentis jurgii impetu ſe ſuaque præcipitantem, vel nomine debellabis, ſi quid generoſius tibi in ipſum moliri libuerit. Antonius autem, quam multa pridem facit, quibus famam opeſque abſumit? Sed illa quidem recte habebunt, ut primum tuæ fortunæ ultimam manum libuerit cœptis imponere. Interim omnem victoriæ pompam in pacis oſtentatione: pacis apparatum, in belli, quod ſupereſſe ominamur, viribus expediendis exerce. Ita ſentio, & loquor cum felici omine & voto: cujus fiduciam vel ſola, quam tibi gratulamur, Octaviane, victoria præſtabit.

ANNOTATIO.

FEciſſe talia Cæſarem, qualia hic ſuggerit Mæcenas, *Appianus* præſertim annotavit. Ingenio autem & conſilio Mæcenatis iſta non inconvenienter tribui, facile intelliget qui hiſtoriam Auguſti percallet.

Pertinent huc exempli gratia *orationes Salluſtii ad Cæſarem Julium de rep. ordinanda.* itemque *Mæcenatis illa ad Auguſtum poſt victoriam Actiacam de eodem argumento*, apud *Dionem* 52. quanquam iſtæ ampliorem ſibi tractationem propoſuere, & ad omnes reipub. partes porrectam.

Loci generales in ejuſmodi materie, de componendis poſt victoriam rebus, ſunt: *utendum eſſe victoria*; *omnem belli ſi-*

li finem & victoriæ laudem in bona pacis dispositione contineri; in bello fortitudine; at post victoriam moderatione opus esse; ad tranquillitatem & firmitatem imperii omnia dirigenda.

Hypotheses, quibus tanquam spiritu animantur consilia, coloremque suum ac formam nanciscuntur, *è proposito victoris, statu reipublicæ, tempore, similibusque rebus* ducuntur.

Ad Flor. lib. 4. cap. 10.

FORMABIMUS *LITERAS ANTONII AD PHRAATEN PARTHORUM regem, & hujus ad illum.*

CUm Antonius in hoc bello Parthico validissimam urbem Phraata sive Praaspa, frustra quidem, oppugnaret, Phraates Rex aliquod ex ipsa belli mora incommodum suis rebus metuens, submissis clam palam, qui ad pacem Antonianos solicitarent, Antonium perpulit, ut per legatum de pace constitueret agere. Percontatus enim blandos illos insidiosæ pacis conciliatores, an ex regis sui sententia talia jactarent, postquam magnas & bonas spes asseverantius confirmari animadvertit, ex amicis misit aliquem, qui à Partho, *signa Romanis adempta captivosque reposceret*, ne contentus fuga & salute videretur. Parthus in superbiam compositus, *non id esse tempus talia postulandi*, respondit: *pacem se ac salutem daturum, si statim & evestigio obsidionem solveret, suique regni finibus excederet.* Hac imagine pacis deceptum Antonium, paulo post multis magnisque incommodis multavit. Videndi *Plutarchus & Appianus.*

Possunt itaque utriusque nomine epistolæ formari: quarum *Antoniana* quidem *gravitatem Romanam* & *imperatoriam constantiam* præferat: *Parthorum* vero *Regis*, characterem *regiæ pariter ac orientalis superbiæ* exprimat. Universim inter notas ingenii regii (quale scilicet apud plerosque reges reperitur) superbia quædam & elatio ponitur: sed præsertim Persarum Parthorumque insignis semper fastus fuit.

Videre

Videre licet hujus observationis gratia *epistolam Darii* apud *Curtium* 4, 1. & legationem Artaxerxis Persæ apud *Herodianum* 6, 4.

EPISTOLA ANTONII ad Phraatem.

M. ANTONIUS IMPERATOR, PHRAATI PARTHORUM REGI.

ROmani bella nunquam hactenus vel cupiditate prava vel pertinacibus odiis gesserunt: sed generosa quadam propositi constantia, nemini suam quietem invidentes, dum nec provocant aliorum arma, nec timent, lacessentibus ultro caussis, toti jam fecerunt orbi testatum; fortibus viris nec moderationem suæ virtutis, nec successum uspiam abesse. Itaque divino factum est favore, ut quos socios maluisset vis Romana & amicos habere, nunc subjectos sibi, nec minus tamen comiter & benigne, tueatur. Vobiscum nulla nos acerbior inimicitia commisit: sed magnitudini nostræ obtrectantibus nihil aliud quam obviam ivimus. Vestrum nunc erit deliberare, an post mutua virium armorumque experimenta, socios an hostes velitis Romanos. quod nobis quidem perinde erit: quibus nec fortuna deest, qua profligemus, nec virtus, qua toleremus ardua. Si, quod Tui desiderant, certe jactitant hactenus, pacem bello anteponis: non habebis nos difficiles in reconcilianda gratia; generosis facile inter se convenit. Redde nobis signa, quæ Crasso olim ademistis; redde captivos Romanos: neque amplius tibi molesti erimus. Quippe gloria jam dudum pleni majestatem nostram justitia quam armorum assiduitate tueri præoptamus. Si prætermittis hoc tempus, quo utraque pars sibi adhuc confidit, etiam atque etiam vide, ne Martis incerti vices, aliam tibi, quam quæ reges decere videtur, pacem concilient.

RESPONSIO PHRAATIS Parthorum Regis.

REX REGUM PHRAATES M. ANTONIO.

UTinam, Marce Antoni, vel prudentius arma tractares, vel pacem peteres modestius. Vim Romanam, & virtutem, & fortunam, magnifica ostentationis serie nobis occentas; ac inter hæc tamen, signa apud nos Romana captivosque memoras: id est, dum pro victore te geris, clades vestras ultro confiteris. An verba terrebunt Parthos, quibus tot legiones, cum ipso duce procubuerunt ? Si quid post illa damni nobis non quidem virtus vestra, sed casus dedit: ecce viros, ecce arma, quibus possitis doceri propediem, integras Parthorum vires esse, & adversus dominatum Romanorum satis expeditas. Te quidem, sine nostro ferro, jam infaustæ obsidionis conatus exhausit: quid futurum deinceps sit, tali potes exordio discere. Quare in tempore tibi utique consulis, quod pacem petis: sed apud nostras aures parum tempestive se jactitat, superba desperatio. Neque pacem vendimus Parthi; quam vel victoria parare, vel beneficio indulgere didicimus. Atque, licet nihil à nobis te oportebat impetrare, quippe qui parum te memorem majestatis regiæ gesseris, magnitudini tamen nostræ & satietati gloriæ tribues, quod non una voce spem pacis omnem præcido. Age ergo capesse quam primum saniora consilia, excede alieni regni finibus: omitte ea postulare, quæ nemo à nobis nisi victor auferet. Satis magnum solutæ obsidionis pretium reportas, si recedenti incolumitatem donamus & salutem.

ALITER ET BREVIUS.

NEcessariam rebus tuis pacem, si beneficii nomine à me petivisses, deliberandum tamen erat, utrum vindictæ occa-

occasionem persequi, an veniam iis dare, qui injusto nos pridem bello lacessunt, satius foret. Signa reposcere Romana, quae cum illustri de vobis victoria, tanquam perenne monumentum bonae caussae in manus nostras fortuna tradidit, non est ejus, qui cladem imminentem differre quaerit aut declinare, sed victoris. Aufer, si sapis, speciosa & inania verba apud eos, in quorum manu tua salus est. cui si consultum cupis, una patet via, quam tibi ab irrita obsidione recedenti ocyus, nullo tuo merito, sed regia quadam magnanimitate, tutam ostendimus atque pollicemur.

ANNOTATIO.

EPistolis qualis stilus conveniat, praeter Rhetores, etiam *Isidorus Pelusiota*, integra epistola tradidit. Omnes autem volunt ἐπιστολικὸν χαρακτῆρα *simplicem, apertum, candidum, ad sermonis quotidiani formam propius accedentem.* Sed accipiendum id est, cum exceptione *epistolarum publicarum civiliumque*: quali appellatione eas noto, quae à Principibus, aut publicarum rerum tractatoribus, de gravibus publicisque negotiis invicem missitantur. nam his λέξις πολιτικὴ convenit, non ἰδιωτική.

Scilicet in omni oratione regia aut principali, quidam gravitatis decorae genius insidere debet. Quo fit, ut *orationes politicae*, quas vocant, non differant à stilo *epistolarum ejuscemodi politicarum*: quod vel ex Tiberii epistolis orationibusque apud *Tacitum*, inter se invicem comparatis, intelligi potest. nam & cetera apud alios *Autores* exempla idem docebunt.

Itaque ex *Historicis* potissimum, talium epistolarum specimina petenda sunt.

Observatur autem utraque ratio, quam proposuimus; *pressioris & expressioris stili.* In *brevi illa gravitate* cumprimis eminent *Epistolae Bruti per Mithridatem collectae*, & à *Jacobo Cujacio inter epistolas Graecanicas mutuas editae.*

Ad Flori lib. 4. cap. II.

Διάλεξις ἠθική.

DE NOXIIS PRINCIPUM AMORIBUS.

OCcasionem hujus exercitationis suppeditavit nobis *Libanius*: qui exercitationibus suis etiam subtexuit *διαλέξεις ἠθικὰς dissertationes morales.* in quibus scilicet locus aliquis ἠθικὸς pertractatur, libera sententiarum, amplificationum, exemplorum dispositione.

Altera occasio ex insanis & intempestivis Antonii in Cleopatram amoribus desumpta, semina ejus exempli in totam dissertationem sparget.

ORATIO IPSA:

NOn simplex mortales error in nocituras rapit voluptates; præsertim in eminentiore fortuna: ubi licentiæ blandimenta, & peccandi instrumenta suppetunt uberius, ac insidiosius subrepunt. Hic aut ira dominatur, aut avaritia machinatur, aut ambitio molitur; aut amor tota vi triumphat. Ita nimirum videtur miseris amantibus; omnia læta, festiva, triumphalia apparent: donec denique in luctum exeuntes deliciæ, nihil præter detestationem gaudii, & exitii incubantis morsus, suis sectatoribus relinquunt. Non jam examinabimus privatorum affectus; qui non minus inconsulte interdum, sed magis inconspecte tamen in mala sua properant. Principum animos eo periculosius inficit hæc labes, quia, quidquid privatim delirant, non nisi publicis cladibus expiari potest. Ejus rei rationes si quis inire cupiat, multas magnasque inveniet. Quippe cum eminentioris fortunæ præcipua vis & administratio in magnitudine animi, & virilium gravitate curarum posita sit, nullus æque affectus in diversa & contraria trahit animos, quam qui muliebribus studiis vel assen-

assentiri vel obtemperare decrevit. Quid enim ingenuum, grave, cordatum ab eo expectes, qui ut feminæ serviret, virilem industriam exuit? qui otium negotiis ita cogitur præponere, ut nec liber ab otio, nec occupatus à negotio esse queat? corrumpit intentionem consilii, ignavus inter præcordia affectus: neque expediri actionum celeritas potest, ubi moderator actionum animus, otiosarum lentitudine curarum attinetur. Præsertim cum propria amoris noxa sit, quod intimis se fibris insinuat, & in penetralibus humanæ mentis imperiosa vi adhærescens, dispensare voluntates, moderari consiliis, intercedere conatibus affectat; rationi, veluti in pugna oppositus, obluctatur, atque cum prævaluit, dominatur. Hinc est illa amantium vecordia & amentia; quam non sine caussa objecit olim Antonio Octavius Cæsar. Si enim ullus virorum Principum rei tam turpis & ad extremum infelicis exemplum dare potest, certe Antonius potest. Vir erat inter obsequia fortunæ ad sum̃a evectus; & jam Romani amplitudinem imperii spe votoque, licet improbo, destinaverat. Dum in medio talium consiliorũ instructu motuque est, dum exercitus optimos, socios fidissimos ad rem aggrediendam in procinctu habet; ecce tibi, velut immissum repente ex transuerso torporem; quo ad Ægyptiæ mulierculæ conspectum ita percellitur Antonius, ut fascinatus & attonitus, belli & spei suæ oblitus, nihil quam Cleopatram cogitaret, loqueretur, somniaret. Jam transformatus erat ex Romano in Ægyptium, habitu, cultu, moribus: sed non substitit in eo Circæi vis incantamenti. Majora restant transmutationis portenta. Mox enim ex prudente in imperitum, ex strenuo imperatore in fugacissimum militem vertitur Antonius. Cleopatræ nutu prælium committit; Cleopatræ ductu fugam adornat; Cleopatræ arbitrio exitium sibi consciscit. Hic exitus denique amorem insanum secutus, satis claro potest omnes exemplo docere, quantopere viris principibus, & ad armorum aut reip. tractationem natis vitandæ sint muliebres illecebræ: quibus teri tempora, interverti occasiones, effeminari animos, corrumpi fortunam necesse

cesse est. Equidem audias vulgo jactari Herculis exempla, aliorumque ingentium virorum; qui non minus perite & strenue gladium tractarent, cum venirent è complexu amasiæ; esseque hoc militaribus ingeniis proprium, amoribus mulierum operam dare. Verum, quam fallaciter ista dicantur, in promptu fuerit intelligere, si quis meminerit, Herculem utique propter illicitos feminarum & præsertim Joles amorem, in exitium istud incidisse, quod uxoris Deianiræ Zelotypia denique procuravit. Quid de Alexandro Macedone dicamus? Nonne, ut primum à continentia degeneravit, ex Magno minor factus, virtutes ceteras intempestivis amoribus corrupit, fortunam vero suam perdidit? His consentient, quæcunque ex historia investigaveris, documenta: adeo quidem, ut ausim dicere, *nulli heroum Principumque unquam impune fuisse, intempestivos aut illicitos amores.* Nimirum fortuna mares animos & generosa quærit pectora: nec ullam rem magis aversatur, quam instrumenta luxuriæ ac mollitiæ. à quibus qui non abstinuerit, is prospera sibi suisque fata nunquam poterit polliceri, cum præsertim etiam auctoritas minuatur ejusmodi vitiis apud cives; neque quisquam venerabilem credat principem, qui contemtibiles quærit delicias, aut infra illam gravitatem se suaque studia abjicit, quæ sola Principatus & regna decet ac servat. Ergo remota majestate imperii, i. e. incisis rerum gerendarum nervis, quid sequatur amplius, nihil attinet dicere: loquitur omnis ætas, omnis historia; adversus quam nec obloqui, nec excipere, Prudentibus fas est.

ANNOTATIO.

INstrui possunt ejusmodi dissertationes præsertim ex *Ciceronis scriptis Philosophicis*, itemque, *Plutarcho*, *Seneca*: quibus subinde mos est, in liberiores de virtutibus & vitiis dissertationes excurrere. *Joannis* quoque *Sarisberiensis Policraticus* eodem spectat. E recentioribus, *Petrarcha* studium & *Antonii Guevaræ* tali instituto censeri amat. Neque sane omit-

omittenda est plane hæc philosophandi forma, quæ communi vitæ & convictioni plurimum non jucunditatis modo, sed adjumenti adferre potest.

Unde etiam licebit familiari simplicitate, & ad obviam intellectionem accommodata, argumenta morum decurrere; sicut exemplo quorundam quos nominavimus, observari potest.

Abusus non levis cernitur in volubilitate illa disserendi talia, quam plerique ad ostentationem sapientiæ referentes, solidiore profectu insuper habito, sola ejuscemodi specie censeri cupiunt. Sed non fuerit difficile peritis judicare, quid distent æra lupinis.

XII.

THRASYBULUS PACIFICATOR.

sive Dissertatio

DE AMNESTIA.

Scripta an. 1642.

Cornel. Nep. in Thrasyb. 3, 2.

Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit: ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur: eamque illi LEGEM OBLIVIONIS *appellarunt.*

CAP. I.

De Origine, invento, auctore Ἀμνηστίας, *Expositio Historica.*

Athenarum urbem, veluti sidus & ornamentum Græciæ, tum omnis humani inventi elegantia, tum præ-

 cipue

cipue litterarum & armorum studium longe supra ceterarum civitatium populos celebravit.

Adfuit enim industriæ fortuna: & quorum privatim, pro suo statu, opera; inter socios, pro re communi, auxilia; semper eminere consueverant: eorum opes, ad quendam Græciæ principatum, denique feliciter sunt enisæ.

Sed nimis lubrice statur in summo: neque potior ad infelicitatem caussa ducit, quam præcipua felicitas. Præter enim humani moris animique ad ferendas res secundas imbelliam, nunquam paratur magna potentia, quin eadem opera fragilitatis & casus semina ipsis incrementis misceantur: dum necesse est multos offendi, per quorum diminutionem, aut metum, aut certe invidiam, crescenti surgendum est.

Hinc æmulatio & superandi contentio: malum per se inquietum minaxque; & pro dominatione, ut omnes affectus, flagrantius. Hæc excivit Lacedæmoniorum acres animos: quibus indignum videbatur, antestare quemquam fortuna, quos nemo ferocia & spiritu præmineret.

Ergo inter duas civitates alternari primo, mox ex æquo suspendi, Græciæ robur & fata sunt cœpta: ab his opes & studia reliquarum gentium Græcarum pendebant. Neque latuit prudentes, magnum aliquid deliberare Fortunam: sicut cum duo ferocia animalia, statu ad pugnandum ex adverso composito, mutua sed minaci quiete expectationem spectantium advertunt, quantas & quam diu collectura iras sit feritas: quæ ubi semel postea se effuderit, non bellum modo inter depugnantes exardescit, sed vicinis quoque & obviis certa strages venit.

Cernitur etiam secretior fati hac in re cura. Semper enim Deus magno populo aut principi, parem excitare solet ac velut opponere: ne licentia, quæ virium comes est, evagetur insolentius, sed mutuo metu contineatur. Sic tum Atheniensium ferociam, tanquam obex Spartanæ potentiæ temperabat coërcebatque.

Licet

Licet autem obſervare, in hoc ipſo ſtatu, ingenium humanæ ambitionis: quam ipſa æqualitatis fiducia in ſpem inæqualitatis & eminentiæ paulatim exacuit. Remoto igitur externi hoſtis metu, quem totiens Græci in Perſiam ſuam relegaverant, ducibus facti Athenienſibus & Spartanis: ipſi inter ſe victores committi cœpere, orto à Lacedæmoniis initio, qui rupto veluti aggere rationis & modeſtiæ, alienam gloriam, ſuum dedecus interpretantes, multumque maritimo Athenienſium principatui invidentes, explere cupiditatem ſuam ferro & vi, cum jure non poſſent, deſtinaverant.

Atque ita duo potentiſſimi Græciæ populi, inſtitutis Solonis, & Lycurgi legibus, pares, ex æmulatione virium in bellum ruebant. Juſtin. 3, 2, 4. implicita & in partes tracta univerſa Græcia: cujus civitatibus nihil jam periculoſius quiete; nihil bello tutius videbatur. Quippe in potentium conflictù, fruſtra invalidi ac in medio poſiti quieſcunt; & qui alterutrius partis pericula detrectant, damnis utriuſque involuuntur. Niſi ſi quos locus & fatum, obterenti cuncta civilium bellorum rotæ eripit.

Externas quoque vires, ut fit, commoverat magnitudo conſilii Græciæ fatalis. Perſarum, Italorum, Siculorum auxiliis ſe Spartani ſuccinxerant: Athenienſes Thraciam & maritima Aſiæ exciverant, propriis viribus haud paulo amplius confiſi.

Dicta quidem & palam agitata ſermonibus multo alia, ſed certatum utrinque de dominatione eſt, ſicut modo innuimus: nec *Thucydides* tacuit, Athenienſis potentiæ metum, Spartanis has furias immiſiſſe; per quos concitatum eſt bellum illud, quod Peloponnenſiacum appellatum, *πόλεμον ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, iis quæ ante geſta ſunt memorabilius bellum.* idem Hiſtoricus; Siculus autem *lib. 1. pr.* Diodorus *μακρότατον τῶν ἱστορημένων ὧν ἴσμεν, eorum quæ hiſtoriis celebrata novimus diuturniſſimum* vocat. Viginti enim & ſeptem, ut Diodorus & Thucyd. putant; ut Xenophon, *lib. 12.* XXVIII. annis deſæviit. è quibus XII. complexus eſt Thucydides libris VIII, vel ut alii diſpartivere, IX.

Castigaverat autem Spartanorum audaciam Fortuna ab initio, eosque ad federis pangendi necessitatem redegerat. Sed, ut sciretur publice, cuncta ipsis ambitione & potentiæ cupidine viliora esse, rupto turpissime tricennali federe, latam bello, quod dixi, portam aperuere. Quod varia eventuum ratione ac consiliorum, modo strenue administratum, modo desedit alicubi, aut divertit: donec, post interpositam tam diuturnam moram, semel ingruit fatalis terminus, alterumque ex oculis Græciæ obscuravit.

Dignum est, quod in omnium animis versetur & oculis exemplum. Tantam Athenarum potentiam, & pares tam diuturno bello opes, non prœlium aut virtus hostium, sed casus inopinatus uno, ut sic dicam, momento subvertit. Lysander reportavit famam ejus felicitatis. *Quis neget eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ quam virtutis*
8, 10. *esse beneficium?* inquit *Curtius*. *Non enim virtute exercitus Lysandri, sed immodestia factum est adversariorum: qui quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus, in hostium venerunt potestatem. quo facto Athenienses se*
cap. 2. *Lacedamoniis dediderunt*. quod rotunde & breviter *Nepos* narrat in Lysandro.

Fractis enim apud Ægospotamos Atheniensium rebus, mox arcem & caput belli Athenas arctissima obsidio urget. Hanc deditio excipit. nemo quærat, quibus conditionibus aut legibus? Victis & in extremas angustias redactis, nullam nisi sub servitutis pactione, pacem concedit, quicunque dominationis caussa bellavit.

Jubebantur longa Pyræei brachia murosque destruere: naves quas haberent tradere: triginta viris remp. permittere, alio quam solebat, gubernationis statu administrandam. Priora duo, quid spectabant aliud, quam ut abscissis artubus corpus everteretur ipsum? reip. ademtio, spiritus interclusionem & animæ quodammodo notat.

Arrian. 1, p. 18.

Solenne erat Lacedæmoniis & inter dominationis arcana usurpatum, dissolvere popularem civitatium statum, & ali-

& alibi Decarchias, alibi Triacontarchias, instituere. *Non ut civitatibus hi magistratus legitime cum imperio praeessent : sed ut oppida retinere possent.* οὐχ ὅπως νομίμως ἄρχωσιν, ἀλλ᾽ ὅπως δύνωνται βίᾳ κατέχειν τὰς πόλεις : quod recte iis objicit Autocles apud *Xenophontem.* Nam qui in ceteros dominatum quærunt, illorum instituto tyrannicæ formæ imperii, quam respublicæ, potius conducunt. Vide, quomodo cetera quoque Spartanorum facinora ibi Vir prudens coarguat, veramque & unicam hypothesin eorum, sive rationem status detegat : *Jus regnandi caussa violandum injusteque omnia cupienda, quibus potentia quaratur & in alios imperium.*

lib. 6. hist. Græc.

Diodorus auctor est, inter ipsos Athenienses fuisse, qui Oligarchiam optarent, eosque Lysandrum permovisse, ut *Triginta viros* juberet à populo deligi, quibus summa rerum permitteretur. Sed hi haud dubie proditionem magis patriæ quam salutem spectabant : aut certe potestati imminentes ipsi, Spartanorum consiliis supparasitabantur.

Periculosa est omnis reip. mutatio; nunquam autem periculosior, quam tempore & rebus turbatis, ubi & aliena dominatio ingruit, & privatim sibi quisque tendit. Publica enim facies, veluti vulneribus confusa, à plerisque tum non agnoscitur : prudentes, qui ad eam animum & consilia flectunt, præ strepitu armorum non exaudiuntur. Sicut tum Therameni accidit : qui frustra libertatis patriæ instituta revocabat, frustra Lacedæmoniorum pacta & promissa invocabat, Lysandro calumnias & minas opponente.

Quamvis vero, ut nec injustissimus quisque tyrannorum, famam boni regiminis, inter initia affectare omittit, quædam à triginta viris præclare constituebantur, tamen nimis cito erupit in omne injuriarum genus male dissimulata sævitia. Cui ante omnia robur & securitas comparanda erat. Tyrannidi enim omne in armis præsidium. Quamobrem *tria millia satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope nec civium superfuerat : & quasi parvus hic ad conti-*

nendam civitatem exercitus esset, septingentos milites à victoribus
5. 8. *accipiunt.* sicut *Justinus* habet. adi omnino paulo aliter ista memorantem *Xenoph.* hist. Græc. l. 2.

Hoc terrore armati, strenue tendunt in destinata, quorum caput erat, *tollere è medio, quicunque tyrannidi inimici, aut populari statui essent amici.* Tales porro existimabantur, qui *gratia, virtute, opibus eminerent.* Διὸ καὶ τὴν προαίρεσιν ποιοῦνται τῶν ὅπλων. κακοῦσι τὸν ὄχλον, καὶ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπελαύνουσι καὶ διοικίζουσι. Quibus enim potius verbis dicam, quam quæ Aristoteles usurpavit (5. polit. 10.) cum oligarchiæ mala recensuit & cum unius tyrannide comparavit. *Adimi civibus arma curant: vexant multitudinem, urbe pellunt ac relegant.* Hæc quotidie tum fiebant: imbuebaturque subinde ad majorem licentiam tyrannorum animus, quæ mox secuta est.

Nam obstabat ab initio furentibus, Theramenes, eximius patriæ libertatis jurisque fautor, & per has virtutes ceterorum odia meritus. Adversus hunc conspirant XXIX collegæ, cogunt senatum, accusant Theramenem, quasi solicitaret statum præsentem, ac res novas moliretur; denique ut damnaretur postulant. Plane, sicut in fabulis lupus concordiam cum ovibus, si canes removeant, paciscitur. Postquam ergo non impetrant SCtum, ad vim & arma conversi, clarissimi viri exitio securitati suæ consulunt, imo licentiæ execrabili, qua civitatem deinceps, omni pudore & metu remota, funestavere.

Opulenti ante omnes, confictis varie criminibus, veluti strage oppressi: inter quos Nicerati claritudo virtusque totius civitatis lacrymas expressit. Verborum quoque, pro patria & publico, libertas Autolyco exitium maturavit. Ut nulla jam spes diviti, egregio, ingenuo, cuiquam, nisi in exilio superesset. quod ultro amplexi plerique, Athenis plus dimidia civium parte depletis, Argos Thebasque agminatim impleverant.

Nam his duabus civitatibus, eo tempore solis adversus ingruentem Spartanorum dominatum satis constantiæ supererat ac consilii. Ceteras exterruerat, miserorumque auxilio

auxilio alienaverat immitissimum à Lacedæmone decretum, quo comprehendi libere exules Attici reducique ad tyrannos jubebantur. Tanta erat tamque ominose crudelis Spartana ambitio: ut ruinis cognatæ urbis ultro lætarentur.

Inter exules, Thebis agebat Thrasybulus: hunc fortuna afflictæ urbis, in ultionem affligentium inusitato animi robore excitavit. Igitur & paucis & statim, triginta tyrannorum opes labefactavit: occupata primum Phyle, mox Munychia. apud quam cum tyrannorum principes cecidissent, victos ad communem libertatem concordiamque vocans Thrasybulus effecit, ut in urbem reversi, tyrannos, magistratu abrogato, Eleusinen demigrare juberent, decemvirosque rebus pacandis *restituendaque paci* constituerent.

Hi eandem dominationis viam & flagitia ingressi, non patiebantur tam præsenti remedio, res intricatas explicari. Igitur Thrasybuli copiæ, quas non parum interim æquitas caussæ & successus auxerant, in Piræeo; ceteri in urbe, Spartanorum auxiliis, quæ Lysander recentia adduxerat, freti, velut è binis castris dissidebant bellabantque.

Donec Pausanias, Lysandro occultæ factionis stimulis discors, & tum, ex occasione, ejus ferociam mitioris prudentiæ exemplo suggillandam ratus, pacis faciendæ auctor extitit: decem tyrannis ejectis redditaque Atheniensibus republica. Quos & Thrasybulus oratione monitisque ad capessendum meliorem statum animavit.

Suberant tamen adhuc irarum semina; multique tyrannos in exilium secuti, non defuere denuo bellum inceptantibus. Quod ut citra civicum sanguinem staret, adversus omnis divini humanique juris temeratores, insidiæ placuerunt. Evocati enim ad colloquium tyranni, *ut pacis victimæ*, quod Justinus recte judicat, trucidantur: ceteris per amicos & necessarios ad reditum & pacem invitatis.

Cete-

Ceterum concussa tot tumultibus civitas, atque irritata utrinque tot adactis alte vulneribus pectora, turbatæque studiis partium & temporis consternatione voluntates, non videbantur facile in unum corpus & robur coalescere posse. Neque vinculum vulgare suffecturum erat, quippe, quæ male obligantur vulnera, subita rescissione geminant periculum. Ergo excogitatum est nobile, firmum, generosum, civile, solenne remedium: *abolitione omnium ante actorum legis auctoritate sancita, jurisjurandi religione confirmata.*

Inventi tam præclari gloriam alii *Atheniensibus*, nullius auctoris expresso nomine deferunt: alii *Thrasybuli* meritissimum caput hac laurea decorant. Faciunt hoc, *Valer.*
4. 1. *Max. Pausanias in Atticis, Corn. Nep. Thrasybulo.* quem locum in limine hujus dissertationis præscripsimus. De cetero, *Atheniensium vetus exemplum* à Cicerone Phil. 1, 1. (adde Dion. 44. in orat. Cic. & Plut. Cic.) à Velleio, *decreti Atheniensium celeberrimi exemplum*, 2, 58. à Vopisco in Aureliano 39. *Amnestia de exemplo Atheniensium decreta* memoratur. Habemus ergo rei saluberrimæ & sæpe postea usurpatæ apud populos, originem & inventorem: Athenas, *civitatem optimam & antiquissimam*, sicut à *Cicerone* ap. Dion. vocatur; & Thrasybulum, *virum inter eos, quos & ante & postea habuerunt Athenæ, per omnia optimum.* quo elogio eum *Pausanias* mactat.

Atque hæc sunt, quæ præmittenda censuimus nostræ tractationi: partim, quia non intelligitur accurate natura & indoles remedii, nisi morbi cognitio prægressa, quam vel tempestivum vel necessarium id fuerit, ostendat; partim quia nec nominis nec rei explicatio (ad quam nunc accedimus) satis expedita & clara sine historiæ hujus luce, futura erat.

CAP.

CAP. II.

Nomen, Descriptio, Utilitas ἈΜΝΗΣΤΊΑΣ.

Αμνηςίαν vocat hoc plebiscitum *Val. Max.* 4, 1. *Thrasybulus plebiscitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: hac oblivio quam Athenienses ἀμνηςίαν vocant*, &c. Eandem vocem adhibet *Plutarch. in Cic.* ut & in *præcept. de ger. rep. Appian. l. 2. bell. civ.* retinetque *Vopisc. Aurelian.* 39. *Tullius* quoque *Phil.* 1. *cap.* 1. *Græcum etiam verbum usurpavi*, inquit, *quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa.* Hoc *Græcum verbum* interpretes de ἀμνηςία (quæ tamen vox minime fuit interim in Ciceronis textum infercienda) acceperunt, quorum sententia firmari videtur locis modo adductis, cum præsertim Vopiscus *amnestiæ* vocabulo usus, Ciceronis Philippicas mox laudet, & Appianus Ciceronem ἐγκώμιον τῆς ἀμνηςίας disseruisse dicat. At *Muretus var. lect.* l. 2. c. 15. & ex eo *Lambin.* ad *Phil. Cic.* non ἀμνηςίας vocabulum, sed τὸ, μὴ μνησικακεῖν indicasse ea nota Ciceronem contendit: adductis pro se *Xenoph. l. 2. Græc. rer.* f. *Æschin. orat. de cor. Aristoph.* & præsertim *Andocidis orat. de myster.* ubi jurisjurandi formula effertur: μὴ μνησικακήσω. His conjungas licet *Dion.* l. 44 ubi τὸ, μὴ ἐγκαλέσειν μήτε μνησικακήσειν usurpatur.

Manutius in comment. Philipp. distinguendum existimat, nomen *rei*, & *decreti super re facti vocabulum*, Τὸ, μὴ μνησικακεῖν de consilio Thrasybuli & expressione ipsius oblivionis injuriarum, capiendum esse: ἀμνηςίαν autem, legis insuper de illa oblivione latæ notionem complecti. Ad cujus mentem apprime faciunt, *Plutarchi* Ψήφισμα ἀμνηςίας, & Nepotis *lex oblivionis.* Vsurum autem fuisse Ciceronem *hoc* potius, quam *illo* nomine; quippe qui suaderet, *decretum* discordiis abolendis esse faciendum, collatione locorum quorum antea mentio facta; ut &, respectu commoditatis in efferendo (quod enim Latine circumlocutio-

nem requirebat, felicitate unius Græci vocabuli potius quam plurium redditurus existimari potest) non absurde credidit vir doctus. Adde *Beroald. Syllog.* 2. *annot. in Cic. tom.* 1. *thes. Crit. p.* 228. *Cal. in Philipp. Cic.* 1. *Erasm.* chil. 2, 17, 94. *Ærod. decret. l.* 6. *tit.* 7, *&c.*

Nos in medium relinquentes, qua voce potissimum usus sit Cicero (sunt enim ex utraque parte rationes opinandi paribus ferme momentis subnixæ) rem ipsam, non alio commodius, quam Ἀμνηστίας nomine, quod & vulgo jam obtinuit, signandam, intuemur, cujus hanc descriptionem damus: AMNESTIA EST DECRETUM sive LEX, QUA AD EXPEDIENDA TOLLENDAQUE, INTER PARTES DISCORDANTES, FIRMÆ PACIS IMPEDIMENTA, ANTEACTORUM ABOLITIO PUBLICA, SOLENNIS, JURATA, COMMUNI UTRINQUE CONSENSU SANCITUR. Sive: *Amnestia est lex, qua nati ex discordiis dolores iræque, sublato, solenni partium conventione, vindictæ nocendique studio, abolentur.*

Dicitur apud Græcos à *non-recordando* sive *obliviscendo*. Est enim ἄμνηστος *oblivioni traditus*: *cujus nulla superest memoria.* Hinc ἀμνηστία, διὰ τὸ μηδεμίαν εἶναι τῶν πεπραγμένων μνήμην, *eo quod nulla rerum superiorum memoria superesse debeat;*
8, 8. sicut ex *Herodiano* diceremus: sive ut ex *Cicerone*, quod
Phil. 1. 1. *omnis memoria discordiarum oblivione sempiterna delenda sit.* Unde *Justinus*, *discordiarum oblivionem*; *Velleius*, *præteritorum oblivionem*; *Valer. Maximus*, *præteritarum rerum oblivionem*;
Excerpt. controv. 10, 3. *Nepos*, *legem oblivionis*, *M. Seneca*, *oblivionem*, dixere. Quos certatim imitati ceteri. Ἀμνησικακία quoque interdum hanc vim habet: nisi quod plerumque solennius & specialius, usque in hunc diem, consuevit ἀμνηστία usurpari, sicut descripsimus. Nam *alias significationes*, quibus ad *privatam reconciliationem*, *delictorum condonationem*, *impunitatem*, &c. trahitur, nunc nihil moramur. Porro quid hic sit *oblivisci* & *oblivio*, infra patebit.

Diximus, DECRETUM sive LEGEM. Nam & *Plutarchus* diserte, Ψήφισμα, & *Nepos*; *legem*; & *Valerius*, *plebiscitum* nominant. Idem facit *Andocides*, in *orat. de mysteriis*, ubi

ubi tanquam ex vigore legis argumentum petit. Simul, ut à *qualicunque conventione* & *mutua compromissione*, quæ huic fini scilicet minime sufficeret, distingueremus. *Legis* enim *auctoritas* quidpiam in se divini habet, tum ad obligandam, tum ad conservandam civitatem.

Spectat autem hæc lex *Partes discordantes*: ita, ut inter eas statuatur, *abolitio anteactorum*. PARTES DISCORDANTES, vel per tumultum & consternationem, vel per seditionem, vel per bellum intestinum seu civile. Adversus interna quippe dissidia, *proprie*, inventum hoc adhiberi potest & solet. id quod res ipsa & historia docet. Quanquam enim in externorum quoque bellorum compositione, pacificationibus, induciis, inter solennes leges & formulas adhibeatur, *nemini jus fasque esse debere, præteriti temporis damna vel offensiones ulcisci, exprobrare, persequi*: tamen ista abolitio inter *cognata* potius *hujus Amnestiæ, stricte sumtæ*, de qua nobis sermo, numeranda est: quatenus scilicet, *abolendum vindictæ nocendique studium*, *communiter* in omni reconciliatione, pace, tranquillitate ineunda spectatur.

In civilium autem discordiarum abolitione, longe *arctior* est & *interior Amnestiæ respectus*. ne scilicet ii, qui uno foro, una socieatis communione, cottidianisque commerciis utuntur, adeoque ex ipsa conjunctione hac, revolvendi, quiritandi, vindicandi anteacta, occasionem perpetuam haberent, in novos motus erumpant: ne ex domesticis legibus, moribusque, mutuas contentiones resuscitent; quæque his similia, ad interna potius reip. pericula, quam ad externos insultus, pertinent.

Taceo quod in bello externo, quicquid hostis hosti nocuit, propterea minus grave videtur, quia cum gladio ipsum nocendi jus sumitur, & ab hoste non nisi hostilia expectantur. At in civilibus armis omnia iniquiora & videntur & sunt. dum alii violant jus, alii defendunt: alii tyrannidem cœptant aut propugnant, alii libertatem. Cujus tamen ipsius tali tempore, cupido non est acrior, quam vindictæ in tyrannos studium. Quali rerum perturbatione, sæpe ex opinione res geritur; neque minus tamen violen-

te aut acerbe. Nam vera de omnibus actibus, quibus ira dolorque partium vel movetur, vel alitur, judicia, nec quæruntur satis, nec quæsita in promtu sunt.

Interim ut extraneorum quisque propius nobis cohæret, loco, commercio, necessitudine, superiorum temporum amicitiis, vinculisque aliis: ita bella cum eo gesta gerendave, propius ad civilia arma; & pacificationis ratio, propius ad Amnestiam accedit.

Sunt autem *partes* illæ *discordantes* sæpe plures duabus. Ut cum interemto Cæsare alia erant populi, alia senatus, alia paucorum studia. Imo inter ipsa bella civilia, novarum partium semina sparguntur, eruptura in turbas, cumprimum occasio se præbuerit. Eo magis *ἀμνηστίας* remedium occupandis vel præcidendis his malis proprium est. Non omittenda est hoc loco applicatio exempli Atheniensis: in quo invenimus 1. *partes Thrasybuli & sociorum.* 2. *eorum, qui è civitate, liberatores civitatis, errore potius & consternatione, quam odio, impugnaverant.* 3. *eorum, qui cum tyrannis exulantibus agentes, ceterisque jam reconciliatis, adhuc segreges in civitatem revocati erant.* Suberant interim longe plura dissensionum, novarumque partium semina: quæ oppressit mox Abolitio illa, è qua potissimum vis Amnestiæ ac natura cognoscitur.

Ad ABOLITIONEM ANTEACTORUM describendam, accurate loquendo non sufficit, *impunitatem admissorum* nominare, (*v. Alex. gen. di. 6,9.*) aut *injuriarum oblivionem.* (*v. Beroald. loc. antea d.*) *Illud* enim levat injuriæ auctores periculo; *hoc* injuriam passos mitigat. Interim etiam apud eum, qui alterum læsit, ipsa injuriæ, quam intulit, memoria ferociam & odium haud raro conciliat, juxta illud *Taciti in Agricola*: *Proprium humani ingenii est, odisse quem laseris,*: frustraque adeo dememinerint suam fortunam, qui gravia passi sunt, retinentibus memoriam factorum, qui gravia fecere.

Igitur longe plenius *res abolendas*, sive *anteacta* illa, complecti possumus, si mutuemur ex alio argumento, verba *Cornelii Taciti* in memorabili loco, quo relatum in senatu

42. 4. H. 44.

ſenatu ait: *de abolendo dolore iraque, & priorum temporum neceſſitatibus.* Vbi ex ratione noſtri inſtituti *dolorem* ad eos commode retuleris, qui aſpera & iniqua paſſi ſunt, aut ſe paſſos arbitrantur: *iram*, ad molientes gravia inferentesque, ſpectare dixeris: *Superiorum* autem *temporum neceſſitates*, opportuna & prudenti adjectione, denotarent confuſa conſternatione civili jura, animos, ſtudia, *malas illas artes, ſine quibus non haberi poſſe arma civilia*, idem ſcriptor alibi ſignificat. Dum alii, juſtas ſibi infeſtandi alios cauſſas, partim credunt, partim credi volunt: nonnulli cum ingreſſi ſunt ſemel iſtud mare, in duriora & iniquiora quam deſtinaverant conſilia, ipſa vi fluctuum abrepti, neceſſitatem denique ſolam pro ſe & adverſum alios allegant. Eſt, ubi de perpeſſione adverſorum queſti, ſuo ſibi jumento perpetienda accivere. Nimirum tantus turbo inimicitiarum bella civilia confundit, ut nec damnorum, nec oppreſſionum; nec ſuccumbentium, nec incumbentium facies, poſſit apparere, dubiisque ad ſingula judiciis ſuſpenſæ mentes, æquitatis denique & miſerationis voce, *priorum neceſſitates temporum* appellare malint, & quam in hominibus non dijudicant, rebus culpam imponere. Quæ prudentia apprime utilis eſt, ad commitigandos partium animos: quibus tali tempore, etiam nomina eorum quæ accidere; inviſa ſunt.

Anteactorum vocem adhibet *Iuſtinus*; eamque mox *diſcordiarum* mentione permutat: *Sueton. in Claudio, facta dictaque*; *Nepos, res ante actas*, ceteri, *præterita, res præteritas vocant*: generali ſcilicet voce, id quod volumus complexi. Τὰ γεγενημένα, τὰ ϛυμβεβηκότα &c. Græcis in hoc negotio dicuntur. Et ut nihil excludatur, *mutui partium affectus* obſtringuntur, ἀλλήλοις μὴ μνησικακεῖν. *cap. 11.*

Harum ergo rerum quomodo *abolitio* fiat, & quid ſit; amplius diſpiciendum eſt. Utuntur ſcriptores duabus potiſſimum vocibus, *oblivione & abolitione*. *Oblivio* ad Græcam originem accommodata eſt, ubi ἀμνηςία, μὴ μνησικακεῖν &c. *memoriam* præteritorum *deleri* jubent, ut loquitur Tullius. Cum autem *oblivio* non ſit in poteſtate hominis, reſpectu voluntariæ ex memoria deletionis, diſtinguen-

guendum ante omnia est, inter τὸ μνημονεύειν & μνησικακεῖν, exemplo *Ulpiani Rhetoris*, *qui in enar. or. Demosth. contra Aristocratem scribit* : ὁ ἐρευνῶν τὰ τινὸς ἀδικήματα, ὥστε τι βλάπτειν καὶ ἀμύνασθαι αὐτὸν, μνησικακεῖ. ὁ δὲ μνημονεύων, οὐκ ἐπὶ τῷ βλάπτειν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ φυλάξασθαι τὴν ὁμοίαν πεῖραν, σωφρονεῖ. *Qui inquirit in admissa alterius & injurias, nocendi ac vindictæ studio, ille* μνησικακεῖ, *sive memoriam injuriarum retinet : qui autem meminit, minime nocendi animo, sed ut similes in posterum casus caveat, ille prudenter agit.* Apud *Dionysium Halicarnassensem*, cum Fufetius suasisset, γνώμην θέσθαι περὶ μηδενὸς ἀλλήλοις μνησικακεῖν, postea Tullus in formulam quodammodo cogit hoc consilium : ἀφεῖσθαι δὴ πᾶσα ἐγκλήματος ἰδίου τε καὶ κοινοῦ πρόφασις, καὶ μηδενὸς ἔτι μνήμη τῶν παρεληλυθότων ἔστω κακῶν.

lib. 3.

Unde intelligitur, esse *aliquam malorum memoriam, quæ hinc excludatur plane*; scilicet, ubi retinemus præterita, disceptandi vindicandique studio : & *aliquam quæ hic locum possit invenire*, de qua & Cicero apud Dion. 44. ait, *futurorum ordinandorum & vitandorum ergo, non aliam ob caussam, ad præterita respiciendum esse.* Quocirca *Valerius*, per *mentionem* interpretatur : *ne qua mentio fieret præt.* id est, ne quis persequendi juris caussa in medium adferat, queraturve præterita.

Interim *oblivionis* vocem, licet non tam memoriam hoc loco, quam vindictæ studium ac voluntatem tollat, *non sine* ἐμφάσει, *cum favorabili extensione & incremento* acceptam volumus, in hunc modum, *ut tam firma adsit stabilisque relinquendæ omnis disceptationis, omnis vindictæ voluntas, quasi nesciremus quidem acta superiorum temporum, neque grave nobis aut molestum quicquam evenisset : quasi quæ facta sunt ultro citroque, nunquam fecisset quisquam, aut passus esset.*

Nam propterea *abolitio* etiam dicta est, *Capitolino in Gordian.* 10. *Floro* 4, 7, 3. *Suetonio* Tib. 4. non quod facta infecta reddi possent, sed quod nunquam facta videantur, quorum nulla superest disquisitio, vindicatio, lis &c. Nepos ita exprimit : *ne quis anteactarum rerum accusaretur, neve multaretur.* Thrasyb. 3, 2. Dio per τὸ μὴ ἐγκαλέσειν explicat ; *neminem quidquam jure persecuturum*, item, μὴ πολυπραγμονῆσαι

lib. 44.

μνησικακεῖν γεγενημένα, ὅτι τιμωρήσασθαι. *non inquirere in ante acta, nil arguere, aut vindicare.* Andocidi est, *ἐᾶν τὰ γεγενημένα, missa facere, quæ evenerunt.* Orat. de mysler. p. 212.

Ut hæc amplius cognoſcantur, adſcribemus ipſam *talis abolitionis formulam*, ſicut eam ex actis conſtitutæ à Carolo IX. Galliæ Rege, an. 1568. amneſtiæ, deſcripſit & latine reddidit *Lambinus. Edicimus* &c. *omnes injurias atque offenſiones superiores, quas temporis iniquitas, & occaſiones ex ea nata inter cives noſtros pepererunt: omnia mala præterita, quæ ex ſuperioribus motibus ac tumultibus manarunt, funditus exſtingui, eorumque memoriam ſempiterna oblivione deleri, atque obrui, ut proinde ſint, quaſi omnino nunquam eveniſſent: vetamuſque diſertiſſime, planiſſime atque apertiſſime, & capite ſancimus, ne qui ex noſtris civibus, cujuſcunque ſint ordinis, loci, gradus, aut fortunæ, audeant inter ſe laceſſere, provocare, irritare, præterita objiciendo aut exprobrando, neve ulla de re anteacta inter ſe altercari, rixari, jurgare & contendere, neve convitiari & maledicere, neve facto aut verbo contumelioſo inter ſe offendere ac lædere, ſed potius ſibi moderentur ac temperent, concordiamque & pacem in omni vita degenda colant, tanquam fratres, & amici, & boni concordeſque cives,* &c.

Agnoſcas curiæ ſtilum, quem vocant: eadem, quæ veteres breviter extulere, particulatim exponentem & ſolicite interpretantem. qui mos, ſecus quam par eſt, à nonnullis faſtiditur. Nam & multitudo emergentium quotidie caſuum, & circumſtantium rerum varietas, &c, quæ providere hæc omnia, & ſingula explanare debet, civilis prudentiæ accurata ſubtilitas, facile ſuaſere Politicis inter ipſa diſcrimina verſantibus, hanc prolixitatem. quam ob id, *paraphraſin politicæ doctrinæ* appellare ſoleo.

Priuſquam ad cetera pergamus, notandum, *abolitionem* hanc abſolvi, *oblivionis perpetuitate* (unde *ſempiterna oblivio* Tullio dicitur; & ap. Dion, cavetur, *μὴ ποτὲ, ne unquam* &c. adde §. 18.) & *amicitiæ conſtantia, ac reconciliatæ benevolentiæ firmitudine*, de qua poſtea. Rotunde, ut ſolet complexus eſt pleraque ex dictis dicendiſque, limati oris ſcriptor *Herodianus in oratione Maximi*: *ἔςω πάντως ἀμνηςία, καὶ* 8. 8.

ακαι-

σπονδαὶ φιλίας βεβαίου, εὐνοίας τε καὶ εὐκοσμίας πίστις αἰώνιος. Politianus vertit: *Sit omnium oblivio* (Amneſtia) *ſit fœtus conſtantis amicitiæ fidesque benevolentiæ ac moderationis ſempiterna.*

Ceterum, ut firmitas amneſtiæ perpetuitasque, vindictæ item abolitio conſervetur, *multa ex anteactis conſtitutisque in rep. aut latis legibus, licet non probentur, temporis cauſſa & majoris commodi confirmata ſunt à Senatu* ſcil. in ipſo illo SCto: quo *ἀμνηστία* continebatur. *Cic. Philipp.* 2, 39. & *Philipp.* 1, 9. *Acta Cæſaris ego, qui illa nunquam probavi, ita conſervandæ concordiæ cauſſa arbitratus ſum, ut non modo, quas vivus Cæſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem: ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Cæſaris prolatas & fixas videtis.* Igitur male *Antonius* & eluſorie, cum multa contra leges Cæſaris ageret, reſpondit: *Introducta amneſtia conſtitutum quidem eſſe, ne quid de præteritis mutaretur, ſed id mitigandi populi & temporis cauſſa factum eſſe. præcipue interim oblivionem injuriarum ſpectari, juſtiusque eſſe mentem SCti quam verba valere.* Quod ſi admittatur, nulla nec amneſtia, nec pax fida erit aut firma. pertinet huc quod *cap. ſeq.* habetur. Neque omittenda eſt cautio, *de anteactis ita nos loqui, ut ea intelligamus, quæ ſalvo ſtatu, i. e. citra certum periculum novæ perturbationis confirmari poſſunt.* Sicut in exemplo Cæſ. videmus. Aliud enim eſt *confirmatio ante actorum*, quæ ad futurum tempus reſpicit; cui imponitur obligatio rei confirmatæ ſervandæ: aliud *abolitio anteactorum*, quæ *præſentis temporis mala ſanat.*

Appian. 3. *ἐμφυλ. pag.* 540.

Poteſt, ni fallor, ex dictis intelligi, abolitio anteactorum: niſi quod *requiſita* ejus reſtant ſingillatim penſitanda. Addidimus igitur primo, PUBLICAM eſſe debere. Qua appellatione indicatur, tum, *auctoritas publica*, quatenus privatis pactis conventisque opponi ſolet; tum, *collectio partium*, quarum nulla abeſſe, præteriri, ſeponi, in hoc negotio debet. Fit enim quodammodo privatum, quod, cum ad omnes pertineat, inter paucos, & velut in præjudicium publicæ ſortis, tractatur. Quæ res non parum ſcilicet firmitati pactionis detrahit: effugiis autem inconſtantium & cavillationibus occaſionem præbet.

SOLEN-

SOLENNIS quoque dicta nobis abolitio. Qua voce notantur vulgo ea, *quæ certa consuetudine, & veluti recepto in actiones hominum more fiunt, cujus observatio quiddam in se habet religionis, venerationis, auctoritatis, roboris: sicut omissio neglectusque, opinionem infirmitatis, & aliquando suspicionem fraudis generat.*

Cum itaque pleræque non pactiones modo & constitutiones; sed in universum, quæ alicujus momenti sunt, actiones, præsertim publicæ usurpent solennia quædam: utique Ἀμνηστίαν, non decuerit absque iis considerare. In qua occurrit *primo, Solennitas verborum.* quæ adeo non habenda insuper, ut stilus curiæ, quem vocant, pleraque sui parte in concinnandis observandisque solennium locutionum formulis occupatus sit: præcipue in concipiendis edictis, constitutionibus, sententiis, pactis, legibus. Sunt autem istæ formulæ non uniusmodi, sed variant, tum ratione temporis (aliter enim antiqua, aliter nova curia loquitur: nisi quod hæc sæpe ex illius solennibus aliquid mutuatur) tum ratione nationum gentiumque: quæ & ipsæ tamen, multa à se invicem desumta, postea veluti consensu quodam usurpant. Sic Romani jus feciale rerum repetendarum ab Æquicolis descripsere. *V. Cic. pro Rosc. Com. 9.*

Accedit, *secundo, solennitas rituum, apparatusque cujusdam externi.* ut cum e. g. loco publico & solenni pactio promulgatur, cum publicæ exhortationes adhibentur, cum preces suscipiuntur; verba, præconis aut magistratus voce præeuntur; dexteræ junguntur; JURISJURANDI religio cum gravitate & pondere inculcatur exigiturque.

Quare ad Solennitatis partem pertinet, cum JURATAM abolitionem nominavimus. Ubi *jusjurandum ipsum*, immediate ad firmitatem rei & fidei referendum est; *Solennitas jurisjurandi*, mediate. Adscribenda hoc loco Atheniensis jurisjurandi formula est, quam *Andocides in orat. de mysteriis*, consignavit. Jurabatur ergo primum ab *omnibus* universim reconciliatis in hanc sententiam: οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων,

ὃς ἂν ἐθέλοι εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. *Neminis civis errata reminiscar, exceptis triginta & undecim virorum. sed & horum obliviscar, si voluerint administratæ tyrannidis judicium subire & rationes reddere.* Hinc jurabat *Senatus*: οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν, ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. *Non admittam delationem aut accusationem, nisi de exulibus.* (intellige tyrannos) Tertium jusjurandum erat *judicum:* οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι: ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. *Non retinebo memoriam injuriarum, neque aliter persuaderi sinam mihi, quo minus judicem secundum leges latas.* (de quibus ll. v. Andocid. in præcedentibus.)

Etiam *interrogationis solennitas* nonnunquam adhibetur, præsertim ubi COMMUNI PARTIUM CONSENSUI exigendo declarandoque inservit. Licet enim in eo *genere* ἀμνηστίας, *quo partium odia superioris alicujus edictum mandatumque coërcet* (.e.g. cum Rex quispiam dissidentibus in regno suo, amnestian imperat, v. supra §.18.) aut *ubi arbitri compromissarii,* sive διαλλακταὶ αὐτοκράτορες, ut vocat Plut. in Arato, *tale quid statuunt* (quanquam tali casu omnino generalis partium consensus præcessit; ex quo specialia recte inferuntur) non inveniat locum, ille communis & spontaneus liberrimus partium consensus, quatenus inter requisita ponitur: tamen & Atheniensium exemplo, quod semper hic attendimus; & in civilibus dissidiis, ubi partes æquo jure sunt aut pari potentia; denique ubi firmitudini conventionis quam maxime consultum cupimus, usurpari animadvertitur.

Atque per hæc juris, humanitatis, solennitatis vincula, tandem ad verum Ἀμνηστίας *finem*, id est, FIRMAM PACEM, sive *Pacis firmitudinem*, pervenitur. Nimirum: *ut offensa, dissidia, inimicitiæ, earumque nomina pariter ac opera auferantur; tum, ut benevolentia, amicitia, concordia concilietur.* Nam his duabus partibus absolvitur negotium. sumtis scilicet *cum interpretatione bonæ fidei & stabilitatis, tam moralis, quam civilis.* Interim *hæc, illius* defectum haud raro supplet.

Hic

Hic locus nobis ostendere quodammodo potest utilitatem *bujus inventi* plane divinam. Nam tum omne Pacis conciliandæ negotium plurimis est vel difficultatibus obseptum, vel intricatum dubitationibus; tum vel maxime civilia sive intestina dissidia bellaque, arduam magis ancipitemque habent compositionem. *Est in bellis civilibus*, quod facunde Cicero apud Dion. 44. exsequitur, *quadam malorum concatenatio ac veluti circulus*, cujus revolutio perpetua, tristia tristibus cumulat, nec modum ac finem esse miseriarum patitur, sed proxima quæque concertatio, caussam & instrumentum sequenti præbet. Magna enim est vindictæ libido apud oppressos victosque, magna vindictæ licentia apud victores. Et sicut *illis*, socios, metus paris calamitatis; ita *his*, cupido paris licentiæ aggregat. Jam quis tumultuantes vario dissensu animorum motus, quis præsentium fastidia, futurorum aucupia, satis describat? Quibus rebus, ad interitum denique proficitur.

Ecce in exemplo Atheniensium; illi qui é Piræeo in urbem venerant, potuissent ultionem injuriarum ab urbanis expetere: atqui, urbani fortean rursum prævaluissent, insperataque clade pressissent, quos insperata victoria beaverat. Aliis poterat studium aut ministerium peculiare tyrannis præstitum objici: alios privata, quosdam publica incommoda exasperare invicem poterant. Atque, etiamsi pax aliqua coivisset, bellorum facinora, pace disceptanda veniebant. Qui libertatem defenderant, à servitutis satellitibus, ut exprobrantes: hi ab aliis, ut degeneres, aspici poterant. Denique sicut male obrutum incendium, quovis flatu irritante, facile & cito & violente resurgit: ita male sarta gratia quacunque occasione, rescissa in turbas ivisset & nova dissidia.

Hæc tanta & tam multiplex difficultas, ac IMPEDIMENTA per tot labyrinthos circumducta ac contortuplicata, nec *filo quodam Ariadnæo expediri*; nec *gladio Alexandreo* rumpi possunt. nam & illud si obtinere instituas, *cum recta ratione insanire* dicaris; & hoc *cladi* quam *medicinæ* es-

 set si-

ſet ſimilius. Igitur EXPEDIENDI ratio una & optima ſupereſt, ſi TOLLANTUR potius, litis & diſſenſus materia & ſemina, obliviſcendo, conſopiendo, transmittendo, omittendo: quam ſi expediendo per diſceptationem aut moroſa judicia, multa nequicquam conemur, id eſt, curatione ipſa vulneris periculum augeamus. *vid.* Dion. 44.

Reclamet forte nonnemo: *etiam hoc inter violentiora eſſe, ſi jure ſuo cedere multi cogantur, omniſque perſequendi juris præcidatur occaſio.* Verum, præterquam quod coactio dici non poteſt in eo, quod à volentibus & communi voto approbantibus conſentitur; quale eſt noſtrum, exemplum: etiam hactenus à violentia abeſt hoc inſtitutum, quatenus & alias viri boni officio convenit, *multis multa de ſuo jure concedere.* id enim tum liberale, tum fructuoſum (*v.* Cic. 2. offic. 18.) & præſertim omni bono civi, non magis nomen civis quam hic animus tribuitur, ut *odia privata publicis utilitatibus remittere,* quotiens opus eſt, cupiat. Tac. 1. A. 10, 4. Eſtque hoc omnino illud tempus, quo neceſſe eſt παρειδεῖν τι, connivere ad multa, neque curioſe τὰ ἀκριβῶς δίκαιον ζητεῖν, *accurata diſquiſitione jus dicere*, ne fiat quod eſt in proverbio, *ut hic ſummum jus, ſumma ſit injuria.* cum præſertim in omni tractatione politica ad finem negotii ſit reſpiciendum unice, ad quem niſi cetera quadrent, aliena eſt aut periculoſa omnis ea ſapientia. Agitur autem tunc, de STATU labante turbatoque componendo, atque in firmitudinem quandam colligendo, non de exercendis judiciis, diſceptandis litibus &c. quod recte monetur ap. *Dionem.* ne de aliis rationibus dicam, quas infra ponemus.

Felix eſt ἐπιείκεια cujus fructus in ſalutem publicam deſinit. quæ præſertim hac ratione Athenienſibus eſt inſtaurata. Laudat hunc Amneſtiæ FRUCTUM diſertis verbis apud *Dionem* (44.) Cicero: *poſtquam ad hunc modum reſipuiſſent Athenienſes, non modo tyrannide ſunt & diſcordiis liberati, ſed etiam de cetero rebus uſi proſperis: recuperataque urbe, Græciæ principatum aſſecuti ſunt: Spartanorumque & Thebanorum ſalutem pariter ac perniciem ſæpe in ſua manu poſitam habuerunt.*

Valerius

Valerius Max. Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem civitatis statum, in pristinum habitum revocavit. 4, 1. ext. 4. *Justinus* idem voluit in istis verbis: *atque ita per multa membra civitas dissipata, in unum tandem corpus redigitur.* 5, 10, 10.

Intelligitur jam, *solam & unam finiendorum bellorum discordiarumque civilium, fidam firmamque rationem esse, Amnestiam.* in qua propterea *Cicero* FUNDAMENTUM PACIS, rectissime constituit. Phil. 1, 1. quæ nisi magnos motus consequatur, exitio subinde propior fit Resp. Sicut atroces quidam morbi, haut dubie alioquin peremturi hominem, *sola Quiete* persanantur. Verum illa nec *sera nimium, nec interrupta aut qualiscunque* esse debet.

Qui locus nos monet, ut de TEMPORE ἀμνηστίας aliquid adjiciamus. Nam & *in constituenda adhibendaque,* ipse articulus, ut sic dicam, temporis observandus est: & *duratio*, si arctetur, non exigua habet incommoda. Itaque quod ad primum attinet, εὐκαιρία sive *tempestivitas amnestiæ*, non uno modo considerari potest. *Optimum* fortasse *tempus* fuerit, quod maturrimum: antequam scilicet discordiæ in bella, bella in clades profecerint; priusquam partes periculum fecere virium, priusquam gladius civili non cruore magis, quam furore imbutus est. namque ubi hæc accidere,

fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Ita dum Cæsar inimicitias cum Pompeio exercet, trahiturque in partes Resp. & prudentibus multa formidolosa in oculis sunt, optimum prorsus fuit eorum consilium, qui deponendas contentiones, condonandas offensas, obliviscendas injurias, omittendas disceptationes, id est, quid aliud quam ἀμνηστίαν, & pacem ἀμνηστίας fundamento superstruendam suadebant. Inter quos & Cicero: *quem unice cavisse concordiæ publicæ,* Velleius auctor est. 2, 48. *In quo si mihi*, inquit ipse (1. offic. 11.) *esset obtemperatum; etsi non optimam, at aliquam remp. quæ nunc nulla est, haberemus.* Ex quibus verbis *ipsum eventum transmissæ neglectæque tempestivitatis,*

calamitosum scilicet & infaustum animadvertimus. Ergo commodissima quidem ratio ineundæ ut pacis, ita ἀμνησίας fuerit, ante eductum vagina gladium.

Alterum exemplum Ciceronis hic occurrit, de ἀμνησίᾳ proprie, & tempestive soliciti: cum occiso nimirum Cæsare Julio, res ad ferrum & sanguinem spectaret. Adhortatur ibi ad capessendum salubre remedium, ἕως ἔτι τὸ δεινὸν ἄρχεται, καὶ οὔτε πολλοί πω συνεστήκασιν, &c. *dum malum adhuc in herba est & inter initia invalidum, dum nondum multi coivere: dum neque illi spem victoriæ, neque hi indignationem & studium vincendi ex damnis toleratis plane imbiberunt.*

Verum cum de amnestia hactenus, ut de civilis belli, quod jam exarsit sævitque, remedio egerimus, *illud* quoque *tempus* dispiciendum venit. Sicut enim in priore consilio, ad προφυλακτικὴν φιλοσοφίαν, sive ad eam prudentiæ partem pertinet Amnestia, quæ malis imminentibus aut minantibus occurrit, ac obicem ponit: ita posterior ejus usurpatio ad δεύτερον πλοῦν, juxta Græcorum vocem, referri debet, cum mala jam admissa invectaque expelli oportet ac sanari.

Consideratur hujus medelæ tempus rursum *duobus modis*: 1. *vel enim*, dum utraque pars adhuc sibi confidit, damnisque mutuo illatis, nondum tamen ad extrema ventum est. quod tempus sicut paci faciendæ commodissimum Cæsar dixit, ita nos, si quidem hactenus ventum est, amnestiæ opportunum vel maxime arbitramur. 2. *vel* ubi jam exhaustæ vires bello sunt, & furore potius ad interitum, quam opibus & spe, ad victoriam geritur bellum. Hoc tempus expectasse, ingentis plena periculi res est. Nam nec semper potest revocari lapsus semel reip. status (sicut morbi quidam ubi toto corpore eorum vis est recepta, omnem medelam superant) nec, ubi altera pars prævaluit, facile in amnestiam consentit. Quare, ut singularis rem exempli laudant Scriptores, Atheniensium hac in re fortunam, & Thrasybuli consilium. cujus eventus minus utique felix fuisset, nisi *tyrannis amotis, externa quoque æmulatio*

(Spar-

(Spartanorum ſcil.) *in miſericordiam verſa*, quieſcendi & coaleſcendi ſpatium dediſſet.

Utraque res grande momentum habuit. *Excluſio* quippe *tyrannorum* ipſum fundamentum amneſtiæ continebat. Ut mala mutua poſſent dememiniſſe, malorum cauſſæ exciſæ erant. Ita indignatio eorum qui dura paſſi erant; & metus eorum qui gravia fecerant, ſimul expiabatur. Illi enim, ut vindicati; hi aliena potius quam ſua culpa, abrepti, in mutuam veniam, communi rerum adverſarum, adverſariorumque deteſtatione ferebantur. Jam ſi Lacedæmonii obſtinata rabie effoſſum potius quam hebetatum hunc Græciæ oculum cupiviſſent; (& agebant id plerique, niſi quod bona Athenienſium fortuna Pauſaniam in meliora inclinavit, non quidē ut favorem civitatis hujus ſerio induceret, ſed ut æmulis ſuis obluctando, ex obliquo, ut ita dicam, prodeſſet) tum profecto præterierat illud tempus, quo inteſtina vulnera ſacro amneſtiæ malagmate poſſent commitigari obducique.

Neque eſt, quod quis ſuſpicetur, *Univerſalitatem*, ut loquuntur, *amneſtiæ*, impeditam remotione tyrannorum. Multo minus hujus exempli obtentu & ſpecie utendum eſt, ad quoſdam à ſalutari hoc communique remedio, cum ejus uſus & neceſſitas venit, ſecludendos. Nam quod ad primum attinet, excluſio tyrannorum, non facta eſt in conſtituenda amneſtia, ſed inter finem belli, qui ab initiis & firmamentis pacis probe diſtinguendus eſt. Adeoque, tyranni in hac conſultatione *non* conſiderantur *ut abrumpenda membra*, ſed *ut jam abrupta*. Poſtea jus belli & victoria, inquietos, denuoque turbantes ſpiritus ſuffocavit. Taceo quod divini humanique juris violatores, rerumque capitalium convicti & jam damnati, ne capaces quidem manſerint ſocietatis, quam funditus ſubverſum iverant. Fuerant ſcilicet tyranni tales, quales demoveri & potuiſſe & debuiſſe, etiam illi fatebuntur, qui ſcuto ſuo tantum innixi gladii mentionem tali in re exhorreſcunt. Atque hæc omnia, tam liquido certa erant, ut diſceptari amplius

non

non poſſent. Nam in ambiguis criminibus, & ubi defenſio nondum defecit, potius in mitiora omnia eundum eſt. Verum quid verbis opus? Neque hos ipſos tyrannos, quos tamen ſua ſcelera omni civium conſortio excluſerant, æquitas Thraſybuli & lex ab omni amneſtiæ fructu prorſus excluſit: ſed, quod ſupra ex *Andocide* didicimus, expreſſa conditione, invitabantur: ſcilicet, ſi rationes imperii à ſe geſti vellent reddere. Cetera facile intelliget, qui juratam omnium Athenienſium, pro conſervanda Democratici ſtatus forma, fidem; clancularium & iniquam oligarchiæ inſtitutionem, ſæviſſimamque ſcelerum dominationis continuationem, partium omnium, ipſorum etiam arbitrorum ſive conciliatorum, in ejiciendis tyrannis, ſeu obice pacis removendo, conſenſum, cogitabit.

Alias omnino requiritur, ut ſanandis reip. vulneribus, colligendis reliquiis, *omnes* omnino *complectatur Amneſtia.* Secus, non amneſtia, ſed imago gratiæ, ſpecies pacis, ſimulacrum reconciliationis, & quidvis potius erit. Eſt enim hoc nomen ipſa ſua indole generale, & ad præterita ſive anteacta, ordinaria, ut ita loquar, notatione extenditur: ſed & cauſſas diſcriminum & diverſitatis una litura delet. Quod ex fine ejus & uſu amplius patet. Dum enim inextricabiles rerum perplexarum tricas ſimul & ſemel tollendo, planam ad fidam pacem viam ſternit, nihil relinquit, quod moram huic inſtituto facere, aut afferre vim, aut ſtruere inſidias poſſit. qualia nunquam deerunt, ſi prætereantur aliqui.

Interim ejuſdem cautionis eſt, *temporis perpetuitas*, & πίστις αἰῶνος, quam ſupra tetigimus: & *Xenophon* amneſtiæ ac Reip. durationem, ut cauſſam & effectum conjungit: ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ γε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει δῆμος. Notanda enim hoc loco differentia *temporariæ & improprie ita dictæ ἀμνηστίας*; quam à *vera* & noſtra, tantum arbitramur diſtare, quantum à *Pace ſolida induciæ qualeſcunque* abſunt.

lib. 2. hiſt. Græc. f.

Eſt tamen & hujus generis non levis aliquando uſus, ut cum repentinus & mox in atrocia erupturus tumultus, diſcor-

discordia, consternatio, non componi aut mitigari statim idoneis remediis, & sine periculo potest; aliquot dierum, mensium, jubetur esse amnestia, id est, suspensio disceptationis, offensarum, concertationum. *Jubetur*, dixi, nimirum ubi inter ipsa imperii membra, aut homines in imperio degentes, salva imperantis aut imperantium auctoritate, exarsit aliquid irarum: quod edicto supremæ & intactæ majestatis, velut interjungi inhiberique hactenus potest, dum curatio accuratior sequatur. Nam cum omnia in partes & dissidia ivere, imperio unius partis nunquam, consensui partium circa amnestiam temporariam, raro locus superest.

Adversantur Amnestiæ (nam & hæc consideratio illustrat quæ diximus) *è diametro*, 1. *Proscriptio*. 2. *μνησικακία πολιτική*. Loquimur de utraque cum respectu ad bella civilia eorumque fines. Hic enim prorsus pugnant, AMNESTIA *sopire discordias ac firmare pacem*; &, *componere statum multa reorum, inimicorum, suspectorum, strage, proscriptione, interitu*, quæ pax alicubi, *cruenta*; alibi *sæva* solet appellari. Illaudata ratio & parandæ invidiæ opportuna. Itaque Scriptores non satis detestari possunt auctorem primum Rom. proscr ptionis, Syllam. Certe ex eo tempore, quo Sylla oppressione inimicorum & proscriptione pacare instituit remp. nunquam defuere, renata velut ex cineribus Syllani incendii, dissidia (unde Florus, 3, 22. Sertorianum bellum *Syllanæ proscriptionis hæreditatem* vocat: & *cap*. 23. alterius *motus facem*, ejusdem caussæ respectu, *ab ipso Sylla rogo exarsisse* scribit) donec exemplis tam infaustis irritata improbitas, furorem non prius, quam libertatem posuit, ac oppressam conversamque unius dominatui remp. obtulit. *Augusti pax* quantum laboraverit invidia proscriptionis, notius est, quam ut dici opus sit. Certe illi ipsi *μοναρχικοὶ κόλακες*, sive statistæ, ut hodie loquuntur, Augusti, cum omnia sui principis laudata cuperent, proscriptiones non ausi sunt excusare, nisi translatione criminis callida in collegas Triumviratus: *multa*, inquiunt, *Antonio, multa Lepido concessisse*. ap. Tac. item *pauca admodum vi* 1. *A*. 9.

tractasse. Ceteros veritas cogit, ut, licet inviti, Augustum infament, satis tamen vel oblique prodant, quid in universum sentiant. Hinc illud *Flori*: *Hæc quoque, nisi* MULTA *fuisset, etiam justa cædes haberetur*. confer *Vellei* .2,6,6. sed remoto velo *Seneca* de ea re passim. 1. de clem. 9. *Collegam proscriptionis* vocat c. 11, *lassam crudelitatem*, nequaquam vero *clementiam* in eo agnoscit &c. Atque talis *pax cum bello de crudelitate certavit & vicit. Istud enim prostravit armatos, ista nudatos. Bellum erat: qui feriebatur, si posset, feriret: pax autem, ut qui evaserat, viveret, sed ut mori non repugnaret*. August. de C.D. 3, 27.

4,6,6.

Μνησικακία πολιτικὴ sive *anteactorum in rep. memoria, recordatioque cum vindictæ studio conjuncta*, quatenus *aperte* exercetur, potius proscriptioni, licentiæ ac asperitati victoris, ultioni, suppliciis, de quibus jam innuimus, tribuitur. *occultæ* autem, quam hic proprie spectamus, diversi & complures modi. *Aliquando*, qui contra tulere arma, recipiuntur quidem specie tenus in amicitiam, amnestiæque spe illiciuntur: sed postea semper suspecti & ob id invisi Principibus ætatem agunt: structisque aut avide arreptis denuo criminibus, aut insidiis, ad extremum evertuntur. *Aliquando* in ipsos liberos posterosque transit odium & memoria eorum, quæ parentes ac majores egere. Hinc clandestina invidia, depressio, aversatio, adversus innocentes. *Aliquando*, specie bellorum ac imperii gerendi, revera, quoniam suspecti sunt ob anteacta, ex reconciliatis quidam, periculis magnisque discriminibus objiciuntur. *Aliquando* custodes clandestini apponuntur. per hos inquiritur in omnia: non domus, non sua cuique mensa, aut thorus securus. *Aliquando* immittuntur æmuli & factiosi: qui vexent interim suspectos aut debilitent. *Aliquando* cum possent & deberent eripi periculo, deseruntur, dilatione & frustratione auxilii. Quæque plura ad hanc formam passim pro arcanis dominationis instillantur ab aliis, qui flagitia non magis erubescunt docere quam alii facere.

Pugnant autem hæc omnia, 1. *cum natura amnestiæ* in universum, de qua ante. 2. *cum natura fidei*, sive πίστεως ἁπλῆς,

quæ

quæ ſuſpiciones, inſidias, machinationes excludit. 3. *cum religione jurisjurandi*, cujus ſinceritas calliditate prorſus nulla corrumpenda eſt. 4. *cum firmitudine pacis.* Cum enim, *habita fides*, ut rectiſſime dicitur apud Livium, *obliget fidem*, tanto ſecurior ſtabiliorque pax erit, quo eſt minus diffidentiæ. 5. *cum auctoritate ſceptrorum*, quæ generoſo potius paciſcendi propoſito, quam artibus eludendi æſtimanda tuendaque.

Quanto generoſius Thraſybulus noſter? nam hoc exemplum proprie & cum emphaſi opponendum eſt. Ille, ſoli publico bono intentus, privatis autem inſtinctionibus omnibus aut liber aut major, *non tantum legem oblivionis ferendam curavit, ſed etiam ut valeret, effecit. nam cum quidam ex iis, qui ſimul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publice prohibuit, & id quod pollicitus erat præſtitit. Cornel. Nep. Thraſyb.* 3, 3. Sane, quod Cicero de privatis amicitiis dixit, nullas majori ſtudio & fide tuendas eſſe, quam quæ ex inimicitiis revocatæ ſunt in gratiam, id ad amneſtiam cum pondere & incremento applicari poteſt.

CAP. III.

De exemplis quibuſdam, quæ vulgo feruntur, Amneſtiæ.

THraſybulo & Athenienſibus tribui Amneſtiæ inventum, capite primo eſt oſtenſum: ubi de origine & auctoribus tam ſalubris conſilii diſquiſitio facta. quod incidit in annum mundi 3549. ante C. N. 399. ab. V. C. 353. Olymp. 94. ann. ultim. ſecundum accuratiſſimam *Caluiſii* computationem. nam ceteri variant.

Bodinus tria exempla Amneſtiæ celeberrima conjungit. 2. de rep. 5. n. 214. 1. *Thraſybuli Athenienſis.* 2. *Arati Sicyonii.* 3. *Ciceronis Romani.* Qui locus incautum lectorem facile poteſt in fraudem inducere. Nam de ARATI exemplo

emplo longe aliter sentiendum est, quam de ceteris; quod ut recte intelligatur, breviter repetenda est nobilis facti historia.

Aratus Sicyonius, cum oppresso tyranno Nicocle, patriam quinquaginta annorum servitute conflictatam liberasset, *magnam animadvertit in bonis & possessionibus difficultatem; quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio, multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur sine injuria: judicavit itaque neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerunt, oportere.* Impetratam ergo ab hospite suo Ptolemæo Ægypti R. grandem pecuniam, *cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus caussas cognovit, & eorum qui aliena tenebant, & eorum qui sua amiserant: perfecitque æstimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: aliis, ut commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quam sua recuperare: Ita perfectum est, ut omnes concordia constituta sine querela discederent.* Dixi pleraque omnia verbis M. Tullii, ex 2. offic. 23. quibus addenda est uberior *Plutarchi* narratio *in vita Arati*. Pausanias in Corinthiacis brevius more suo complexus est. Accidit autem hoc anno mundi 3703. ante C. N. 245. V. C. 506. Olymp. 134. an primo.

Sane communia sunt Arato cum Thrasybulo hæc omnia: *quod patriæ cervicibus tyrannidem depulit: quod novi status fundamenta jecit: quod pacem & concordiam civibus intestina dissidia agitantibus reddidit* (*κατειργάσατο καὶ συνήρμοσε φιλίαν καὶ εἰρήνην τοῖς πολίταις*: Item: *τῷ δήμῳ παντὶ σωτηρίαν καὶ ἀσφάλειαν κατεσκεύασεν*, inquit Plutarchus) verum *modus reconciliationis*, cujus meminere Scriptores, *adeoque ipsa reconciliationis species*, quæ ab objecto suo, quod Philosophi dicerent, rectissime determinatur, non coincidit cum AMNESTIA, de qua nobis sermo.

Amnestia *in universum* anteacta respicit: hic seorsum possessiones in considerationem veniant, unde *Ærodius* hac rubrica

rubrica signat Arateam historiam *decret. l. 1. tit. 11. d. 2. Longo intervallo restitutione facta, possessoribus tutis praescriptione,* quid de bonis quondam *eorum, qui restituti sunt, observari debeat.* *Ibi abolitione* praeteritorum lites incidebantur: *hic,* redimuntur *satisfactione & contractu.* Qui modus, veluti pugnat cum ratione Amnestiae proprie dictae. Denique, *ibi* compositio & pax: *hic,* novum & singulare firmandae compositionis inventum Auctoribus memoratur. Quae vero amplius vel ex his rationibus dependent, vel ex allatis antea de Amnestia, repeti colligique à quovis possunt, illa consulto praetervehimur.

Itaque Arati factum non magis Amnestiae deputari debet, quam Thrasybuli istud consilium, quod Amnestiam Atheniensem secutum, *velut consequens quoddam ejus* aut *effectus,* potius habetur. Cum enim divisa adhuc in partes civitate, illi qui in urbe remanserant, pecunias essent à Lacedaemoniis mutuati, post amnestiam constitutam quaesitum est de reddenda pecunia, decretumque ut, non ii qui mutuo sumserunt, sed civitas tota solveret. Adi *Aerodium decret. l. 2. tit. 6. d. 1.*

Exemplum Amnestiae, post necem Julii Caesaris suasu Ciceronis decretae, anno V. C. 710. (v. *Dion. 44. Plutarch. in Caes. f. & in Cic. Flor. 4, 7, 3. Vellei. 2, 58. &c.*) pro re nata, statuque rerum ac temporis, utilis sane consilii fuit, sed eventu fragile ac improsperum. Cujus rei caussas, praeter eas quae ex historia cuivis obviae sunt, subfuisse altiores nullus dubito. *Primum* enim, iniquissime Caesar erat interfectus. Equidem justitiam fati omnes agnoscimus, in eo, quod ille, *qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse suo sanguine curiam implevit* (Flor. 4, 2, 95.) quod *in Pompeii curia juxta Pompeii statuam* occisus est, qui ipsum Pompeium afflixerat (*Dion. 44. f.*) etiam in eo, quod injuste occisus est, qui multos injuste trucidaverat: At vero percussorum institutum facinusque, in se aestimatum, nullo horum defendi potest. *Deinde* Antonius, verissimo Flori elogio, *fax & turbo illius seculi,* dum testamento Caesaris, varia corruptione, adulteratione, perversione, ad sedi-

ſima cœpta, contra jus & fas omne abutitur, quid aliud quam ſemina, ſecuturæ mox perturbationis publicæ, ſparſit, i. e. cauſſa extitit violatæ ἀμνηστίας. quæ culpa ei diſerte tribuitur ap. *Appian.* 2. ἐμφυλ. pr. Hinc *denique*, irritata eadem fati juſtitia, quæ Cæſarem perimi ſiverat, interfectorum vitioſam & factioſam ὑπόθεσιν, præpotentium ceterorum ambitionem & cupiditates, populi totius furores, prioribus malis nondum manſuefactos ultura, Octavio vires & ſucceſſum ulciſcendi donavit.

Proxima poſt hoc tempus *Amneſtia*, Claudiani imperii initiis componendis adhibita eſt. Interfecto enim C. Caligula, Conſules occupata præſidiis Urbe, in Capitolium coëgere Senatum. ibi deliberatum de mutando reipub. ſtatu reducendoque populari imperio. Sed cum non poſſent congruere ſententiis (τοῖς μὲν γὰρ δημοκρατεῖσθαι, τοῖς δὲ μοναρχεῖσθαι ἐδόκει, inquit Xiphilinus) interea Claudius fortuito militum favore ad imperium raptus eſt: cumque conſules ac cæteri, non poſſent auderentue diutius reſiſtere militibus, ipſi quoque pro Claudio conſenſerunt. Hinc occaſio metus, ſiniſtrique affectus, inter novum principem & ceteros ordines oboriri poterat. nam injuria aut contemtus videbatur, recuſaſſe Principem; & ulturus dedignantes exiſtimabatur, qui invitis omnibus obtinuiſſet imperium pariter ac ulciſcendi potentiam. Itaque Claudius (utut in aliis multis imprudens) prudentiſſime ſibi & omnibus, amneſtia promulgata conſuluit. Quæ omnia *Suetonius*, breviter, ut ſolet, & accurate complectitur, *in Claudio: imperio ſtabilito nihil antiquius duxit, quam id biduum, quo de mutando reipub. ſtatu hæſitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo, veniam & oblivionem in perpetuum ſanxit, ac præſtitit.* *cap. 11.*

Hæc duo exempla, veram & proprie ita dictam habent Amneſtiam. Nam quod *Vopiſcus* ſub Aureliano AMNESTIAN *publicorum delictorum decretam eſſe ait*, c.39. ſpectat potius ad repreſſionem calumniarum, *factam conſumtis igni tabulis, atque ad Græciæ morem decreta abolitione*, ſicut interpretatur *Victor de Cæſar.* 35, 6. Licet enim uterque ſcriptor

ptor mentionem faciat *Atheniensis* exempli, tamen qualiscunque comparationis ergo potius, quam veræ similitudinis, istud fieri intelligendum est. Ita apud *Tacitum* (cujus loci verba tantummodo, non circumstantias aut ὑπόθεσιν, supra ad veram Amnestian accommodavimus) nihil aliud, quam de accusatorum vindicta, quæ late spectabat, si disceptationi indultum foret, cohibenda agitur. Idem sentiendum de *Leonis* edicto ἑνωτικῷ; & *Anastasii* ἀμνηστίᾳ, quam *Bodinus* laudat. *Hæc*, inquam, & *similia exempla non nisi improprie*, & ἐν μέρει τινὶ συγκρίσεως, *ad amnestian*, de qua nobis agere visum, referuntur. *4. H. 44.* *3. pol. 7.*

CAP. IV.

Quibus Argumentis suaderi, si res ferat, ἈΜΝΗΣΤΊΑ *possit.*

VEræ AMNESTIÆ non pauca, quotiescunque ejus usus venit, obstare solent, & cum intertrimento mitiorum consiliorum opponi. præsertim, ubi ratio absolutioris imperii, & arcana majestatis & magistri dominationis, & spes omnia subigendi, & ante cetera, intentatum majestatis crimen, duriora semel persuaserunt.

At profecto, quam sunt fallacia isthæc talia, & tibi tanto magis repudianda, quisquis es, Magne Princeps, quanto sublimior tua dignitas, & conspectior non in præsens modo sed in posteros fama!

Ante omnia certum est, longe alio animo civilia bella tractanda & pensitanda esse, quam externa. Sanctum civis, aut ut hodie loquuntur, subditorum ordinumve nomen: sanctum naturæ instinctu: sanctum consensu gentium, quæ sancti in terris quidquam noverunt, discreverunt: sanctum, Religionis Christianæ cæremonia, sanctione, legibus. quas nemo impune ignorat aut violat. Et certe hodie nemo ignorat: interim quotusquisque non violat.

Non

Non indiget res tam nota, explicatione. Unum consideretur ejus viri exemplum, cujus cum ambitio summa esset, pietas nulla, sola impietatis conscientia, id est, juris divini humanique temerati horribilis sensus, in ipso felicis injuriæ impetu cursuque expressit vocem, laudabilem utique, nisi sera fuisset, MILES PARCE CIVIBUS. Horruit scilicet in ipso scelere suum scelus auctor, & qui antea, vi ac armis pro jure utebatur, nunc iniquitatis confessione, cum ipsa defungi, si posset, cuperet. Videt enim, etiam in tanto rerum temporumque tumultu: *nullam posse satis justam effundendi per bella intestina, civici sanguinis caussam afferri.*

Malus est nomenclator, *Affectus.* hic vocabulis nos aliquando decipit, ut *hostes, perduelles, extirpandos*, credamus, qui nec fuere tales, nec sunt, nec tales esse possunt. consulto breves sumus: nec ad singula hic devenimus. Rursum in ceterorum vicem *Julius* eat: generatim nos, de peculiaribus haud paucis, moniturus. Pompeium, inexpiabili bello petitum eversumque deplorat. quis? non tam hostis, qui in hujus capitis exitium, orbem fere totum armis exciverat (quo nomine ridet tanquam Crocodili lacrymas Historicus) quam qui hostem pœnitentia dedidicerat, magnaque vi conscientiæ adactus, civem, amicum, generum, seria recordatione, vel invitus respectabat.

Quidni, inquis, pro hoste habeam, quidni ulciscar vi principis, qui in Principatum meum & majestatem injurii & noxii fuere: Exuit civem, qui spernit principem. neque veniam sperat aut sperare debet, qui ferro grassatur. Gloriosissime Princeps (*quid enim est gloriosius Principe impune læso?* inquit *Senec.* 1. de clem 10.) si ex præscripto politicorum, omnia ad famam tibi dirigenda sunt, quanta & quam perennis & solida & incomparabilis erit gloria, OB CIVES AMNESTIÆ BENEFICIO SERVATOS.

Cum

Cum præsertim illa ipsa majestas, quæ in ultionis irritamentum suggeritur, talis sit, ut conservando, tuendo, sanando, restaurando statu publico, unice intendi, amplificari, exaggerari; privatis autem incrementis & fastigiis non nisi minui aut obscurari soleat. Judicet omnis ævi, omnium gentium prudentia, an insignius ad laudem & decus regnorum sit: *Vim principis civium suppliciis & labefactatione status intendisse*; aut, *principatus robur parcendo ignoscendoque constabilivisse? Egregios bellorum fines, quotiens ignoscendo transiguntur*; barbarus rex minime barbare dixit ap. Tacit. 12, A. 19, 3. Triumphi de populis regnisque exteris adquiruntur: in civium discordia, omnium tropæorum honorem superat, Amnestia, quæ sola immortale elogium & sublime tibi dabit, Princeps, quod Arato Romanorum disertissimus tribuit, 2. offic. 23. *O virum magnum dignumque qui in nostra rep. natus esset! Sic par est agere cum civibus: non (ut bis jam vidimus) hastam in foro ponere, & bona civium voci subjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit sapientis & præstantis viri (*OMNIBUS CONSULENDUM *putavit: eaque est* SUMMA RATIO ET SAPIENTIA BONI CIVIS, COMMODA CIVIUM NON DIVELLERE, ATQUE OMNES ÆQUITATE EADEM CONTINERE.

Stimulat adhuc dolor injuriarum & vindictæ libido? Imitare Augusti consilium. turpe enim fuerit homines Christianos a gentilium sapientia vinci. Illum quoque acriori morsu non semel tentavit doloris impatientia: quæ in magnis animis cito innascitur. præcipue cum Cinnam sibi insidias struxisse comperisset. *Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se contrarias: Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? Ergo non dabit pœnas qui tot civilibus bellis frustra petitum caput, tot navalibus tot pedestribus præliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constituit, sed immolare? Rursus silentio interposito majore multo voce sibi, quam Cinnæ, irascebatur: quid vivis, si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis?* &c. *Senec.* 1. de clem. 9. In tanto conflictu

prævaluit denique iracundiæ clementia, publicæque tranquillitati condonavit, & ſupplicium Cinnæ & quicquid irarum conceperat. Ponenda hoc loco eſt, obſervationis grandioris & melioris nota. Ecce, Auguſtus, in uno homine puniendo, tantum trepidat. Ecce in reo majeſtatis, in manifeſto reo, lentus pariter & miſericors eſt. Quidni hoc deceat facere, ubi per Amneſtian, ne reſp. collabeſiat, ſuccurrendum eſt?

Quod ut amplius noſcatur, auſcultabimus quæſo pauliſper cum Auguſto Liviæ, minime muliebria aut parum conſulta conſulenti; apud *Dion.* 55. Prudenter illa Auguſtum ſuum monet, *delinquentium facta humane judicanda & diſcernenda eſſe.* Multa in ſe continet, illud, τὸ ἀνθρωπίνως ἐκλογίζεσθαι. ut enim prona lapſibus hominum indoles eſt, ita occaſiones peccandi variæ & illecebroſæ, præſertim adverſus Principem: quem reverentur, quicunque recte & juſte imperium cepiſſe aut gerere credunt. quod ſi opinio injuſti principatus aut tyrannidis animis inſedit, jam nec boni & cordati (loquor quæ fieri ſolent) indignationem ſatis continent. quidam generoſitate ſua indigna ſe pati; quidam, non reſpici ex merito, quidam, violari ultro ſuam auctoritatem exiſtimant, aut ſuſpicantur. aliqui, reip. vicem dolent; tanto fortius, quanto majore argumento affectum induerunt. accedit potentia, quam debere ſe publico credunt, qui publici neglectum principi imponunt. neque parum hic poteſt, vox animoſi aut ferocis conſultoris ac inſtinctoris.

Hæc & ſimilia, rectiſſime ſeparat Livia, à pervicacibus & malitioſis cœptis. *naturæ impetum*, *opinionem virtutis & honeſti* (ἀγαθὰ δοκοῦντα εἶναι) potius vocat, quam *rebellium perduellionem.* Et revera, attendite Magni Principes, an crebrius al ud magnorum virorum crimen legitis, quam crimen Majeſtatis, cum crimine vacarent, aut certe longe intra hoc nomen peccaſſent? Dicam quod res eſt: hic titulus, quo amplificari olim ſueverat imperii dignitas, infamavit ſceptra non pauca. Quidni ita fieret? adſunt delatores, adſunt adulatores, adſunt amicorum veſtrorum

ſtrorum inimici: hi ex ſuis affectibus & cupiditatibus, apud aures veſtras, quibus nimium ſane abutuntur, aliena facta, vel fingunt vel pingunt, vel interpretando ad lubitum deformant. Et quid dicam? adeo ſæpe caret hominibus vera loquentibus aula, ut ne hoc ipſum quidem licuerit Auguſto, niſi ex Livia audire.

Magnum crimen Majeſtatis; magniſque exemplis vindicandum. neque enim tam projecta cuiquam Principum ſalus, quin ita ſentiat, ita cupiat. Equidem certatim hic Vobis, ô rerum Domini, multa concedunt leges, multa favor judiciorum ſuggerit: ſed profecto, ni fallor, maxima, parce & humane utentis tam diſtricto jure gloria erit. Multa debet animus Veſter requirere ad probandum; & eo plura, quo pauciora ceteri diſquirunt aut deſiderant. Nam cito & multa complecti hoc titulo, licet non dicam cujus ſit, dixit pro me hiſtoria, neque unquam non judicabit poſteritas.

Hanc quoque ſeveritatem gratularemur ſceptris, & amneſtiæ lenitati præferremus utique, ſi ſecuritati hac ratione foret conſultum. At vero ille ſanguis, Cadmæam ſementem ſpirat. neque omnes, qui obſtant regnantis voto, tolli ſemper poſſunt. quoſdam ultro ſubducit fatum, & alteri ſæculo reſervat. Dicerem ferme: ex oſſibus nonnullorum ultorem oriri poſſe. certe experientia docuit, ſolam ſæpe ſupplicii memoriam, poſteritatis invidiam & iras proritaſſe. Interim *nec fieri poteſt, nec ſi poteſt, juſtum eſt,* quod rurſum Livia expendit, *ut nobilitas in ignobilitatem, fortitudo in ignaviam, prudentia in ſtuporem, commutetur, acciſiſque fortunis omnibus, etiam vividi ſpiritus contundantur deprimanturque.*

Et quandoquidem regium eſt, ſapere ſublimia: aſcendere vidimus laudatiſſimos Principum altius, atque ita ratiocinari: *movit adverſus me gladium ille & iſte. hujus conſternationis cauſſæ prius, quam participes, exſcindendæ erunt. cumprimis autem divina mihi providentia precanda, ut quod vel pœna vel monitionis loco immiſit, non in occaſionem ſæviendi, ſed in pietatis, clementiæ, juſtitiæ occaſiones traham. Non comprimuntur*

fortius aut fidelius refractarii, quam civili justoque imperio. non redditur libentius obsequium à male parentibus, quam si bene parentibus relinquantur aut reddantur sua jura. Denique cum non omnia possim arbitrari & disceptare, committenda pleraque sunt Deo, quo nemo potentius, nemo amantius tuetur Principum thronos & coronas. Ille malitiosis, quibus ego peperci, non parcet. ceteros mihi, me illis servabit fidos amicosque. Longe satius est tulisse quasdam injurias & reliquisse, quam ulciscendo modum excessisse. Principem enim non injustitia modo, sed injustitiæ opinione ac suspicione decet vacare.

His & similibus meditationibus præparari poterat animus Dei metuens ac reverens, ne ab Amnestia in civilibus bellis unquam abhorreret. Frustra *successum & spem præmiorum* ostentant ex diverso magistri dominationis. Quis enim tam est in rerum usu ac fatis peregrinus, quin instabilem fortunam, incertas felicitatis & breves vices, immissos velut ex alio orbe novos inopinabilesque casus, in oculis habeat? Vulgariter loquor de re in vulgus nota. Alias celsius pariter & firmius me loqui docuit pia divinæ gubernationis observatio. *Semper displicent Deo bella civilia & eorum artes: ergo revocat plerumque bellantes admonendo, invitando, occasionem pacis suggerendo: Hoc tempus si neglectu aut contumacia transmittitur, sequitur indignatio neglecti pacificatoris, ut sic dicam; & conversio fortunæ negligentium.* Gentiles, *irritatæ fortunæ, irreverenter habitæ, fatigatæ iras,* memorant in re, cujus eventum potius quam caussas & seriem capiebant.

Minus erat mirabile, si inter initia, ante fusum sanguinem, ante illata aut accepta tristia, tumorem animi retinerent. sed postquam omnia cladibus, cruore, strage, miseriis, incendiis, rapinis, fœdata, vastata, exhausta, consumta sunt, posuerit necesse est inter inhumana omnia, ipsam humanitatem, qui ejus excidium amplius cupiat aut optet. *An non videmus* (utar verbis Tullii ex Dion. 44.) *quamdiu nos & nostra civile bellum attriverit, nihil tam indignum quod non perpessi simus aut fecerimus; Quis numerare potest vim pecuniarum, ademtam civibus extor-*

extortam sociis, acceptam fœnore, impensam adversum nosmet invicem ipsos? Quis numerare potest, viros claros duntaxat & præsidio patriæ adversus vim exteram quantamcunque futuros, quos ferrum & bellum absumsere? Sed hi quidem militari morte defuncti: ceteram turbam quis satis defleat? quis senes, pueros, infantes, mulieres in triviis, in foro, in curia, in templis; ludibrio habitos, enectos, vitiatos, discerptos, trucidatos, digne queratur? Tantum dedecoris & jacturæ nemo hostis unquam nobis intulit, nec fortasse optavit inferre. ut prorsus existimem non hominum nos hactenus vitam sed ferarum vixisse. Hæc de suo tempore Tullius vere & libere, cum Amnestian suaderet: ratus neminem futurum, quin vel conspectu tantorum malorum ad mitiora verteret.

Utinam hodieque vel Tullius vel Thrasybulus aliquis Germanicus esset, qui reliquias Germanorum, ostensis Germaniæ suæ ruderibus, in miserationem tandem & pudorem ex furore demutaret! Nostri Hectores, nostra Troia, nostri equites, noster senatus; nostri exercitus; nostra consilia, nostra robora, jacent, sepulta sunt omnia.


Heu quantum terræ potuit pelagique parari,
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!

Monuerunt ante hoc sæculum veluti præsagi quidam & vates Germaniæ, viri pietate, doctrina, generoso animo, amore in Patriam non minus quam nomine suo noti. suadebant *in Turcorum capita effundendum, quicquid Germanorum terris irarum conciperetur vel immineret. invictam foris gentem fore, quam diu concordia domi maneret. qua violata, quidquid uspiam esset ambitiosarum gentium, in prædam advolaturum esse.* Illi si nunc viverent, qua erant animi nobilitate & prudentia, *non esse hoc tempus*, dicerent, *quo in ipso patriæ communis funere & busto, postquam tot ac tanta intra Iliacos muros pariter & extra commissa sunt, tam solicite & curiose in mutua errata inquirere, pœnas meditari aut minitari, ambigere super formulis disceptationum, deceat. Arma civilia neque parari neque*

 haberi

haberi per bonas artes posse, satis notum est. *Igitur mutua malefacta mutua venia abolenda esse. nunquam male emi pacem, malefactorum & damnorum & sumtuum condonatione, id est, amnestia. præsertim autem in ultimo rerum omnium articulo, ne cunctationi quidem locum superesse. in extremo morbi periculo, non disceptare ægrum de vasculo medicamenti aut suavitate, sed arripere salubritatem. vehementer itaque in publicum injurios consultores, & intempestivæ artis magistros, qui de honoris & fastigii principalis inani pompa, moras & rixam serant. Generosis facile convenire: inter quos, qui inferiores sunt, superiorum majestatem comiter & libenter observant: ipsi autem, quos in summo fortuna collocavit, facile intelligunt, non posse se amplius ascendere, quam si se ipsi submittant, & in bona pacis publicæ, in amorem civium, in comitatem Amnestiæ, qua hac omnia continentur, ultro descendant.* Abeat in Hetruriam suam, Machiavelli alicujus oblatratio: abeat ultra Gades, indigna nostro orbe vafrities: quæ cum omnes speciosæ fallaciæ conatus impendit ad Regum amplificanda regalia, ut præferunt aliqui; intelligas denique, tantum ab excelsa & Christiana sapiendi sinceritate abesse degenerem & humilem versutiam, quantum ab ipso principali fastigio, omnis vitiosa turpitudo & ignobilitas abesse intelligitur debere. Plura pete ex *Cl. Viri Matthiæ Berneggeri p. m. Præceptoris nostri nunquam sine veneratione memorandi, Orat. IV. de Amnestia.*

Finiendum est voto, quo precamur: *ut redeat terris expulsa pietas, & moderati animi æquitas, & ex utraque Amnestia, & ex Amnestia pax, & ex pace, DEI gloria: quam bellorum furor, heu quam diu, quam immaniter temeravit!*



XIII. De

XIII.

DE ELEGANTIA MORIS CIVILIS ET AULICI.

An. 1648.

PErtinet omnino ad magni Politici non modo facultatem, ſed elegantiam, illa commendatio, qua *Cornel. Tacitus* Mucianum proſequitur : quod fuerit, *omnium quæ diceret atque ageret, arte quadam oſtentator.* Non enim inanis quædam jactatio, & arrogantis vel animi vel moris elatio intelligi debet, quæ falſa bona affingit, vera exaggerat, aliena vindicat : ſed prudentiæ illud artificium, quo dictis factisque in gerenda republica, præter vim & legem actionis ordinariam, ut ſic loquar, decus, & gratia, & ſpecies conciliatur. *II. Hiſt. XX.*

Hujus rei primum exemplum, ipſa Natura præbet : quæ ſuas dotes, ſua munia & opera, in quibuſdam, nude & quatenus opus eſt, explicat ; in nonnullis, eleganter, & quatenus decet, oſtentat. Imitatur Naturam, Prudentia : tanto id quidem magis, quia naturæ opera, ultro & ſponte ipſum naturæ nomen commendat ; prudentia autem, quadam diſciplina ſui, vel ut intelligatur, vel ut ametur, indiget. Quo fit, ut actionis humanæ materies, & quidquid morum virtutumque nomine cenſemus, partim ſimplicius vitæ conſuetudini & utilitati adhibeatur, partim decore & cum invento quodam artificioque, naturis propoſitisque negotiorum accommodetur.

Eſt hæc iis præſertim cura, quos muneris ac inſtituti ratio, interiore ac nobiliore reipublicæ tractatu exercet. Principes dico, quique Principum rebus curiſque admoti, Politici vulgo & Aulici vocantur. Horum certe perſona, non animis modo hominum, ſed oculis, ſenſibus, affectibus ſervire debet : ut conſervetur ubique præcipui inter mortales operis dignitas favorque : quibus quaſi duobus fulcris omnis adminiſtrationis civilis firmitas ſuſtentatur.

Id enim

Id enim revera Prudentes agunt, in hoc genere *artis*, sive, ut cum *Tacito* vocaveris, *artificiosæ ostentationis*: etiam cum scenæ inservire, cum mimum agere, cum ludere videntur; huic ludo seria subsint. Quamvis, in re tam subtili, delicata, recondita, sæpe deerrari, legibusque artis vim fieri, nemo negaverit. Equidem, ut est quidque in humano actu maxime eximium, electum, nobile: ita crebriori temeratur abusu, aut in species virtuti artique similes deflectitur.

Verum, cum latissime pateat hoc studium, specimen quoddam elegantissimarum rerum, in fortuitos locos conducere, & eruditæ juventuti, quæ seculo talium observationum studiosissimo vivit, commendare voluimus. Vulgo dicerent, *Subtilitates politicas & aulicas*: nobis rectius visum est, *elegantiam civilis & aulici moris* appellare.

Existimet forte aliquis, hæc ipsa esse, quæ *Arcana*, & *simulacra Politica* aliàs dicuntur; quæque de cetero etiam, vario commenti & inventi genere ad *Rationem status*, ut loquuntur, referri solent. Sed notabit, qui volet, multa hoc nomine signari debere, quæ nec occultantur, nec simulantur, nec leges & regulas status, quas vocant, proprie attingunt, nisi quis laxe admodum, & ex quodam consecutionis longinquioris genere velit loqui. quod, sicuti proposito cujusque, interdum non difficulter indulgetur: ita partiri accuratius, aut tractare distinctius volenti, obstare non potest. Interim jam professi sumus, & postea ostendemus, elegantiam, de qua agimus, concurrere nonnunquam, & cohærere, cum simulationibus, & occultationibus politicis, itemque regulis status: sed propterea non confundi debent, quæ ad unius operis consiliique effectum, sua quodque vi & propria virtute, conveniunt.

Posset iri per singula virtutum nomina. Quis enim dubitet, in Magnitudine animi exercenda, in Prudentia, in Humanitate, ceteroque laudati moris genere, plurimum differre, quæ plana directaque ratione aut simpliciore formula expediuntur, ab iis, quorum altiore subtilis elegantiæ genio imbuitur tractatio? Sed nobis satis erit, qualibus

libuscunque elogiis, ſpecimen compoſuiſſe eorum, quibus polita & ſollers aliqua vis & ars virtutis, vocabulum, quod huic diſſertationi præſcripſimus, conciliat. Addentur deinde aliqua, quæ ad imaginem, ſpeciem, affectationem, abuſum denique hujus rei pertinere, ante dictum eſt.

In Legibus ferendis.

Legum inter homines magis cuſtodienda Auctoritas, quam inquirenda Subtilitas videtur. Quin & negant aliquando ſapientes, legem humanis ingeniis excogitatam: ſed æternum quiddam, de æterna & prima lege expreſſum; neque decretis populorum, ſed naturæ norma metiendum eſſe contendunt. Quod, ſicuti de communi illa lege, & recta ratione, univerſum mundum, imperandi prohibendique ſapientia, continente, veriſſimum eſt: ita regulæ longe lateque patentis explicatio, quæ inſtitutis gentium, populorum, civitatum continetur, multam ſubtilitatem & artem capit. *Cic. 1. & 2. de ll.*

Et in antiquis quidem legibus, non poteſt ſemper ratio Legislatoris, nedum ſollertia rationis apparere. At vero non deſunt exempla inſignia, earum legum; quæ longe plus in receſſu abſcondunt, quam prima ſpecie oſtendunt: quæ ſubtiliter inventæ, decore enuntiatæ, nec ſine ſollertia & arte politica, temporibus ac ſtatui reipublicæ accommodatæ animadvertuntur. Scrutatus eſt penetralia ſubtilitatis legislatoriæ (ut unicum ex jure Rom. exemplum adferamus) Vir & ICtus Illuſtris, nec minus ſubtiliter, quam graviter eruditus, *Jacobus Gothofredus, in diſcurſu Hiſtorico ad L. Quisquis Cod. ad L. Jul. Maj.*

Diligentiſſime autem verſatur in hac parte ſubtilis elegantiæ obſervanda & explicanda, *Franciſcus Baconus de Verulamio in hiſtor. Henrici VII. Angl. R.* Nam toto paſſim opere, Leges illius Regis non modo refert, ſed rationes, propoſita, conſiliaque earum politica, ſingulari neque multum uſurpato Hiſtoricis inſtituto, declarat. Quo exemplo,

emplo, si quis Principum, nationumque leges, quatenus memoriis temporum rerumque juvari possumus, examinet ac meditetur, sæpissime notabit id, quod dicimus: unam eandemque legem, non magis regulam æquitatis, quam artem civilis elegantiæ sollertiæque continere.

Alia tempora, alias leges postulant. Nemo enim ignorat, *legum opportunitates & medelas, pro temporum moribus, pro rerump. generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atque flecti, neque uno statu consistere, quin ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur.* Vides, quam late pateat occasio eleganter callido legislatori, cujus opus inprimis est civile, ex mente Cæcilii ICti, apud *Gellium.* Quanquam plura ejus rei momenta adduci possent, si ratio instituti ferret.

Gell. 2. 21.

Tu breviter ista hujus loci dogmata tene, sive potius exempla, magnis Principibus, interdum bene, nonnunquam secius usurpata: *Leges aliquando quidem, & necessario tempore, ad blandiendum populo, ferre. Plerumque autem bonis legibus, populi benevolentiam & promptam voluntatem, non remunerari modo sed pignerare. Optimas legum rationes credere, quæ non præsentibus modo, judicandi dexteritate consulunt, sed futuris providenti solertia congruunt. Rationibus status, rationes juris & legum innectere. Legum rationes, conscientia; legum colores ingenio populi æstimare. Leges, ubi opus est, non minus ærario augendo, quam emendandis moribus accommodare. Legibus Justitiam propitiare, Fortunæ blandiri, ceteris Virtutibus adulari. Legibus efficere, ut bonum & verum fiat, quod male dictum est: jus esse, utilitatem potentioris.* denique illud maximum & subtilissimum: *legibus DEUM colere, civibus consulere, inimicos fallere.*

In Deliberationibus consultandis.

In consilio, primum gravitatis auspicium est. Sed invexit subtilem sollertiam ratio & consuetudo, & indoles consiliantium. Propone tibi Tiberium aliquem. videbis

bis consilia ejus varie & subtiliter implicata & explicata: neque tamen statim apparebit, quæ vinculorum adstrictio, aut laxatio : unde incipiant, quove se condant occulti nexus. Hoc erit veluti magicum simulacrum Principalis secreti, quod in varias formas verti, aut sub uno vultu, multa schemata tegere consuevit. Verum, quia Tiberiana consultandi ratio plerumque artibus & flagitiis dominationis destinatur, & alibi sæpe, tales astus notantur, ad alias rationes in consultando convertemur.

Quanta enim occasio sollertiæ ejus, in momentis, juribus, prætensionibus, quas vocant, mutuo respectu, propositis Principum, Regnorum, statuum inter se? Nec sufficit ista scivisse : nec prodest semper attendisse. Sola sæpe subtilis elegantiæ sollertia genium perplexi & in diversa distracti negotii propitiat, ut decore ad omnes, tibi utiliter, candide cum iis, quorum interest, videaris egisse. Specimen hujus meditationis, nuper præbuerunt *Dux Rohanæus* in libello peculiari de Principum & Statuum Christiani orbis utilitatibus, & momentis ad rationem status cujusque pertinentibus : & *Victorius Siri*, qui libro primo Mercurii sui, per modum apparatus historici ; tum in progressu operis, per modum interioris disciplinæ, non indiligenter eandem prudentiæ partem exequitur.

Ponemus exemplum subtilis consilii, quo Henricus VII. Angliæ Rex in negotio federis offensivi, quod vocant, adversus regem Galliæ, usus est. Maximilianus enim Rom. Rex a Gallis læsus, Henricum, & Ferdinandum Hispaniæ Regem de auxilio & societate armorum appellaverat. Stimulabatur Henricus propriis caussis ; nec decore poterat recusare ; quanquam satis provideret, in hoc federe parum roboris fore : cum Maximiliano, vires ; Ferdinando Hispano voluntas & serium Maximiliani juvandi studium, deessent. His de caussis ipse quidem, animum non adjecit ad bellum Gallicum : interim tamen magnam ad id gerendum alacritatem non solum in Parlamento, & Aula sua, verum etiam in Consilio sanctiori, exceptis paucissimis secretorum arbitris, concitavit.

Bacon. Utemur verbis *historici* ante laudati. *Rex cum difficultates belli & incommoda, recte perpendisset, secum animo volvebat, qua tandem ratione, duo, quæ expetebat, obtinere posset. Primum erat, quomodo ex bello denuntiato & inchoato, utilitati suæ inserviret; alterum, quomodo se à bello, cum opportunum foret, salvo honore subduceret. Utilitatem & emolumentum, duobus modis aucupabatur: à subditis suis propter bellum, ab hostibus propter pacem: tanquam mercator prudens, qui lucrum facit, tam ex mercibus exportatis, quam ex importatis. Quantum vero ad honoris considerationem, ne fama sua paulo ad metas hæreret, si à bello desisteret, recte secum agitabat: quod, sicut auxiliis Ferdinandi & Maximiliani fidere secure non posset ad belligerandum: ita alterius impotentiam, alterius duplicitatem, & minus sincera consilia semper præsto habiturus esset, ad pacem excusandam. Hæc omnia prudentissime prævidit, nec minus artificiose executus est. Unde omnia ex voto, veluti in gremium ejus placide delapsa sunt.* Scilicet *bella hujus regis* (ut iterum cum *Bacono* loquamur) *ei semper fuerunt instar mineræ cujusdam admirabilis, quæ ferrum habebat in summo, aurum vero & argentum in fundo.*

prope fin. Et quoniam loquimur de Principe, sollerter callideque repertis commentis mire dedito (nam &, *mille pusillas industrias, & artes*, ei tribuit historia, quibus subinde vel naturam vel fortunam suam propitiare studuit) notatu dignum est, quod de nimia in hoc genere diligentia judicium habet *Baconus. Fatendum est*, inquit, *cogitationes ejus, tam fuisse numerosas, & complicatas, ut simul stare sæpius non possent, sed quod in aliquibus prodesset, ad alia obesset.* Ostenderat hoc alibi circa negotium Pacis Gallicæ, cum expositis consiliis Henrici sagacissimis, subjecit: *verum ista cogitationes nimis subtiles erant, quam ut fortunatæ esse possent, & successum in omnibus sortiri. Etenim res magnæ, fere magis rigidæ & contumaces esse solent, quam ut callidioribus consiliis fingi & affabre formari possint.*

pag. 96.

Ad consiliarios Principum si vellemus progredi, multæ calliditatis certamen nobis occurreret: vel in demerenda Principis fortuna, vel in exornandis suis inventis, vel in prætexendis affectibus, vel in destruendis æmulorum senten-

ſententiis. Hæc, quia excludi ſe non patiuntur ab aula, honeſtis tegumentis, & quodam ſubtilitatis colore ac favore, commendari amant. An & illud ſub hoc nomine poteſt venire, quod de magno Magni Regis miniſtro diſputatur apud Hiſtoricum? quaſi in diſſidio belloque Filii & Matris, ab alterius quidem parte ſteterit, alterius vero cauſſam foverit, & dum uni ſervit, cujus utilitatem potius quam voluntatem ſibi reſpiciendam putaret, utrique miro artificio fidem præſtiterit. Veſtigia ſubtilitatis ejus, etiam in lege antiqua *Solonis* apud *Gellium*, putes te reperiſſe. Niſi tamen miniſtri formula, à civis illuſtris, nec in alterius miniſterio poſiti officio diſcrepat: ſuntque hæc ex eo genere conſiliorum, quæ ex fortunæ arbitrio ſui fati cenſuram expectant. *Gramond. V. 278.* *2, 12.*

Specimina ſubtilitatis, breviter, in hunc de conſultatione locum, conducimus iſta: *Fortunam, non ut ad tempus apud te mereatur, conducere; ſed ut affectu & favore tibi jungatur, conciliare; id eſt, amicam, non mercenariam facere. Nullam credere Prudentiam, niſi quæ à Fortuna ſui operis legem expectare, Fortunæ tempora captare, munera collocare, diſſimulationes revereri, minas ferre & interpretari didicerit. Magnis conſiliis, primum, à ſenſu fortunæ publicæ, quem DEUS largitur, auſpicium petere. In judicando de præſentibus, cum reſpexeris ad plurima, eligere & diſcernere, quæ comprehendi actione poſſint, quæ item extra comprehendentis conatum aut uſum ſint: ut illa, in familiare & bene contextum habenarum vinculum colligas; hæc, niſi ſponte ingenium mutent, velut inobſervata dimittas. Proviſionem futuri, ſine ſpei, ſine metus affectu, ſed non ſine utriusque imagine & figura, ſemper autem cum reverenti & amica erga fatum cogitatione, non ingredi modo, ſed ſequi, quantum progredi poterit: conſilium tamen, quod inde emergit, intra terminos modeſtiæ cohibere; quæ malit fati beneficio; quam opis humanæ auſpicio plus ultra provehi. In iis, quæ ſubtiliter conſultata ſunt, apud eos, qui non intelligunt ſubtilitatem, deceptum velle videri. Subtilitatem nimiam ingenii Theoretici, quæ ſubtilitatis Practicæ ſæpe ſimia, plerumque adverſaria eſt, à conſiliis procul habere: revolve hiſtorias; nunquam ornavit*

conclave Consi, Aranea, ex quo semel infelici certamine cum Pallade contendit Arachne. Magno consilio, sine magnis ambagibus, opportuno dicto, aut depromta ex armario subtilis sollertiæ sententia, viam, & gratiam, & interdum finem dare. Subtilitatem alienam penetrare potius, quam odisse: propriam nec amare, nec odisse: utramque ex utraque regere. Suspicari, sine injuria, diffidere, sine calumnia; dissimulare, sine versutia: id est, Mysteria consilii sancte, instrumenta candide, præsidia caute tractare. Atque, ut brevi ænigmate, multa complectamur: *Subtilitatem, quæ suum in Senaculo locum antiquo jure tuetur, semper quidem comiter admittere, sed raro amice aut delicate amplexari.*

In Magnificentia & Munificentia dispensanda.

Quoniam in ornamentis magnæ fortunæ, omnino quidam splendor & copia, temporum rerumque solennitati indulgetur, felicius utique hujus negotii arbitrum, Mercurium constitueris, quam Plutum. In ipso splendore, habet aliquid vulgare, quod tantum splendet. Hinc & Palatii illustramenta, decoris, ingenii, prudentiæ, virtutum notis insignire, pars consilii ac dignitatis est: & quæ publicæ lætitiæ, voluptati, festivitati destinantur, auribus temporis, genio sæculi, & præsertim intellectu sensuque Principalis fastigii gubernari fas est.

Prætoria sua Augustus, *non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu* (quamvis & illæ in partem subtilis elegantiæ venire possunt & solent) *quam xystis & nemoribus excoluit, rebusque vetustate ac raritate notabilibus; qualia sunt Capreis immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, & arma Heroum.* Ejusdem *Syracusæ*, & *τεχνύφιον*, vel solo nomine, subtilia delicataque, & plus ingenii quam opulentiæ ostentantia opera, historiis celebrantur.

Sueton. August. 12.

Si enim splendidiorum operum magnificus ornatus, majestati Principum augendæ facit, quod consensu creditur,

tur,

tur, ſatis apparet, ſolidioris gloriæ eſſe, quod Gratiarum quodam artificio, animis & ſenſibus hominum conciliatur. Quidni crederetur Virtuti & Sapientiæ amicus, qui utriuſq; ornamenta, myſteria, ſuavitates, artificia, inſtrumenti ſui, & cultus, & aularum partem fecit? Sumtus oculos tantum tenere, Ars animos devincire poteſt. Quapropter variæ ſubtilitatis ingenia, inde ab ultima vetuſtate, etiam in barbararum gentiũ operibus exſplenduerunt. Maurorum Granatenſium Arx (cui æmulam Hiſpan. R. poſtea extruxit) paſſim oſtentavit *Emblemata*, *Hieroglyphicas notas*, *Arabicas litteras*, *varia ſigna*, *Muſivo opere incruſtata*. Ipſa nobiliſſimorum Artificum opera, pretio & memoria ſui plus valent, ſi notabili argumento ars impenſa eſt. *P. Merula Coſmograph. 2, 2, 22.*

Bene monet *Fredericus de Marſelaër* Legatum ſuum, ut *quacunque* nomine ſui Principis, aut in honorem ejus, *ediderit publica illuſtris lætitiæ ſpectacula*, *inventione inprimis appareant rara*, *& ſignificativa*, *ſumtu magnifica*, *indicia bonæ ſortis & ſpei*. Quo loco, & exempla licet conſignata legere. *Legat. 1, 22.*

Dicendum eſt idem de toto illo genere, quo honorantur Principes, aut honorant. Hinc, ingreſſus Principum publici in claras urbes, exquiſite celebrantur: adventusque & convictus Illuſtrium hoſpitum, erudito ſplendore illuſtratur. Carolo V. Cæſari Antuerpiam adventanti, *Fides & Amor civitatis*, multo ſalutationis gratulationisque artificio, varioque ingenioſi cultus ſpectaculo, ludos fecerunt. quorum hypotheſes & argumenta peculiari libello complexus eſt, *Petrus Ægidius*. Videmus etiam in Dramatibus, huic fini deſtinatis elegantiæ locum eſſe. neque longe repetendum eſt propoſitum Magni Viri, qui EUROPAM in theatrum introduxit, accuratis & ſubtilibus ſpectatoribus, accuratum & ſubtile argumentum convenire ratus. In nuptiis Catharinæ Hiſpanæ, & Arthuri Angli, *inter ſpectacula & triumphos nuptiales* (referente Bacono) *multa ex Aſtronomia deſumpta ſunt. Sponſa enim per Heſperum adumbrata eſt; Princeps autem per Arcturum. Sed & vetus Rex Alphonſus (qui inter Reges maximus fuit aſtrologus, atque ſimul ex progenitoribus Sponſæ) introductus eſt, ut fortunam Nuptiarum prædiceret.* *Ap. Freber. rer. German. tom. 3.*

Acutum

Acutum ſchema & elegans. *Verum ut videtur, infauſta res eſt fortunam ex aſtris petere.* nam Princeps tantæ ſpei poſt paucos menſes obiit. Ita enim amplius annotat judicatque Hiſtoricus.

Fecit ſe partem hujus artis, invitis tamen, ut opinor, Gratiis, quæ propria elegantiæ numina ſunt, æmulatio & certamen oſtentationis & magnificentiæ. Notatur aliquid tale in congreſſu Friderici III. Imp. & Caroli Ducis Burgundi anno 1475. Ita enim claudit illam hiſtoriam *Arnoldus de Lalaing*, poſtquam multos invicem honores, ſpectacula, ſollennitates ab utroque uſurpata memoraſſet: *Equidem audivi, qui affirmaret æmulatione inter ipſos agi: & utrumque oblitum menſuræ, illum quidem invidere minori, hunc vero contemnere majorem.* Itaque fortaſſe plus ſollertiæ habet *Cominæi* conſilium, qui *hoc ipſo*, & aliis exemplis oſtendit, declinandos plerumque Principibus tales congreſſus.

Ap. Preher. rer German. tom. 2.

Lib. 2. edit. Barth. 8.

Minus periculi habet, Legatorum circa oſtentationem magnificentiæ certamen: quod nec raro mandari ab ipſis Principibus & inſtrui ſolet. Hinc novi & majores Legatorum tituli, ampliſſimus comitatus, & aliquando inſtrumentum aulæ & ſupellex Principalis, paſſim memorantur. Accedunt varia conſilia, inventa, in minoribus rebus, ad majoris propoſiti ſcopum accommodata: & in exteriorem ſcenam, ex interioribus ſtatus rationibus diſpenſata. *obſervare etiam eſt* (inquit *Marſelarius*) *in legationibus ad certamen ſplendidis, Hiſpanos Galloſque ſæpius contendiſſe, non tantum ne agendi aut veſtiendi modo convenirent, ſed ut maxime differrent: neque adeo, ut ſplendidiſſimi eſſent, ſed ne quid ſplendidius adeſſet aliis.* Fortaſſe tamen cavendum eſt, ne in obviam vulgi irriſionem, & argumentum Satyræ incidant, quæ nimis curioſe oſtentantur. Et quis neget, interdum ſubtiliſſimæ oſtentationis genus eſſe, dare operam, ne in oſtentationis certamen aut æmulationem cum quoquam videaris voluiſſe deſcendere? Semper pauciora loquimur, quam cogitamus: neque exemplis utimur niſi quæ decore poſ

Legat. I. 22.

ſunt-

ſunt nominari. forte tamen hoc ipſo, quod inſtitutum noſtrum profitemur, nonnullis in regulas ſollertiæ Politicæ videbimur impegiſſe. niſi quod præcipua nobis ratio eſſe debuit, de ſubtilibus, ſimpliciter minimeque ſubtiliter agere.

In Honoribus publice elargiendis, multa elegantis inventi ſpecimina inveniet, qui *Formulas Equitum varii ordinis*, itemque *prærogativas aliarum, vel majorum vel minorum Dignitatum*, conquiſite perſpexerit. Noti ſunt ſcriptores, qui partim conſignatione *Iuris Publici*, partim *Politicarum commentationum* diligentia, in tales obſervationes animum calamumque intenderunt. Eſt per ſe honor, res ſplendida: ſed ſplendet magis, cum decore collocatur, cum ſubtiliter explicatur, cum perite nec ſuperbe oſtentatur. Etiam temporis aliqua in hoc genere gratia eſt. Sic Henricus ille Anglus ab initio imperii, Equitum & Nobilium creationem *ita diſtribuit, ut civiliter admodum & decore, hujuſmodi Magnificentiis, partim feſtum coronationis ſuæ, partim conventum Comitiorum ornaret.* Ita favoribus, teſtimoniis (& quidni etiam utilitatibus?) amplificata eſt muneris gratia in utramque partem: ſive Auctorem, ſive, qui eo aucti ſunt, conſideres. *Bacon.*

Poni ſub alia inſcriptione forte debuit, quod hic notabimus, dum de honoribus ſermo eſt. Sed acumine utique Politico plena eſt illa diſputatio, *de honoribus ab extero Principe collatis.* Copioſe deſcribuntur momenta cauſſæ apud *Camdenum in rebus Eliſabethæ Anglicæ, anno* 1596. cum Thomas Arundelius bello Hungarico ab Imperatore honores tituloſque Comitis S. Imperii, pro ſe & poſteris ſuis accepiſſet. Formula quæſtionis hæc fuit: *an ejuſmodi titulus à Principe extero, Regina inconſulta, ſubdito collatus, ſit admittendus?* Poſt rationes in utramque partem diſceptatas, Reginæ Judicium inclinavit eo, quo ratio ſtatus, cujus potentiſſimum in talibus auſpicium eſt, ſuum vexillum prætulit. Et jam ante biennium, duos ex Nobilitate Anglica juvenes, in Torquatum S. Michaelis Ordinem à Rege Gallo receptos, ſevere caſtigaverat, juſſos, *reſignatione fa-*

cta insignia remittere, & curare, ut ex ordinis illius commentariis nomina delerentur.

Metuebatur ex honore obligatio: cum præsertim jurejurando sanciantur ejusmodi dignitates. Neque abnuerit aliquis, Munificentiam illam Principum, sub externo quodam colore, dum virtutes egregiarum personarum honorari, aut festivitatis sollennia expleri, aut alii Principes, quorum cives extolluntur, amore affectuque coli videntur, sæpissime interiori Conciliationis proposito artificioque niti.

Et, quamvis sæpe amici, aut certe non inimici Principes sunt, circa quorum cives hæc dubitatio incidit: nulla tamen inter Principes tam arcta solet esse vel affectio, vel conjunctio, quin interiora status cujusque, habeant aliquid incommunicabile. Loquor de more & genio sæculorum, non de Platonicis Rerump. ideis. Dissimulantur quidem ista nonnunquam alte; estque vel consuetudine, vel contextu imperii, is aliquando inter diversos Principes publici consilii habitus, ut probare, amare, laudare opus habeant, quæ circa illum morem, intima ægritudine molestius ferunt.

Quod de honoribus dictum est, id suo quodam modo etiam ad *Munera & Liberalitates Principum* retuleris; quibus haud raro consilia Conciliationis, aut prout, Legationum præsertim, negotia se habent, Corruptionis subesse putantur. Sed quæ in hoc genere, præsidia cautionis, aut arcana attendi debeant, aliis declaratum est. De cetero, cum planius expedita est Reipublicæ ratio, facile patiuntur Principes, suos Legatos præmiis coli, modo ne clam, aut suspecta pretii enormis magnitudine, res geri videatur. Henricus Angliæ Rex cum Alphonso Calabriæ Duci Insigne Ordinis Periscelidis transmitteret, Legationem tam favorabilem in Urswicum contulit; *ut ei post multas legationes, unde nihil lucri percipi poterat, propter liberalitatem Ducis Alphonsi, præmii loco esset.* *Bacon.*

Digna sunt, quæ considerentur, spectacula magnificentiæ, in quibus, multo apparatu & arte, ut solet in iis quæ

quæ oſtentandi cauſſa fiunt, *Nero Tiridati Diadema publice imponit* apud *Suetonium*: *Claudius Meherdatem Parthorum legatis Regem tradit,* apud *Tacitum*; ubi præter magnam oſtentationem, multo magnanimitatis & auctoritatis ſchemate aſſumto orationem orſus Cæſar, *de faſtigio Romano, Parthorumque obſequiis, ſe D. Auguſto adæquabat, petitum ab eo Regem referens: omiſſa Tiberii memoria, quanquam is quoque miſerat. addidit præcepta* imperii gerendi, ad Meherdatem; & de civili obſequio officioque ad legatos: quæ ut cetera, ad majeſtatem & vim Romanam, denique referebantur. Juſtæ diſſertationis modum expleret illa *Taciti* deſcriptio, ſi quis eam obſervationis politicæ curam, de qua nunc agimus, huc velit intendere. Ner. 13. 12. A. 11.

Longe brevius, ſed eaſdem artes in Tiberio idem Scriptor Noſter indicat: cum Parthorum legati Vononem Roma regem accerſerent. *Magnificum* (inquit) *id ſibi credidit Cæſar, auxitque opibus.* Rem notavit; artem rei voluit intelligi. imo & ipſam notavit. Quippe, quibus brevitatis Cornelianæ genius propius innotuit, vident ultro, propoſitum oſtentationis, ſtudium magnificentiæ, & munifici cujuſdam ſplendoris conſilium: quibus magnitudinis Romanæ ſcenam non tam in præſentis ſpectaculi pompam, quam in futuri regiminis uſum, inſtruere, profundiſſimæ ſollertiæ Princeps voluit. Idem ſcilicet, qui non deteriori arte, *cuncta, etiam fortuita ad gloriam vertere* conſueverat. Liberalitates ejus examinare, longum foret: cum neque cetera, ad munificentiæ ſubtilitates pertinentia, liceat exequi. ſpecimen damus; nec ultra; & creſcit oratio, etiam carptim diſſerentibus. Tac. 2. A. 2. 2. A. 84.

Igitur verbo tantum, hujus loci ſchemata quædam conſignamus. *Magnificentia non tam ſplendor quam decor; nec per faſtum & pompam, ſed erudita oſtentatione ad majeſtatem facit. Magnificentia exterioribus ſpectaculis promulganda, interioribus conſiliis conſummanda eſt. Magnificentiæ æmulatio & certamen, non per hypotheſes datas, ſed inventas; neque per aliena exempla, ſed per propria auſpicia progrediatur. Principes ipſi à ſe invicem honores ambiunt, accipiunt, prout in oculis hominum evehi*

 gloria,

gloria, ostentari concordia, formidari consiliis optant. Magnificentia omnis amat Inventores & Interpretes: quorum ingenium fortunæ Principalis intellectu instructum, reverentia obligatum, obsequio informatum. Interpretatio ipsa, ut Famæ & Gloriæ litet, utriusque instrumento scenam adornat, favore argumentum dispensat, genio ludos moderatur. Atque, ut in theatro, quædam præcipuæ venerationis sunt, quæ non inducuntur spectanda, sed suggeruntur meditanda: ita Magnificentia, sui dramatis admirationem, auget non tam per ea, quæ Oculis & Auribus committit, quam per fida & arcana Famæ & Subtilitatis aulicæ ministeria. Rude aut vanum est spectaculum, quod specie potius, quam interpretatione egregium censetur. Munera & Liberalitates, ut Regiæ videantur, non tam pretio, quam consilio, altioris fortunæ characterem impressum habente, efficitur. Mos Ornandi sua munera verbis, ne vulgo quidem inusitatus, postquam in Aulis receptus est, multam subtilitatis indolem in τεχνοφύῳ aulico induit. Muneribus tribuendis tres Deas præficere solent magistri Munificentiæ; à Junone Gravitatem, à Pallade Ingenium, à Venere Gratiam, mutuantes. Ex harum manibus, provide, reverenter, eleganter, cape; quicunque ad fati tui legem agnoscendam invitaris: multa gratis, nihil frustra dant. Munificentia Regia, generosa & magnanima, ad benefaciendum semper quidem sua indole stimulatur: sed priusquam naturæ obsequatur, in secreti Imperatorii penetrale ingressa, consiliis non semper revelandis, Muneribus suis, tanquam vehiculo, mysteria Reipublicæ portanda imponit: non ut fallantur boni cives, aut à sensu imminentis servitutis seducantur (quæ tyrannis ars est) sed ut Civium & Civitatis fortuna, intimis auspicatisque nexibus sibi invicem illigentur. Sed hæc & talia indicari, non declarari, in hoc transcursu possunt.

In Humanitate, Comitate, Officio & Obsequio Aulico, Cærimoniis (quas vocant) & Titulis.

Hic proprius Elegantiarum, & subtilis cujusdam Gratiæ locus est. Nihil suavius, aut magis penetrabile, quam eruditæ humanitatis genius, politioris sollertiæ instrumen-

ſtrumento, in formam honeſtæ convictionis adornatus. Nihil interim citius degenerat, & ad inferiora nobilibus curis, ac ludicra transducitur. Ex ingenti copia, quædam miſcellanea annotatione delibabimus. & hoc ante omnia: *Q. Curtii Rufi*, ut in cetero genere electiſſimæ diſciplinæ, ita in hac ſubtili elegantia animadvertenda, & explicanda ſingulare non ſtudium modo, ſed ingenium obſervari.

Quid accuratius deſcriptione illius humanitatis, qua Alexander victor, reginas captivas proſecutus eſt? Comperto captivarum luctu, mittitur nuntius, qui errorem lugentibus demeret; regisque nomine non incolumitatem modo, ſed priſtinæ fortunæ cultum, cum omnis honoris & officii teſtatione polliceretur. Mittitur cum delectu; non Mithrenes, qui peritia linguæ Perſicæ feſtinando officio primus offerebatur: ſed è purpuratis Leonnatus; ne materiam & favorem legationis, conſpectus proditoris corrumperet. Mittitur cum comitatu quidem armigerorum, ut legationi conſtaret dignitas: ſed comitabantur pauci, ut dignitatem temperaret humanitas. Mittitur cum formula mandati, qua debita regibus, & ſollennia aulæ comprehendebantur. Ex hujus, & ſui principis ingenio, non ingreditur tabernaculum reginarum, jure & fiducia victoriæ: ſed reverentia obſequii, adventum & mandatam à Rege legationem ſignificat, admiſſionem rogat, & diu expectat. Cum novus error admiſſionem impediret, ne diutius torquerentur captivarum animi, intrat, ſed ſolus: & ad genua provolutas, repugnante indebito honori, geſtu manuque allevat: ſolatur & permulcet ea officii ac prolixi honoris gratia, quæ benigniſſimi victoris animum exprimeret & majeſtatem ornaret. *Curt. 3, 12.*

Hæc per interpretem: qui tanquam Aurora, ſui Solis adventum præceſſit & ſignificavit. Mox enim expleturus erat ipſe Rex officium, quo nullius victoris moderatius, nullius Principis elegantius factum extat. Eſt quidam officiorum ordo, & in ordine ratio, & in ratione

one decus. Prima post victoriam humanitas, defunctorum sepulturæ debebatur. qua perfecta, præmittit ad captivas, qui nuntiarent, ipsum venire. Ante pensavit moram, nunc abrumpit: ne quid de fide & gratia officii decerperet cunctatio. Stipatur solito comitatu: sed ante vestibulum tabernaculi, personam potestatis deponit, inhibitaque comitantium turba, cum carissimo amicorum Hephæstione intrat. Unus cum uno: ut majestatem, comes; humanitatem, comitis gratia signaret. Obibat suas partes occulte Fortuna: neque frustra cum victore Rege, ad prima salutationis auspicia & novæ fortunæ rudimenta venire volebat, quem Regiæ virgini sponsum, Reginis generum destinaverat. Cum in conspectum venisset Rex, procumbere volentes, more Persarum captivas, manu allevans inhibuit: & errorem venerationis circa Amicum, jucundo ac extemporali dicto, ad excusationem Reginarum, & honorem suum vertit. Mox repetito Comitatis officio, quidquid ad curam & honorem sexus majestatisque, in captivis pertineret, liberaliter pollicitus: ut mærorem ponerent, ut fiduciam & bonum animum resumerent, hortabatur: sibi enim curæ fore, ne sentirent se captivas esse. Affirmavit verborum fidem, insignis comitate facti, admotumque suo collo, tenerum Darii filium, paternæ curæ honore & pignore dignatus est. In quibus omnibus, non modo clementia victoris, & illa comitatis humanissimæ elegantia, de qua cœpimus dicere; sed magni animi gravitas, summæ fortunæ decus, famæ gloria & fructus, permixta, ut sic loquar, virtute arteque insunt.

Nec deteriori arte Sisygambis (cui cultissimæ prudentiæ decus passim adstruit Historicus) erga victorem tam humanum, pro captivarum solicitudine, affectum necessitudinum induit, electisque votorum pignoribus, & memorabilis honore testimonii, venerata tantæ virtutis decus, præsentis fortunæ jugum, suæ modestiæ accommodat: & prece non degeneri, aut plane immemore

more priſtinæ dignitatis, generoſum Regis genium propitiat. His exemplis adde, aliam orationem Alexandri ad Siſygambim: qua comitatem muneris reginæ transmiſſi interpretatur apud *Eundem Hiſtoricum.* Cujus & illa, eximie huc pertinet annotatio, qua ſenis Artabazi Alexandrum victorem venerantis obſequium deſcribitur: *Tu quidem Rex, perpetua felicitate floreas. ego ceteris latus hoc uno torqueor, quod præcipiti ſenectute, diu frui tua bonitate non poſſum.* Et mox, cum *filios dextræ Regis admoveret, precatur, ut tam diu viverent, donec utiles Alexandro eſſent.* Nihil abſolutius, aut politius dici potuit, terſiſſima illa brevitate. Hæc & talia, qui, ut oportet, meditantur, cauſſam non inveniunt, cur novis peregrinarum gentium, ut quidam putant inventis, ſive potius, imitationibus, non ubique feliciter deflexis, ſtilum Comitatis aulicæ, aut genium ſubtilis Elegantiæ unice cupiant debere. *Curt. 5, 2.* *Curt. 6, 5.*

Multam hujus argumenti partem verba implent, & geſtus vultusque exquiſitum aliquid, decorum, nec ſimplici charactere gratiæ inſignitum, præ ſe ferentes. *Barclaius* Argenidem ſuam inducit, *ea arte,* in publico *diſpenſantem ſupercilia, oculos, nutum, ut populus humanitate captus acclamationibus exultaret, & ex optimatium frequentia nemo neglectum omiſſumve ſe crederet.* In Poliarcho autem, Argenidis ſponſo, *Eminebat,* inquit *oris decor, & amœnæ gratiæ genius, cujus virtute, omnes ipſius motus, omnes nutus placebant.* Debetur hic multum naturæ, ſed cujus motus geſtuſque conſilio animi interiore gubernantur. *Argen. 1.* *Lib. 1.*

Liceat in tranſitu notare aliquid, de *Scriptoribus Argumentorum,* ſive *Fabularum, ad ſimilitudinem hiſtoriæ adornatarum*: quibus Gallorum præſertim ſtudia valde dedita ſunt. Multa illis cura plerumque ponitur in ſubtilitate moris Politici, & Aulici, veluti ad perfectæ imaginē elegantiæ exprimenda, quanquam forte pauci, oppido pauci, Genium Artis ejus ſatis habent propitiū. *Barclaii Argenis* haud dubie præcellit, quidquid placeat illis, quibus lubido eſt, pulcherrimos vultus accuſare, quod non ſint pulchriores. præſidium illi viro ingens, ex arcana ingeniorum animorumque diſci-

plina

plina ; cujus eximium ſpecimen dedit in *Icone Animorum*, libello, exquiſitæ ſubtiliſque elegantiæ. In ceteris multi ſunt, lectu valde indigni ; juvenibus periculoſi, vel argumento, vel propoſito, vel tractatu. *Amadæum* hoc nomine increpat merito *Lipſius* : quanquam non defuerit *vir doctiſſimus*, qui *in Comment. ad Claudianum* excuſet laudetque. Sed multum diſtant æra lupinis. In Barclaio Regii amores caſtiſſime, negotia regni graviſſime, elegantiæ vitæ, accuratiſſime tractantur. Pro his tam utilibus curis, alibi ſæpe invenias, meras nugas, ineptias, denique omnis licentiæ ſchemata, & quando de ſubtilitatis affectione loquendum eſt, aranearum telas. Hoc enim præcipue volebam dicere, Illos ſcriptores multa adornare & venditare ſub Elegantiæ elogio, quæ ab indole Venuſtatis, à natura moris & conſuetudinis vitæ, à nota ejus, quod decorum & congruens dicimus, valde devertunt. Et quid opus eſt aurum in luto quærere, cum non deſint liquidiſſimæ aquæ, in quibus harum opum copiam liceat reperire ? Ad Barclaii exemplum comparari ſolet *L' Eromena del Signor Biondi*, puta, ut prope accedat, non ut æquari poſſit.

Not. ad 1. pol, 10.

Eſt in amœnitatibus talium rerum aliquid, quo alliciuntur ac pæne abripiuntur animi, in cogitationes & ſententias, quibus ſubito erumpentibus, non ſtatim & ſemper elegantiæ exactæ vis ineſt. repeti, & ſerenitate quadam mentis placide illuſtrari deſiderant : ut retineatur, quod eſt difficillimum, ex Gratia modus. Fecit ex gravi Hiſtorico jucundum Poëtam, contemplatio ſuaviſſimæ comitatis, qua Virgo Regia Sponſi munus proſecuta eſt. *Codicillos*, inquit, *ſequebatur Regium munus armilla, cui tam placide impreſſit oſculum Virgo Regia, ut diceres in terram demiſſum purpurea aurora fulgorem ſideribus ſociis : ita ſcintillantes oculi ora ecuti corallina, ut in armillam incubuit Virgo, adamantibus ſociabantur & præfulgebant.* Notare hoc emblema Hiſtoriæ obiter, non carpere voluimus.

In verbis humanitatem officii mutui comiter aſſeverantibus, ingeniorum dictorumque certamen, nec intra limites anguſtos conſtitutum, licet obſervare. Poſſis dubitare,

bitare, an Melander apud *Barclaium*, bene usus sit subtilitate, in excipiendo Rege Hospite, contra rebelles subditos auxilium ferente; cum in hæc verba præconem, adventus nuntium, alloquitur: *Referes tuo Regi, ô Praco, jam me ignoscere furori meorum; quos aliquis non inimicus DEUS concitavit ad facinus, ut tanti Hospitis beneficio, & conspectu frueremur.* Nisi ad ingenium gentis, comitatem suam animosa eloquentia dispensantis, respicimus, forte non omnibus se queat approbare illud acumen. Cum ne Poëtam quidem absolvant acuti Censores, in istis:

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque aterna parantur *Lucan.* I.
Regna Diis, cœlumque suo servire Tonanti
Non nisi savorum potuit post bella Gigantum:
Jam nihil, ô superi, querimur: scelera ipsa, nefasq;
Hac mercede placent. —— Et postea:
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est.

De *Aulicorum obsequio*, cum arte & elegantia dispensari solito, alias nonnihil diximus. Credimusque eximia quæ *Barclaius*, præter argumenta Argenidis, *in Icone Animorum*, tradit. *Castilionis* Aulicus in omnium manibus est. Post hæc & talia monumenta, nescio an ad subtilitatis aulicæ studium aliquid conferre possint *Augustini Niphi libelli, de Aulico viro & Aulica muliere.* fortasse enim peritus Lector animadvertet, diligentia disputationis, quam elegantia observationis Practicæ promtius esse, magni alias Philosophi ingenium. *Annot. ad priora Taciti, & Dissert. de auspi Reg.*

Inter Aulicorum vel obsequia, vel officia, curiosam quandam diligentiam amant etiam orationes, sermones, dicta, quæ ad negotia Regni, ad Principum auctoritatem, ad negotiorum decus spectant. Cum finis Principis, lugendus, cum successioni gratulandum, cum festivitati applaudendum est. Atque sicut apud *Tacitum*, fine Augusti, *I. A. 7.* & initiis Tiberii, Nobiles Romani *vultu composito ne lati ex-*

cessu Principis, neu tristiores primordio, viderentur; lacrymas, gaudium, questus, adulatione miscebant: ita orationis componendæ, non quidem eadem necessitas, sed eadem ars & studium, mutatione Principis plerumque offertur. Ita Gramondus Harlæi orationem, post excessum Henrici IV. Gall. R. in Senatu præsentibus Regina vidua, & Filio successore habitam, summatim designat: *Henricum patrem laudare; mox in spem Filii regnantis assurgere; Matri condolere simul & gratulari; tanta arte, ut in neutram partem ire affectus diceres; demum progredi in vota, qualia regibus recens inauguratis nuncupantur.*

lib. 1.

Et, quanquam non desint communes argumenti formulæ, semper tamen fere expectatur aliquid, veluti nova arte immutatum, aut ingenio dicentis repertum. Solet *in legationis officio, atque in salutandis Principibus primum esse* studium (quod recte animadvertit *Pandulphus Collenutius in oratione ad Maximilianum Cæs.*) *virtutes Principis, qui salutatur, extollere aut explicare.* at, quis non videat, altiori consilio nonnunquam omitti hanc sermonis partem, aut decora præteritione involvi, aut prudenti brevitate libari, aut rebus ipsis apte subtexendo inseri, aut arte quadam inexpectata, insolita, & ob id, nec vocabulis describenda, dispensari?

Freber. rer. German. tom. 2.

Affectum & benevolentiam, amicitiamque, nomine Principis mittentis offerre, itidem inter solennia Legati est. Impletur autem id genus officii, sæpe delicatius, quam gravius; sæpe ex diverso, multa gravitate, & quasi seclusis deliciis: nonnunquam temperamento utriusque rei varie adornato. Artificium singulare dabit Lectori, Oratio Legatorum Gallicorum ad Henr. Angliæ Reg. quam propterea verbo tenus conversam historiæ suæ inseruit *Baconus*. Inter alia, *Hæc sunt demum*, inquiunt, *illa, quæ inter Reges magnos, pro certissimis Amoris pignoribus & tesseris, merito censeri possunt; Communicatio scilicet & Participatio mutua Negotiorum Status, prætermissis Honoris Ceremoniis curiosis, quæ affectui alicui insigni postponi debent.* Iterum: *Hunc Affectum insignem erga Regem* (Henr.) *procul dubio Numen Divinum cordi Regis nostri*

ſtri indidit, ad bonum Reip. Chriſtianæ, & ad fines nobis omnibus hactenus incognitos. Et: *Atque Affectus idem, Rationibus Status armatus eſt.* Et cetera ad hanc formam.

Maxime varia & multiplex, *Cæremoniarum, quas hodie vocant, aulicarum* ſubtilitas, ſive curioſitas eſt. In deſcribendo congreſſu Cæſ. Maximil. & trium Regum, Hungar. Bohem. Poloniæ, *Cuſpinianus, Magnæ*, inquit, *undique factæ ſunt cæremoniæ: quandoquidem major pars omnis ætatis humanæ in iis conteritur.* De Aulicis proprie id dixeris: quorum actiones cæremoniis vel gubernantur, vel commendantur. Nec dubitavit *Baconus* in laude magni & perfecti Politici (ita enim Foxum deſcribit) ponere, quod fuerit *Bonus Magiſter Cæremoniarum, omniaque habuerit, quæ competerent parti activæ, & pertinerent ad Servitium Aulæ, aut Status, Magni Regis.*

Atque illa quidem minora, in quibus animadvertendis tamen nonnulli Subtiles ſibi videntur, præterimus: quod *in aula, qui vel caput decenter non aperiunt, aut venientibus tempeſtive non aſſurgunt, aut occurrentibus, obviam ipſi ultro non procedunt, aut denique unicuique, non qui debetur titulum tribuunt, ruſticitatis vel faſtus vel arrogantiæ arguuntur.* ſicut de his & talibus ſcribit *Antonius Guevara*, ad quendam, qui aulicas quasdam formulas ſibi præſcribi petierat.

De cetero Formula moris aulici, ſtudioſius, & ſolicitius, quam ut de Cæremoniis, quas hodie vocamus, agi videatur, cuſtoditur. Ut ritu ſolenni Principum quisque compelletur: ne cui coram ſummo Principe præſidium ſit, ſive, ne cui liceat ſatellitio uti in conſpectu Regis: quæque ſunt ejus generis reliqua, diverſa illa quidem, pro loco & gente, non minimum aliquando ad majora momentum habere creduntur. De Gallorum Regib. *Gramondus: Invaluit ut cleri, nobilitatis, & Parlamentorum Oratores in veſtigio ſtent, dum alloquuntur Regem: ordo populi genu flexo: legati Principum nedum in veſtigio ſtant, ſed & operto capite loquuntur, ſedentque, ſi ſederit Rex, quem compellant.* Itaque cum anno 1622. Legati Gevenenſis Reipublicæ provoluti in genua ſalutaſſent Regem, curioſis rerum indaga- *Lib. 15.*

toribus id annotatum, & mox subtili, ut arbitror, interpretatione eo tractum ad Historico & aliis, *quod Genevenses in protectionem Christianissimi Regis recepti, clientium obsequia prabere ament, Patrono & Protectori suo.*

Quomodo Persæ προσκύνησιν & adorationem sui Regis, ab adeuntibus exegerint, vel ex *Cononis Attici* & *Ismenia Thebani* historia constat. Quorum ille à *Cornelio Nepote*, ob recusatum; hic ab *Æliano*, ob simulatum, peregrinæ venerationis morem; uterque ob studium dignitatis patriæ retinendæ commendantur. Quanquam subtilitatis magistris non deesset forte materia, arguendæ Græcorum jactantiæ, circa Ismeniæ factum. certe non dubitem, si quid tale inducat hodie Legatus in animum, male cessuram ipsi eam simulationem. Et negligentes sane oportet fuisse cæremoniarum, ut ita pergamus loqui, arbitros, in officio Admissionis apud Persas, qui non adverterunt simulationem Ismeniæ minime subtilem. ipsum autem Ismeniam, quis temeritatis absolvat, quod non timuit, cum ignominia & damno suæ legationis, pro illusore Regis, deprehendi? cum præsertim frigida videretur ac pæne inepta dignitatis tuendæ ratio, simulare eum morem, quem ad minuendam patriæ dignitatem pertinere judicabat. Hæc, uti dixi, disputari forte possent, quando ad normam accuratissimarum legationum rem examinare, & Ismeniam ut nostri sæculi legatum considerare liberet. Sit tamen, per nos, sua cuique salva sententia.

in Con. 1. Var. hist. l. 2.

Generose & prudenter Fridericus III. Imperator, cum anno 1469. Romam venisset, cærimoniis curiæ Rom. recusavit obsequi. Qua de re ita refert *Jacobus Picolomineus Cardinalis Papiensis: Admonuerat inter vestiendum cærimoniarum Magister, ut transversam stolam, & pluviale ad sinistram apertum acciperet. Sed ille, me audiente, qui proximus eram; Non faciam, inquit: & utrumque à collo ad pectus rectum induens, conversusque ad Magistrum: Sic, inquit, semper sum solitus. Suadente iterum illo, ut post Evangelium decantatum, pro aliorum consuetudine ad pedem Pontificis osculandum ascenderet; Germanico verbo, quod à circumstantibus intellectum: Et hoc, ait, etiam minime.*

Comment. lib. 7.

minime. putans videlicet, ut creditum est, à vulgari aliorum obsequio, majestatem Imperii, ea in re vindicandam. Neque nescivit magnanimus Princeps, majestati Imperatoriæ gravem adversariam esse, superbiam & altitudinem Papalem; quam ex omni occasione declinare, magnis quibusque Principibus, inter rationes Status fuit.

Sicut autem Patrii moris observantia, Principibus ipsis, & Legatis, aliisque publici schematis partem sustinentibus, sæpe inter artes fuit: ita rursus, a patrio more nonnunquam discedere, consultius judicatum est. Tenendum esse Legato præter ceteros mores, vestitum patrium, inter ordinarias Legationis formulas fertur. Posse tamen fieri, ut aliquid in his, sine vitio, nec citra artem, mutetur, ostendit *Fridericus de Marselaër.* Nostra certe ætas non exceptiones modo à regula, sed omnino novas regulas vestiarias fecit. *Legat, 1,26.*

Ceterum circa cæremonias ad prærogativam, aut custodiam dignitatis pertinentes, maxima est contentio. Etiam cum aliud agitur, cum amicitiæ, affinitates, necessitudines tractantur, in partem & speciem subtilitatis venit, æmulatio quædam honoris. Describit curiose historicus Gallus, quæ circa permutationem Virginum Regiarum, Elisabethæ Gallicæ, & Annæ Hispanæ, cum illa Castellanorum Principi, hæc Galliarum Regi pacta, apud limites Galliæ & Hispaniæ traderentur, acta sunt. Extructis apud fluvium & locum permutationis, duobus tabernaculis, cum Hispanus Legatus, cetera æquali tabernaculo, orbem, forte an consilio imposuisset, intercessit Gallus, *utrique Coronæ paria deberi ornamenta contendens, nec cessurum se Principe, quam ductabat, ni submitteretur orbis.* Hispanus contra, de exercitu Gallico in armis astante questus, *potuisse Hispanos*, ait, *si è re visum, centenis equitum millibus illustrare festivam diem; sed satius existimatum, statuere in fide præsidium.* Itaque, non nisi omnibus ad æqualitatem reductis, instaurantur sollennia. *Gram, 2.*

Quæ & ipsa, aliquatenus adjiciam. *Medio alveo* (sunt verba Historici) *anchora firmaverat navem lata alvo diffusam.*

arcebat ſolem, ſuperimpoſitum regiis periſtromatibus tabernaculum. Huc infans utraque Eliſabetha & Anna transvehuntur: numerantibus velut ad clepſydram momenta, qui vehebant. majeſtatem addebat ſponſis lenta progreſſio, ne ad nuptias currere, aut patriam viderentur odiſſe, curſu in finem præcipiti, velut fugientium. primus neutri appulſus eſt, una concurrunt duo, & quanquam diverſi remiges ex adverſo poſiti, unum remigium diceres: inter æquales ſtipantium æqualis numerus. & quæ ſequuntur.

In comitiis, conventibus, conciliis, proprium ſubtilitatis de prærogativa regnum eſt. In comitiis Ratisbonenſibus anno 1471. celebratis, *initium conſultandi* (utar verbis *Johannis Antonii Campani*) *à controverſia ortum, omen belli futuri, an impedimenti, fuerit, incertum eſt. Oratores Burgundi, cum poſt Legatos Electorum collocati, atque ideo deſpecti priore conſeſſu viderentur, redire in ſubſellia recuſabant. Electores, abſentibus collegis, qui aderant, quamquam ſumma cum modeſtia, dignitatem tamen communem tuebantur. Burgundi potentiam ſui Principis, & in Gallia & in Germania maximam: Electores parem nobilitatem & vetuſtum morem objiciebant, ſeque è corpore Cæſaris cum eſſent, ne Regibus quidem, ſi qui adeſſent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio, cum tres prope horas conſumſiſſet, non antea eſt ſublata, quam Burgundi alteris ſubſelliis ad frontem Cæſaris inter Oratores Regios locarentur. Tum demum, & ipſi auxiſſe Principis ſui dignitatem, quod in ordine abſentium Regum ſederent; & Electores ſervaſſe æſtimationem ſuam, quod excluſi à primis ſubſelliis Burgundi eſſent, videbantur.*

Ap. Freh. rer. German. tom. 2. adde Limna jur. publ. 3, 2.

Ivit illa, de prærogativa & eminentia Principum inter ſe, controverſia, in infinitum, ſicut ex aliorum ſcriptis videre licet. Niſi vitanda nobis eſſent, quæ memoratu prolixiora ſunt, referremus huc exemplum talis diſputationis, inter legatos Venetos & Mediolanenſes, quo tempore Fridericum III. Imp. Romam ingreſſurum comitaturi advenerant. Memorat eam rem, non alibi, ut opinor, proditam *Æneas Sylvius in hiſtoria Mſc. de rebus Cæſaris*, quem prædiximus. Poſt rationes ultro citroque, non tam ſubtiliter, quam acerbe allatas, victoria certaminis re ipſa penes Venetos ſtetit.

De

De Regum Principumque poteſtate mediata, quam vocant, & immediata, anno hujus ſæculi XV. curioſæ indagationis libellus prodiit in Gallia, cujus ſummam Gramondus ſuæ hiſtoriæ inſeruit. In eo regibus & Principibus Chriſtianis, ſi Gallum demas & Venetos, aſſignabatur ſuus cuique auctor, adeo ut nemini illorum immediata à Deo poteſtas concederetur. Bene ſibi cavit Auctor, quod nomen ſuum celavit, in argumento, quod aliter in Gallia, aliter in terris aliis; iterum aliter ab adulatoribus Romani Pontificis (cui ſatis equidem magnifice & audacter, ſed quam ſubtiliter, neſcio, multa auctoritas in eo negotio tribuitur) & aliter ab iis utique tractari ſolet, quibus nefas eſt, ſanctam Regum & Principum auctoritatem Papali ambitioni calcandam ſubjicere. *Lib. 1.*

In titulis, idem labor eſt: quibus vel ditionum jura, vel familiæ claritas, vel fortunæ ſtatusq; majeſtas exprimitur dicã, an oſtentatur. Nec mirũ ſane, ſolicitius eam rem tractari, ubi controverſiarum de Principatibus ſemina, aut reliquiæ ſuperſunt. Memorabilis eſt controverſia de titulo & inſignibus Regni Angliæ & Hiberniæ, quæ ſibi anno 1559. Franciſcus II. Gall. Rex & Maria Scota ejus uxor vindicabant. Expoſtulavit ea de re Legatus Anglorum Ordinarius. reſponſum primo, *licere Scotorum Reginæ illa geſtare, aliqua differentiæ notula adjecta, ad generis propinquitatem, qua Regium Anglorum genus attingit, oſtendendam.* Pernegante Legato, ex Armorum, quam vocant, Lege, licere cuipiam alicujus familiæ inſignia uſurpare, qui ex certo ejuſdem herede non ſit natus: iterum reſponſum; *Mariam non alio conſilio Inſignia illa arrogare, quam ut Angliæ Regina, Galliæ inſignibus abſtineret.* Repetiit Legatus, quod antea in Tractatu Cameracenſi Wottonus demonſtraverat: duodecim Angliæ Reges, Galliæ inſignia geſtaſſe, jureque adeo indubitato, ut omnibus inter Anglos & Gallos federibus nihil contra cautum fuerit. Litem ſubtiliter implicitam, ſubtilitate nova Momorantius explicuit. Hic, ut Guiſianorum, quibus per æmulationem obtrectabat, conſilia argueret, magnifico colore, *Neutiquam honori Regno Galliæ eſſe cenſuit, ut alius*

alius titulus, aut insignia assumerentur, aut in sigillo Regio insculperentur, quam Regis Franciæ. hunc unum instar esse multorum. Adjiciebat exempla superiorum Regum, *qui alio titulo non essent usi, cum jus in Neapolim, & Mediolanum, &c. persequerentur.* Vide si lubet, *Camdenum, in actis anni nominati.*

Et quia in hac quæstione, *Legis Armorum* mentio facta est, obiter tangemus consuetudinem nonnullarum gentium, quæ scientiam titulorum & insignium, quibus dignitates distinguerentur aut ornarentur, certis hominibus, sive certo officio assignabant. *Heraldi* vocabantur: de quibus *Arnoldus Lalaingius* libello, quem ante laudavimus: *Præcedebant Ducem (Burgundiæ) pro numero gentium, quibus imperat (caduceatores nescio an nomenclatores dicam, vulgus Gallorum Heraldos vocat) genus hominum Galliæ Germanisque, & reliquis ad occidentem nationibus usitatum, Italiæ non perinde cognitum. genus, nobilitatem, decus Principum, insigniaque per gentes familiarum nosse, ipsorum muneris habetur; quibus majoribus nobilissima quæque domus propagata, quid in quaque honeste, egregie, fœde, turpiter factum patratumve ipsi præcipue vel norunt, vel novisse creduntur. Tuti ac veluti sacrosancti, in pace honorati, in bellis quoque quamvis sævis intacti. Libertas ac licentia scelerate facta Principum reprehendendi, minor nunc quidem, olim maxima. Ausi adire mensas Regum, & resupinatum (summo id ignominiæ loco habebatur) panem apponere, & linteum quo mensa insternitur, medium perscindere, & alia dedecoris notandi caussa facere.* Licuerit ista nobis in transitu notasse: cum præsertim curiosæ & confusæ subtilitatis longe minus haud dubie in hoc genere futurum fuerit, si consuetudo illa perdurasset.

Ap. Freberum.

In ceteris titulis, quibus augusta Regiæ ac Principalis dignitatis majestas insignitur, dubitandum non est, quin Adulatio multa invenerit, amplificaverit, novaverit. Sed non statim detrectare ista aut abolere, ne Prudentes quidem potuerunt: & admisso semel exemplo, inter pares, pro injuria est, imparibus titulis ornari. Quo factum est, ut, quod adulatio à principio fuerat, paulatim ratio fieret. Sicut *in dissertatione de Auspicio Regio* ostendimus, in quo

quo etiam, exemplis quibusdam adumbrata est explicatio ejusmodi titulorum, non tam Cæremoniæ, quam Prudentiæ debita adeoque vere Politica, ubi multæ, nec ineptæ subtlitati locus est, ni fallor. Daremus forte & nunc specimen, in considerando *Celsitudinis* & *Serenitatis* elogio, nisi annotationis brevissimæ modus nusquam nos pateretur subsistere.

Sunt quædam de illis, sed exterioris observationis in epistola *Danielis Eremitæ*: qua legatio officiosa dicam, an speciosa Magni Hetruriæ Ducis ad Rudolphum Augustum, & Principes Ordinesque Imperii anno hujus sæculi IX. instituta describitur. ubi inter alia, ut insigne subtilitatis Transalpinæ specimen jactatur, quod alicubi appellationem *Celsitudinis* debitam, apto verborum circuitu declinaverint Legati: omissum autem *Serenissimi* titulum, aliis varie excusarint; suo Duci acriter vindicarint. Viderint alii, quam subtiliter in his & ceteris versetur: certe, ne arcana quidem Legationis dissimulavit, si quis attendat; satisque prodidit, pleraque non tam serio, quam in speciem gesta. De nobili utique Urbe neque caute, neque modeste loquitur: cum excusata veluti humanitate officii erga eam, non dubitat addere: *Plus ibi fortasse famæ quæritur, ubi legationis honor ad plures pertinet.* In quibusdam, ne convitio quidem sermonis abstinet, promtus ad reprehendendum; sed multarum laudum, quas habuerunt aulæ, ab illis legatis aditæ, dissimulator. Nobilitatem autem & Magnitudinem Germanorum Principum, ne animo quidem concepisse videtur. Talibus rationibus adductus distuli illud scriptum magni æstimare.

V. Limnæ l. P. 4. 6.

De utroque interim titulo prædicto, ut & aliis Principalis fortunæ elogiis, multa erudite & præclare, ut solet, disputat, nec minus subtiliter observat, *Amplissimus Theodorus Grasvvinckelius ICtus, in dissertatione, de jure præcedentiæ, inter Serenissimam Venetam Remp. & Sereniss. Sabaudiæ Ducem.* Trahuntur autem pleraque hujus generis in utilitatem status & caussæ, & modo districtius, modo remissius exiguntur, vindicantur, arripiuntur. Qui sunt altioris inter

Principes fastigii, sicut titulorum non adeo prodigi sunt ad alios: ita magno videntur judicio, & quod merito in exemplum debeat ire, æstimasse fortunam ejus, quem novo aut insigniore titulo honorant.

De Celsissimo Principe Auriaco, cum Christianissimi Regis suffragio, primum titulo Celsitudinis honoratus esset, notabiliter *Barlaus*:

In Auriaco triumphante an. 1639.

——— Nescivimus ante,
Nomine quo tantum felix Respublica digne
Compellet vocitetque Ducem. Dum fluctuat orbis
Arbiter, & Batavi nescit cognomina Martis,
Distinctumque decus: tandem Tu Gallia nomen
Mittis, & Arctoo pretium largiris Achilli,
Et CELSUM cognata vocas. qualem esse priores
Credidimus, talem nobis tu prima fateris.
Erigimur cuncti titulo, surgitque potestas
Altius, & celsam sentit se Belgica dici
In rectore suo.

Cæterum eadem vocabula Titulorum, ætate non eadem, non valent idem: estque ad confusionem usque variabile, & mutabile hujus generis artificium. præsertim, ex quo privata ambitio, veluti mimica æmulatione moris publici, rerum discrimina & formas multis modis immutare, interpretari, attollere, figurare ausa est. Nihil dicam de ingenio Aulicorum, de industria Legatorum: quibus nec occasiones, nec causæ possunt deesse, Inveniendi nova, Ornandi subtilia, Interpretandi communia.

Sicut autem, Titulos vindicare, & interdum ostentare, non modo Principibus, sed propter Principes, etiam ministris solenne est: ita, mutatis rerum vicibus, omittere titulos, auctoritatis & prudentiæ habetur. Sic in Gallia, colloquio Regiorum Legatorum, & qui nomine Principum & Ordinum missi erant, *Regii omnes, nullos sibi titulos sumserant. itaque ab adversa partis delegatis petierunt, ut ipsi sua tantum nomina sine titulis, ne præjudicium alterutris ea re fieret,*

Thuan. lib. 106. an. 1593.

ret, apponere contenti essent: quod & obtinuerunt. Opportunum Inventum, in domesticis disceptationibus.

Adjiciemus quædam Schemata hujus loci. *Charites, quæ Comitatis, Humanitatis, Obsequii subtilitatem gubernant, præcipuam pulcritudinis famam, ex nativa quadam specie, & inornata corporis forma habent: quam dignoscere, & discernere, primus & summus, in hoc genere, subtilitatis gradus est. Non dedignantur tamen vestitum, & cultum festiviorem; sed cujus ipsæ sunt artifices: more Regiarum quarundam virginum apud veteres, quæ non alias, quam quas ipsæ sibi contexuerant, vestes gerebant. Charitum societas est sororia; cumque singulas singula deceant, conjuncta tamen virtute magis gaudent. In regno Virtutum, Charites idem sunt, quod vigor in corpore, color in vultu, nitor in habitu. Liberali sunt ingenio præditæ Charites: parent in hoc regno promtissime, serviunt nunquam. Obsequii studia, artificia, compendia, præcipue callent: adulandi sollertiam fugiunt. Modestiam, Industriam, Elegantiam, Subtilitatem ipsam intima admissione, & sæpe contubernio æstimant: Adulationem æmulam, insidiatricem, obtrectatricem, præsertim ope Palladis & Junonis persequuntur, deprehendunt, prostituunt. Cærimoniis interveniunt præside Mercurio: qui in suo tamen famulitio subinde aliquos curiosos, satagentes, histriones, ac interdum moriones tolerat, donec post revolutionem Platonici anni nova Reipublicæ Universalis Idea constituetur. Titulorum arbitria, cum plenissima potestate, ambivit Ratio Status, & impetravit: sed auctis in immensum quæstionibus, acta plurium ætatum, ad arcanum aulæ Mercurialis scrinium remissa sunt; ubi quidam sublimis ingenii Magistri, pro consequendo Supremo in Subtilitatum Facultate Gradu, recognitioni, & revisioni, quam vocant, vacare putantur.*

Parabam nunc præsertim dicere, de singulari & artificiosa mixtura virtutum variarum in actu civili; quæ scilicet maxima artis hactenus laudatæ pars est: tum de quibusdam locis potioribus, e. g. circa majestatem vindicandam & interpretandam; circa Simulationis & Dissimulationis hypotheses, & id genus alia: Distinguendæ etiam singillatim formæ hujus elegantiæ, cum quadam censura erant: De modo insuper scripturæ hujus & ratione instituti,

tuti, monenda quædam videbantur; cum in plerisque non tam subtilioris artis explicationem quam materiem posuerimus: Sed mensura dissertationis jam expleta, revocamus Lectorem ad initia, ubi Specimen, nec ultra, promisimus. Veniam denique iterum petimus, quod argumentum subtile, ingenio hebetiori, attingere; & quædam his paginis non ex nostra consuetudine, sed ex stilo seculi vocitare ausi sumus.

XIV.

Ad L. Annæi Flori lib. 4. annotatio.

DE CONJURATIONE CATILINARIA

Ad Cap. I.

DIstingui alias solent, *factio*, *seditio*, *insidiæ* sive *conspirationes*, *proditiones*, & similia; quibus adversus Rempublicam impii cives insurgunt, eamque turbant aut vastant. Catilinarium scelus periculi atrocitate & novitate, illa omnia videtur complecti, & *quasi commune ex tot flagitiis flagitium* referre: ubi & *factionis* patriciæ globus, & *insidiarum* in illustres viros machinatio, & *seditionis* armata vis, aliaque concurrunt. Unde Florus, cum universim *nefaria consilia opprimendæ patriæ* nominasset, particulatim capita sceleris edisserit: *Senatum confodere*, *consules trucidare*, *distringere incendiis urbem*, *diripere ærarium*, *totam denique Rempublicam funditus tollere*, *& quicquid nec Annibal videretur optasse*. Quorum verborum, si instituti ratio ferret, explicatissima posset paraphrasis dari ex *Sallustii Catilina*, *capitibus* præsertim 32, 43, 38, 52, itemque ex *Ciceronis Catilinaria tertia*.

Quid ergo hominis ille Catilina, sive, quæ Furia, inauditi immanissimique DUX facinoris? Respondebit *Cicero*: *non ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto*,

jam ex contrariis, diversisque, & inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum. *Orat. pro M. Cœlio cap.* 5. addenda sunt quæ præcedunt, & quæ *cap.* 6. sequuntur, memorabilis est etiam *Character Sallustianus cap.* 5. Quod si alia describendi ratio placet, colligatur, quicquid in Meliis, Manliis, Sullis, Gracchis, scelerati inquietique moris reperitur, & in Catilinam conducantur omnia, ut prodigiosæ mentis pravitas tot exemplis denique æstimari possit ac intelligi.

Iste dux facinoris. Sed *hæc omnia quibus* (*ô nefas!*) SOCIIS *aggressus est? ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcij, Syllæ, Cethegi, Autronii, Varguntei atque Longini quæ familiæ? quæ Senatus insignia? Lentulus quoque cum maxime prætor; hos omnes immanissimi facinoris Satellites habuit.* Sunt hæc verba *Flori*: quibus *conscios, participes, consiliarios & ministros nefariæ molitionis*, alias in certas operæ classes distingui solitos, designat, & præsertim contumelioso *Satellitum* nomine, aliis etiam scriptoribus in hoc significatu usitato, infamat. Addendus est catalogus *Sallustii* cap. 17. Ubi præter *patricios, equitesque, multos ex coloniis & municipiis domi nobiles*, itemque quosdam ex magnis Romæ viris *paulo occultius hujusce consilii participes* memorat. Vult innuere, non socios tantum in considerationem hic venire, sed etiam *fautores* rerum novarum. unde cap. 36. *Neque solum illis*, inquit, *aliena mens erat, qui conscii conjurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes, novarum rerum studio, Catilinæ incepta probabat.*

Verum illa caterva impiorum hominum primo quidem in hunc consensionis globum coiit *similitudine mali moris, infamiæ, scelerum, egestatis.* (sicut prolixe *præcipuus hujus conjurationis scriptor* memorat) deinde in constantiam sive potius pertinaciam rabiosi furoris multis sese vinculis constrinxere, & quasi laqueis quibusdam scelerum colligavere. Adhibita in nefarios usus *jurisjurandi religio*: Sed hoc minus est. *Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus; quem circulatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt.* Possit tamen hic *Florus* videri liberius panegyrico more ad rem exaggerandam uti: dum ut certum

tum tradit, quod *Sallustius* (22.) in dubio relinquit. Sed nimirum de talibus monstris hominum *quamvis fabulosa & immania credi solent*: sicut alibi sententia huc pertinente judicat *Tacitus* 4. A. 11, 4. pro *Floro* tamen etiam *Dio* facit *lib.* 37. *p.* 48.

CAUSSÆ quæ tam nefarium gregem in id furoris egere, non unæ sunt. Præcipuas nominat Florus *luxuriam* Catilinæ, *atque hinc conflatam egestatem*. Hæc enim (ita etiam supra judicaverat 3, 12, 12. *Catilinam Patriæ suæ impegit*, atq; in præcipitia sibi reique publicæ perniciosa impulit. Atque talibus hominibus, *quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla* (habes genuinum characterem catervæ Catilinariæ) *quieta movere magna merces videbatur*, notante *Sallustio* 21. qui & in præcedentibus, locisque jam adductis graphice & signanter profligatæ desperatæque multitudinis sensum describit. *Cicero* etiam per *classes*, illorum proposita recensens, totum illud *seminarium Catilinarium* demonstrat, *Catilinaria secunda*. Scil. homines *sine re, sine fide, sine spe, sine fortunis; ore, lingua, manu, vita omni inquinati* (ut notam Sex. Clodio appositam *in Cæliana c.* 33. huc transferamus) sua mala publicis malis vel mutare vel operire cupiunt.

Sed & alia non minus valida in turbas *stimulatio* accessit nonnullis, ex *ambitione & dominandi cupidine*: *quos magis* scilicet *dominationis spes hortabatur quam inopia, aut alia necessitudo*, ut hic rursum cum *Sallustio* loquamur *ex cap.* 17. Hi enim *nihil pensi habent, quibus modis assequantur*, quod cupiunt, dum sibi regnum parent, exemplo ipsius Catilinæ *nimis alta semper cupientis*, apud *Sallustium* cap. 5.

Non omittenda est OCCASIO, quæ tam prava cupientibus idonea visa est ad exequendum destinata. *Nam tum*, inquit *Florus* noster, *in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur*. Horum verborum paraphrasis ex *Sallustii* cap. 16. peti potest. *in Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; Catilina consulatum petendi magna spes; senatus nihil sane intentus; tuta tranquillaque res omnes. Sed ea prorsus opportuna Catilinæ.*

Vidi-

Vidimus qui homines, quibus Furiis instincti aut irritamentis illecti, quæ facinora in Reipublicæ exitium comparaverint: nunc videbimus *quomodo res detecta pariter sit ac vindicata. Actum erat*, inquit *Florus*, *de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem & Antonium consules incidisset: quorum alter rem industria patefecit, alter manu oppressit.* Summam hæc verba continent eorum, quæ deinceps hanc historiam absolvunt. Sed nobis per partes agendum est.

Agnoscit Florus FORTUNAM REIPUBLICÆ pro sua urbe vigilantem: quali ferme sensu *Demosthenes* (*Epist.* 4.) τὴν ἀγαθὴν τύχην ἐν τῇ πόλει τῶν Ἀθηναίων εἶναι, *Bonam Fortunam in urbe Atheniensium esse*, tanquam custodem & vindicem fati publici, testatur. Ejus Fortunæ ista præsertim provisio hic in considerationem venit, quod egregios viros excitat, illisque tuendæ Reipublicæ animos inspirat, *ut eorum egregia virtute cuncta patrentur*, sicut loquitur & judicat *Sall.* cap. 53. Ita hic in Ciceronem & Catonem omnis patriæ conservatio non immerito refertur. Nam Antonii minor hic, & aliunde instincta ac pæne expostulata industria est.

Huic fortunæ prima & præcipua pars remedii debetur: hoc sole discussæ sunt parricidii tenebræ (*vide, quo alludamus* apud Tacitum 15. *A.* 74, 1.) cœcus enim sit qui non videat, singulari providentia divina, adeoque mirabili sæpe ratione hæc talia revelari. In nostro exemplo *tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum sed parricidii innocens.* Verba *Flori* continuamus, illustranda ex *Sallustio Cat.* 23.

Sequuntur REMEDIORUM species & gradus. ubi præsertim eximia Ciceronis consulis industria apparet. *Tum enim consul habito senatu in præsentem reum Cicero peroravit.* Extat illa oratio inter opera Ciceronis, estque *ex Catilinariis prima*: in qua magna gravitate sermonis ac libertate, scelerati hominis molitiones arguit, ipsumque urbe egredi jubet. Hinc enim auspicandum remedium prudentissimus vir existimabat, si caput scelerum quasi relegatum præci-

præcipuas sociorum catervas secum traheret. Neque enim aliud hac vice voluit. Unde verba Flori non ad extenuationem sed ad inchoationem remedii referenda sunt, cum inquit: *sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo* (scimus quomodo hoc excusari possit, sed non adducimur, quin corruptum credamus locum, si præsertim tota connexio attendatur) *incendium suum restincturum ruina minaretur.* Legendus est super his *Sallustius* 31, & 32.

Sed non erat tam facilis mali medicina, ut simul inchoari & consummari posset. Quin potius hic egressus Catilinæ nova pericula peperit, adeoque novorum remediorum curam injecit. Nam Catilina *quidem ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, [illegible] præstitutum à Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disponit.* Quæ omnia latius memorat *Sallustius* 32, 39, 43. Tanta erat sceleris hujus non immanitas modo, sed pertinacia: ut appareret prorsus cum desperatissimis hominibus rem esse.

Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis, isset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii, prætoris literæ tenerentur; quas Allobrogibus ad Catilinam dederat. cum enim hujus quoque fraudis scenam deprehendisset Cicero, *statim ejus imperio injecta est barbaris (legatis sc.) manus.* Petenda hæc sunt è Sallust. cap. 40, 41, 44, 45. Etiam *Appianus* 2. ἐμφυλ. & *Plutarch.* in Cic. diserte exposuerunt.

Magna hic quoque Ciceronis, an potius Reip. felicitas fuit, quod in ipso conatu & ἐπαυτοφώρῳ deprehensum scelus est. & quidem sine magno motu, ἄνευ στάσεως καὶ ταραχῆς; quod in toto hoc negotio cum primis mirantur Romani, apud *Plutarchum. Palam* ergo *prætor in senatu convincitur.* hæc enim prima hujus judicii pars fuit, *cognitio valida auctoritate industriaque exercita*, sicut amplius intelligi potest ex *Sallustio cap.* 46, 47. *ceterisque hujus conjurationis scriptoribus.* Præmia quoque (nam id in parte artis notandum)

dum) ſicut antea promiſſa erant, ſi quis indicaret, apud Salluſt. 29. ita poſtea comprobato indicio indicibus decernuntur. *Salluſt.* 50.

Conditis in cuſtodias liberas, poſtquam convicti erant, facinoris principibus, difficilior longe *deliberatio* Senatum tenuit. Periculoſum videbatur, viros tam nobiles meritis afficere ſuppliciis: ſed nec reſpub. in tuto futura credebatur, ſi mollibus conſultis ageretur. Deſcribit *anxietatem Ciceronis* hac in re *Salluſt.* 46. & *Plutarch. in Cic.* unde & ipſi Senatores in diverſas ivere ſententias. Quippe *de ſupplicio agentibus Cæſar parcendum dignitati; & publicandas eorum pecunias, ipſos in vinculis habendos per municipia; Cato animadvertendum pro ſcelere, & de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, ſupplicium ſumendum, cenſebat.* Cæſaris ſententia favorabilis erat, quia ἐπιεικὴς ſive *mitis videbatur*, & *quia auctor ejus εἰπεῖν δυνατώτατος, eloquentiſſimus erat*; ſicut *Plutarchus* annotat. At vero *Cato tanta vi animi atque ingenii invectus eſt in conjurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilii ſuſpectam fecerit. Sic impendentia ex ruinis incendiiſque urbis & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit; ita conſulis virtutem amplificavit, ut univerſus Senatus in ejus ſententiam tranſiret, animadvertendumque in eos, quos prædiximus, cenſeret, majorque pars ordinis ejus Catonem domum proſequerentur:* honoris ſingularis cauſſa, cujus exempla etiam alibi extant. Dixi hæc verbis *Velleii ex* 2, 35, 3 & 4. Utramque autem orationem, graviſſime & digno tantis auctoribus ornatu elaboratam leges apud *Salluſt.* 51. & 52. In Cæſariana *plus dignitatis*, in Catoniana *plus fidei* invenies. Conjungenda eſt illuſtrationis cauſſa, *Ciceronis Catilinaria* 4. *Florus*, eventum breviter complectitur: *Catonis ſententiam ſecutis omnibus, in carcere parricidæ ſtrangulantur.* adde *Salluſt.* 55. & *ceteros.*

Ceterum *quamvis parte conjurationis oppreſſa, tamen ab incepto Catilina non deſtitit: ſed infeſtis ab Etruria ſignis patriam petens, obvio Antonii exercitu excipitur.* Nam Antonius cum alias pro Catilina ſentiret, egregia arte conſulis inductus eſt, ne contra Rempub. ſtaret. *Salluſt.* 26. Itaque, cum

ἀπαρασκεύως, ut *Appianus* hic notat, & ſine idoneo paratu Catilina deprehenſus ab Antonio eſſet, ſuperatus *prælio tamen reddidit ſpiritum, quem debuerat ſupplicio,* quæ *Velleii* ἐπίκρισις eſt 2, 35, 5. *Quam atrociter* autem *dimicatum ſit, exitus docuit. nemo hoſtium bello ſuperfuit. quem quis in pugnando ceperat locum, eum amiſſa anima corpore tegebat. Catilina longe à ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt; pulcerrima morte, ſi pro patria ſic concidiſſet.* Exſequitur iſta *Salluſt.* à cap. 56. uſque ad finem.

Talis ſolet nimirum pravorum conſiliorum exitus eſſe: dum ſupremum Numen ſuæ in Reſpublicas curæ, in ſcelera iræ, magna ſubinde exempla ſtatuit. Ciceronem plena liberatæ patriæ conſecuta eſt gloria; nomenque magnificentiſſimum PATRIS PATRIÆ, Catonis primum voce, mox conſenſu publico, meritis ejus datum. *Cujus appellationis honor Ciceroni primum, inde Cæſaribus Romanis, ſed non omnibus contigit. Licet enim regiæ poteſtatis plenitudine gauderent, non tamen cum aliis ſtatim cognomentis hoc acceperunt, ſed vix tandem ſucceſſu temporis, ut perfectum maximorum meritorum teſtimonium adepti ſunt.* Notante *Appiano* B. C. 2. p. 432. Conſilia Ciceronis, & artes, quibus uſus eſt in tam difficili Reip. tempore, conſideravimus in *Charact. Vellei. c. 4.*

De bello civili Cæſaris & Pompeii.

ad

Flori IV. 2.

ANimus nobis eſt in his exercitationibus ea breviter deſignare, quæ ſtudioſæ juventutis diſquiſitioni & inſtituendæ per colloquia meditationi inſervire poſſunt: non autem commentarios ſcribere aut prolixas expoſitiones. itaque ex hoc capite, ubi *Florus* noſter materiæ copiam ſtilo, quantumvis feſtinante, per ſeriem tamen rerum ſequitur, nos in paucas pagellas *potiora quædam* contrahemus.

Stete-

Steterat jam res Romana per ſeptingentos circiter annos ; à tenuibus initiis in id faſtigium provecta, ut potentiæ ſuæ limitibus Europæ, Aſiæ, Africæ pleraque concluderet : cum tanta imperii ac fortunæ moles ſuo ſemet ipſa concuſſit onere ac pene afflixit ; niſi quod divinæ prudentiæ viſum eſt, orbem reipubl. tam periculoſe commotum, ad novi ſtatus ſedem firmitatemque revocare.

Ipſa autem tam fatalis mutationis ſeries *bello Julij Cæſaris & Pompeii pluſquam civili* ſeſe concitavit. cujus propterea magnitudinem, ſignanter & tanquam obſervationis politicæ epocham inſtauraturus proponit *Florus* in *apparatu*, quem hiſtoriæ ipſi præmittit. ubi notatu dignum eſt, quod tumultus illos & furores Marianos, Cinnanos, Syllanos, *præludia* hujus mutationis fuiſſe, judicat. Poſſumus & inter CAUSAS referre, ſi arma Julii Pompeiique civilia, non *in ſeparato ſuorum eventuum motuumq́ ordine* ; ſed *in fati publici contextu & ipſius Reip. ſerie*, ut ſic dicam, conſideremus. Nam diverſa iſta conſideratio diverſas auctoribus peperit loquendi tractandique rationes. Ita *Lucanus* 1. *Pharſaliæ* ad oſtendenda totius reip. fata longius progreſſus, veluti ab alto orditur cauſſarum inveſtigationem : quas *Cæſar ipſe lib.*1. *bell. civ.* è proximo tantum adfert. Pari modo Catilinariæ conjurationis originem ex longinqua cauſarum ſibi mutuo ſuccedentium ſerie *Salluſtius* repetit : cum *Florus, aliique* ſolas propiores commemorent.

à pr. cap.

Verum, ut in noſtro maneamus exemplo, *Florus* è communibus cauſſis unam aſſignat, *nimiam felicitatem*, & præpotentis imperii magnitudinem, cui ſcil. illa vitia,

—— quæ populos ſemper merſere potentes,

comitari ſolent : poſtea ſubjungit, *nimiam Pompeii potentiam* (quam denique reip. gravem fore, jam olim prædixerat Catulus apud *Velleium* ; indeque natam *potentum & nobilium æmulationem*, quæ in *factiones* utrinque profecit ; ex factionibus ad ὀλιγαρχίαν *triumviralem Jul. Cæſaris, Pompeii & Craſſi deventum* eſt : cujus ὑπόθεσιν eximie *Florus* hic deſcripſit, cui omnino addendus eſt *Vell.* 2, 44, 2. denique ὀλιγαρχία

ut solet, in discordias ivit: discordiæ in *bellum* exarsere, bellum ipsum usque ad *mutationem reip.* valuit, sicut antea occupavimus dicere. Ut maturius in discordias & arma iretur, *mors Juliæ* & *Crassi* præsertim effecit: quod facunde & erudite *Lucanus* notavit.

Præcipuæ considerationis est, *caussa belli interior*, i. e. *cupido dominandi tam in Cæsare quam in Pompeio. Nefas* (inquit *Florus*) *sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta imperii fortuna non caperet.* Neque enim meliori proposito utebantur, quam vel Marius vel Sylla, sicut rectissime judicat *Tac.* 2. H. 38. qui & illud observat, hos furores etiam apud posteros exemplo nocuisse: *neque* enim *postea unquam*, *nisi de principatu quæsitum.*

Non defuerunt tamen utrique *speciosi prætextus.* Nam & Cæsar *injurias* sibi factas recensebat, (vide ipsum Cæs. lib. 1. B.C. cap. 2. & 3.) Pompeius Cæsarem majora agitare, jactitans, *libertatis publicæ patrocinium ac tutelam*, idoneum suæ cupidini titulum præferebat. Sed isti colores *vulgo* impo-
2. H. 51. nunt, cujus etiam est illud judicium apud *Tacitum*: *mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque. remp.* ὐ γὰρ τὶς ἀυτοῖς ἐδόκει Μάγνου γενέσθαι δημοκρατικώτερος; *neque enim quisquam visus est popularior aut publicæ libertatis amantior* esse, quam Pompeius; inquit *Appianus* 3. ἐμφυλ. p. 528. *Prudentes* aliter judicant, & facile à veris falsa discernunt: inde *Tacitus* ipse (2. H. 38, 3.) *Pompeium* ait *fuisse Sylla & Mario occultiorem, non meliorem*, & quid sub Jul. Cæsaris coloribus lateat, revelavit *Suetonius Jul.* 30. Partis utriusque comparationem, dignam lectu consideratuque, instituit *Velleius* 2, 49, 3.

Quomodo & cur *susceptum* hoc sit bellum, vidimus: quomodo *gestum* sit, non est hujus instituti, per seriem exsequi. *Quædam* tantum *observatu digniora* excerpemus. Prima statim occurrit quæstio; *utrum prudenter sit à Pompeio factum, quod relicta urbe Italiaque, Dyrrhachium petiit, alibique bello sedem legendam putavit?* Variatum jam olim sententiis esse, cum *quidam* in præcipuis belli consiliis id commendarent, *Cæsar autem ipse & Cicero*, erratum à Pompeio conten-

contenderent, *Plutarchus in Pomp.* annotavit. Posterior sententia jam à nobis approbata est in *not. Velleii ad 2. 49.* Cum præsertim etiam *Appianus 2. B. C. p. 449. de coss.* & amicis Pompeii dicat, *quod non siverint eum*, ἐπὶ τῆς ἑαυτῦ γνώμης ἐμπειροπολέμως ἐνσταθεῖν, *suo consilio firmiter, & ut ratio belli suadebat, insistere.*

Sed sequamur Cæsarem ad Massiliam; incertum *miseratione* an *reprehensione* dignam, quod Cæsari portas clausit. *Florus* miseratur: *misera*, inquit, *dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit.* *Velleius* reprehendit: *fide melior civitas*, ait, *quam consilio prudentior, intempestive principalium armorum arbitria captavit; quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt.* Nostra sententia, ad utrumque affectum inclinans, videri potest, *in notis ad h. Vell. loc.* 2, 50.

Quæ interim in Gallia, Hispania, & Africa gesta sunt, suo loco relinquemus, & in Epirum Thessaliamque prævertemur, ubi *totis viribus bellum consedit*, sicut *Florus* noster loquitur. Ibi statuerat Pompeius, mora frangere hostem, & impetum ardentissimi ducis cunctando frustrari. *salutare id consilium Florus* vocat; merito. Sed impetu suorum, & cavillationibus, atque expostulationibus, ad fatale sibi prælium compulsus est. vide historiam præsertim ap. *Appianum 2.* ἐμφυλ. p. 469. & *Plutarch. in Pomp. sic præcipitantibus fatis, prœlio sumta est Thessalia*, inquit *Florus*. Profundioris prudentiæ est Appiani judicium: ἀλλὰ τάδε μὲν ᾤκονόμει θεὸς ἐς ἀρχὴν τῆς ἐς τῆς νῦν ἐπεχούσης τὰ πάντα ἡγεμονίας. *Verum ista Dei cura fuit ac dispensatio, ut principium daret imperio terrarum orbem nunc complexo.* Dixit plura, quam intellexit. Nos Religio in sensu saniore ita jubet loqui, omni remota vel superstitione vel cæcitate gentili. præibit *Augustinus 5, de C. D. 21.*

Multus in eo prælio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & militem. nam hac sententia *Florus* Cæsari; *alii scriptores*, aliis ducibus, perfectam operæ virtutisque prœliaris laudem tribuunt. Illa vox, qua suis inclamavit, *ut hostium faciem ferirent*, ex disciplina & more pugnandi interpretanda est,

da est, sicut Germanicus *apud Tacit.* 2. A. 14, 4. suos hortatur: *densarent ictus, ora mucronibus quærerent.*

Pompeium eo gravius fortuna adversa perculit, quia secundis assuetus, alteram sortem nec timuerat, nec ferre didicerat. Hinc illa desperatio præmatura, quod semel victus prælio, de fuga potius, quam de reparando bello, statim cogitavit: quod *Plutarch. in Pomp. f.* & *Dio* præsertim arguit *lib.* 42. p 208. *Idem*, qui paulo post exitum ejus, in quem perfidia & fraude pessimorum hominum illectus est, gravissima ἐπικρίσει, *de fortunæ inconstantia, cum qua etiam consilia mutantur*, prosequitur. *Deliberatio* regis, sive potius eorum, à quibus rex puer regebatur, *de recipiendo Pompeio*, describitur apud *Luc. lib.* 8. ubi præsertim Photinus, magister perfidiæ, summum flagitium non minus flagitiosa *oratione* suadet.

Ceterum id facinus occisi per amicitiæ speciem Pompeii, totam Ægyptum calamitatibus involvit, καὶ ἐκ τούτε προστρόπαιον καὶ ἑαυτοῖς καὶ τῇ Αἰγύπτῳ πάσῃ προσέθεντο. *Quippe per id auctores sceleris, non sibi tantum, sed toti Ægypto ingens piaculum conscivere*: inquit *Dio*. Igitur *fortuna ultionem tanti viri manibus quærente, caussa non defuit* (ita judicat *Florus*) exorto mox bello Alexandrino, cujus initia *Cæsar* 3. *B. C. extremo*, & seriem totam *Hirtius Pansa*, sicut vulgatus index præfert, *singulari libro* comprehendit. *Ita debellata perfida gente Cæsar justa Generi Manibus dedit.*

lib. 42.

Morte Pompeii partium indignatio aucta magis quam imminuta. Hinc ingentes belli *Africani* adversus Cæsarem conatus: & mox, Cæsaris fortuna superante, pertinaciæ apud hostes miracula, Scipiones, Jubæ, Catones *mortem etiam leti accivere*: non quidem, *ut sapientibus dignum erat* (quod *Florus* sensu & more ethnico de Catone judicat) sed ut ambitioni, quam in vita secuti erant, etiam in morte servirent.

Quantum *scientia militari & virtute* in his omnibus præstiterit Cæsar, ultro intelligi potest: quantum *fortunæ* debuerit, tum alias sæpe, tum in *Hispaniensis* belli ultimo

timo prœlio apparuit ; ubi *desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitasse* (*Sueton. Cæs.*) sive *de extremis agitasse secum dicitur*, nisi insperatus subito casus viam salutis & victoriæ in extremo periculo aperuisset. In universum æstimantibus *fatendum est* scil. *cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ.* ut *Curtii* de Alexandro judicium alteri Alexandro accomodemus, ex 10, 5, 35. c. 36.

Juvat ad finem belli properare, & *pacem* Cæsaris considerare. Quam *Florus* magnifico elogio celebrat : *reliqua pax incruenta; pensatumque clementia bellum.* Si modo ulla clementia pensare tantos belli furores posset, aut clementia deberet vocari, quæ verius *lassa crudelitas* est : sicut in exemplo simillimo judicat *Seneca* 1. *Clement.* 11. Servetur tamen vel sic sua tam clementi victoriæ commendatio : vel quia raro modum servant felicia arma, vel quia exempla priorum temporum crudelia, saltem aliquo solatio interstingui, reip. interfuit.

Victoria parta, *omnes unum in principem congesti honores: veluti insulæ* scilicet *in destinatam morti victimam.* quod congruæ inventionis sententia *Florus* judicat, & *Dio* explicat. lib. 44. Quippe & adulatoria pleraque erant, & insidiose offerebantur, ut illis ipsis honoribus in invidiam adduceretur.

Itaque mox *furor quidam conceleratus* (οἶστρος ἀλιτηριώδης) *impulit quosdam, qui nec honores ejus æquo animo ferre, nec supra se videre talem virum cupiebant, ut injuste eum interficerent.* *Dionis* hanc mentem (*è principio* 44.) tum alia adstruunt, tum præsertim illa, quæ Cæsari publice decreta erant non ad honorificentiam modo τοῦ προτετιμημένου, sed ad potestatem τοῦ μονάρχου, valentia, sanctissimisque vinculis firmata. Confer loca *Dionis* 43. p. 249. & 266, 267. itemque *lib.* 44. p. 274. 275. cum *Appian.* 2. ἐμφυλ. p. 494. adde *annot.* 10. *ad Tac.* 1. A. 8. Nec tamen non gravissima *Flori* ἐπίκρισις est : *Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.* Nimirum passus est, quæ meruerat, sed non à quibus meruerat : satisque habuit, quod in Cæ-

in Cæſare vindicaret ultrix Dei Juſtitia, licet nullo modo hujus vindictæ miniſteria occupare debuiſſent parricidæ.

De Cæſare Auguſto

ad

Flori Lib. IV. Cap. 3.

HOc caput formam habet παρεκβάσεως πολιτικῆς, *egreſſionis Politicæ*, ſive potius, *tranſitionis cum mora quadam conjunctæ*, & *ſummam ſequentium complexæ*. Quippe *res Auguſti*, de quibus deinceps acturus eſt, *notabili & connexione & interpretatione præmunit an præcipit*; dirigendo in cetera judicio, & illuſtrandæ per ἐπιστάσεις πολιτικὰς ſcriptioni: quam ita hiſtoriæ regulis dicavit, ut orationis elegantiæ & apparatui non parum loci relinqueret. Hinc eſt quod *lib.* 1. *cap.* 8. prudentiſſima & ἐπικριτικῇ ἀνακεφαλαιώσει *ſeptem regum auſpicia & imperia* repetit: quod *lib.* 2. *cap.* 19. partim antegreſſa, denuo obſervationi lectoris commendat; partim ſecutura, ſuo quodam charactere politico, ut ſic dicam, ſignat: quod *lib.* 3. *cap.* 12. pari prorſus inſtituto ἀνακεφαλαιωδῶς ἅμα καὶ λημματικῶς, ſæculorum fata diſciplinamque, egregio judicio tum reſpicit tum proſpicit. Quibus exemplis accedit hoc noſtrum caput; quo non tam fatorum publicorum, quam reformationis civilis novam epocham, illam memorabilem, & ut clarius appellamus, illam Auguſteam præclaro primordio conſtituit.

pr. Digna ſunt, quæ conſiderentur, ſingula. *Populus Romanus*, inquit, *Cæſare & Pompeio trucidatis, rediſſe in ſtatum priſtinæ libertatis videbatur: & redierat, niſi aut Pompeius liberos, aut Cæſar hæredem reliquiſſet: vel, quod utroque pernicioſius fuit. ſi non collega quondam, mox æmulus Cæſarianæ potentiæ, fax & turbo ſequentis ſæculi, ſuperfuiſſet Antonius.* Tres videtur *Florus* cauſſas conſtituere, cur Brutus, Caſſiuſque & cæteri

Cæſa-

Cæsaris parricidæ non vindicare potuerint Remp. in libertatem pristinam. hoc enim propositum consiliumque subinde præferebant jactabantque, qui Cæsarem interfecerant. Obstitisse primo quidem Pompeji filium Sextum, qui paternæ fortunæ reliquias colligere & restaurare certus erat; obstitisse deinde, Octavium Cæsarem; qui noluerit indignus videri eo fastigio, in quod judicio Julii Cæsaris testamentoque esset vocatus: obstitisse insuper Antonium, qui degustatam semel in collegio Cæsaris, cujus magister equitum erat, dominandi dulcedinem non potuerit ex animo dimittere. Hinc factum esse, ut Reipublicæ, licet amotis factionum & dominationis ducibus, pristinus libertatis status recuperari non potuerit; sed potius omnia novis motibus flagrare cœperint & turbari.

Intelligendum est autem hoc Flori judicium, *de caussis illis propioribus* sequentium motuum, ad quorum seriem originesque præcipue hic respicit. Nam alias dubitari non debet, *plures caussas fuisse, ob quas populus Romanus libertatem neque capere, neque sperare amplius potuerit, etiamsi ista non obstitissent, de quibus hic sermo est.* Talis enim erat corruptissimæ reip. conditio, ut, si hæ concussionis caussæ defuissent, statim emersuræ fuerint similes aliæ: sicut in affectis corporibus, cum plures morborum caussæ concurrunt, manifestiori quidem aut propiori vis ægritudinis adscribitur; sed ut eandem ex aliis jamjam ad nocendum dispositis vitiis emersuram fuisse, nihil dubitetur. Vide si lubet, quæ disputavimus, *annot.* 9. ad 1. A. Tac. 8. itemque, *annot. 6. ad cap. 9.*

Molitiones Sex. Pompeji, Octavii Cæsaris, Antonii, quibus recuperandæ libertati obstiterunt, breviter complectitur Florus, amplius scilicet explicaturus ista *cap. sequentibus.* Verba hujus *cap.* corrupta sunt, sicut cuivis animadvertenti pronum est intelligere. videantur notæ *Freinshemianæ*: in quibus verosimillimum, imo verum judicamus; *ista Flori verba: nam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem: non de Antonio, sed de Pop. R. intelligenda esse.* Licet enim sententiæ non repugnet, An-

tonium ad servitutem confugisse, cum Cleopatræ Reginæ insano amore sese mancipavit, regnique affectatione inservitutem delapsus est: tamen vel sequentium connexio evincit alteram illam expositionem: *Horum trium molitionibus in eam perturbationem venisse rempublicam, ut libertatis omnino obliviscendum, & ad servitutem* (ita enim loquuntur Romani scriptores, cum de extincta libertate & occupata dominatione sermo est) *velut ad sacram ancoram confugiendum fuerit. In quo tamen casu grate agnoscendum, quod in Augusti potius potestatem, quam vel sub Pompeji, vel sub Antonii dominatum resp. redacta sit.* Statim enim sequitur in Floro: *gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Cæsarem Augustum summa rerum rediit.* plane sicut *Velleius*, ubi Brutum & Cassium μάλα πολιτικῶς comparat, hoc judicium denique subjungit:
2, 72. *Qui si vicissent, quantum reip. interfuit, Cæsarem potius habere, quam Antonium Principem, tantum retulisset habere Brutum, quam Cassium.* Nimirum eo jam res erat deducta, ut non quærendum esset amplius, *an serviret, sed cui serviret populus Romanus.*

Sane ergo gratulandum fuit, quod Augustus Princeps rei Romanæ contigit: *qui sapientia sua atque sollertia, perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus.* Scilicet ad tantum opus *ingenio Heroico* & *indole prorsum singulari* opus fuit. perturbare rempublicam & polluere, etiam Pompejus aliquis Sextus rudi suo impetu; etiam Antonius suis cupidinibus & libidinibus potest: at restituere & labentem procumbentemque statum revocare, Augustei tantum ingenii res est. Unde alibi demonstravimus, *in ejusmodi tempora, ubi magnæ rerum mutationes imminent, Heroum nativitatem divina destinatione incidere.* Ubi
Charact. Vellei. 2, 13. omnis quidem instaurationis efficacia divini & operis & favoris est: sed quæ per Heroica ingenia plerumque in res humanas dispensatur. Historiam Heroicæ illius sive Augusteæ restitutionis summatim propositam habes apud *Vellei.* 2, 89. ne nunc ad ceteros fusioris interpretationis auctores eamus.

Sed quæ ratio ordinandæ tam confusæ reipublicæ? quæ

quæ perturbationis meta, aut fluctuationis portus? *Unius imperium*, five *Monarchia*, *perite & accurate formata.* unde de corpore imperii sequitur: Quod ita haud dubie nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu, quasi anima, & mente regeretur. Verissimum de Monarchia Cæsarea judicium (quod exposuimus ad illa *Taciti*, *non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur*) & magnifica sententia: cujus vis ad ipsa imperii præsentioris robora, unius principatui ἐξαιρέτως competentia spectat: apparetque ex similibus locis, auctores ita loqui, cum interiorem monarchici regiminis præstantiam declarare volunt.

Cæterum ad hunc reformatæ reip. statum, non potuit nisi magnos post motus perveniri. verissime enim sapientes observarunt, *plerasque mutationes reip. cum vi & cruore & clade conjunctas esse.* Sicut enim in corpore humano, multis diuque collectis vitiis redundante, non facile nisi duris asperisque remediis, quæ totas vires naturæ concutiunt agitantque, recuperatur sanitas: ita tam altis inveterata radicibus corruptio reip. non nisi per magnas concussiones emendatur, & in novam faciem ordinatur. Quod si ex altioris philosophiæ decretis loquendum est, scire debemus: *Deum in ejusmodi mutationibus, & per easdem, delicta hominum punire; ubi sæpe accidit, ut vitia vitiosi puniant, donec vel explendæ vindictæ accedat interitus rerump. vel expletæ succedat restitutio sive reformatio.* Illa *eversio*; hæc *conversio* dicitur. Quæ duo in gravissima oratione distinguit Darius apud *Curtium*: *Forsitan ita dii fata ordinaverunt, ut Persarum imperium, quod secundo cursu per ducentos triginta annos ad summum fastigium evexerant, magno motu* CONCUTERENT *magis, quam* ADFLIGERENT. 4, 14. Locus est, si quisquam, in hoc argumento memorabilis, quem per partes ad nostrum exemplum accommodabimus.

Divina, ante omnia, in hoc negotio *cura*, quanquam à pagano agnoscitur. Neque aliud vult *Florus* noster, cum inquit: *M. Antonio, P. Dolabella Consulibus, imperium Romanum*

num jam ad Cæsares transferente fortuna, varius & multiplex civitatis motus fuit. Quanquam enim plerumque non intelligant satis gentiles, quid loquantur, cum de fortuna loquuntur, divinam tamen aliquam dispositionem & architectonicum ex alto principium hic indicari non est quod dubitemus. quippe huc sana ratio etiam cœcutientes deduxit, ut viderent, Dei providentiam atque gubernationem à tanto opere minime excludendam esse.

Secundo innuit locus *Curtianus*, *tempus conversionis publicæ*, sive terminum partim ratione numeri consideratum, partim ratione civitatis. Prior illa observatio curiosis quam Prudentibus familiarior, certi temporis periodos & ætates, aut sæcula imperiis tribuit: quibus impletis mutentur aut aboleantur. hic CCXXX anni numerantur sive duo amplius sæcula. Eundem ferme terminum rerum Romanarum momentis, incrementis, mutationibus tribuit *Florus præfat. op.* præsertim tertiam illam ætatem à coss. Appio Claudio & Q. Fulvio in Augustum *ducentorum annorum* facit, & *ibi* & 2, 19, 2. Sed ista quidem observatio solius est eventus: nam rationis aut caussæ aut fidei in numeris nihil est: quanquam multa, sed haud dubie *μυστικώτερα* de iis *Plato* philosophetur. Altera ergo designatio termini potius huc spectat, cum de *summo fastigio* Curtius, Florus de *ipsa imperii juventa & quasi quadam robusta maturitate* loquuntur. Hinc enim initium mutationis accersit clarius 4, 2, 1. Plerumque sane, ubi ad summum felicitatis & potentiæ imperia venere, ruunt, aut mutantur. Nec in abstruso est ratio. *Crescentibus enim cum ipsa magnitudine imperii vitiis*, sicut recte notat *Florus* 2, 19, 1. *fortuna cum moribus mutatur. Sallust. Catil.* 2. cujus rei explicatio amplior petenda ex *Tac.* 2. H. 38. Unde *παράδοξον* Politicum: *Nunquam difficiliorem esse reip. administrationem, quam in ipso felicitatis & potentiæ fastigio.*

lib. 8. de rep. & alibi.

præfat.

Tertio distinguuntur à Dario apud Curtium, *conversiones & eversiones reip.* Revera quidem eversio imminebat regno Persarum in servitutem jamjam tradendo: sed Darius spei argumenta undecunque conquirens ad confirmandos

mandos suorum animos; *sæpe* ait, *videri imminere eversionem, quæ conversio tantum sit.* Dicitur autem *conversio* nonnunquam, cum ex una forma in aliam immutatur respublica; sicut hic accidit in Romano imperio, cujus libertas in monarchiam mutata est: nonnunquam *conversionis* nomine, quævis mutatio notatur, aut concussio, qua non tam mutatur aut transfertur respublica, quam agitatur & turbatur vel interna vel externa vi. Sed tanta est, ut antea diximus, insignium ejusmodi conversionum violentia, ut eversionem minitari videantur. Hinc *Curtianum: magno motu concuti.* & *Florus, varium & multiplicem civitatis motum* vocat, quo res Romana in mutationem sui demersa, tandem in novam faciem emersit.

Comparatio Floriana memorabilis est, nec minus rationis quam elegantiæ habet: Quod in annua cæli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic cum Romanæ dominationis, id est, humani generis conversione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est. *Ortus, occasusque* siderum, & τροπὰς, pro varia cursus aspectusque mutui ratione, præsertim in solennibus & statis periodis, tempestates movere notum est. ita in reipublicæ flexu & periodis, varia est siderum ad invicem habitudo & lucta, ut sic dicam, donec in amicam & harmonicam novæ constitutionis seriem ordinentur. Possis enim in hoc cælo sidera dicere, Joves, Martes, Mercurios, Saturnos, & sic deinceps, ingenia illa, quæ se mutuo sibi ad eum modum, quo mathematici de Planetis loquuntur, opponunt aut componunt. Quinimo reperiuntur, qui ipsis naturalibus astris non minimam in convertendis aut evertendis imperiis vim tribuunt: *eadem sc. vanitate*, qua olim L. Tarutius Firmanus, urbis Romæ genesin interpretari, & fata ejus canere, non est veritus, ap. *Cic. 2. de divinat.* 47; *eodemque successu*, quo Valens mathematicus ausus est, condita nova Roma, sive Constantinopoli ἐπὶ τῷ

 γενέθλια-

γενεθλιακῶ τῆς πόλεως συντάξαι θεμάτιον, natalitium thema constituere urbi, apud *Zonaram*. Tom. 3. p. 7.

Atque ita perventum eſt ad illuſtriſſimam illam Auguſteam pacem: ad cujus augendam gratiam tot tumultus præceſſerant: i. e. ad ipſam imperii Romani ſummam ἀκμὴν: quam Chriſtus naſciturus & mox natus, ſui Evangelii initiis & propagationi conſecravit & accommodavit. Memorabili conſideratione eam rem tractat *Euſebius* 1. *Præparat. Evang.* 4. & 3. *Demonſtr. Evang. prope finem.* ſummam repetit *Theodorus Metochita Hiſt. Rom. lib. ſing. p.* 4. Ut dubitari non debeat: *Monarchiam illam Romanam orbi ſalutarem fuiſſe, ſublatis & ſub unius poteſtatem redactis tot diſcordibus Principatibus.* Sed hæc ſententia virorum magnorum, non debet aut poteſt eorum vel ambitioni vel adulationi patrocinari, qui adhucdum Univerſales, quas vocant, Monarchias vel ſperant, vel ſperantibus commendant. Singulare prorſum, & peculiaris οἰκονομίας divinæ fuiſſe, totum iſtud ſummorum imperiorum negotium, impius eſt, qui non credit ſacris litteris; abſurdus, qui non ex re ipſa intelligit.

Sed nec eo valere debet iſta obſervatio, ut Auguſti bella civilia & varia dominationis parandæ flagitia inde excuſationem aut veniam petant. Diximus alibi, quid de illis ſentiendum ſit. hic, diſtingui debent humana opera à divinis. Voluit Deus reſtituere rem Romanam, & imperium iſtud ad ſummum faſtigium, certas nec unas ob cauſſas, evehere. Ergo ex ipſa confuſione, & confinio exitii erexit res perturbatas & collapſas. ut in hoc rerum tranſitu, quidquid vaſtatur, corrumpitur, prave perverſeque geritur, hominum, ipſiuſque Octavii, varia hic delinquentis, opera ſint; quidquid è diverſiſſimis originibus ad lætos bonoſq; fines emergit, quicquid inſtauratur, reſtituitur, firmatur, id omne divini ſit & operis & muneris. Habuit ſua propoſita Auguſtus; tenuit ſuum conſilium Deus; & illa huic ſervire coëgit. De cetero, omnis hujus philoſophiæ laus eſt, ut poſtquam agnoveris ſingularem Dei curam circa res imperiorum & præſertim circa inſignes mutationes verſari, ſimul fatearis, arcana illius curæ humanis conſiliis & judiciis non poſſe penetrari.

De

De bello Mutinensi

ad

Flori lib. IV. Cap. IV.

P*Rima civilium motuum caussa* (post Julii cædem scilicet) *testamentum Cæsaris fuit; cujus secundus heres Antonius prælatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis susceperat bellum.* Ita orditur *Florus* historiam tumultuum, de quibus cap. præced. dixerat. *Caussam præcipuam* omnium Antonii molitionum, & quas postea dedit, turbarum subinnuit magis quam exprimit, *cupidinem nimirum dominandi, qua sola scilicet Cæsari Julio comparandus erat,* judicio *Ciceronis Philip. 2. cap. ult.* Hinc illa adversus Octavii & hereditatem & adoptionem æmulatio. quam dissimulat ab initio quantum ad hereditatem attinet, *in Oratione funebri,* qua Cæsarem laudavit, apud *Dionem* 44. dum adhuc sperabat, Octavium non ausurum adire nomen invidiosæ Cæsaris fortunæ.

Illud *inexpiabile bellum* adversus Cæsarem Octavium susceptum non arma modo, sed omnis generis inimicitas, injurias, æmulationes prævias complectitur. Cum primum enim Cæsar Apollonia Romam rediisset, & apud Antonium mentionem depositi, cujus curam Julius Antonio, ut amico & collegæ commiserat, injecisset, Antonius despicatui eum habens, ut puerum, insanire eum dixit, neque bonis uti consultoribus, & φορτίον ἀβάστακτον αἱρεῖσθαι τὴν τοῦ Καίσαρος διαδοχὴν, *onus cui impar esset subire, dum in Cæsaris fortunam & bona vellet succedere.* Ita summatim *Plutarchus in Antonio. Appianus* fusius *l. b. 3.* ἐμφυλ. ubi utraque oratio Cæsaris ad Antonium callida, Antonii ad Cæsarem contumeliosa legi potest.

Mirifice absurdus fuit Antonius, quod non intellexit, esse quidem Octavium *adolescentem, ac pæne potius puerum, sed incredibili atque divina quadam mente ac virtute* (ita Cicero) *Philipp. 3.* adeoque longe majoribus artibus instructum, quam pro

ætate

ætate: quam *intra decem & octo annos teneram, obnoxiam & opportunam injuriæ credebat, ipse pleno ex commilitio Cæsaris dignitatu.* neque sane negari potest, aut obscurari illud Cæsaris commilitium, in quo Antonius multa & strenui militis & egregii ducis experimenta dedit, adeo ut Cæsar cum in prœlio Pharsalico sinistro in cornu curare juberet. *ὡς πολεμικώτατον τῶν ὑφ᾽ ἑαυτῷ ut bellicosissimum suorum*, referente *Plutarcho in Antonio.* Verum enimvero sicut in bello, ita in civilibus contentionibus nemo facilius vincitur, quam qui adversarium contemnit & contemtum irritat.

Certe hæc ipsa fuit Octavio Cæsari emergendi ad favorem publicum occasio. Cum enim Antonius *lacerasset furtis hereditatem, ipsum insectaretur probris, cunctis denique artibus cooptationem Juliæ gentis inhiberet*, juvenis *& ætate & injuria favorabilis* factus est, Antonius vero in maximum adductus odium. Hæc prima utrinque victoriæ & cladis momenta pariter ac omina fuere.

Ibimus breviter per seriem inimicitiarum. Antonius non contentus intervertisse depositam ad Opis à Julio pecuniam, illexit alios, qui de bonis Cæsaris plurima, ut sua repeterent. cumque partim apud Antonium, partim apud Dolabellam collegam causæ illæ agerentur, semper condemnatus est Cæsar. Sed & alii judices in gratiam Antonii ubique secundum adversarios Cæsaris caussam dabant, frustra instrumenta emptionis producente Octavio; frustra SC. quo Julii acta confirmata sunt, invocante. Antonius quippe eludebat illud SC. ut in speciem & temporis gratia factum.

Verum Cæsar, tum omnia alia patris Julii, tum præsertim artem parandæ apud multitudinem gratiæ didicerat. Itaque non modo, quæ ex divenditis Julii bonis comparaverat, sed propriam insuper pecuniam maternaque & Vitrici bona largitionibus effudit in populum: quem ea liberalitate ita inescavit, ut statim suam illi cum voluntate operam dicaret, Antonio autem Cæsarisque adversariis dira ominaretur & minaretur.

Non destitit autem Antonius ipsum variis contumeliis affice-

afficere; donec animadvertit, Cæſaris preces plus potuiſſe apud populum & milites, quam ſuam auctoritatem & dignitatem. Tum enim metu majoris mali, Tribunis præſertim in præſidio Antonii, qui olim ſub Julio militaverant, admonentibus, rediit cum Octavio in gratiam; ſive potius imaginem & ſimulacrum gratiæ uterque præbuere, cum interim voluntatem vindictæ & exequendæ acerbitatis alta mente repoſitam retinerent. Eaque fraude Antonius hoc lucratus eſt, ut, invito Senatu, ſuffragante Cæſare, Gallia, Decimo Bruto ante decreta & jam inſeſſa, ſibi decerneretur provincia. nam hanc ſuarum adverſus remp. molitionum ſedem diſpexerat, exemplo maxime & omine Julii ductus, qui inde ſuas adverſus Pompejum & rempubl. vires feliciter concitaverat.

Speravit Cæſar memorem recentis gratiæ Antonium, neque ſuis deſideriis in re ſimili defuturum: ſed edictis & conſulari imperio ejus, mox tribunatu, quem plebs Cæſari deſtinabat, excidit. Unde Cæſaris querelæ apud veteranos, miſſique, qui iiſdem ſermonibus Antonianos milites clanculum imbuerent. donec eorundem, qui antea reconciliaverant gratiam, tribunorum ope nova ſpecies concordiæ in Capitolio conſarcinata, ſed mox mutuis utriusque criminationibus interrupta eſt.

Inter hæc advectæ è Macedonia legiones, in quibus Antonius plurimum habebat ſpei. Igitur Cæſar, ne opprimeretur ab armato jam Antonio, pecunia & comitate Veteranos paternos excivit è Calatia, Capua, Caſilino: ſed & mox legionibus duabus Martia & Quarta ab Antonio ad ſe transfugientibus auctus eſt: Senatu, qui hactenus inter Antonium & Cæſarem fluctuabat, non aſpernante hujus miniſterium ad illum opprimendum; cujus turbulentæ molitiones ad convulſionem reipubl. ſpectare videbantur.

Gratulabatur ſibi tacite de illa occaſione Cæſar: & licet ſatis intelligeret, non tam favore in ſe, quam Antonii

odio Senatum paulatim ad se inclinare, tamen honesto titulo ulturus inimicum videbatur. Processitque res ex voto. Cum enim Antonius Decimum Brutum Gallia expellere conaretur, sibique eam decretam à populo provinciam contenderet, Brutus à Senatu sibi datam regereret, non diutius arma continuit Antonius, sed Brutum Mutinæ, in quam se urbem is receperat, obsedit. Tum ergo novis Coss. referentibus, post multam deliberationem Senatus Antonium hostem judicavit, Cæsaremque cum Hirtio & Pansa Coss. bellum adversus ipsum gerere jussit. Factum hoc præsertim auctoritate Ciceronis: qui gravissima eloquentia in Antonium invectus Senatum huc impulerat. lib. 45. Describit orationem *Ciceronis* prolixam *Dio*, quæ veluti summam & argumentum *Philippicarum*, quas ab ipso Cicerone habemus, continet.

Cæsari autem neque dignitas à Senatu oblata, neque lætitia integra fuit ac sincera. quippe cum eodem tempore, Brutianas Cassianasque adeoque Pompejanas partes augeri provehique à Senatu animadverteret. Sed abstrusit interim suam offensionem: *obsidio Mutinæ liberat Brutum, Antonium exuit castris.* ita enim breviter Florus, ut cetera omnia, hactenus ex *Dione* & *Appiano* præsertim, explicatius proposita. Quod mox peculiare additur de *aquila à moriente signifero Cæsari tradita, & ab eo relata*, etiam *Suetonii* testimonio firmatur, cujus ex *Aug* 10. hæc sunt verba: *altero prælio, satis constat, Cæsarem non modo ducis sed etiam militis functum munere* (h. e. quod Florus ait: *tum quidem etiam manu pulcer apparuit*) *atque in media dimicatione, aquilifero legionis suæ graviter saucio, aquilam humeris subiisse, diuque portasse.* Tanquam rem miram referunt Historici: quia signa Romanorum gravia lacertis & robore indigerent majori, quam quod in ætatem Augusti competebat.

Atque hæc hactenus summatim: nunc quædam seorsum ἀξιομνημόνευτα πολιτικὰ ex historia hujus belli annotabimus. Dubitari ab initio potest, *an prudenter Octavius adierit hereditatem Julii?* Affirmarunt quidam olim, ex solo eventu prosperiore, veniam facto ratiocinantes. quos non

non immerito arguit *Dio*. Nostrum judicium expressimus in *Charact. Vellei. cap.* 2, 70. Quid sentiendum *de concitis à Cæsare per largitionem veteranis, de corruptis Antonii militibus, de fascibus & jure pratoris occupatis, de simulata Pompejanarum gratia partium:* satis diximus in *annot. ad c.* 10. *lib.* 1. *Annal. Tac.* *lib.* 45.

Considerabimus jam Senatum. Quomodo is se gessit inter hos tumultus? Respondebit *Dio: Neminem unum fovebat Senatus, sed modo hunc in aliqua re, modo illum in alia adjutabant; nunc pro illis, nunc contra illos decernentes agentesque.* Atque id quidem infelix consilium fuit. *Quid debebat igitur potius facere Senatus?* Respondebit idem Historicus: *Debuissent unum aliquem rebus præficere, qui optime de rep. sentiret, eumque per omnia adversus cæteros adjutare.* Dubites tamen, an exhauriat hoc judicium difficultatem negotii in tam confuso reip. tempore statuque. *lib.* 46.

Hac occasione quæri potest: *An ex Pompejanis Brutus, Cassius, aut alii, melius senserint de rep. quam Antonius & Cæsar, qui dominatum, extincta libertate, haud dubie cupiebant?* Rursum *Dio*; *istis omnibus*, inquit, ὑπόθεσις τῦ πολέμυ μία, *unum bellandi propositum erat, statum popularem dissolvere, & dominatum instituere.*

Jam de *Cicerone* aliquid dicendum est. *Quomodo ille se & quam recte gesserit erga Octavium, quomodo erga Antonium? Plutarchus* eum reprehendit, *quod passus sit se ab Octavio circumveniri, nimioque eum studio extulerit.* qua de re aliquid diximus *in Charact. Vellei.* 4, 15. Certe nimio Antonii odio factum est, ut plus quam prudentia tanti viri dignum est, Octavii facta & privata arma non excusaret modo sed commendaret. in *Philippicis* passim. Et tamen postea longe aliter sensit, locutusque est, itidem sc. nimium in alteram partem transgressus, qua de re queritur *Velleius* 2, 62, 6. *vide annot.* 3. *ad cap.* 10. *lib.* 1. *Annal. Tac.* Etiam in persequendo Antonio, studium pro republica suum intemperantia quadam corrupit. Unde ἐπίκεισις *Appiani*: τοσῦτ☉ ἦν οἶστρ☉ αὐτῷ κατὰ Ἀντωνίυ κ̀ ἀπειροκαλία. Non tamen hæc 3. *B. C.*

 adi-

adimere debent Ciceroni laudem τοῦ εὐβούλου καὶ φιλοπόλιδος. ficut *alibi* jam monuimus.

De *pratextibus Mutinensis belli*, ex parte Antonii, egit
46. *Dio* loco à nobis producto *annot.* 1. *ad cap.* 10. *lib.* 1. *A. Tacit.* Octavio speciosissimum prætextum ipse Senatus dedit, cum arma in Antonium dedit. Ita enim privatas inimicitias specie publicorum armorum ulcisci potuit.

De *decretis post bellum Mutinense à Senatu factis*, quæ omnia ad Pompejanos extollendos, & Cæsarem deprimendum spectabant, idem judicium esto, quod supra indicavimus. Nimis inconstanter, & intempestive, & crasse ab una parte in alteram fluctuatum est. Scilicet is tum erat reipubl. corruptæ genius, *ut nova semper cupientes animi potentissimum quemque deprimere, depressum sublevare instituerent; opeque infirmiorum validiores dejicere, & postea hos ipsos, quorum opera in persequendis iis usi erant, pessumdare studerent.* Quem affectum, in ipsis reipub. vitalibus hærentem *Dio* notat 45. p. 312, & 313. idem, qui eventum observat 46, p. 356: *ita enim factum esse*, ait, *ut amicum neminem, inimicos haberent omnes.*

De Bello Perusino

ad

Flori lib. IV. Cap. V.

BEllum Mutinense, excipit in *Floro* nostro *Perusinum*, non quidem, temporis & gestorum ordine; sed vel Scriptoris arbitrio vel descriptoris licentia an incuria dicam. Quippe post bellum Philippense, Brutique & Cassi interitum (de quo cap. 7.) gesta sunt, quæ hic memorantur.

Nam cum in pactione illa oligarchica post victoriam, inter Cæsarem & M. Antonium inita, id etiam contineretur, ut Cæsar veteranis sua secutis signa agros divideret, pretium militiæ, ut *Noster* loquitur: statim *ea agrorum divisio* novum *bellum concitavit.* Quippe & milites optimam quam-

quamq; Italiæ urbem ſibi voto ac flagitatione deſtinabant, & civitates injuriam deprecatæ, pretia inſuper agrorum poſtulabant, multis lacrymis & obteſtationibus ſuæ cauſſæ populum conciliantes. fruſtra id quidem. nam milites, quorum fidem jam licentia pignerare Cæſar inſtituerat, præcipiebant veluti cupitam prædam, & colonias manu capiebant. Neque ſane unquam magis quam per illa tempora, apparuit, *civilibus bellis plus militibus*, *quam* ducibus licere; quod præſertim *Appianus* memorabili declaratione oſtendit.

5. ἐμφυλ. p. 680. & ſeqq.

Ceterum Antoniani, qui in Urbe erant, in deminutionem ſuæ potentiæ accipientes, ſi Cæſar ſolus liberalitate illa deductos in colonias veteranos ſibi obſtringeret, contentionibus primo impetrarunt, ut Antonianos milites ipſi deducerent, quamvis pacto ſuperiori aliud ducibus placuiſſet; poſtea, cum invidiam in Cæſarem creſcere viderent, depulſis agrorum poſſeſſoribus patrocinium oſtentantes, plurimum ſpei in eorum numero & fide reponebant. Acceſſit in partem diſcordiæ alienus Lucii Antonii à triumviratu animus, & inſtinctor turbarum, procurator M. Antonii Manius; hujusque furiis agitata M. Antonii uxor Fulvia; quam *Florus* per errorem, L. Antonii uxorem facit. Nam huic mulieri tanta fuit audacia, ut non tantum munia conſularia impotenter uſurparet, ſed mariti fratrem, quoquo vellet, veluti nare perforata traheret; ad extremum etiam gladio virilis militiæ (ut eleganter *Florus*) cincta, ſignum militibus daret, & concionaretur ap. exercitum.

Ita bellum ex æquo cupientibus Antonianis, primo criminibus de Cæſare ſparſis, quæſitum rei principium; ſed mox concilio Teanenſi Antonianorum ducum ſuppreſſum eſt. Verum quæ concordia inter æmulos dominationis? ſtatim Lucius & Fulvia, prætextu timoris ex potentia & ſatellitio Cæſaris, ille Præneſte, hæc ad Lepidum, ſeceſſerunt. quanquam rurſus tentata reconciliatio, proceribus utriusque exercitus arbitrium litis ſibi depoſcentibus, Cæſaremque & Antonium in jus vocantibus. Quibus

cum obedire Cæſar cuperet, Lucius obediturus videretur, niſi eum Manius in contumaciam efferaſſet, expoſtulante inſtantius legatione militari, locus judicio dictus Gabii, media inter Romam & Præneſte civitas. Venit Cæſar: contemſit venire Lucius cum ſuis; ſpeciemque detrectatæ pacificationi ex ſimulato metu inſidiarum quæſivit. Ergo cauſſa ſecundum Cæſarem data, injuriarum damnati ſunt Antoniani, & bellum utrinque ſtrenue cœpit præparari. Nec omiſit tamen Cæſar compoſita oratione in curia queri, de neceſſitudine miſerrima armorum, ſibi à Lucio impoſita. quem cum fruſtra denuo per legatos Senatus dehortaretur, ſpecioſiſſimum prætextum Cæſar, ſicut voluerat, invenit.

Quod *Florus* dicit Antonium *totius Senatus ſuffragiis judicatum hoſtem*, referri debet ad rejectam à L. Antonio Senatus legationem. cum enim Cæſar in Senatu, ſicut diximus, omnem belli culpam à ſe amoliens, pacis cupidinem oſtentaret, ſenatus per legatos Antonium ad pacem hortatus eſt. qui cum ſperneret Senatus auctoritatem, in offenſionem ejus incurrit: ita ut Cæſaris arma probari viderentur, quia neceſſitatis ſpeciem habebant. Sunt qui credant Florum, M. Antonium cum Lucio confundere. unde alia erroris ratio redderetur *hic*, *&* *ſupra*.

Non eſt hujus inſtituti referre, quotiens & ubi aperto Marte, aut inſidiis; velitatione vel prœlio pugnatum ſit: unum adjiciemus, Nurſinorum fatum; à quibus repulſus primum Cæſar, ſed poſtea per deditionem admiſſus nihil quidem in eos gravius ſtatuit, niſi poſteaquam tumulo peremtorum à Cæſare in prœlio, intempeſtiva ſane κακουργίᾳ inſcripſerunt: *eos pro libertate occubuiſſe*. Tum enim *grandi pecunia*, *&* *quam pendere nequirent*, *multatos*, *extorres egit oppido*. memorante *Suetonio* (*Aug.* 12.) & *Dione* (48. *p.* 416.) qui in eo diſſentiunt, quod *ille* Mutinenſi bello, *hic Peruſino* factum aſſeverat.

Sed compulſus eſt mox Lucius Peruſiam, fatale ſibi, ſed tum neceſſarium receptaculum. Quippe cum Agrippa & Salvidienus captata locorum & inſidiarum opportunita-

tunitate utrinque imminerent progressuro, Perusiam, ut munitam urbem delegit, ubi castris positis hostes interim sustineret vel propulsaret, dum firmiora è Galliis auxilia adventarent. Itaque mira strenuitate & industria non tantum tribus exercitibus (Agrippæ, Salvidieni, ipsius Cæsaris) obsessus est Lucius, sed dispositæ passim, quæ suppetias prohiberent, copiæ, urbsque ipsa ingentis operis munitione circumvallata est. Hinc Perusinis & Lucio, in oppido commeatibus parum instructo omnia in dies arctiora fieri; tentari eruptiones; sperari auxilia; conquiri inutiles cibi; nec famis, nec funerum modus esse.

Ad extremum ab erumpentibus non in spem victoriæ, sed in solatium honestæ mortis, summa vi castra Cæsaris oppugnata sunt, ægreque potuerunt revocari ab exitio, qui morituri exiverant. Lassata ergo & deficiens virtus cum ultra ducis votum & humanæ opis fidem durasset, transfugia paulatim meditari cœpit. Quo Lucius animadverso, præveniendam necessitatem ratus, deditionis consilia agitare cœpit, præsertim cum videret benigne exceptos à Cæsare, qui transiverant. Missi igitur legati veniam à Cæsare postulavere. Cæsar veteranis M. Antonii, in gratiam collegæ, ut præferebat, veniam dedit, ceteros simpliciter in ditionem suam venire jussit, fortunam quam ipse dedisset habituros. Secreto tamen colloquio unum è legatis Furnium monuit, ceteros quoque de sua clementia bene juberet sperare, exceptis, quos peculiariter haberet inimicos. Eam exceptionem gravati plerique, aut omnibus veniam impetrandum, aut inexpiabili certamine in mortem ruendum, à Lucio contendunt.

Quo factum est, ut Lucio de alia legatione cogitanti denique placuerit in Colloquium cum Cæsare venire. Profectus absque feciali præmissos nuntiare jussit, Lucium ad Cæsarem descendere. cumque in conspectum venissent, prior Lucius inhibito amicorum comitatu, duobus cum lictoribus ad castra properavit; & jam vallum ingressurus erat, cum Cæsar modestiam ejus imitatus, & fiduciam, qua se in potestatem victoris permissurus videbatur,

batur, præveniens, extra vallum progressus, integram Lucio consilii libertatem ostentavit.

Peracta mutua salutatione, Lucius de caussis belli pro reip. libertate suscepti magnifice, de præsentis fortunæ angustiis generose, & ita disseruit, ut non sibi sed amicis, sociisque & militibus veniam petere videretur. Cæsar miratus constantiam viri, dignitatis & prudentiæ etiam in illa sorte memorem, magnifica brevitate respondit, effecturum se, ne desideraretur clementia sua adversus deditos, & ipsa deditionis specie culpam, quam verbis amolirentur, confessos.

Postridie egressi Perusia milites à Cæsare venia donati sunt, cum ipso Lucio aliisque nonnullis. ceterum multi utriusque ordinis, qui ab Antonii partibus steterant, necati sive potius ad aram Julio Cæsari sacram veluti hostiæ idibus Martiis mactati sunt. Atque id sævius factum erat, quam victoris gloriæ & indoli competeret. præsertim cum immanitatem facti verborum atrocitate augeret, orare veniam vel excusare se conantibus una voce occur-

Sueton. Aug. 15. rens; *Moriendum esse.* Decurionibus Perusinis interfectis, plebi parcitum est. nisi quod urbs incendio, à Macedonico quodam, excitato conflagravit. *Velleius*, more suo, huic

2,74,4. crudelitati colorem quæsivit, *in Perusinos*, inquiens, *magis*

5. ἐμφυλ. *ira militum, quam voluntate sævitum ducis.* Plane sicut *Appianus* memorat, milites Cæsaris tam diu tumultuatos esse, donec interficerentur inimici Cæsaris, Canutius, Flavius, Clodius Bithynicus aliique. Sed merito ipsi exprobrat Cæsari *Perusinas aras*, *Seneca* 1. *de clem.* 11. Atque hic fuit exitus *belli Perusini*: quod hactenus ex *Dione* & *Appiano* potissimum repetivimus. nam illi vere historiam hujus belli, ceteri compendium potius & summam scripsere.

Caussa hujus belli haud dubie *in æmulatione potentiæ*, ut prædiximus, quærendæ sunt: licet Lucius passim prætenderet *restitutionem τῆς ἀριστοκρατίας* per triumviratum oppressæ (*in orat. ad Cæs. Appian.*) & πατρίου πολιτείας sive *forma prisca liberaque* (*in orat. ad milit. Appian.*) Cæsar autem *vio-*

Lib. 48. *lationem pactorum cum Antonio* jactaret, necessitatemque sibi armorum adferri quereretur. vide *Dion*, Unde apparet, illas

caussas

caussas quas Lucius vel maxime à se *in orat. ad Cæs.* removet, eidem maxime tribuendas esse. Loquitur autem de extinguenda tyrannide & rep. liberanda, & postea subdit: *αἱ μὲν αἰτίαι δι' ἃς ἐπολέμησα, αὗται μόναι. καὶ οὔτε μάνιος, οὔτε φουλβία, οὔτε ἡ κληρουχία τῶν ἐν φιλίπποις πεπολεμηκότων, οὔτε ἔλεος τῶν γεωργῶν τὰ κτήματα ἀφαιρουμένων. Hæ sola sunt armorum meorum caussæ: non autem vel frater, vel Manius, vel Fulvia, vel divisio agrorum militibus Philippensis belli victoribus facta, vel miseratio veterum colonorum, qui suis depulsi agris sunt.* Scilicet hæ ipsæ erant caussæ sua serie connexæ, quas ille caussas negat.

Porro, principium discordiæ Cæsar maturavit, dimissa Fulviæ filia Claudia, Antonii privigna, quam firmandæ cum Antonio societatis reconciliatus post primam discordiam duxerat; juravitque cum repudiaret eam, adhuc intactam & virginem esse. *Sueton.* Aug. 62. *Dio.* Quid de talibus divortiis sentiendum sit, diximus *annot. 9. ad* 10. *lib. 1. A. Tac.* 48.

Est & aliud in caussis belli Perusini considerandis, non prætereundum, occultius Augusti consilium, quod *Suetonius* annotavit: *Extiterunt, qui traderent, consulto eum ad arma isse, ut occulti adversarii, & quos metus magis quam voluntas contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: devictisque his & confiscatis, promissa veteranis præmia persolverentur.* *Aug. 15.* Idque eo verisimilius, quod omnino inter præcipuas caussas illa Augustum ad hæc arma impulit, ut militibus promissa præmia persolverentur. Quare etiam Senatorum agros omnes dividere militibus decreverat, inquiens: *unde enim alias præmia militibus persolvemus?* quasi cum quisquam vel bellare, vel tanta militibus polliceri jussisset. quæ *Dionis* est ἐπίκρισις. c. 48.

Et quoniam in annotandis memorabilibus nunc sumus, non omittendum est inventum Lucii in fame Perusina. cum alimentorum ratione subducta penuriam reperisset, *Servis præberi alimenta vetuit, ipsosque custodivit, ne ad hostem transfugientes necessitates urbis proderent. Appian. 5. b. c. p. 691.* Ita Augustus princeps postea, *magna sterilitate ac difficili*

remedio; *venalitias & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & praeceptoribus, partemque servitiorum urbe expulit. Sueton. Aug.* 42. Qualia plura necessitatis publicæ obtentu excusantur. Videndus *Scipio Amiratus disc. ad Tac.* 12, 3.

Latentis & occultæ custodiæ; quæ inter artes aliquando habetur, bis in historia hujus belli fit mentio: *semel*, cum Lucii amicos deditos Cæsar suis distribuit, monitis prius, ἐς τιμὴν ἀπάγειν ἅμα καὶ φυλακὴν ἄσημον, *ut specie honoris clanculum eos custodirent. Appian.* 5. *B.C. p.* 699. Et postea, cum Lucio Hispaniam committeret, additis legatis *Peduceo*, & *Luceio*, διὰ τῶν ὑποστρατήγων ἐφύλασσεν ἀφανῶς, *per eos clanculum custodivit virum.* memorante *Eodem p.* 703.

An historicum deceat, orationes & litteras aliorum αὐτολεξεὶ referre, an vero sententiam, ut libitum erit, exponere; posset hac occasione quæri, quod *Appianus.* 5. *b. c. p.* 697. cum Lucii ad Cæsarem & hujus ad illum orationes exposuisset, addit: ταῦτα μὲν ἔλεξαν ἀλλήλοις ὡς ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῆς δὲ τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν, τεκμαιρομένῳ τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων. *Latinus interpres* reddidit: *Hæc propemodum utriusque verba in commentariis eorum temporum invenio.* Propius exposueris: *Atque hæc illi invicem dixerunt, quantum quidem ex commentariis sententiam dictorum, verbis licuit & interpretatione exprimere.* Suetonius integras epistolarum partes aliquotiens descripsit. vide *vitam Aug.* 86. *Tib.* 21. & 67. *Calig.* 8. *Claud.* 4, &c. Quanquam de epistolis paulo alia res est, quam de orationibus; quippe epistolas tales ut partem argumentorum & fidei & probationum arcessunt interdum historici. Ita *Appianus*, de quo cœpimus dicere, de epistolis ad Antonium triumvirum scriptis memorat, *se accurate quærentem non potuisse reperire exemplaria fideliter descripta.* De orationibus adi *G. I. Voss. art. histor. cap.* 20. & 21.

De

De Triumviratu.

ad

Flori lib. IV. Cap. VI.

HOc caput *Triumviralem dominatum M. Antonii*, *C. Octavii Cæsaris*, *M. Lepidi* complectitur, cujus *historiam* cum Floro & ex Floro considerabimus primo; postea eam considerationem *ad reip. totius fata contextumque accommodabimus*; denique *excerpta quædam memorabilia*, sicut hactenus consuevimus, adspergemus.

Incipiemus ab *ORIGINE* Triumviratus: quam omnium accuratissime & velut ex alto repetunt *Appianus* 3. ἐμφυλ. & *Dio* 46. uterque extrema libri parte. *Occasio* autem talium consiliorum de ineunda triumvirali ὀλιγαρχίᾳ haud dubie ex eventu Mutinensis belli subnata est. Cum enim Senatus post fugatum Antonium, omnia contumeliosius in Cæsarem, honorifice in Pompejanos decerneret, adeoque nimis intempestive & præpropere suam de opprimendo Cæsare sententiam proderet, statim Cæsar nova præmuniendæ, quam agitaret, potentiæ consilia iniit; cum Antonio fugato clam per internuntios agere cœpit, in quem à Senatu denuo arma acceperat & in speciem præparabat: Romam occupavit, consulatum, invito senatu extorsit, atque inter alios honores iterum potestatem belli adversus Antonium & Lepidum (nam & is interea ob sociata cum Antonio arma hostis judicatus erat) gerendi accepit.

Hic vero consideratis Antonii & Lepidi viribus, difficile sibi adversus duos futurum ratus bellum, opportunam è diverso ex utroque adversus patris interfectores opem sperans, de illis senatui reconciliandis, jungendaque cum utroque potentiæ societate serio cogitavit. *Suetonius* *Aug.* 12. breviter, ut solet, & accurate: *Sed ut cognovit* (Cæsar) *Antonium post fugam à M. Lepido receptum, ceterosq; duces & exercitus*

consentire pro partibus, *caussam optimatium sine cunctatione deseruit; ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se* puerum, *alii* ornandum tollendumque *jactassent, ne aut sibi aut veteranis par gratia referretur.*

Florus statim à *caussarum* expositione, Triumviralem potentiae societatem orditur: Lepidum, inquit, divitiarum cupido, quorum spes, ex turbatione reipublicae: Antonium ultiones de his, qui se hostem judicassent; Caesarem inultus pater & manibus ejus graves Cassius & Brutus agitabant. Atque his quidem unusquisque eorum stimulis incitabatur. At erat *caussa altior & communis omnibus* profunda *cupido dominandi*. dum quisque alterius ope dominatum adquirere, eoque adepto, adjutores collegasque opprimere statuit. Sive, ut clarius dicam, *oligarchiam* interim moliebantur; & ex ejus eventu sibi quisque *Principatum* sperabant. *Dionis* verba breviter expedient nobis, quae de caussis hactenus diximus: τὸ μὲν σύμπαν ἐπί τε τῇ δυναστείᾳ καὶ κατὰ τῶν
Lib. 46. ἐχθρῶν συνώμοσαν. *In universum, de dominatione paranda & inimicis ulciscendis inita conspiratio est.*

Non defuere tamen talia machinantibus, *speciosarum rerum tituli & praetextus.* Quippe constitutam hanc societatem videri volebant, *reip. ex confusionibus temporum & discordiarum restituendae caussa*: πρός τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων, *ad res ordinandas restituendasque*, veluti per ἐπιμε-
Lib. 46. λητάς τε καὶ διορθωτὰς, *curatores atque correctores*, ut *Dio* inter-
4. B.C.p. 590. pretatur. *Appianus* novum hunc magistratum ἐς διόρθωσιν τῶν ἐμφυλίων, *ad emendandas civiles discordias* institutum memorat;
Liv. epit. 120. itidem ad τὰ προφασιζόμενα respiciens. Hinc *Triumviros Reip. constituendae*, favorabili in speciem nomine semet appella-
4. B.C.p. 593. runt. unde edictum triumvirale ap. *Appianum*: cum hac praescriptione: *M. Lepidus, M. Antonius, Octavius Caesar*, οἱ χειροτονηθέντες ἁρμόσαι καὶ διορθῶσαι τὰ κοινὰ, *Triumviri constituendae & corrigendae reip.* &c. Serviebat huic praetextui tum *ipsa reip. perturbatio*, quae medicinam aliquam exposcere, omnium judicio videbatur; tum quia *temporaria potestas* instituta erat, in quinquennium scilicet. quo finito ad libertatem reditura credebatur respublica.

Cete-

Ceterum SOCIETAS *triumvalis ipsa*, nihil est aliud, *quam Antonii, Cæsaris, Lepidi pactio sive conspiratio, qua Triumviros se constituendæ reip. in quinquennium consulari potestate crearunt, & in certas fœderis leges de ordinandis magistratibus, partiendis provinciis, remunerandis militibus, proscribendis inimicis jurarunt.* In hoc velut fœdus pax inter tres duces componitur, ut hoc cum *Floro* jam dicamus. Apud confluentes inter Perusiam & Bononiam jungunt manus, & exercitus consalutant: & ab ipsis vicissim magnis acclamationibus consalutantur, postquam pacta illa Cæsar Consul de scripto militibus, tanquam consciis & testibus adscitis, recitasset. Vide congressum istum, & colloquii per biduum habiti summam plenius expositam *Dioni* 46. *fine*, *Appiano* 4. ἐμφυλ. *principio*.

Fuit autem hæc pactio adversus remp. *injusta*; inter ipsos paciscentes *infida*. utrumque notarunt Historici. Et *Florus* quidem, cum inquit, nullo bono more triumviratus invaditur, satis innuit, præter jura reip. præter fas & æquum, sumtam potius quam acceptam potestatem. Quam malefida fuerit societas, non eventus modo declaravit, sed accurate descripsit etiam *Dio*, qui propositum προσποιητῆς ὁμολογίας *fictæ concordiæ* (ita enim vocat) id fuisse ait, ut, licet summo se invicem prosequerentur odio, tamen mutuo metu retenti & alios interim inimicos mutua ope ulturi, suæ quisque spei & tempori serviret. *lib. 46.*

Cetera descriptio *Floriana* immoratur recensendis FLAGITIIS DOMINATIONIS *Triumviralis*. quorum summa & caput horrenda illa *Proscriptio* fuit. Ac *Florus* quidem rei tam infestæ paulo pressius insistit: numerumque proscriptorum, & varios exitus, & singularia exempla exequitur. *Oppressa*, inquit, *armis republica, redit Syllana proscriptio*. *Sullani exempli malum*, eadem figura *Velleio* dicitur: quia Sylla primus auctor proscriptionis, teste *Plutarcho in Sylla* & *Appiano* 1. ἐμφυλ. p. 409. Unde etiam *Dio lib.* 47. principio, cum Syllani temporis crudelitate hanc triumviralem proscriptionem confert, & majorem judicat. Et *ille ipse Appianus*, non extare in memoriis Romanorum simile *2, 66.* *4, B. C. pr.*

 ex-

exemplum ait, præter Sullana tempora. Eſt autem *proſcriptio* (ut hoc obiter ex deſcriptione Hiſtoricorum adjiciamus) nihil aliud, *quam eorum, qui capitali ſupplicio deſtinati erant, publica & nominatim facta in tabulis conſignatio, ut conquirerentur ad mortem certius & invenirentur expeditius.* Nam quod ad *bonorum ademtionem* attinet, illam hic ferme comprehendunt ſcriptores ſub capitali ſupplicio. Certe divitibus cumprimis proſcriptio illa imminebat, adeo quidem, ut communem iis inimicitiam triumviri indicerent, ſicut *Dio* annotat: quia non aliter militum cupiditates explere poterant. Nec defuere, qui propter villam, aut amœniorem domum proſcripti ſunt, memorante *Appiano*.

4. B. C. Inter ſingularis atrocitatis exempla refertur, *quod Antonius L. Cæſarem avunculum ſuum; Lepidus L. Paullum ſuum fratrem proſcripſit.* quia primi illi, hoſtes judicandos Antonium & Lepidum cenſuerant. Sicut & de cetero multi proſcripti ſunt in gratiam hujus aut illius Triumviri, qui ceteris amici erant. Quippe διαλλαγαὶ δυναστειῶν *permutationes dominationum*, & quod unus alteri tantiſper cuperet obſequi, dum propoſitum obtineret, facile effecerunt, ut contra ſui quisque animi ſententiam, collegis dilectiſſimorum virorum capita veluti venderet ac concederet. Videndus eſt ea de re *Dio* 47. *p.* 375. *&c.* & *Velleius* 2, 67. *Ciceronis* exitium plerique ſeorſum memorarunt, propter Antonii crudelitatem, & ipſam ſummi oratoris celebritatem. caput ejus pro roſtris eminentiore, quam cetera, loco propoſitum diuque ſpectatum eſt: *nec aliter ad videndum eum, quam ſolebat ad audiendum, concurrebatur.* Quæ ſententia *Flori*, etiam apud *Appianum* legitur: πλέιες ὀψόμενοι συνέθεον, ἢ ἀκροώμενοι, *plures ad videndum, quam olim ad audiendum concurrebant.* Cetera caſuum varietas, & miſeria, & inopinabilis viciſſitudo ex *Dione* præſertim & Appiano petenda eſt.

Atque hujus crudelitatis invidiam pleraque ex parte in Antonium & Lepidum transfert *Florus*, Cæſari mitius propoſitum aſſignat. *Hæc ſcelera*, inquit, *in Antonii Lepidiq; tabulis. Cæſar percuſſoribus patris contentus fuit. Hæc quoque, niſi multa fuiſſet, etiam juſta cædes haberetur.* Grave eſt, quod

addit

addit judicium: quis enim rem ne iis quidem, qui fecere, laudatam (*v. Tac.* 1. A.10, 3.) prorsum excuset? Alias etiam *Dio*, Cæsarem, ait, paucos interfecisse, tum quod tantum inimicorum non haberet, , sicut Antonius & Lepidus, tum quod proniori ad clementiam indole esset. Dignus est locus, qui inspiciatur. Videtur interim adversari *Suetonius in Aug.* 27. qua de re aliquid monuimus *in not. Vellei ad* 2, 66. *lib.* 47.

Diximus ab initio, nos hunc Triumviratum non in serie tantum historiæ, sed *in publicorum nexu fatorum* consideraturos. Quod illuc spectat, ut animadvertamus, *corruptam & incapacem libertatis remp. non facile ab oligarchicis δυναστείαις respirare, donec sub unius dominatum reducatur.* Vide magnum hujus consequentiæ exemplum. Utriusque ordinis, Patricii & plebeji factionibus jam antea evenerat, ut in oligarchiam triumviralem reciderent omnia sub Julio, Pompejo, Crasso. Nunc, postquam absolvi non potuit, quod fortuna in Cæsare inchoaverat, reditur iisdem ex caussis, eodem successu eventuque ad alterum Triumviratum: in quo nimirum recruduerant reip. regnum parturientis dolores. Atque cum ad ejusmodi oligarchias ventum est, celerrima mutatione ad regnum aut dominatum unius transitur: quia inter socios potentiæ, nulla diu concordia durare potest. Unde *Tacitus* (1.A. 1, 3.) *Pompeji Crassique potentia cito in Cæsarem; Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere.* non tam historiam subitæ mutationis recensens, quam caussam subinnuens.

Prorsus memorabile est, & indignum, quod hic prætereatur, *Appiani* judicium: καὶ τάδε ἐγίγνετο, οὐκ ἐν ἰδιώτιδι πόλει, οὐδὲ ἐν ἀσθενεῖ καὶ σμικρῷ βασιλείῳ, ἀλλὰ τὴν δυνατάτην, καὶ τοσούτων ἐθνῶν καὶ θαλάσσης ἡγεμονίδα διέσειεν ὁ θεὸς, ἐκ πολλοῦ ἄρχ' ἐς τὴν νῦν καθισάμενος εὐταξίαν. *Atq; hæc eveniebant non in vulgari urbe, aut parva minusve potente regia; sed potentissimam tot gentium terraque & maris dominam Deus ita concussit, dum veluti per ambages ad præsentis status disciplinæque decus eam provexit, atque in solido locavit.* Sed de illis conversionibus supra aliquid dictum est *ad cap.* 3. Hic sufficit 4. b. c.

Hic sufficit notasse; *hunc tam tristem crudelemque triumviratum, Dio restaurationem reip. meditante, ad nova pacis statusque firmitatem, per dissimilima omnia viam tamen aperuisse.*

Verum hæc ad sequentis temporis contextum pertinent: ex antegressis, vel maxime hujus considerationis est, *exempli mali consequentia.* Nemo ante Sullam proscriptionem noverat: post Sullam inventi sunt, qui certarent cum Sullæ sceleribus, eaque vincerent. Nam hoc præsertim mali in se habent prava exempla, quod non imitationis modo libidinem movent, sed superandi contentionem injiciunt. quod graviter in hoc argumento *Dio* observat. cui suppar est in simili exemplo *Velleius* 2,4, 3 & 4. ubi velut ad locum communem annotat: *Non enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt, & ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur.* Confer, quæ Cæsar de exemplo Sullanæ proscriptionis disserit apud *Sallust Catil.* 51.

Si ad singula eundum esset, inter funestos partus Triumviralis oligarchiæ non proscriptionem modo & similia referremus, quæ statim acciderunt; sed *bella etiam civilia*, quæ postea plures per annos lacerarunt rempublicam, præsertim discordiam Cæsaris & Antonii. Quippe cum & *Lucanus* 1. *Pharsal.* inter caussas civilium Pompeji Cæsarisque armorum, Triumviratum illum, sive Tricipitinam, quam Cato vocabat, Julii, Pompeji, Crassi referat. Noti sunt versus:

Facta tribus dominis communis Roma; nec unquam
In turbam missi felicia federa regni.

id quod amplius ibi explicatur. & ὑπόθεσις singulorum jam *supra* annotata est. Pacti enim sunt illam societatem, δόξῃ μὲν ὡς καὶ πάντες ἀπὸ τῆς ἴσης ἄρξοντες, γνώμῃ δὲ, ὡς καὶ αὐτὸς ἕκαστος πᾶν τὸ κράτος ἕξων, *specie quidem communis & ex æquo à tribus administrandi imperii, proposito autem non alio, quam ut unusquisque sibi omnem soli potentiam destinaret.* ut hoc *Dionis* verbis dicam *pr.* 47.

Superest, ut memorabilia quædam subjiciamus iis, quæ dicta sunt. Ac primo quidem non prætereundi sunt

colores

colores & prætextus juris, quos impotentiæ & crudelitati suæ triumviri accommodarunt. Quippe cum leges omnino conculcaret is Triumviratus, tamen legitimum videri voluerunt: cumque sponte esset ab ipsis occupatus, tamen completa jam armatis urbe, tribunumpl. legem ferre jusserunt, *de novo magistratu creando, atque ut triumviri constituendæ reip. in quinquennium consulari potestate essent Lepidus, Antonius & Cæsar. Appianus 4.* ἐμφυλ. *p. 593.* ubi addit: *potuisse hunc magistratum* ἐπὶ καταστάσει τῶν παρόντων institutum Græce *Harmostarum* titulo appellari, quia idem nomen apud Lacedæmonios datum sit τοῖς καθισταμένοις τὰ ὑπήκοα. Jam quid de *Edicto triumviralis proscriptionis* dicemus? id abundat talibus coloribus, *quasi in pessimos quosdam, nec ultra, publicæ tranquillitatis ergo animadvertendum esset.* Vide *Appianum*: qui solus *id edictum in ipsa formula* descripsit. Unum adjiciam, infame exemplum *calumniæ, jurisque cavillatorie subversi pariter* ac delusi. *Inter alia* (inquit *Dio*) *quæ contra jus & æquum acta sunt, puerum quendam virilem togam sumere jusserunt, ut tanquam vir ab ipsis posset occidi.* En *repertores novi juris!* quo titulo infamat *Tacitus* Tiberium, ob similem calumniam, 2. A. 30, 5. *cum enim vetere SC. quæstio in caput domini prohiberetur, Tiberius mancipari singulos actori publico jubet: scilicet ut in Libonem ex servis salvo SCto quæreretur.* Quanquam longe crudelius est, quod de *immaturis puellis Suetonius* tradit *Tib. 61. Illæ* enim, quia *more tradito nefas esset, virgines strangulari, vitiatæ prius à carnifice, dein strangulatæ sunt.* Adde *Tac. 5. A. 9. 3.* 47, p. 376.

Inter ultima ejus temporis mala numerari debet, quod vel luxisse interfectos capitale fuit, adempto humanæ sortis naturæque commercio. Neque minus, ex diversa parte, vis allata mentibus, cum funesta tot luctibus civitate publica indiceretur lætitia, & quidem sub mortis pœna, memorante *Dione* 47. p. 381. Sed hæc ad *crudelitatem* Triumviratus spectant: dicendum est aliquid etiam de *avaritia*. De proscriptorum bonis, *uxoribus quidem dotem, liberis maribus decimam, femellis vicesimam* promiserant Triumviri. paucissimis servata est promissio, ceteri ultro expilati.

lati. *Dio ibid.* Successit mox in consulatu Lepidi *altera proscriptio*, quæ non vitam, sed bona proscriptis adimebat, idque prætextu imminentium bellorum fiebat. *Dio* 47. p. 383. Proscriptæ sunt, præter viros, MCCCC. feminæ ditiores, ut bona professæ, de iis bellorum sumtus conferrent, quantum Triumviris videretur. Quo tempore Hortensiæ cujusdam constantia eluxit, quæ ceteris mulieribus ducem se præbens, deprecatione apud cognatas triumvirorum frustra tentata, ipsos cum suo agmine triumviros adire ausa est, iniquitatemque ejus proscriptionis, tum aliis rationibus, tum præsertim hac dequesta est: *nunquam feminas tributa contulisse, quibus vel sexus apud omnes mortales, immunitatem præstet. Contulisse quidem semel progenitrices ipsarum, supra sui sexus sortem, periclitante ob imminentes Pœnos imperio & Rep. universa; sed contulisse sua sponte, non ex prædiis aut dotalibus pecuniis, sine quibus nulla feminis honeste vivendi facultas, sed ex solo muliebri mundo, idque non ad censum certum, aut sub periculo delationis, aut allata vi ac necessitate, verum, quantum ipsis collibuisset.* Digna videbatur ratio, quæ ex *Appiani* 4. ἐμφυλ. p. 608. excerpta, ad insigniorem observationem & disquisitionem hic extaret.

De Bello Cassii & Bruti.

ad

Flori Lib. IV. Cap. VII.

TRiumviratum & crudeles proscriptiones mox secutum est bellum, quod *Philippense* dixerunt; gestum à Cæsare & Antonio contra interfectores Julii præcipuos *Brutum & Cassium*; sicut ex pacto triumvirali destinatum erat. Sed *Florus* altius orditur utriusque consilia & fata. *Brutus*, inquit, *& Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem, depulisse regno videbantur; sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdidere.* Gravi judicio propositum eventumque infelicissimæ conspirationis ostendit.

cujus

cujus errata & flagitia breviter, & per signata illis verbis vestigia, repetemus.

Multum in *tempore & statu & reip. fato* ratiocinando aberrarunt: i. e. valde absurde primam illam sub Tarquinio rempublicam, cum hujus temporis facie compararunt. Præter caussas alibi notatas (vide *annot. 6. ad cap. 9, lib. 1. A. Tac.*) plane illustris est *Dionis* observatio, quam transcribere libet: ὁμοφρονῆσαι μὲν γὰρ ἐν τῷ καθεστῶτι τρόπῳ τῆς πολιτείας οὐκέθ' οἷοί τε ἦσαν. οὐ γάρ ἐστιν ὅπως δημοκρατία ἄκρατος ἐς τοσοῦτον ἀρχῆς ὄγκον προχωρήσασα σωφρονῆσαι δύναται, πολλοὺς δ' ἂν ἐπὶ πολλοῖς καὶ αὖθις ἀγῶνας ὁμοίους ἀνελόμενοι, πάντως ἄν ποτε ἐδουλώθησαν, ἢ καὶ ἐφθάρησαν. *Neque enim in eo, qui tum erat reip. statu conservari concordia poterat. Nam nec fieri solet, ut in populari imperio ad tantum potentiæ fastigium evecto populus moderari animo suo velit. Quo effectum esset, ut multa ob varias caussas similes bella exorta vel subjugassent denique omnes vel perdidissent.* lib. 47.

Unde *Appianus* intempestivum libertatis vindicandæ sive studium sive prætextum agnoscit in utroque. ἦν τε πρόφασις αὐτοῖς τῶν πόνων καὶ ἐπὶ Πομπηίου καὶ νῦν, οὐχ ὑπὲρ σφῶν αὐτῶν, ἀλλ' ὑπὲρ δημοκρατίας, ὄνομα τὸ εὐειδὲς, ἀλυσιτελὲς δὲ ἀεί. *Prætexuerunt quidem suis conatibus & Pompeii tempore & nunc, non suam utilitatem, sed libertatem reip. speciosum sane, sed non semper utile nomen.* Cumprimis autem non potuit aut debuit viris bonis placere, quod cum flagitio tanto esset conjunctum. Erat enim illud parricidium ἄγος οὐδὲ ἁπλοῦν. οὐδὲ ἐν ὀλίγῳ. *Amicum adorti erant, ex improviso; benefactorem & servatorem sustulerant ingratissimo animo; imperatoris sanguine per nefas se commaculaverant; & quidem in curia pontificem, sacra veste amictum, principem eminentissimum, patriæque & imperio præ omnibus utilissimum obtruncarunt.* Quæ momenta sceleris rursum *Appianus* colligit. 4. ἐμφυλ. p. 667. Ibid.

Igitur ex illo sanguine nova bellorum & tumultuum seges enata est: statim auctores cædis tractura erat ruina publica, nisi ἀμνηστία esset decreta, auctore cummaxime *Cicerone*, cujus gravissima eam in rem extat oratio apud *Dion. 44.* Sed *vindicta Cæsaris dilata potius* illo SCto *quam*

 oppressa

oppressa est; ut hoc verbis *Flori* efferamus. Recruduerunt mox animi populi & militum, tanti Principis necem ægerrime ferentium. Itaque *Brutus* & *Cassius ne publici doloris oculos ferrent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant Cæsare datas, Syriam & Macedoniam concesserunt:* sive potius, cum nondum adesset tempus in provincias succedendi, tanquam ad annonam curandam profecti urbe, cum interim mutato SCto Syria & Macedonia Antonio & Dolabellæ essent decretæ, Bruto autem Cassioque Cyrene & Creta, contemtis tenuioribus istis provinciis, armis occupare statuerunt utramque prius sibi destinatam provinciam. Quod & factum est.

Cæsar ergo vindicandæ patris neci intentus, Lepidum ad urbis & Italiæ tutelam relinquit, cum Antonio autem adversus Brutum Cassiumque expeditionem suscipit. (Conjunge cum *Floro*, *Dionem* 47. p. 386.) Illi interim Cæsaris potentiam & inimicitiam satis tempestive veriti, multis rebus in Syria & Lycia gestis magnam sibi gentium & pecuniarum vim comparaverant, sedemque bello Macedoniam speculati, apud urbem Philippos, loco valde sibi opportuno, quem *Appianus* & *Dio* describunt, consederant. Florus *eandem harenam*, quæ *Pompeio fatalis* fuit, existimat. ejusque sententiæ firmatores sunt ex poëtis ii, quos *Cl. Freinshemius* annotavit, & *Lipsius ad Vellei.* 2, 70. ubi omnes ex æquo arguit, & erroris arcessit, cum alterum prælium apud *Philippos Thessaliæ*; hoc apud *Philippos Macedoniæ sive Thraciæ primæ* commissum satis constet.

Magnitudinem prœlii, quod secutum est, diversimode designant Auctores. *Dio*, *maximum* è civilibus præliis haud dubie censendum asserit, non quidem multitudine aut virtute pugnantium (quod tamen *Appianus* asserit) sed quia tum de libertate Romana decertatum, omneque jus populi hac pugna, in perpetuum, expugnatum sit. Uterque prodigiorum quoque varietatem & minas in partem argumenti trahit. Sicut & *Florus* noster; itemque *Manilius* fine 1. ἀστρονομικῶν; *Plutarchus in Bruto*, aliique. Adjici possunt & omina, quæ *Valerius Maximus* 1, 5, 7 & 8. interpreta-

[Margin: 47. p. 399.]

[Margin: 4. ἐμφυλ. fine.]

pretatus est. Mirum cumprimis est, & cum Bruti *malo genio* comparari potest, si verum est, quod de specie Cæsaris Julii Cassio oblata idem *Valerius* memorat 1, 8, 8. An conscientiæ parricidialis horror figuravit istas Furias: an divina Nemesis præmonstravit? utrumvis dixeris, unam fati horribilis originem demonstraveris. De melioribus ex parte Octavii ominibus, & præsertim *Artorii somnio* notavimus aliquid ad *Vellei*, 2, 70. ita tamen, ut considerandi potius occasionem suppeditaremus, quam definiendi fiduciam nobis vindicaremus. Non existimamus interim temere rejiciendam *Lactantii* de talibus sententiam: qui præstigiis diabolorum isthæc apud gentiles tribuit (2. instit. Divin. 17.) *Quoties alicui populo vel urbi secundum Dei statutum boni quid impendet, illi se facturos vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis pollicentur, si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur.* vide quæ sequuntur, ubi tamen non est arripienda temere, quam de *Geniis* habet, hypothesis; neque nulla exceptio statuenda.

Instructa utrinque acie, instincti sunt exercitus, ducum, legatorum, centurionum orationibus, quales rei præsentis discrimini, & futurorum expectationi convenire videbantur. nam hunc stilum designat *Dio*; & in forma, ut sic dicam, ipsa, exhibet *Appianus*. In conflictu ipso par utrinque *animorum ardor*; *par discrimen*; atque, ut *Dio* inquit, *utraque pars & vicit & succubuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassii.* Brutus Cæsaris cornu profligaverat; Cassius ab Antonio fusus erat. Sed plenam tamen Cæsarianis *victoriam error dedit*; sicut recte *Florus* judicat, & explicat. Erat quidem animus Bruto instaurare vires, sed à fortuna desertas partes neque milites jam tueri volebant.

Magnam vim fortunæ agnoscit in hoc eventu *Florus*: quippe, *quamvis duces non essent præsentes, quorum alterum corporis ægritudo, alterum metus & ignavia subduxissent, stetit tamen pro partibus invicta fortuna & ultoris, & qui vindicabatur.* Ita quidem ille, de ducibus: alii aliter. nam plerique virtutem Antonii in hoc prælio extollunt; Cæsarem

quamvis ægrum, lectica circumlatum per ordines memorant. Quod de fortuna utriusque partis adjicit, rectissime facit; quamquam vim sententiæ communis plerumque non satis capiant gentiles, etiam qui usurpant. *Fortuna ultoris* ergo, post eventum facile ita appellata à scriptoribus, nobis notabit nunc illam destinationem Dei, qui Brutianas Cassianasque partes per Octavium ulcisci, imperium autem Romanum statuerat instaurare. *Fortuna ejus qui vindicabatur* nihil aliud erit, quam imminens parricidis ultio ob iniquissimam cædem Julii Cæsaris: ex eadem Dei destinatione, qui tantorum exempla scelerum nunquam impunita patitur. Nam huc recidit tanquam una vis duplicis formulæ. Unde *Appianus*: ἀλλὰ καὶ τοιοῖσδε οὖσιν αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος τὸ ἐς Καίσαρα. *Licet tales i. e. eximii de cetero essent* (Brutus & Cassius) *tamen ipsorum cœptis per omnia adversabatur ubique scelus in Cæsarem admissum.* Sive ut *Velleius* παραλλήλως, de *Bruto* 2, 72. 1. *Hunc exitum M. Bruti partium fortuna esse voluit; corrupto animo ejus in diem, qua illi omnes virtutes unius temeritate facti abstulit.* Et utroque gravius *Dio* 48. *principio*; *Ita*, inquit, *Brutus & Cassius interiere, iis ipsis, quibus Cæsarem interfecerant, gladiis peremti. Quod & ceteris sceleris tanti sociis accidit. quorum quidam antea, quidam tunc, quidam postea perierunt. Scilicet ita postulabat justitia, & Deus ordinabat, ut ad eum modum interirent interfectores benefactoris sui virtute & potentia longe eminentissimi.*

4. ἐμφυλ. p. 667.

Præter hanc altioris caussæ considerationem, duo adhuc notari debent, sive errata sive improspera consilia, quæ cladem istis partibus maturarunt. *Primum* enim debuissent vel Magni Pompeii casu edocti perstare in *consilio trahendi belli*: quippe summa dispositio militiæ est, fame potius quam armis hostem frangere. Jam autem Cæsaris & Antonii exercitus ex sola Macedonia & Thessalia diu ali non poterat: aliunde autem commeatus non patiebatur subvehi Pompeius, ceterique diversarum partium. *Alterum* errorem *Dio* notavit: quod in disponenda acie non satis attenderunt, *quem cui opponerent*, quod inter præcipua ad victoriam momenta rerum militarium scriptores ponunt.

Lib. 47.

ponunt. Existimat ergo, si Brutus Antonio, Cæsari oppositus esset Cassius, æquis viribus staturum fuisse certamen, nunc & Cæsarem infirmum facile à Bruto pulsum; & Cassium ab Antonio, cui impar bello erat, non difficulter superatum esse. Potest addi *repentina desperatio Cassii* quam conscientiæ opprobrantis vexatio haud dubie celeraverat.

Exitum Bruti & Cassii, *Florus* noster gentili & Stoico judicio ad virtutem & constantiam refert. *Appianus* & *Dio* rectius: eas manus, quæ Julium Cæsarem violaverant, in sua denique viscera veluti ex furore & amentia perpetrati sceleris conversas. Nihil enim prohibet ita loqui, licet alienæ manus ministerio suam voluntatem expleverint. Itaque talem αὐτοχειρίαν nemo sanus vel excusaverit, vel laudaverit. Et estne omnino ullum genus αὐτοχειρίας, quod veniam mereatur? Ut sub exemplo loquamur, *Quid de iis sentiendum est, qui metu hostis persequentis in fuga aut captivitate urbium, in aquas, in ignes se præcipitabant?* Recte eos facere, nemo dixerit. Sed sine προαιρέσει tamen & consilio videntur agere, neque id facere, ut exitium accersant, sed ut iminens urgensque malum evitent. Inquis: quomodo possunt exitium vitare? Respondet *Curtius* & exemplo responsum confirmat 4, 15. *ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare cœperunt.* quasi diceret, ingentis pavoris hanc esse indolem, ut non patiatur de alia re homines cogitare aut judicare, quam de ipsa pavoris caussa, & vi urgentiore. Itaque in talibus casibus nemo prudens statim αὐτόχειρας appellaverit, qui dum hostilem gladium aut libidinem effugiunt, in exitia alia, metu cæci, ruunt. Recordare exempla nostri temporis, & gemitu potius prosequere, quam convitio, ingenia casusque sumarum calamitatum, quas nec nominare sustineo.

Quid hominis fuerit uterque de cetero, Brutus & Cassius, aliquoties instituta comparatione ostendit *Appianus, quarto Civilium.* cui addendus est *Plutarchus.* summam elegantissimo charactere συγκεφαλαίῳ complexus est *Velleius* 2, 72. An revera libertatem Romanis voluerint reparare (nam id subinde jactabant) merito dubites. Videturque hic

locum

locum habere de illis temporibus hominibusque judicium *Josephi lib. 1. de bell. Jud, c. 9.* ἕκαστος ἐλπίσιν οἰκείαις ἐχώρει ὃ συμφέρειν ὑπελάμβανε. *unusquisque sua quadam spe ad id, quod utile sibi futurum rebatur, tendebant.* Id quod amplius ostendi posset, si ratio instituti ferret.

Apud posteritatem quoque subinde variatum est judiciis de istis viris; dum alii speciosa libertatis nomina & vota sequi malunt, quam veram rerum æstimationem; alii autem utilitatem Monarchiæ Cæsareæ unice attendunt. Inter quæ ancipitia, media via jam ostensa est. *Brutus* Cassium lamento elogioque quasi ἐπιταφίῳ prosecutus, *Romanorum ultimum* dixit. idque suo judicio in annalibus editis probavit repetiitque *Cremutius Cordus*, sicut ex 4. A. Taciti, 34, 1. & *Suet. Tib.* 61. constat. imitatione scilicet Græcæ sententiæ qua Philopœmen, *Græcorum* ultimus apud *Plutarchum* dicitur. *Dio* quoque huc alludit, cum inquit; τί γὰρ ἄν τις ἄλλο περὶ αὐτῶν ἑκατέρωθεν μαχεσαμένων εἴποι, ἢ ὅτι Ῥωμαῖοι μὲν ἐνικήθησαν, Καῖσαρ δὲ ἐκράτησεν. *Quid enim aliud quis de utriusque partis certamine dixerit, quam succubuisse ROMANOS, vicisse Cæsarem?* Vulgus apud *Tacitum* 5. H. 50. diu postea hanc de Bruto Cassioque & Pompeianis partibus spem fovit: *& mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque remp.* existimavit. Quod prudentum nemo facile crediderit; sicuti jam antea cœpimus dicere.

Dignæ sunt etiam Historicis visæ, quæ annotarentur, *ultimæ Bruti voces*: quarum una *imprecationem in Antonium*, altera, *ipsi factum fato convicium* videtur continere. Post acceptam quippe cladem crebro intuentem sidera dixisse ferunt:

Appian. 4. ἐμφυλ. 665.

Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν.
Ne te, effugiat. Jupiter, qui horum est malorum auctor.

Postea moriturus alta voce illud Herculis ingeminavit.

Dio 47. fine.

ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ'· ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ·
O infelix virtus! quid nisi verbum es? ego te autem
ut rem amplexus sum, cum tu fortunæ servieris.

Quod

Quod *Florus* noster interpretatur : *Non in re sed in verbo tantum esse virtutem.* Constantiæ nomine & prudentiæ ferat has voces gentile judicium : nos miramur & miseramur cæcitatem *sapientissimorum,* quos *Florus* vocat, *virorum.* Nescivisti enim, Brute, quid virtus esset, & inanem pro corpore umbram amplexus, nullos debuisti solidos fructus expectare. Neque vera dicis, cum in Antonium hujus cladis culpam refers: cujus verissima origo in tuo scelere quærenda erat. Et quis ille Jupiter, diras aliis imprecantem audiret, quem tu, devotum jam diris caput, invocabas.

Adjiciendum adhuc aliquid est, *de victricibus partibus.* Præcipua victoriæ laus in moderatione & clementia consistit : quod toties jam monuimus. Itaque ingentis maculæ locum occupat in hujus belli historia, *Suetoniana* annotatio ; qui de *Octavio* ita scribit : *Nec successum victoriæ moderatus est : Sed capite Bruti Romam misso, ut statua Cæsaris subjiceretur, in splendidissimum quemque captivorum non sine verborum contumelia sævit.* & quæ plura ejus generis sequuntur. Quid faciunt, quam fortunam irritant, qui tam insoleniter utuntur victoria.

De bello cum Sex. Pompeio.
ad
Flori Lib. IV. Cap. VIII.

MEmor est *Florus* ejus, quod *supra capite hujus libri tertio* dixerat, rediturum fuisse Pop. R. ad libertatem, *nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar heredem reliquisset, vel, si non superfuisset Antonius.* Hactenus ergo exposuit, quæ Cæsaris hæres Octavius ad ulciscendam patris necem susceperit: nunc *de Pompeio* subjungit; in sequentibus de Antonio expositurus. *sublatis*, inquit, *percussoribus Cæsaris, supererat Pompeii domus.* in uno scilicet *Sexto* : qui è prœlio Mundensi, cujus casus fratrem Cneium absumpsit, *evaserat.* Nimirum *fortuna eum in Celtiberiam interim abscondit, aliisque post Cæsarem* Julium *bellis reservavit,* ut eleganter *Florus* ipse supra 4, 2.

 Ibi

Ibi enim Lacetanorum ope Bæticam invasit, Asinium Pollionem Cæsaris legatum vicit, potitusque regione majora moliturus videbatur, nisi post mortem Cæsaris, Lepidus & Antonius, odio Octavii, pactione recipiendæ paternæ hereditatis eum permovissent, ut Hispania excederet. *Dio 45. p. 312.* Post bellum Mutinense, Senatus, inter alia deprimendi Cæsaris consilia, etiam Sexto Pompeio arbitriũ rei navalis apud Siciliam commisit. *Dio 46. p. 361.* Verum cum Cæsaris vires invalescerent, interfectoresque patris ejus, cum pluribus inimicis, ipsoque Pompeio damnati essent, sed & mox inter proscriptos à Triumviris Pompeius referretur: ille ipse casus erexit firmavitque vitum. Quippe licet præfectura maris jam à Cæsare per speciem judicii & damnationis esset spoliatus, tamen propriis sibi viribus comparatis Siciliam *Dio 47 p. 380.* occupaverat, omnesque proscriptos diligentissime & humanissime ad se invitavit & conquisivit: ideoque dum miseris perfugium ostentat, & gloriam & potentiam suam amplificavit. Victis apud Philippos Bruto & Cassio, Cæsar & Antonius nova pactione imperium & operas inter se partiti, inter alia decreverunt, ut Cæsar adversus Pompeium *48. pr.* bellum gereret.

Atque hoc est initium *belli Siculi cum Sex. Pompeio*, quod Cæsar *inchoavit in primis, sed diu traxit, intermissum sæpius*, teste *Suetonio*, qui *Aug.* 16. seriem breviter, ut solet, sed accurrate annotat. Fusior & pragmatica expositio ex *Dione* & *Appiano* petenda est. *Florus* Noster, prætermissa partium narratione ad *exitum eventumque belli* properat. nisi quod apparatum viresque Pompeii generatim exequitur, adjecta pro more, in favorem Cæsareanarum partium, censoria ἐπικρίσει. Cujus exempla circa hoc ipsum argumentum etiam in *Velleio* & *Lucano* reperimus. Sed percurremus breviter rei gestæ ordinem. Decreto adversus Pompeium bello, L. Antonii tumultus intercessit. ex quo non parum interim virium Pompeio accedebat, plerisque ad eum confugientibus, qui discordiarum civilium pertæsi, caussam ipsius justiorem *Appian. 5. ἐμφυλ. [illegible]* credebant. Certe sunt, qui putent, Italia potiturum fuisse, nisi tum maluisset sua tantum defendere.

Post

Post bellum Perusinum iterum Cæsar & Antonius partiti sunt negotia, ut bellum cum Pompeio, Cæsari; Parthicum Antonio obveniret. nisi quod substitit Antonius in Italia, Cæsarisque adversus Pompeium militiæ socium se adjunxit. Sed dum apparatu belli omnia strepunt, populus fame & exactionibus irritatus pacem expostulabat. quæ quemadmodum coiverit, quæ consilia paciscentium fuerint, cum similibus consideratione dignis, satis explicavimus ad *Tac.* 1. A. 10. *annot.* 5. Neque diu duravit imago illius pacis. quippe Antonio mox in Græciam profecto, uterque & Cæsar & Pompeius prætextus novarum discordiarum & principia belli serebant. de quibus videndi *Appianus* & *Dio*. *Idem* 5. *p.* 709. & *Dio* 48. *p.* 427. 5. *b. c. pag.* 716. *lib* 48. *p.* 438.

Atque inter initia quidem parum videbatur Cæsari favere fortuna. Quippe & apud Cumas non feliciter pugnaverat Calvisius cum Menecrate Pompeiano, & mox duplici tempestate vexata est atque imminuta classis Cæsariana. Quod si tum Pompeius reliquias naufragæ classis aggressus esset, plurimum haud dubie suis opibus momenti adjicere potuisset: nunc neglexit occasionem, vel quod satis afflictum putaret hostem; vel quod victoria uti nesciret; vel quod tuendis, quæ habebat, intentus, ad invadendos hostes segnior erat. sicut *Appianus* judicat. Ita spatium nactus Cæsar, speciosissima classe fabricata in Averno Lucrinoque lacu, opera & sollertia Agrippæ, militem remigemque quotidianis exercitationibus ad summam & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam. *Velleio*, cujus ista verba sunt, adde *Dionem* 48. p 443. Intercessit rursum bello fortuna, classemque Cæsaris apud Veliam Palinurique promontorium tempestate laceravit. Neque sic tamen Pompeius tot hostium naufragiis aliter, quam ad superbiam & inanes fastus uti, animum induxit: in Neptunum se, stulta ἀποθεώσει transformans. Secutum est prœlium ad Mylas inter Agrippam & Democharem, in quo succubuere Pompeiani: quos tamen Agrippa persequi, sive noluit, invidiam Cæsaris veritus, eique majorum rerum gloriam reservandam ratus; sive potius non potuit. Vide *Dionem* 5. *b. c. pag.* 724. 2, 79, 2. *Appian.* 5. *b c. pag.* 729.

49. p. 450. Excepit autem hanc quoque victoriam nova Cæsarianæ classis apud Tauromenium clades, fortuna veluti de industria bellorum vices variante. donec tandem ad ultimum & fatale Pompeio discrimen perventum est.

Cæsar enim discordiam Lepidi jamjam emergentem, Pompeius autem inopiam sibi præclusis commeatibus imminentem, veriti, pugnæ navali rem committere decreverunt. Producuntur utrinque naves numero, instructu, armis apparatissimæ: præludunt remigum varia arte naves versantium certamina; inde pugna missilibus conseritur; donec rebus ad manum deductis cohærentes invicem naves pedestris militiæ speciem præbuere. Insigne ad pugnam & victoriam comentum fuit, Marci Agrippæ harpago sive manus ferrea, novo invento adornata. Dimicatum est autem ab orto sole in horam diei nonam, varia fortuna: donec M. Agrippa animadversa hostilium navium jactura, suos, ut fortunam invitantem strenue occuparent, cohortatus, cum novo magnoque impetu hostem perurgeret, septendecim naves in fugam; ceteras in varia exitia impulit.

Pompeius tantopere ea clade est perculsus, ut neque de terrestri exercitu suo quidquam cogitaret (quem Cæsar mox deditione recepit) & cum septendecim illis navibus statim in fugam se daret. Indecorum fugæ ejus pavorem *Florus* non tacuit, dum de *extincto pratoria navis lumine*, de *anulis in mare abjectis*, aliisque metus speciminibus editis, annotationem adjicit. Cæsar quo minus statim insequeretur Pompeium, tumultu prælium insecuto est præ-
lib. 49. peditus, quod *Dio* tradit: vel alienum imperium Antonii invadere noluit; intentus præsertim in occasionem discordiæ, si minus ex federe Triumvirali & voto collegæ Antonius cum Pompeio tanquam comuni hoste ageret, quæ
5. b. c. *Appiani* sententia est, Nam hi duo præcipue historiam hujus belli præliique exequuntur. potest antiquioribus etiam addi recentior *Thomæ Rivii* cura, *in Histor. naval. antiqua lib. 4. cap. 51.*

Magni ducis famam ad inferos secum tulisset Pompeius, si nihil-

hil tentasset ulterius, inquit, *Florus.* Nimirum qui historiam hujus viri accuratius meditantur, facile intelligent, fuisse eum ingenio inquieto & præferoci præditum; quod semper nova & ardua spirabat, &, quæ non caperet, affectabat: mobile consilio ac temerarium, exequendi conatu quam effectu celebrius. Nam *Florus* calamitatem potius miseratur, quam auctorem purgat in illa figura: *quod magnæ indolis sit, semper sperare.* Quid non tentat resarciendæ fortunæ gratia? Primum Antonii fidem pro confugio eligit. mox, comperta infelici ejus adversus Parthos expeditione, mutat consilium & calliditate parum generosa, aperte quidem Antonii amicitiam præfert ejusque opibus defendi per legatos postulat, per occulta autem & magis fida ad Thraciæ Pontique dynastas item Parthorum societatem se applicabat. Sed Antonius deprehensa Pompeii, quam ad Parthos miserat, legatione, armis arma prævertenda ratus, Titio opprimendi Pompeii negotium dedit. Atque ita tandem, post tentata omnia, dum de deditione sua deliberat ac disputat, sive, ut *Velleius, dum inter ducem & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur*, captus, atque postea jussu Antonii à Titio jugulatus est. Elogium ejus, quod summatim ingenium vitamque complectitur, habes apud *Appianum* 5. *b. c.* 4. *p.* 753. 2, 79.

Superest, ut de *victore* etiam aliquid adjiciamus: cujus post victoriam singularis & *fortuna & prudentia* celebranda est. Victoriam enim tam illustrem cum duæ adversitates exciperent, una è contentione Lepidi, altera è seditione militum: cum utraque ita transegit Cæsar, ut felicitatem partam non parva accessione cumulasse videretur. Lepidum enim fortissimo consilio castris & dignitate exuit: Seditionem partim severitate, partim liberalitate discussit. Adeundi sunt *Velleius* 2, 80. & 81. *Appianus*, *Dio*, aliique.

Prudentiæ digna victoris moderatione specimina dedit, quod litteras omnes belli tempore scriptas abolevit exussitque: quod servos fugitivos partim in servitutem & ad dominos retraxit, partim suppliciis affecit; quod Siciliam

ciliam latrociniis liberavit. Ita enim factum est, ut extinctis cum bello belli seminibus, etiam licentia, quam civilia arma pepererant, mature corrigeretur. Quædam & in speciem egit, interque dominationis consilia, vulgavit orationes in senatu & ad populum habitas: in quibus magna civilitate & arte, administrationis publicæ rationem reddidit, commemoratis & in commodas interpretationes adornatis, quæ ad eam diem publice gesserat. Eodem pertinebat promissio libertatis & reddendæ reipublicæ: Ut primum redisset Antonius, abituros se triumvirali magistratu, quoniam finitis civilibus bellis ad pacem profecisset respublica. Hæc, inquam, voluntatibus hominum inescandis valde opportuna erant: licet longe alia interim animo agitaret Cæsar, novisque bellis & invadendæ dominationi jamjam caussas & vias moliretur. quippe qui satis intelligeret, extincta jam Pompeii domo, novum sibi ad obtinendam singularem potentiam gradum structum esse.

Occasione hujus historiæ, colloquii eruditi argumentum subnasci exercentibus potest, si quæramus: *Utri hac victoria potissimum tribuenda, M. Agrippæ, an Octavio Cæsari?* Nos Octavio tribuimus præcipuam gloriam: cujus auspiciis Agrippæ virtus animabatur.

Quod si in universum disputare libeat, *de bellis navalibus & terrestribus, in utris major exercendæ virtutis & artis militaris occasio reperiatur:* satis idoneis argumentis terrestris militia præferri poterit. Ipse Cæsar, notante *Appiano*, libentius terra quam mari pugnasset, si res ita tulisset.

De Bello Parthico.

ad

Flori lib. IV. Cap. IX. & X.

NOn disjungemus hæc duo capita, quæ historiæ series connectit; quippe non tam duplex bellum, quam unum duplici expeditione gestum complectentia. Cum præsertim, quæ in priore Ventidius gessit, auspiciis Antonii tribu-

tribuenda sint. A cujus fato, secutaque deinceps fati serie orditur hanc suæ scriptionis partem *Florus*. Nos hac vice, exercendæ studiosæ juventutis caussa potiora observationis civilis momenta sequentes, agemus *primo* de caussis & occasionibus hujus belli; *deinde*, de rebus in bello præclare aut secus gestis; *denique*, de exitu eventuque armorum, quæ Antonius Parthis intulerat aut intentaverat.

Occasio remotior recte à *Floro* in Crassi clade, indeque nata Parthis fiducia constituitur. Mobiles in quamcunque partem animos, successus facile cupiditate bellandi imbuit: neque bellum cupientibus, occasio deesse solet. quam præsertim discordiæ Romanorum civiles externo & in omnia intento regi tunc suppeditaverant. Accessit instinctor armorum *Labienus*; quem desperatio hostilibus partibus immiscuit. Missus enim ante prælium Philippense à Bruto & Cassio ad petendum à Parthis auxilium, cum de clade suorum intellexisset, victorisque arbitrium metueret, ostendit Partho vim Romanam cladibus & discordiis imminutam; Cæsarem in Italia Pompeiano bello, Antonium in Ægypto Cleopatræ amoribus implicitos, atque adeo idoneam manum ad subigendam Syriam postulavit. *Dio* 48. *p.* 424.

Quæ omnia Partho admodum cupienti fuere. Quippe non immemor antiquæ de imperio inter Parthos & Romanos æmulationis, gaudebat venisse tempus, quo Romanis nocere posset. Hæc haud dubie intima regi cura: quamquam caussæ in vulgus notæ magna asseveratione jactabantur, *illatum Parthis à Crasso bellum, rapinis destinatus oriens, temerata gentium quies*, cum similibus.

Cum Labienus & Pacorus regis filius Phœnicen & Syriam quasi uno impetu rapuissent, & *Antoniana præsidia dissipassent, latius emanabat malum, & hostes sub auxilii specie sibi vincebant.* quibus verbis *Florus* innuere videtur, hoc bellum à Labieno primum sub specie partium Brutianarum gestum esse: qua ratione ad prætextus, *species* ista belli pertineret. Sed de hoc non satis constat: cum ceteri aliam propo-

propositi seriem in Labieni Parthorumque consilio prodant.

Hi successus Antonium pridem ad resistendum hostibus evocare debebant. Sed is, non tantum per eas, quas prædiximus, caussas segnior, sed insuper à Fulvia in Italiam & aliud adversus Cæsarem bellum tractus, post redintegratam cum Cæsare amicitiam, nihilo magis rem maturavit. nisi quod Ventidium tamen legatum suum misit, qui grassantis audaciam hostis coërceret. Et Ventidius quidem abunde in illa expeditione suam strenuitatem, vigilantiam, felicitatem, omnibus probavit; manu & consilio sæpius victor; adeo ut ipsum regis filium Pacorum occideret. *Cujus cæde Crassianam cladem pensatam* omnes velut uno ore, *Florus, Dio, Plutarchus* gloriantur.

Lubet *prudentiam* viri fortissimi seorsum per quædam specimina considerare. Egregium *primo* fuit, quod, *ut Florus* ait, *simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec absumto jactus spatio adimeret usum sagittarum.* Conferri meretur similis astus successusque, *Tacito* descriptus 1. A. 67 & 68. Nec minorem Ventidii sollertiam arguit, quod ducis sui Antonii animum satis intelligens, victos toties Parthos non ausus est amplius persequi. quippe majores, quam pro legati modo, victorias, invidiæ ducis obnoxias fore nequaquam dubitavit. Illud autem plane subtilis & exquisiti est consilii, quod in Chaunæum quendam regulum struxit inventum. Induerat is familiaris erga Ventidium notitiæ speciem; per occulta tamen & magis fida in Parthos inclinabat. Ventidius artem hominis arte deludendam ratus, demeretur eum omni cultu, consilia cum eo comunicat, denique omnia facit, ut is secretorum Ventidii arbitrum & participem se crederet. Ita illecto, magni arcani specie imponit: quid de Pacori adventu, quid de itinere ejus metueret, ostendit. Proditor statim ista ad Pacorum referens, movit incautum, ut illa veniret, qua Ventidius optabat. Legi possunt ista prolixius apud *Dionem* 49. *p.* 461.

Appian. Parth. p. 57.

Ingens

Ingens ex his rebus gloria Ventidium ſecuta, eo fuit illuſtrior, quia olim in triumpho Pompeji Strabonis ductus, poſtea primus Romanorum de Parthis triumphavit. id quod *Velleius* etiam miratur, 2, 65, 5. Sed & *Tacito dejectus infra Ventidium Oriens* memoratur, *Germ.* 37, 6. Quanquam maxima pars ejus laudis ad Antonium redundavit: cujus gloria ap. gentes barbaras nulla re magis crevit, quam induſtria & felicitate ducum. quod *Appianus* non indictum reliquit, *in Parthicis p.* 157. *Dio* 49. *p.* 462.

Antonii in hoc bello errata compluria ſunt. Ante omnia magnum ſibi dedecus & rebus Romanis damnum conſcivit, quod neglecta omni temporis opportunitate, cum res poſtularet induſtriam & viriles curas, ipſe amoribus Cleopatræ per ludum & otium vacavit, magnaque ſecuritate belli non jam metus ſed tumultus transmiſit. *μειρακίου σχολὴν ἄγοντος διατριβαῖς καὶ παιδιαῖς χρώμενος, ἀναλίσκων καὶ καθηδυπαθῶν τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα, τὸν χρόνον: non aliter ſcilicet quam ad inſtar otioſi ac ludentis pueri, tempus, cujus pretioſiſſima jactura eſt, perdens atque per ignaviam atque luxum conterens.* quod ſignanter *Plutarchus in Antonio* notat.

Jam quale eſt, quod Ventidio tam præclare ac feliciter omnia agenti invidit? Ventidius, ut antea tetigimus, ad Antonii gloriam ſua facta referebat: Antonius ob res ductu Ventidii geſtas ſummis publicisque honoribus afficiebatur: tamen per invidiam officio tam egregium hominem demovit, neque ullâ in re poſtea eo uſus eſt, ſi *Dioni* credimus, qui iſta narrat. *lib.* 49. *p.* 462. *Plutarchus* & qui eum exſcribit, *Appianus* nihil aliud, quam honoratum ex merito Ventidium memorant: Sed *Dionis* narrationi facile fidem habebit, qui de ingenio Antonii invido, deque ipſo Ventidii metu cogitabit. Diſſimulaverit ſane invidentis animi malignitatem circa honores triumphi: de cetero, & reipſa uſurpatam, nihil dubito. Itaque tali exemplo cautior factus *Soſſius*, cum Syriæ præfectus eſſet inſequente anno, non id egit, ut rebus præclare geſtis invidiam Antonii mereretur, ſed ut inertia & otio gratiam ejus obtineret. *Dio* rurſum *l.* 49. *pag.* 463.

Conſtituta jam pax erat inter Parthos & Antonium; non illa quidem valde honeſta, ſed quam Antonius ſibi
4, 10. judicaſſet neceſſariam: *cum immenſa vanitas Antonii, dum titulorum cupidine, Araxem & Euphratem ſub imaginibus ſuis legi concupiſcit; neque cauſſa, neque conſilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quaſi hoc quoque ex arte ducis eſſet, obrepere; relicta repente Syria in Parthos impetum facit.* Hæc enim Antonii ἁμαρτήματα in *ſuſcipiendo bello* notat *Florus*: idem, qui totum hoc caput erratis ejus diſponit ac diſtinguit. Parum ex gravitate, & arte ducis factum: quod *ſine cauſſa nova & idonea*, ſola cupidine gloriæ; itemque quod *ſine indictione* arma in Parthos convertit. Vide, quæ *de indictionibus* ejuſcemodi olim requiſitis annotat *H. Grot. 3. de jure bell. & pac. 3, 5. &c.* & *Selden. de jure naturæ & gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum lib. 6, 12.*

Neque melius gerit bellum, qui male ſuſcepit. Hic enim ſtatim *Plutarchus*, & exinde *Appianus* tradunt; ingentis apparatus exercitum Antonii cunctatione, dum in Cleopatræ amores intentus, curas belli poſthabet, inutilem redditum, deſtinatæque occaſionem invaſionis ſecure transmiſſam eſſe. Prolixior eſt, quam quæ huc tranſcribi debeat, obſervatio, qua Antonio, quid facere debuerit, oſtendunt; quid non fecerit, exprobrant. Nunquam peritis militiæ conſilia impetu potius quam ratione capta placeant: quo nomine rurſum offendit Antonius, dum relictis machinis, ſperatam fruſtra ex superventu repentino victoriam turpi clade duarum legionum, amiſſioneque inſtrumenti bellici permutavit. Notatus il-
4, 10. le error *Dioni & Appiano*; ipſique *Floro* qui *temeritatem* ducis ſatis graviter reprehendit.

Imprudentiusne reliquerit machinas, an ſine machinis Praaſporum obſidionem aggreſſus fuerit, vix diſcreveris. Factum eſt certe, ut obſeſſor ipſe obſideri videretur, longeque majora, quam obſeſſis inferre poterat, damna acciperet. Interim, ne nihil ageretur, intempeſtiva iracundia ſæviit in milites, donec omnibus improſpere

ſpere tentatis, turpius recedit ab obſidione, quam acceſſerat. Ecce enim: Hoſti ſubdolo, & jam ſimili fraude decepto, decipiendum ſe, velut ex talione, præbet: imagineque pacis deluſus, operibus quoque ad obſidendam urbem comparatis, ſicut erant, remanentibus, abit: atque ita mox incenſis operibus, pro illa ſtolide captata pace novam in ſe belli molem vertit; qua mirum in modum exhauſtus & debilitatus: amiſſaque non minus quarta parte militum; calonum, ſervitiique tertia, impedimentis omnibus, vix caſu & fide cujusdam captivi ſervatus eſt, quem imprudentia internecioni tradidiſſet. Confer cum *Floro* & *prædictis*, *Velleium* 2,82. *Dio 49. p. 466. & 467.*

Atque licet inter hæc aliquoties vicerit Antonius, tamen victoriæ illæ nihil efficax, nihil firmum habebant. Parthus enim furtis belli & mobilitate quam ſtatario congreſſu melior, cum magno Romanorum labore repulſus eſſet, paucos amiſit, hoſtisque inſequentis manum facile effugit. *αἱ δὲ νῖκαι κράτος οὐκ εἶχον, οὔτε βεβαιότητα, μικρὰς ποιουμένων καὶ ἀτελεῖς τὰς διώξεις.* inquit cum *Plutarcho Appianus.* Neque fortunæ tantum adſcribi debet, quod tam nobilis exercitus varia itinerum vexatione & clade abſumtus eſt. ſicut præter *Florum*, hactenus totiens nominati ſcriptores prodiderunt. 4,10,8 & 7. Fuiſſe aliquam in duce culpam, exemplo Xenophontis declaratur; qui decem millia virorum multo longiori itinere à Babylonia ad mare feliciter, ſine noxa, nec citra nobiles victorias duxit. cujus rei conſideratio, confeſſionem erroris extorſit Antonio, ut ſubinde inclamaret, *ὦ μύριοι.* *Plutarchum* vide; qui etiam miſerias exercitus multiplices, *Floro* obiter perſtrictas, paulo diligentius deſcripſit.

Audaciam & temeritatem ducum, plerumque infelicitas, infelicitatem deſperatio ſequitur. Hinc eſt, quod Antonius à liberti cujusdam Rhamni manu interitum expoſtulavit: qua ipſa in re parum egregii ducis officio functum autumat *Florus.* ſicut nec conſtantiæ viri cordati conveniebat, ex ſumma animi dejectione, in vecordem elationem temeraria mobilitate transferri: *quaſi viciſſet, qui*

evaserat. Scilicet *fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat:* ut *Velleius*, congruente ad Florianam μίμησιν sententia notat 2, 82, 3.

Debet autem hujus belli exitus omnibus documento esse, temere ac negligenter sumta arma, accedente quantacunque vi militum opumque, vix unquam prosperari. Sed & peritia militaris, & artes imperatoriæ (quas in Antonio tum alias alii, tum in hujus belli descriptione *Plutarchus Appianusque* asseverant) parum efficiunt, nisi generosa judicii propositique constantia adgubernentur.

De Bello cum Antonio & Cleopatra.

ad

Flori lib. IV. Cap. XI.

QUæ caussæ colliserint inter se duos Romani nominis Principes, Cæsarem & Antonium, pari affectu dominatum concupiscentes, & propterea æmulos; ex superioribus potuit intelligi. Nunc devenitur ad ultimum ac decretorium certamen, quo Cæsar, superato apud Actium Antonio, bellis civilibus ultimam manum imposuit, singularis autem imperii ac μοναρχίας suæ prima posuit auspicia. Quod non inobservatum reliquit *Dionis* industria; cujus memorabilis est annotatio, *libro historiæ pragmaticæ* LI. præfixa. Nos in repetitione præcipuorum momentorum vestigia *Flori* legemus excerpendo potius, quam historiæ totius seriem concinnando. quam fuse tradiderunt memoratus antea *Dio lib. 50. & 51. Plutarchus in Antonio*; & ex his compendiaria opera *Thomas Rivius Histor. naval. antiq. lib. 4. cap. 52.*

Jam supra *Florus* omnem rei ab Antonio male gestæ caussam, in ipsius posuerat Antonii *ingenio & vitiis.* Neque hic ab illa sententia deflectit. Ac ingenium quidem hominis ita nobis describit *Dio*, *ut prudentiam in eo & stoliditatem; virtutem & ignaviam; magnitudinem animi & humilitatem,*

lib. 1.

tatem, id est, ut gentilibus philosophari mos est, *mixtam bonis malisque indolem* agnoscat. Nobis, si clarius agendum sit, diceretur *ingenium ad bona non ineptum, sed ad omnia mala propensum; quod rebus adversis aut metu coërcitum forte improbitatem velaverit; potentiam autem & divitias & fortunam non nisi male usurpaverit.* Talia ingenia si plus acrioris spiritus & vehementiæ habent, in acerbitatem tyrannicam exeunt; si mobilitas prævalet & vanitas, in luxum, libidines & lutulenta illa, quæ *Cicero* appellat, vitia prolabi solent.

Unde non mirum est, quod Antonius *arma exosus in otio agere, & Cleopatræ sinu se reficere*, mulierisque Ægyptiæ mancipium Romanus imperator fieri non sustineret modo, sed præoptaret. tam insano amore & immodico, ut προσθήκη τῆς γυναικὸς, tanquam *additamentum sive appendix Statuæ illius Venereæ*, contumeliose à *Plutarcho* appelletur; & cum interpretatione, ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς γυναικὸς, ὥσπερ συμπεφυκὼς καὶ συμμεταφερόμενος, *trahi à femina tanquam agglutinatus nec alio quam ipsius motu mobilis*; dicatur. Et inter hæc tamen, non minore vecordia, quam ignavia, dominationem agitabat, ac mulierculæ suæ pretium luxuriæ Romanum imperium promittebat; plane quasi sedendo & otiando vinci Cæsar, aut Romana virtus debellari posset; quod signanter exprobrat *Florus.* Atque hinc speciosus Cæsari prætextus subnatus est, ut posset in senatu Romano dicere: *Antonium philtris fascinatum non virtutem modo viri sed rationem hominis insuper exuisse.*

Cæsar enim, jampridem consilio opprimendi Antonii agitato, postquam segnitie adversarii, suas vires, quas Antonius facile potuisset prævertere & dejicere, convaluisse animadvertit, serius *venienti bello*, mature *occurrere* statuit. Nec difficile illi fuit Senatum Populumque in partes trahere, & efficere, ut bellum adversus eum decerneretur, qui patriæ mores exuisse, patriæ jura violasse, majestatem imperii femineæ ambitioni prodidisse, adeoque pro hoste publico omnia fecisse videbatur. Id ut certius approbaret Cæsar, *testamentum*, *quod is Romæ etiam*

de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit, notante *Suetonio Aug.* 17. Indignum id nonnullis visum (sicut *Plutarchus* memorat) *quod vivo cuiquam ratio esset reddenda eorum, quæ post mortem voluisset fieri*, neque sanctitati supremarum voluntatum ita satis consuleretur. Sed indignitas rei, omnem facti, alias
lib. 50. iniquissimi, invidiam sustulit; quod non omisit *Dio*.

Videamus nunc ipsa rei gerendæ consilia ac instrumenta. Res suadebat ipsa, ut terra potius quam mari bellaret Antonius; quippe & ipse terrestrium certaminum peritus, navalis belli rudior erat, & exercitum similiter affectum habebat; & consilio suorum, ne per incerta maris suam fortunam volveret, flagitabatur. Id Canidius dux robustissimarum legionum, explicatis consilii rationibus hortabatur: id ductor quidam cum lacrymis precabatur, cum sub ipsum discriminis tempus Antonio occurrens, ostensis cicatricibus suis, diceret: *Quid? an diffidis Imperator his vulneribus, his manibus; & in fragilibus lignis fiduciam ponis? Ægyptii & Phœnices bella mari committant; nobis permitte terram, in qua assuevimus occumbere aut vincere. Plutarchum* vide *in Antonio*. Tam bonis ille consiliis prætulit muliebre, & deterius. Quippe magistra Antoniani belli Cleopatra malebat navali prælio decernere, ut suarum quoque, quas adduxerat, navium aliqua esset opera & gloria.

Jam ipsarum structura navium, quam inhabilis ad militiam, quam inepta ad victoriam? Celeritate constat navalis militia: neque ulla re alia quam mobilitate, equestri pugnæ est similior. Unde *illa ipsa moles*, navium Antonii, *quæ non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur, exitio fuit*. Accessit, quod socios navales habebat plerosque ineptissimos, & de via & rastro passim correptos. At vero Cæsar meliore in omnia consilio, non modo naves habiles in ea quæ usus poscebat, & *ad impetus, recursus flexusque capiendos* (sicut *Florus* eleganter formam navalis certaminis designat) aptas comparaverat: sed etiam remi-

miges *firmissimos* instruxerat & exercitatissimos: sicut præter *Dion.* & *Plutarch.* refert *Velleius* 2, 84, 2.

His utraque parte, ad hunc modum comparatis, quis non conjectura, imo certo pæne judicio præciperet cum *Velleio*, certaminis eventum? Sane non defuit Antonio mi- 2, 84.
litum fides virtusque: sed fortissimos milites, ducis & consilium & exemplum destituit. quippe cum Cleopatra præcoci & muliebri fuga se discrimini subduceret, Antonius maluit fugientis dominæ (proh dedecus!) quam pugnantis exercitus comes esse. Quanta rerum vicissitudo! pro fugitivo duce, constantissime dimicat proditus exercitus: & dum ille fugacissimi militis officio fungitur, milites optimi imperatoris munia obeunt: quod cum dicterio, non minus vero, quam censorio *Velleius* judicat.

Præcipua pestis Antonianos, ignibus à Cæsare in naves jactis, afflixit; horribilique incendio, quod fuse & facunde *Dio* exequitur, multavit; quippe cum aqua marina ad delendum ignem minime esset idonea. Sequioribus annis, sub Constantino Pogonato Callinicus architectus adversum Agarenos ignem reperit, teste *Zon. t. 3.* qui injectus navibus aut ædibus nulla re, præterquam aceto, extingui poterat. Græcis ὑγρὸν πῦρ, *humidus ignis*; Aliis *Græcus ignis* appellatur, quia in Græcia inventus. *Nicetas Choniates* ita describit: ὑγρὸν πῦρ, ὃ τοῖς στέγουσιν ἐφυπνοῦν σκεύεσι κατὰ τὰς ἀστραπὰς ἐξαίφνης προΐησι τὰ ἐξάλματα, καὶ πιμπρᾷ καθ' ὧν διηκοντίζον ἀφίκηται. *Græcus ignis vasis celatus, mox fulguris ritu prosiliens & emicans, quacunque contigerit, incendit.* Certe maximæ res tali commento, ex eo tempore, confectæ passim leguntur. Notavit de hoc igne aliquid *Majolus in* colloq. 22.
Canicularibus, quem compilat *Jacob. Pontanus ad Georg. Phranzæ Protovestiarii lib. 1. cap. 36.*

Cæsar parta feliciter victoria, strenue utendum ratus, ordinatis in Italia rebus (vide *Dionem*) insecutus est An- lib. 51.
tonium & Cleopatram, varia jam de reparandis viribus agitantes. Sed quid fidum esse poterat in femina, cui omnia honestate potiora? In aperto valde satagit pro Antonio

ronio: per occulta, fortunæ obsequi, & fiducia formæ Cæsari cupit conciliari. Neque omisit occasionem Cæsar, quin fallacem feminam suis artibus captaret; multa per Thyrsum pollicitus. Igitur Cleopatra illum amatorem suum, illum tam obsequiosum sibi & deditum Antonium, prodit; Pelusio primum Cæsari tradito, mox navalibus copiis ab Antonio abductis; denique simulatæ mortis consilio, exemplum exitii & caussam ei subministrat. Ita infaustus Antonii exitus, hanc insuper contumeliam habuit, quod non tam virili constantia, quam turpissimo vesani amoris obsequio mortem sibi acceleravit; æquum scilicet ratus, ut cui vitam suam mancipaverat, ejus morti (nimis præpropere creditæ) suam mortem ipsa servitii continuatione jungeret.

Cleopatra superstes, cum nequidquam variis artibus Cæsarem victorem tentasset fascinare, majoremque in eo animum, quam qui femineis expugnari dolis posset, reperisset, moriendi consilium capit, atque ut destinata posset exequi, rursum dolo impetrat. Elapsa quippe ex custodientium manu, aspidis morsu, seu venenatæ cuspidis ictu (nam & hoc traditur) se interficit. Cæsar, qui vehementer dolebat triumphi sui decus imminutum, sero Psyllos admoveri, qui venena exugerent, jussit. Nam Psyllis eam vim esse, ut serpentum venena ex hominibus nondum mortuis exugere, neque ipsi serpentum morsibus lædi possint, *Dioni* consentiunt scriptores. vide *G. Vossium 4. Physiolog. Christian. cap.* 61. Alias Psyllorum historia multis est permista fabulis; quarum specimen, in hac ipsa narratione *Dio* habet. *lib.* 51.

Ita Ægyptum quoque in potestatem redegit Cæsar: cognitoque gentis ingenio, novarum rerum valde cupido, tum alia ad coërcendam eam, tum inter arcana imperii hoc instituit, *ne quis senatorum aut equitum Rom. illustrium, nisi permissu ingrederetur*: Nimirum, *ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ & maris quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset.* sicut *Tacitus 2. A.* 59, 4. explicat; qui locus *Dioni* plane succinit *lib.* 51. *p.* 52.

Hic

Hic Cæsari bellorum civilium post viginti annos finis fuit; & Monarchiæ initium: congestis in victorem honoribus, & potestate imperii in ipsius sinum, ut ita dicam, collata; qua de re prolixe *Dio* 51. quippe cum non aliud jam discordantis patriæ remedium esset, quam si ab uno regeretur, quod Prudentes apud *Tac.* 1. A. 9, 4; & supra *Florus* noster 4, 3. indicarunt.

Qui disquirere rationes actionum, circa hoc Actiacum bellum, uberius cupiunt, iis præter *Flori* brevem narrationem, multa suppeditabit *Dio* præsertim & *Plutarchus*: cujus etiam dissertatio, *qua Demetrio Antonium comparavit*, examinari particulatim potest.

In Flori lib. IV. Cap. XII.

IAm potitus erat summa rerum Augustus: sed tot gentes nuper subactæ non statim memoriam pristinæ libertatis poterant deponere. *Nova quippe pax, nec dum assueta frenis servitutis rigidæ gentium inflataque cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant*; ut eleganter *Florus* effert. Nam *in novo imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice subeuntibus victis, tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet*; inquit Alexander apud *Curtium* 6, 3.

Sed vicit imperii fortuna & Augusti consilium virtusque, omnes objectas ex singulis mundi plagis difficultates. Historiam percurrit *Florus*; nobis pro ratione instituti nunc minime repetendam. Potius est; ut quædam observatu digniora excerpamus, & disquisitioni exercentium subjiciamus.

Occurrunt hic statim quædam dominationis in populos firmandæ sive inventa, sive consilia, quæ Augustus in devictos usurpavit. In Hispania eos qui fiducia montium sæpius rebellabant, in plana deduxit, ut translata sede ferocia quoque mitesceret: *& ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari*, ut loquitur in re simili *Tullius*. *Ingentis esse consilii illud observari cœpit*; sicut recte *Florus* judicat. Scilicet, ut plantæ quædam, cum transferuntur, mitescunt: ita ingenia hominum ex solo in solum

traducta, non eandem semper indolem retinere videntur. Exempla passim obvia nihil attinet huc cumulare. Illud unum adjicimus; esse inter duriora & graviora consilia hoc inventum, neque temere, nisi adversum barbaras aut atrocia meritas gentes usurpandum.

Præcipui momenti est, quod per Drusum *in tutelam provinciarum, præsidia atque custodias ubique disposuit; per Mosam flumen; per Albim; Visurgim; itemque per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit*: adeoque munivit limites imperii, ut undiquaque omnia firma & connexa & septa essent. De qua dispositione egimus ad 1. *Tac.* 9. *annot.* *Herodianus* 2, 11. ita effert: ἐξ οὗ δὲ εἰς τὸν Σεβαστὸν περιῆλθεν ἡ μοναρχία, Ἰταλιώτας μὲν πόνων ἀνέπαυσε, καὶ τῶν ὅπλων ἐγύμνωσε, φρούρια καὶ στρατόπεδα τῆς ἀρχῆς προὐβάλετο, μισθοφόρους ἐπὶ ῥητοῖς σιτηρεσίοις στρατιώτας καταστησάμενος, ἀντὶ τείχους τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, ποταμῶν τε μεγέθεσι καὶ τάφρων, ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ φράξας τὴν ἀρχὴν ὠχυρώσατο. *Posteaquam Augustus rerum potitus est, & laborem Italis ademit, & arma detraxit; milites tantum quosdam certis auctoramentis habuit mercenarios, qui Romanum tuerentur imperium; tum fluviorum magnitudine atque fossarum, montibusque asperrimis desertisque locis atque imperviis circumseptos imperii limites communivit.* Locum prolixiorem non exscripsissem, nisi *Flori* verba, non modo, quæ adducta sunt, sed & cetera illustraret.

In expeditionibus suscipiendis non de nihilo est illa Augusti prudentia; cum cetera quidem per legatos administravit, difficilioribus autem ipse suam commodavit præsentiam. *In Illyrios ipse expeditionem sumsit*, inquit *Florus*. item: *in Cantabros, quia vehementius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumta est.* Sicut enim *non decorum fuerit magnis Principibus, si una alterave civitas turbet, omittere urbem unde in omnia regimen* (*Tac.* 3. A. 47, 2.) ita *si status imperii aut salus provinciarum in discrimen verteretur, majoribus periculis non deesse debent. Tac.* 4. H. 85, 5.

Cum primis est memorabile illud consilium pacis; quo Augustus effecit, ut *ubique cuncta atque continua totius*

generis

generis humani aut pax esset, aut pactio, sicut magnifice de pace Augusta loquitur *Florus.* Qua mente etiam *reges socios inter semetipsos necessitudinibus mutuis junxit; promtissimus affinitatis cujusque atq; amicitiæ conciliator & fautor*; notante *Suetonio August.* 48. conferri meretur *cap.* 21. Unde apud *Plutarchum* (in *Apophthegm.*) mirabatur Alexandrum, *qui non reputasset, majoris esse rem operis, imperium partum bene ordinare ac tueri, quam parare*; sive, ut cum *Floro* nostro efferamus, *plus esse provinciam retinere, quam facere.* Unde amplius illustrari ista queant, diximus *ad* 1. *A. Tac.* 11. *annot.* 10.

Sed quæ pax esse potest apud homines artium pacis ignaros, disciplinæ imperitos, corruptis denique moribus nil nisi bellorum semina passim serentes? Itaque Augustus providentissimo consilio *conversus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam fluens sæculum gravibus severisque legibus coërcuit*; quod signanter notat *Florus. Pleraque* (ita *Suetonius* excipit) *pessimi exempli correxit; quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exstiterant. Velleius* breviter, ut solet, sed notabili sententia, *leges emendatas utiliter, latas salubriter*, laudat 2, 89, 4. Prudentes apud *Tacitum, jus apud cives*, in Augusti principatu, eadem mente memorant. 1. *A.* 9.

Non omittendum est illustre illud elogium, quo *Florus* Germaniam patriam nostram ornavit: cum primum infeliciter tentatam Romanis armis, quasi deplorat; *Germaniam*, inquit, *utinam vincere tanti non putasset Augustus; magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita*; deinde, *victos magis quam domitos*, ultro fatetur; denique resumta arma quodammodo excusans, omnem in Romanorum *libidinem, superbiam ac sæviora armis jura* culpam confert; i. e. quid aliud quam Germanorum virtutem, & fidem, & generosi magnitudinem animi dilaudat? Glorioso ex hostium ore testimonio addenda sunt similia ex *Tacit. German.* 37. 2. A. 88.

Et sane peccaverat Augustus, quod provinciæ tam strenuæ & generosæ tam imbellem & gerendis rebus imparem gubernatorem dedit. Fuit enim Varus magis *bonæ*

voluntatis vir (εὐπροαίρετον Græci vocarent) *quam imperatoris*
2,120. *consilio* aut arte instructus, quod fatetur *Velleius.* quanquam
lib. 56. severior est *Flori* nostri censura. Etiam *Dio* reprehendit in Varo, quod libertatis studiosam gentem, ritu servientium imbuere conatus sit. Notavimus hunc errorem ad *Vellei.* 2, 117, 2.

Claudemus hanc dissertationem auspicato AUGUSTI nomine. quod illi tanquam complementum omnis imperatorii honoris, & compendium Principalium elogiorum datum est, cum aliqui *Romulum* censuissent vocandum. *Sed sanctius & reverentius visum est*, inquit, *Florus*, *nomen* AUGUSTI; *ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.* Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὢν, ἐπεκλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. *Augustus, tanquam humanam sortem supergressus, vocatus est. quæcunque enim dignissima sunt & sanctissima*, Augusta *vocantur.* inquit *Dio* 53. *p.* 581. Græci, Σεβαστὸν, *Venerandum* interpretati sunt. Unde apud *Xiphilinum in Nerone* inter ἱερὰ ὀνόματα, *sancta nomina* refertur *Augusti titulus.* Vide *Diatrib. Berneggerian. ad Sueton. Aug.* 7.

XV.

IN PSALMUM LXXXII

Φιλολογία.

CONsiderabimus primo aliqua, quæ ad *Historiam* hujus Psalmi pertinent. 2. οἰκονομίαν & dispositionem ejus accuratius inquiremus. 3. Græcas & Latinas paraphrases & metaphrases quorundam expendemus. 4. Explicationes quasdam aliorum, ad unum & alterum locum, examinabimus. 5. Paraphrasin nostram cum bona venia eruditi lectoris subjiciemus.

In *Historia* Psalmi occurrit *scriptor*, *adeoque occasio & caussa scripti*, *ex statu certi temporis*, unde de consilio & sententia carminis judicare fas est. *David Kimchi* putat hunc Psalmum pertinere ad tempora Josaphati Regis Judæ, & histo-

historiam 2. *Paralip.* 19. *v.* 5. descriptam: ubi Rex à Propheta Jehu increpitus, circumit regnum, cultumque divinum instaurat, & judicia, ad iniquitatem prolapsa, emendat, novosque judices constituit. sicut *sequentem psalmum* ad *cap.* 20. *lib.* 2. *paralip.* Idem referri debere, existimat. *Simeon de Muis* in eruditissimo Commentario suo ita ad Psalm. 82. annotat: *Profecto incertum mihi est, quo tempore hic Psalmus editus sit: certum, compositum ab Asapho, vel aliquo ex ejus posteris; tribuitur enim Asapho, adversus iniquos judices.* Quod de aliquo ex posteris Asaphi suspicatur, & hic, & ad Psal. 74. ubi de captivitatis Babylonicæ spectatore Asapho aliquo, ex evidentia non tam prophetiæ quam historiæ colligit, vix est ut mihi se approbet. Sive enim à Davide compositus Psalmus hic Asapho traditus est, ut decantaretur; sive Asaphus ipse edidit hoc carmen, quem *propheta* elogio honestari videmus 2. *paralip.* 29. *v.* 30; Prophetis futura in præsentibus sunt. intuentur enim id speculum divino munere, in quo longe posita ob oculos ponuntur. quod vel ex Esaiæ volumine clarum est, tam diserte *οἰκονομίαν* complexo, ut non prædicere, sed narrare videatur.

Ad Judices autem sermo est & de judicibus: non tantum ejus temporis, quod peculiariter respexisse Prophetam credere possumus; sed, ut mos scripturæ est, antegressi etiam & venturi. Hoc sensu: Deus stat in judicio Sanhedrin, quod antiquissimum est; in judicio Judicum & Regum; in judiciis & Synedriis judicum reliquis, atque, quotienscumque justitiæ limites non custodiuntur, aut gratiæ jus donatur, ita loquitur, increpat, monet; eâ oraculorum vi ac perpetuitate, quæ cras exaudiri debet sicut hodie, usque ad illud judicium, quod finem mundi æternitate consummabit.

De judicio Sanhedrin, quod unum non duplex statuendum est, multi hujus verba Psalmi accipiunt: quod iis concedendum est, si nec excludant alia judicia, nec alienas interpretationes & glossas adjiciant. Quis enim ferat Pontificio juri cupide insertum schema, sacerdotes hic

hic *deos* vocari, itaque ab hominibus judicari non posse? quod & Constantinum Imperatorem in concilio Niceno agnovisse, ex *Rufino* jactitant. Cum tamen ex collatis Historicis ceteris, qui Rufino multis modis antistant, perspicuum sit: Imperatorem non potestatem judicandi abdicasse, sed ἀκαιρίαν litium, quando aliis de rebus conventum esset, arguisse; & scandalum, quod in Ecclesiam redundare videbat: si Camarina ista moveretur; declinasse: atq; adeo Sacerdotibus, quam non deceret hujus sanctitatem muneris, si litibus alter alterum persequeretur, cum ne committendum quidem esset, ut judicari opus haberent, non sine aculeo castigationis in memoriam revocasse. Mirari subit, etiam *Petrum de Marca*, ad Sacerdotes seorsum referre cum aliis hunc locum, antequam à quoquam probatum est, Sacerdotes vel hic vel alibi, ut Sacerdotes, vocari *deos*. Si enim, quod alibi tradit *Petrus de Marca*, judices Synedrii magni sive Sanhedrin hic appellantur *dii*, nec soli Sacerdotes & Levitæ, qui aliis in eo consilio adjungebantur, nec qua Sacerdotes, sed qua judices, intelligi possunt. Quid? si ipsi Reges judicant, an illis non conveniet scilicet nomen *deorum*? Longe aliud monstrant loca Scripturæ illustria, & præsertim Christi Servatoris interpretatio, qui *deos vocatos*, ait, *ad quos sermo Dei factus est*, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐγένετο. Id enim, sive accipimus cum toto interpretum choro, de iis, quibus imperia & magistratus demandati sunt; sive ad Psalmum seorsum respicimus, & eos cogitamus, quibus in Psalmo Deus loquitur, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ θεοῦ (ἐν ψαλμῷ δήπου προειρημένῳ) ἐγένετο, judices erunt, sicut res ipsa loquitur; quo officio etiam Reges in sacris describuntur. Sed de hac re, & caussa appellationis, postea aliquid monebitur.

de concordia sacerdotii & imperii lib. 2. cap. 7.

lib. 2. cap. 5.

Joh. 10. v. 35.

II.

Nunc de οἰκονομίᾳ sive dispositione psalmi pie ac modeste investigabimus: &, si sententiæ nostræ fautores vel jam extant, quos non vidimus, vel extabunt deinde; non leve nos fecisse operæ pretium, opinabimur. Parvi sane

ſane momenti videatur forte alicui, quod meditamur: cum res ipſa nihil detrimenti patiatur, ſive Prophetæ perſonam loquentem ubique exaudiamus, ſive non uni perſonæ tribuenda Pſalmi verba exiſtimemus. Sed Spiritus S. non fruſtra in toto hoc opere Poëſin, & in Poëſi figuras, & in figuris, pondera rerum omni profana eruditione graviora adhibuit; quibus θεολογία exurgit, pietas proficit, animus rapitur ac inſtigatur. Quantum enim detraxeris de vi & majeſtate carminis, ſi τὸ ἀμοιβαῖον detraxeris? Promulgat Propheta (v. 1.) ſive piorum cœtus aut Eccleſia, & attentionem pariter ac expectationem facit rei magnæ ac divinæ: *Deus ſtat in cœtu Dei*; & quidem ut inſpector & judex Judicum: *in medio Deorum judicat*. Hac denuntiatione facta, ſequitur vox Dei, judices judicantis, & graviſſima cenſura alloquentis v. 2. 3. 4. *Usque quo judicatis iniquitatem?* & quæ ſequuntur. Divinam reprehenſionem, cum mandato emendandi judicii conjunctam, v. 5. iterum excipit Prophetæ ſive Eccleſiæ ſermo, ſuccinendo deplorantis, obſtinatos adverſus monita divina animos; magnumque hinc malum publice privatimque ominantis: *Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant; movebuntur omnia fundamenta terræ*. Hinc denuo inſurgens vox Divina, quam divino munere quam fœde abutantur, exprobrat; & fragilitatis ſuæ, immemores Dei ſuique, admonitos, interitu ob oculos poſito exterret v. 6. & 7: *Ego dixi Dii eſtis* &c *veruntamen vos ſicut homines moriemini*. Succlamat Propheta ſeu Eccleſia v. 8. *Surge Deus, judica terram*. Eſt enim hæc intimi inter Deum & Eccleſiam commercii conſuetudo; ut ſive benefacientem, ſive iraſcentem Deum, ſuis εὐφημίαις, laudibus, gratibus, proſequatur Eccleſia; quæ vel exhortandi, vel prædicendi figurâ haud raro variantur. Senſus paulo propius conſideratus, in Paraphraſi ſignabitur. Atque hoc eſt illud τὸ ἐπαμοιβὸν, id eſt, anima & ſpiritus carminis, de quo pleroſque interpretes & paraphraſtas nihil cogitaſſe animadverto. cum tamen, ſine omni περιεργίᾳ, τὸ ἐσχηματισμένον τῆς ᾠδῆς conſiderantibus, ultro

tro se offerat οἰκονομία argumento opportune & suaviter destinata. Id quod adeo non otiose annotari puto, ut vel hoc solo specimine intelligi detur, quantum sit ad θεολογίαν psalmorum momenti, in discernenda carminis figura, & & Poëtæ rationibus animadvertendis; in quibus nihil fortuitum suspicari licet.

III.

Græcam τῶν LXX, & Latinam vulgatam versionem omnes fere sequuntur: *quod Deus in synagoga deorum steterit.* cum in Hebræo sit, *Deus stat in cœtu Dei*, id est, suo, ut *Pagninus* recte explicat, & à violentis glossis aliorum defendit *Sixtinus Amama.* Et *Apolinarius* quidem, συναγωγὴν etiam voluit exprimere:

Antibarb. Bibl. lib. 3.

Ἄφθιτος ἐν κλισίῃσι θεῶν πανυπέρτατος ἔστη,
ἑζόμενος δ' ἀνὰ μέσσον ἄναξ μακάρεσσι δικάζει.

Ubi, quod ita concipit DEum, quasi ab initio stantem in cœtu Deorum, mox considentem, non abhorret quidem à consuetudine scripturæ, quæ & sedentem facit Deum judicantem: sed minus apte tam subito permutata phrasis forte videri possit. *Dionysius Petavius* hactenus commodius: ἐν ἀγύρει ἕστηκε θεῶν θεός: illa autem περιφράσει quæ sequitur, ὃς κατὰ πάντων κοιρανέει, non magis aliquid ad scripturæ sensum dixit, quam Apolinarius suis epithetis, ἄφθιτος, πανυπέρτατος. Uterque enim communem potius Poëtarum in describendo morem secutus est, quam vim Hebraici verbi נצב respexit, quod tanquam de præside, & qui alios, quid facere debeant, doceat, exaudiendum est. In Hebraico etiam est: *in medio deorum judicat.* quod LXX & Vulgatus commutarunt: *in medio deos judicat.* id *Paraphrastæ* sequuntur. Quanquam autem judicii illius, quo Deus in medio deorum judicat, pars sit, ipsos illos judices judicari à Deo: latius tamen patet Hebraica Veritas, & argumentum totius Psalmi, etiam in fine, non sine gravi consilio complectitur. In *Petaviano* illo μέσσος δὲ θεοὺς μετόπισθε δικάζει, τὸ, μετόπισθε explementi parum venusti rationem habet. Sacræ enim poëseos laus illi demum debetur, qui nec figuris nec licentia poëta-

poëtarum, nisi ad ingenium & ex ingenio textus Biblici aut argumenti sacri utitur. Quare nec *Buchananum* valde probarim, cum hoc primum κόμμα eleganti quidem sententia, sed paraphrasi nimis libera, si ratio dicta considere- tur, convertit:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovæ,
Qui judicantum examinabit
Nequitiam trutina severa.

Hugo Grotius, erudita ambage, consilium psalmi præstruxit, ut judices à Deo judicari regique clarius dissereret:

Formidare Deum discite judices,
Qui magnis procerum cœtibus interest,
Et suffragia regum,
Pendit consiliantium,
Secretusque foro præsidet arbiter.

Pressius insistit verbis *Eobanus Hessus*:

Præsidet in medio cœtu Deus ipse potentum,
Et judex alios judicat ante deos.

τὸ *ante*, tale nobis hîc videtur, quale *Petavii* τὸ μετόπισθε.

Secundo commate Veritas Hebraica, *Quousque*, inquit, *judicabitis*, & *facies impiorum sumetis*? Hic permutant tempus *Apolinarius* & *Petavius*, figura satis forte excusata. *Ille* quidem, prius membrum, alia figura insuper pronuntians: *quousque non judicatis incorruptæ justitiæ legibus?* v. 2.

μέχρι τεῦ ἀχράντοιο δίκης οὐ κρίνετε θεσμοῖς;

non deterius, certe, quam Petavius,

Μέσφα τίνος σκολιῇσι δίκας ἐπικρίνετε θεσμοῖς.

Quem altero membro, citra dubium vicit. Ita enim *Apolinarius*:

ἅζεσθε δὲ πρόσωπα ὑπερφιάλων ἀλεγεινῶν:

ad sensum Hebraici labii propius, nec sine erudita explicatione phraseos; *faciem sumere*, sive *personam accipere*. nisi quis velit in descriptione malorum, רשעים aliquid desiderare, cum ὑπερφιάλους ἀλεγεινοὺς vocat. ubi non ineleganter utique cogitavit, si ὑπερφιάλους vel perjurii, vel insolentiæ nota, quibus maxime rebus mala caussa exultare solet, in

judicio iniquo designavit. Nam *Petavius* elegantiam potius ex vicino quæsivit, quam phrasin expressit:

ὀλομένοις ἄχαειν χάεα ἀνθρώποισι φέροντες.

Latini retinent *futurum tempus*. Inter quos *Eobanus Hessus*,

Quo tandem usque malas leges & iniqua feretis
Judicia, & reprobos dicitis esse bonos?

de *malis legibus* assumit liberius, quam textus postulabat. *Buchananus*:

Nam fraudulentos semper & impios
(Inquit) dolosa lance fovebitis?
pauperque pupillusque vestrum
Ceu scopulum metuet tribunal?

Non ineruditum est, quod *τὸ iniquitatem judicare* ex sequentibus verbis interpretatur: quæ & alii ἐξηγητικὰ priorum credidere: quod רשעים per *fraudulentos* & *impios* ex aliis scripturæ locis explicat: quod Deo hæc verba tribuit. in quo nostram sententiam tueretur, si perseveraret in cetero contextu psalmi ad hunc modum animadvertendo. Ex sequenti commate sumsit, quod de paupere & pupillo ita huic commati inserit, ut sequenti non minus adhærere videatur. *Grotius* eleganter, & ad vim sacri Textus graviter, tum ad sensum copiose:

Vide Simeon. de Muis.

Quo tandem nocuos fine fovebitis
Auctores scelerum, nec
cedet gratia legibus?
Quisve injustitiæ stat pudor aut modus,
Venales animæ? dicite.

℣. 3. & 4. Sequitur in psalmo, quod genus injustitiæ, hactenus inprimis in judicio obtinuerit, ac in posterum emendandum sit: oppressio scilicet humilium, pauperum, pupillorum, defensoribus carentium. Quos Propheta pluribus vocabulis signanter describit ac demonstrat. omnia enim ista cumulantur & repetuntur: דל & יתום & עני & רש & אביון. Quæ *Grotius* propterea exemplis paulo verbosius inculcanda credidit. quod minus feliciter, puto, *Eobanus* tentaverat. Nam *Buchananus*, *paupertatis* & *orbitatis* nominibus defungitur. *Apolinarius*, ὀρφανικὸν, οἰκτίανον, δειλὸν, πένητα, πενιχρὸν

νεχρὸν ad copiam ſcripturæ accommodat. *Petavius* mixto numero, πτωχοὺς, ὀρφανικοὺς, mox βιότοιο χατίζοντα, μήτε μέγα φρονέοντα, πένητα κεχρημένον ἄνδρα, vocat. Adverſarios horum Propheta unica voce deſignat רשעים ſed cum appoſita *potentiæ* nota, quando de *manu* eorum eripi vult oppreſſos. *Improbi* itaque ſunt *præpotentes*, gratia, opibus, malis artibus validi. *Apolinarius*, quem contra veterum teſtimonia nimis juniores quidam contemnunt, pererudite, cum ἀμήχανον (i. e. hoc loco, κακομήχανον) appellaſſet & ἀλιτρὸν, addit annotationem ἀνιαρῆς παλάμης, *manus nocere docta, & doloribus alios afficere parata.* ubi *Petavius*, retinentior ille hic quidem textus ſacri, nil niſi χειρὸς ἀλείτεω mentionem facit. *Eobanus*, exemplo oppreſſionis uni intentus, *impium hoſtem* parum plene dixit. *Buchananus ſuperbo potentum ludibrio*, ſententiam complecti voluit. *Grotius*, *crudele dominorum jugum*, & *ſævam potentiam* huic accommodavit. Miſeros ergo illos, Textus ſacer vult *judicari* ſive jus illis dici, nec juſtitiam denegari, deinde *juſtificari*, ut habet Latinus i. e. abſolvi innocuos; denique *eripi* & *liberari* (geminatur enim phraſis) ab oppreſſoribus iniquis ac adverſariis præpotentibus. Quam diligenter conditionem eorum, qui judicibus commendantur, deſcripſerat: tam ſtudioſe officium judicum circa ipſos conſignatur. *Apolinarius* non neglexit, quæ diſtincte proponuntur: primo ἀκλεάνῃ διακρίνατε ὕβριν, *ut pauperi contumeliam paſſo jus dicatur*, ſive *ut cauſſa contumeliam paſſi cognoſcatur*; deinde δίκης ἰθύνατε θεσμοὺς, *ut juſta pronuntietur ſententia*; denique ῥύσασθε, ἁρπάξατε *ut liberetur & eripiatur pauper* κατὰ ῥητὸν ſequendo pſalmum. *Petavius* primum & ſecundum non diſtinxit, ſed ἐκ παραλλήλου explicavit: ὀρφανικοῖσι δικαίαν θέσθε, φίλοι, ψῆφον. & νίκην ἐπὶ ὔμμι ἄροιτο ſcil. pauper: tertium evolutione potentis dictionis declarat, ῥύσασθε, & ὅσσον σθένος ἐςὶν, ἀφέλκετε χειρὸς ἀλείτεω. Diſtinctionem Scripturæ non otioſam certe, *Grotius* ſatis vidit & expreſſit: *Buchananus* non attendit: *Eobanus Heſſus*, copia συνωνυμικῆς ἐξηγήσεως, ne quid omitteretur, cavendum ſibi exiſtimavit; ordini & diſtinctioni haud æque intentus.

Sequenti commate eruditiſſimus *Simeon de Muis,* agnoſcit quaſi *παρένθεσιν.* quæ res confirmat noſtram ſententiam. Quam enim eſt non dulcius modo, ſed gravius, *ἀμοιβαίως* dicta hæc ac interpoſita accipere, ex perſona Prophetæ aut Eccleſiæ? *Idem Interpres* tria illis judicibus impingi putat: τὸ לא ידעו *inſcitiam legum* intelligens, quod & *Grotio* viſum eſt: ut ולא יבינו in *cognoſcendis cauſſis oſcitantiam* notaret: ſequens membrum יתהלכו בחשכה de *corrupto judicio*, *ſive vitioſa per cæcitatem affectuum juris ſtatuendi ſive ſententiæ ferendæ conſuetudine*, exaudiretur, atque ita inferretur, *tribus his rebus omnia perverti ac ruere.* Docta cogitatio. quanquam diſcrimen triplicis illius vitii accurate ex Textu elicere, ardui forte operis ſit. Si enim de aliis, nec paucis Scripturæ locis cogitamus, quibus dequeritur Deus, homines non cognoſcere, non intelligere, quæ ipſis vel præcepta vel oſtenſa, vel denuntiata ſunt, verum ex diverſo potius vana agitare, ac temere in ſtultitia & tenebris ferri; non abſurdum fuerit hic quoque ſtilum Prophetæ ad eum modum interpretari, quaſi quis diceret: Locutus eſt ipſis Deus, corripuit eos de perverſo judicandi more, monuit, quid in poſterum faciendum eſſet; ſed illi nihil horum exaudiunt, neque memori mente reponunt; ſed potius, tanquam ſi nihil audiviſſent, nihil intellexiſſent, cæci ruunt, neque de pravitate moris priſtini quicquam emendant. Quare fieri non poteſt, quin pleraque & ſe præcipitent. *Apolinarius* & *Petavius* tria illa, *non cognoſcere*, *non intelligere*, *in tenebris ambulare*, verbis ſatis feliciter, ille quidem, ut cum prioribus cauſſæ nexu poſtremum jungeret; hic, ut *ἐκ παραλλήλου* omnia exaudiret, & prioribus ultimum *ἐξηγητικῶς* ſubjiceret, explicarunt. Quod *de fundamentis terræ commotis* graviter adjecit Propheta, *Apolinarius* non bene immutavit, quaſi *ipſi illi cæci judices commoveri & lapſare circa fundamentum totius terræ* dicerentur. Rectius *Petavius* τῷ ῥητῷ inſtitit, ubi *διάνοιαν* periculoſius quæſitam vidit. At *Buchananus* compendii venuſtatem, paraphraſtæ officio antehabuit in iſtis:

Fruſtra

Frustra monemus: lumina cæcitas
Errorquê mentes obsidet: ut neque
Compaginem rerum solutam
Justitia pereunte cernant.

Orationem Dei, quæ sequitur, κατὰ πόδα verbis Prophetæ insistens *Petavius* probe expressit. *Apolinarii* duo versus parum feliciter φιλολογοῦσι: ille, ℣. 6. & 7.

αὐτὸς ἑκὼν ἐφάμην μάκαρος πάρος ἡμέας εἶναι.

&:

ὀλομένῳ πίπτοντος ὁμοίιοι ἡγητῆρι.

In *priore* quidem, vidit pondus verborum Propheticorum, *Ego dixi*, quod exprimere conatus est: sed quod sequitur, *Dii estis*, commutatione dictionis & studio interpretationis emollivit. In *posteriore* merito ignoscas, si nemini interpretum facilem visam sententiam non ita plane declaravit. Interjecti duo versus pulcre se habent. *Buchananus* & *Grotius* multa eloquentia percoluere hunc locum: sed ut cum ceteris licere sibi putarent, si διάνοιαν quandam illorum verborum וכאחד השרים תפולו accipere mallent, quam τὸ ῥητὸν persequi.

In fine psalmi, ubi Propheta sive Ecclesia, excitata & valida ἀποστροφῇ Deum judicem appellat ac invocat, melius reddit *Apolinarius*, ἔγρεο παμβασιλεῦ, quam *Petavius*: Ὄρσεο μὴν κύδιστε θεῶν. *Illud* enim ex ipsis hujus commatis verbis sumtum est, ubi imperium omnia complexum, cujus pars est judicandi infinita potestas, Deo tribuitur: hoc, ex præclaris quidem elogiis divinis, non tamen ex ipsis verbis psalmi, nisi à consequenti, repetitur. Quod futurum *uterque* retinuit in versu ultimo, facile illis concedendum est. quamquam illud futurum nota Hebræis ἐναλλαγῆ, potius in præsenti, capiendum est. *Buchananus* in ultimis verbis, *de imperio & dominio Dei in omnibus gentibus*, non id quod dicitur, sed quod includitur, sumsit in illis: ℣. 8.

—— *cunctis arbitrio tuo*
qui regna dispensas.

Hæreditatis nomine, in Scripturis divinis plenum & indubiũ in rem dominium notari, nemo ignorat. Omnino autem valida sententia hic *judicium* & *imperium* conjunguntur. Judica

dica αὐτοδίκως, quia imperas αὐτονόμως. Judica omnes, quia imperas omnibus. & quæ plura possent ad ἀνάλυσιν hujus λογισμοῦ dici, si id nunc agendum esset.

IV.

Quando in commate secundo Hebraicum סלה comparet, quod LXX. exprimunt per διάψαλμα, Latinus omittit, hoc tantum exquirere ex eruditis velim; si est, juxta Kimhium attollendæ vocis nota, aut μέλους ἐναλλαγὴ, ut apud *Suidam* explicatur, neque melius quicquam, quod dicatur, fere occurrit, referri ne debeat ad comma cui conjungitur, an ad sequens? Mihi hoc potius, quam illud videtur, consideranti exempla, quæ habemus. Non bene autem factum puto, quod interpretes interdum omiserunt hanc voculam. Gratulari enim nobis debemus, quod hac quoque nota, de vi & proposito Textus, aliquo modo admonitos nos scriptura voluit.

v. 1. & 6. Quando bis in hoc Psalmo Judices & summæ potestates ac magistratus, *Dii* vocantur, *primo* non possumus probare eos, qui *ad omnes sanctos* hanc appellationem referunt, invito Textus scopo, qui latere non potest: *deinde*, parum considerate, *sacerdotes* hic à nonnullis intelligi, ante ostensum est. *Tertio*, rationem appellationis improprie à similitudine quadam operis divini, quale est imperaræ, judicare, desumendam, non est dubitandum. Recte adeo vicem Dei mandantis jurisdictionem gerere, dicuntur: dictante hanc interpretandi formulam Spiritu Sancto 2. *paralip.* 19, 6. Neque tamen bene philosophatur *Petrus de Marca*: *Judices à Mose (Exod. scilicet 21, 6. tum 22, 9 & 28.) & Davide* Dii *vocantur, & judicia dicuntur*, judicia Dei: *quia non principis vice, ut in ceteris Imperiis, sed divina judicabant.* Non rumpenda est series hujus contextus: Deus judicat αὐτοδίκως & infinita potestate solus; Ejus vice deinceps judicant, quicunque judicandi munus accepere: Reges sive Principes, Optimates, Populus: etiam Regis, Optimatium, Populi magistratus, Dei judicia judicant: etiam cum vice Regis, Optimatium, Populi judicare dicuntur, non ideo minus vice Dei judicant. Quæ enim in ordine tam necessario collocantur, semper ad principium ordinis referenda sunt: si non

De concord. Sacerd. ob imper. lib. 2. cap. 5.

non populari sermone, cum more hominum ordinem describere solent, ut sensibus objicitur, animo certe & scientia, sine qua nihil recte intelligitur aut dicitur. Quod si hic ad τὰ ἰδιαίτερα Theocratici regiminis velis unice respicere, exclusis aliis imperiis, multum detraxeris proposito Prophetæ, de quo ab initio.

V.

Deus deorum, inquit Propheta, stat in cœtu suo, in concilio scilicet judicum, quos sua potestate constituit, quibus auctoritate & consilio præest ac interest arbiter, moderator, judex denique. in medio quippe tali concilio judicum, quos sua vice jussit in dicendo jure fungi, eaque caussa deorum appellatione honestavit, judicaturus ecce constitit, & pronuntiaturus sententiam de ipsis judicibus. Audite, Deus loquitur & judicat! *Paraphrasis.*

Itane vos, quibus ego judicia mea mandavi, ut incorrupto animo & ore omnibus jus diceretis, tam proterve religionis legumq; obliti, iniqua omnia pronuntiare, jus gratiæ donare, personarum potius quam caussarum rationem habere, hominum improborum expeditam in aliorum injurias & instructam potentiam, auctoritatem, calliditatem, ultro præceptis meis ac innocentiæ reorum antehabere; eaq; in re tam diu patientia mea abuti audetis? Ecquem finem & modum injustitiæ facietis? Quin ad meliora tandem versi, egenorum & pupillorum, frustra hactenus tribunal vestrum respicientium caussas cognoscite, his jus dicite: inopes & pauperes, quorum ex miseria adversarii voluptatem quærere amant, absolvite. Nonne videtis pauperes & egenos premi ac urgeri, nullo vindice? Eripite illos, agedum, de manu præpotentium, inquam, & factiosorum hominum, quos improbitas sua iniquos, auctoritas audaces facit, liberate miserum & innocuum gregem, qui & extra judicium vexatur, & in judicio succumbit. Hæc Deus, magna castigationis & admonitionis majestate.

At illi, qui moniti meliora sequi debebant (inquit iterum Propheta, Ecclesiæ plerumque catholicæ voce in talibus loquens) nihil horum perceperunt, nihil intellexerunt. ne enim perciperent, ac intelligerent, aures suas obturarunt: projectaque omni juris & æquitatis, tum officii reverentia, cæcam animi lubidinem secuti, in tenebris pravitatis

vitatis suæ malunt ambulare, quam luce divini monitus illuminari. Quo fit, ut oberrantibus, & lapsantibus, & ruentibus iis, qui alios sustinere debebant, orbis terrarum à fundamentis concuti videatur, omnisque vitæ ratio & ordo & modus pervertatur; felicitas denique publica cum privatorum fortunis pessum eat. Itaque, qui non auscultarunt Deo ad saniora consilia revocanti, nunc audiant, haud mollibus minis intonantem. Iterum enim obstinatos alloquitur:

Dixi equidem, nec muto, deos vos esse Deiq́, altissimi filios, quicunque reip. regendæ & justitiæ administrandæ à me præfecti estis. meam enim vicem obtinetis, mea negotia geritis, cum his fungimini muneribus. Cujus nominis dignatio, religionis vos & industriæ admonere, non erigere in superbiam & auctoris vestri contemtum debuit. Aliena sunt ista non propria, quibus sanctitas officii attollitur, neque conditionis fragilitas aboletur. Mortales enim non desinitis esse, cum divina vobis nomina mutuor. Eadem moriendi necessitas vos manet, quæ reliquos homines. Sicut ubivis gentium leto datos cum infima plebe superbos Principes ac tyrannos cernitis: ita vestra vos in sepulcrum hora ducet. inevitabili cadetis lege, casumque, nisi resipiscitis, pœna sequetur comes, nunquam finienda. Dixi, nec muto, nemo evadet.

Finierat in hæc verba Deus: cum Propheta ad Deum Judicem supremum conversus, in eo solo præsidium innocentiæ repositum intuetur, ac non sine gratulatione amplectitur iñotam adjuvandi afflictos voluntatem; fac, *inquiens*, Domine, quod facere te ostendis: exurge in auxilium pauperum & miserorum: judica eos secundum justa sua; absolve ab interitu, quem machinantur improbi: eripe de violentis oppressoribus; libera de potentibus inimicis eos, qui derelicti à terrestribus diis omnem in tua justitia spem collocant. Judica, quicquid toto terrarum orbe correctione & animadversione opus habet: judica ipsos judices, qui solus & unus es omnium judex gentium nationumque. Tu judex es universæ terræ, quia dominus. dominus jure optimo, maximo, unico: cujus est possessio, quicquid universitate rerum continetur. Ita fac, qui maria terrasque, qui urbes & regna temperas, regnator omnium Deus maxime. sic tua semper laus & gloria cælo terraque concelebretur!

XVI.

ANNOTATIO HISTORICA, Scripta 1648.

De

PASSAGIIS,

Ad Orationem

Æneæ Sylvii, ſuper hoc argumento Romæ habitam.

DE Paſſagiis annotare quædam cupienti, non incommode materiem præbere poteſt, *Oratio, quam Æneas Sylvius, Epiſcopus tum Senenſis, poſtea Pontifex Pius* II. *anno Chriſtiano* MCCCCLII *juſſu & nomine Friderici* III. *Imperatoris in Italico itinere ex Neapoli Romam reducis, ad Nicolaum* V. *Pontificem habuit*; neque exhortationibus modo ad propoſitum Cæſaris juvandum valide inſtigavit Nicolaum, ſed totam ſimul Paſſagiorum declarationem, partite diligenterque executus eſt. *Oratio de Paſſagio.*

Utrique autem & Friderico Imperatori, & Æneæ Sylvio tribuitur ſingulare & indefeſſum belli Turcici ſtudium; quod graſſante nimirum longe lateque Turcorum potentia, eaque rei Chriſtianæ mala minitante, quæ ſubinde conſecuta ſunt; & ante Conſtantinopolim captam, juſtus metus, & poſt irreparabilem cladem Orientalis imperii, pudor ac atrocitas horribilis damni, bonis cordatisque viris commendavit. Fuerunt itaque illa tempora, tum aliis nominibus vere fatalia, tum deliberationibus de Paſſagiis, quanquam non *ſemper efficacibus, veluti ſolenniter occupata. Poſt captam à Turcis Conſtantinopolim* (ita ſcribit *Jo. Anton. Campanus de comit. Ratisbon. an.* 1461.) *& Græcorum imperium deletum, ſæpe Romani Pontifices, Fridericus Cæſar, qui reipubl. Chriſtianæ gubernacula tenent, conati ſunt reliquos noſtræ* *habita nomine Friderici III. Paſſagiorum ſtudioſiſſimi Principis.*

religionis Principes ac potentatus, contra sævissimos hostes in arma cogere. Et Cæsar quidem, cum externi dicto minus parentes viderentur, inter suos Germanos, crebros celebravit conventus, ut quantum in se esset saluti Christianorum consuleretur, nunc Francofordiæ, nunc Ratisbonæ, nunc Norinbergæ, nunc Viennæ, nunc aliis in locis convocans: nec prætermisit interea ceteros Reges ac Principes litteris ac nuntiis hortari, ut communi consilio expeditionem sumerent in communes hostes. Pontifices vero Romani, qui per hæc tempora præfuere Nicolaus, Calixtus, Pius, & Paulus nunquam destiterunt Christiani orbis præsides litteris & assiduis legationibus hortari, monere, rogare, ut relictis intestinis odiis in religionis & libertatis nostræ hostes arma converterent. Idem *Campanus*, cujus testimonio de industria usus sum, aliàs Friderici teporem in hoc negotio perstringit: contra alii, Cæsaris studium, negligentiâ Principum sufflaminatum tradunt. vide *Cuspinianum in Constantino* VIII. qui alibi (*Bajazethe* II. *Othom*:) eodem fato Maximilianum Imperat. conflictatum testatur.

pag. 422.

Oratore Ænea Sylvio, ejusdem propositi amantissimo.

Æneas ipse Sylvius, quanta contentione, dum adhuc speciosi ministri apud Fridericum Cæs. locum teneret, in Conventibus Ratisbonensi, Francofordiensi, itemque, in Nova civitate; tum legatus ad Calixtum Pontificem, negotium Passagii tractaverit; quomodo deinde Pontifex factus nunquam id propositum omiserit, imo in ipso conatu expeditionis talis, immortuus fuerit: *Platina, Stella, Campanus,* qui vitam ejus condiderunt, abunde prædicant. Certe civilis vitæ operisque, hanc veluti nobiliorem partem, solenrioremque occupationem constituisse Æneas videtur.

Materiam accurate complectitur.

Nobis præcipua ratio hujus annotationis ex ipsa *oratione* petenda est: quæ inter *Sylvianas* de hoc argumento superstites maxime præcellit, & ad expositionem rei penitus accommodata est. Edita est *in operibus Æn. Sylvii inter Epistolas, num.* 399. repetita correctius ex MSC. Palatino; *à Marquardo Frehero tom.* 2. *rer. Germ.* Nam *editor consiliorum de bello Turcico*, etiam cum non nominatur, intelligitur.

Occasio orat.

Inserta est etiam *historiæ MSC. De rebus Friderici* III. quam

quam penes me habeo; ubi occasio orationis in hunc modum perscribitur: *Triduo Cæsar, ex Neapoli reversus Romæ mansit. Pridie autem, quam recederet, ingentes grates Pontifici Maximo sacroque Cardinalium collegio reddidit, quod sibi benigni magnificique fuissent. Æneæ deinde commisit in publico consistorio, ut statum Christianorum, qui per Syriam, Ægyptum, Asiam, Græciamque sub Soldani magnique Turci imperio opprimuntur, exponeret, utque Hungari proximis annis horrendas clades perpessi essent. Timendum esse Constantinopoli, ceterisque civitatibus Græciæ Christianam fidem habentibus; succurrendum oppressis, diceret; Passagium suaderet, operas atque vires imperii in ipsum negotium offerret. Quibus de rebus adeo efficaciter Æneas verba fecit, ut pluribus circumstantibus lacrymas extorserit. Cujus orationis, quoniam futuri præscia fuisse videtur, inserere hoc loco tenorem, non alienum putavi.*

tionis habetur in MSC. Æneæ historia, ubi præter edita volumina, oratio ipsa repetitur & ab auctore emendatur.

Non pigere me debuit mentionem fecisse Manuscripti, quod è magni quondam Principis ac Herois munificentia profectum, tandem ad me fortuna detulit. Ait in præfatione Sylvius, mandatum sibi à Friderico, quem alloquitur, ut bellum, quod Australes adversus Cæsarem gesserunt, scriberet; additque postea: *Non solum hoc bellum australicum, sed alia quoque de tua vita, quam plurima, simulq; tuæ domus originem, & quæ nostris* (videtur excidisse vox, *temporibus*) *gesta in Europa didicimus memoratu digna, in unam historiam congregemus.* Initium est: *Friderici Tertii Romanorum Imperatoris, qui fuit Arnesti Ducis Austriæ filius, scripturo mihi res gestas, haut ab re visum est, de situ Austriæ, de gentis moribus, de nobilitate majorum, pauca præmittere, quibus historia magis ac magis aperta reddatur.* Definit sive potius deficit, in motibus Australibus, in hæc verba: *Major regni vis adversus Johannem sentire videbatur, multumque illi Comes Ciliæ adversus credebatur, tanquam illo ex gubernatione dejecto locum ejus occupaturus. Platina* de operibus quibusdam Sylvii imperfectis ita memorat: *Bohemicam historiam perfecit, Australem imperfectam reliquit. Aggressus est historiam rerum ubique locorum suæ ætate gestarum, quam negotiorum multitudine oppressus imperfectam reliquit. Commentariorum de rebus à se gestis libros duode-*

 cim

cem scripsit, tertium decimum inchoavit. *Trithemius* in catalogo operum Æneæ, *historiarum opus imperfectum* ponit. *Campanus: Rerum sui temporis in Italia gestarum libros duodecim, quod opus nondum absolutum in vita finivit, vetuitque publicari, nisi emendaretur.* Ex his, ut arbitror nihil ad MSC. nostrum pertinet, nisi forte *historia Australis imperfecta* Platinæ notata. Præsertim hic attendenda est *Cuspiniani* annotatio; qui, *Æneas Sylvius*, inquit, *Friderici* III. *res gestas peculiari opere orsus, morte præventus absolvere non potuit.* *Idem Cuspin. in vita Friderici*, laudat *historiam Austriæ de Friderici gestis Sylvii Ænea*, quam *nondum editam, paucis cognitam* affirmat. Certe ipsissima verba Æneæ, quæ in MSC. hist. habentur, describit ac imitatur *Cuspinianus*. Sed hæc obiter de MSC. in quo non pauca leguntur memoratu digna, quæ frustra alibi quæras.

In Cæsarib. p. 484.

Oratio ipsa de Passagio, sententiis gravior, quam verbis ornatior, ut sunt fere hujus Auctoris scripta, tali inchoatur exordio.

Exordium orationis partim ex edit. partim ex MSC. exhibetur.

Moyses, vir Dei, Beatissime Pater, Maxime Pontifex, cum sibi successorem ordinaret Jösue filium Nun, divinam vocem ad se dicentem audivit: *pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum, ad verbum ejus egredietur ipse & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo.* Quibus verbis non populi solum, sed Reges & Principes admonentur, magnis in rebus (MSC. addit: *etiam bellicis*) summi sacerdotis & consilium quærere & imperium sequi. Quod postea in Novo Testamento, & in tempore gratiæ multis exemplis & auctoritatibus est firmatum: sicut & Constantini M. & Theodosii & Justiniani & aliorum Christianorum Cæsarum gesta testantur. Eam ob caussam cupidus atque avidissimus divus Cæsar Fridericus Romanorum Imperator Augustus, filius tuus obsequentissimus, suo tempore (MSC. *suis diebus*) adversus impios Mahometi cultores generale passagium fieri, atque in illud suum studium, suasque curas omnes convertere (MSC. *s. stud. s. curas, suasque vires o. c.*) te prius magni Dei vicarium, Christianæ plebis sacratum, religionis magnum caput

caput (MSC. simplicius: *Christ. pleb. sacr. caput*) perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magistrum, & consulendum, & sequendum censuit (MSC. *existimavit*) cujus providentia noscere, auctoritas monere, potestas implere possit, quod sit agendum. (ita MSC. habet. vulgo; *potestas cogere potest, quid s. a.* in Freheri editione. In epist. Æneæ: *potestas implere potest, quid s. a.*) Venit igitur ad te hodie tuumque sacratissimum senatum Cæsar (MSC. pro sacratiss. *gravem & ornatissimum senatum* ponit) super universali passagio cum tua beatitudine locuturus (MSC. *tractaturus*) Coronatus enim jam triplici corona, ejusque regni tua beneficentia Rex confirmatus, cujus potentiam Daniel ferro comparavit, cujus limites solus claudit Oceanus, cujus fundator Romulus, confirmator Julius, ampliator Augustus, approbator Dominus Jesus fuit, cujus auctoritas in terris, nisi tuæ cedit nulli; cujus officium est parcere subjectis & debellare superbos; quid aliud cogitet quam passagium (in MSC. sic legitur post, *cujus lim. sol. claud. Oceanus: cujus fundator Octavianus, confirmator Dominus Jesus fuit, quod Romana semper Ecclesia magni fecit, extulit, honoravit, cujus auctoritas in terris nisi tuæ cedit nulli: cujus officium est patrocinari ecclesiæ, tueri religionem, parcere subjectis & debellare superbos. hujus, inquam, regni solium adeptus Cæsar, quid aliud cogitet, quam passagium*) per quod & Christiani fortiores, & inimici nominis Christi (MSC. *hostes fidei*) reddantur imbecilliores. Princeps, inquit Sapiens, quæ sunt digna Principe, cogitabit. Reges apud Medos, ut Herodotus, apud omnes, ut Cicero sensit, justitiæ fruendæ caussa sunt creati, velut (MSC. omittit hoc *velut*) injuriarum propulsatores. Qui si Platoni (MSC. addit *magno*) voluerint auscultare, ceterisque philosophis recta monentibus obedire, procurationem reipubl. non ad suam, sed ad eorum qui sibi commissi sunt utilitatem gerere debent (MSC. *convertere conabuntur*) Atque hoc est quod de passagio Cæsarem & solicitum & anxium facit.

Duo potissimum hic dicuntur: *Passagii curam vere dignam esse officio & auctoritate Principis Christiani, & præsertim* *Impe-* *Passagiorum dignitas:*

Imperatoris Rom. cujus majeſtas, uſitatis fere præſtantiæ notis, hac occaſione extollitur. Tum, *ſequendum in hoc negotio, ſummi Pontificis conſilium arbitriumque.* *Prius* illud veluti ſolennem & ordinarium, commendationis deliberationisque locum, in hac materia ſuppeditat: neque quidquam eſt in conſiliis de bello Turcico frequentius, quam laudata militiæ adverſus Chriſtiani nominis hoſtes ſanctitas, gloria, utilitas, in cuſtodienda Chriſtianæ Reipubl. pace ac ſecuritate, in vindicando jure, in proferenda amplitudine; & quæ ſunt hujus generis cetera. *Alterum*, facile poſſet forſan ſtare, ſicut ſcriptum eſt, (neque enim oratorum conſuetudo, ſtilus, figura in hoc genere repudiatur, ubi de mente conſtat) niſi labes temporum nota eſſet. Merito igitur ipſe Auctor correxit, quod de vi *cogendi* dixerat. non enim arbitramur quenquam futurum, quin MSC. hiſtoriæ, in qua Æneas ſuam orationem repetiit, atque ita formavit, ſicut in poſterum eam legi vellet, plus deferendum intelligat, quam editis, ſicut primum perſcripſerat, exemplis, quanquam ne in epiſtolis quidem Æneæ editis, vox *cogendi*, habetur; ſed *implendi*. Paſſagii ſuſcipiendi jus proprie & vere competit non Pontifici Rom. aut Paſtoribus, „ ſed Principibus atque Regibus. Hi ſubditos, juſſu & „ mandato atque vi cogendi convocare; non ſubditos, & „ ſtatus liberos, fœdere, ſocietate, perſuaſione in commilitium conducere poſſunt. Epiſcopis & Paſtoribus „ non alia hic auctoritas eſt, quam *ſuadendi*, quæ Eccleſiæ „ & Reipubl. Chriſtianæ utilia, & *declarandi*, quæ pia, „ ſacriſque congruentia ſcripturis ſunt. Laudabiliter omnino faciunt Principes, qui in conſultandis rebus gravibus, etiam bellicis, piorum & doctorum Paſtorum „ ſententias audiunt: ſed hoc in regulis prudentiæ eſt, „ neque jus agendi in ſummis poteſtatibus definit, ſed „ modum juris exercendi commendat. Ita explicabis, „ quæ diſputat hac de re *Ambroſius, epiſtolis* XXIX. *&* XXX. „ Atque hoc ipſum eſt, quod ab exemplo ſummi Sacerdotis in V. T. ad N. T. tempora, & Chriſtianorum actiones accommodari poteſt. cetera diverſa ſunt, neque trahi

Jus & cura ad quem ſpectet.

trahi huc debent : cum sacerdotes & prophetæ V. T. " partim divinis responsis & oraculis ad singula informati, " partim non sacræ modo functioni destinati, sed conjun- " cta civili potestate instructi, aliquando potuerint consi- " lio imperium adjicere, vel ut divini præcepti promul- " gatores, vel ut rerum sibi commissarum arbitri. Re- " movendæ ergo hic sunt quædam hypotheses Pontificiæ: *vel* quatenus exemplum sacerdotum V. T. in alia quam debet, extenditur; *vel* quatenus sacerdotes superiores Regibus constituuntur, ideo, quia ab ipsis consilium petere jubentur; *vel* quatenus Rom. Pontifici arbitrium belli pacisque ita tribuitur, ut Principibus mandare & definire, utriusque generis actiones possit. Et, ut redeamus ad Pas- " sagia, jus Passagii non esse potest in alterius manu posi- " tum, quam, cui Deus gladium tradidit. gladio enim jus " belli, & omnis δύναμις ἀναγκαστικὴ, Ecclesiæ defensio, " hostium propulsatio & ultio, ceteraque hujuscemodi " continentur. Κολακευτικὰ itaque sunt nonnulla, quæ Æneas tum in exordio hoc, tum prope finem orationis ponit; ubi ista legas: *verum quamvis examen imperatorium sic de passagio sentiat, totum tamen & consilio & judicio tuo relinquitur* (hactenus non incommode, si de consilio requisito, & judicio sponte Cæsaris delato exaudiretur. sed quæ sequuntur, ejus generis sunt, qualia paulo ante perstrinximus.) *qui ligandi solvendique claves accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes jam cum Christo regnantium; cujus est inter sanguinem & sanguinem, inter caussam & caussam, inter lepram & lepram judicare.* Cetera, quæ huc pertinent postea dicemus, cum orator noster, Urbani, passagium convocantis exemplum commendabit.

Obiter de coronatione Imperatoris per Pontific.

Nunc in transitu aliquid notabimus ad illa verba, cum Æneas inquit: *Coronatus jam triplici corona, ejusque regni tua beneficentia rex confirmatus, cujus* &c. *De Triplici corona Romani Imperatoris*; ut &, *de affectato Beneficio coronationis Pontificia*, nota sunt quæ scriptores Juris Publici tradiderunt. Sufficiet, vel *Ampliss. Limnæum nostrum* nominasse, J. P. II, 4. & *Declarationem pro jure Regio*, quæ inter opera Se-

Sereniſſimi Regis Jacobi Brit. habetur. Satis etiam in hac quæſtione jactantia Papalis confutata eſt ab iis, qui de *Translatione imperii* adverſus Bellarminum ſcripſerunt. confer cum *Flac. Illyric. Fr. Junii* annotationes, & *Arniſæi* opuſculum, indice, quem diximus, præſcriptum. *De coronis* autem *Imperatoriis*, non poſſumus non h. l. *digreſſionem* Æneæ Sylvii ex MSC. noſtro, lectori ſtudioſo communicare. *Libet hic* (ita poſt deſcriptam coronationem Friderici III. orditur) *pauca de Coronis dicere, ne ſtulte videamur eorum opinioni conſentire, qui tres coronas Imperatori neceſſarias ajunt, Teutonicam, Mediolanenſem, Romanam; & unam argenteam, alteram ferream, tertiam auream eſſe contendunt, multaque de metallis ſermocinantur: inter quos etiam legum interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quid ſignificet aurum, plurimis verbis explicare laborantes. atque ut aurum ceteris metallis; ſic R. imperium ceteris regnis præſtabilius eſſe confirmant. Verum cujuscunque materiæ corona fuerit, ad paraboliſandum idonea videri poterit. Nos autem coronarum numerum nullum eſſe certum novimus, priſcosque Cæſares ab Auguſto usque ad Aurelianum nulla uſos corona didicimus. Siquidem hic primus fuit, ut Eutropio placet, qui ap. Romanos diadema capiti junxerit, gemmisque & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, uſus eſt. Scimus quoque diadematis conſuetudinem priorem eſſe corona, & aliquid alterum ab altero differre. Verum poſteaquam Romani Pontifices* (deeſt aliquid) *Romæ Cæſares coronari, neque alia corona quam Romana eſt opus. At cum regnum Alemaniæ ad imperium pleno jure pertineat, placuit Aquisgrani, ubi ejus regni ſedes eſt, Imperatorem veluti Regem Alemannorum coronam ſuſcipere, ne ſuum genti decus ablatum videretur. Idem quoque de regno Longobardorum obſervatum eſt, quod ſubactis Longobardis non in formam provinciæ redactum eſt, ſed ad imperium ſub honore regni receptum eſt. Simili modo de regno Burgundorum obſervavit antiquitas, quod Boſonem Imperatoribus legimus tradidiſſe, cujus corona in Arelato ſuſcipitur. Idem futurum putarem, ſi quod ulterius regni dominium ad imperatorem devolveretur. Has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo, quamvis per medium circulum coronæ Mediolanenſis lamina*

itemque de coronis imperatoriis, Æneæ digreſſio.

lamina quadam parvula ex ferro ducatur, quæ stultæ interpretationi efficit locum. Quippe Daniel Propheta, quatuor orbis regna majora describens, ultimum, quod nostri Romanum esse volunt, ferro comparavit; quoniam sicut ferrum omnia metalla comminuit, sic omnia regna R. imperium detrivit. atque tantum de coronis hoc loco sit dictum. Postea, cum de coronatione Germanica, & Romana, quædam historiæ inseruisset, subjicit: *In eo autem sedes Romana consuetudini lapsa deservit, quod Romanorum regem, Aquisgrani coronatum appellat, quem Theutonicorum melius nominaret in Imperatorem electum, sicut ex præcessoribus fecisse nonnullos invenimus. Sed nulla de his rebus tradi certa regula potest. nulla in rebus humanis soliditas. consuetudini omnia serviunt, quæ sæpe ex malis initiis ortum habet.* Quam postremam confessionem & *ἐπιείκειαν* magni soleo facere. prodit enim luctam animi, & in ipso studio ornandi Papalis ambitus, quiddam candoris refert. Cetera animadversione prosequi, ab hujus loci instituto alienum est.

Orationem suam bene ac plene partitur Æneas in hunc modum. *Partitio orationis & argumenti.*

Super qua re dicturus ego, quæ sua mihi majestas imperat, oratiunculam meam tres in partes dividam. In prima dicam, quid sit Passagium, quod quæritur (MSC. *petitur*) In Secunda, cur petatur: In tertia, facile ne passagium fructuosumque sit futurum. Quibus in rebus si longior oratio fuerit (M S C. *si longior fuero*) cum rerum magnitudine comparetur (MSC. *c. r. m. verba comparentur*) sic fortasse brevior videbitur (MSC. *sic f. b. apparebo*) Ero tamen revera brevis (MSC. *imo ero rev. brevis*) quoniam, Ennodio teste, sola brevitas commendat indoctos. (MSC. *Nam docti dicere multa possunt; sola brevitas, ut Ennodius ait, commendat indoctos.*)

PARS I.

Quid sit Passagium.

SEd jam primum absolvamus. Passagii vocabulo nihil aliud *Orationis pars I.*

aliud designamus, quam militarem expeditionem numerosissimam adversus infideles, per Christianos (MSC. *per Romanum Pontificem*) indictam, quam si (MSC. *qui*) sequuntur, cruce signati plenariam peccatorum remissionem merentur, (MSC. *addit: & assequuntur.*) Appellaturque Passagium sermone Italico, quasi transitus. nam sicut aves quædam gregatim (MSC. omittit *greg.*) certis anni temporibus de regione in regionem transeunt, dicunturque passagium facere: sic & Christiani nonnunquam sumtis armis turmatim (MSC. *trans mare*) incedentes, atque in hostes fidei ex Apostolicæ sedis jussu prosilientes, & visi & dicti sunt passagium habuisse. neque verum passagium videri potest, (MSC. *nunquam tamen ver. passag. dici potest*) nisi multorum fuerit populorum; qui migrare magis novas sedes quæsituri, quam bellaturi videantur, sicut Cimbrorum in Italiam inundatio, ac Gotthorum & Hunnorum excursio (MSC. *qualis Gallorum, Cimbrorum, Goth. Hunn. in Ital. inundatio fuit.*)

Vox Passagii. Antequam descriptionem Passagii excutiamus, de voce dicendum est, quam ab Italis acceptam vult Æneas, nam horum *passare* & *passagio*, transire, transitus, nota sunt. referuntur tamen denuo ista ad Latinam originem, sive ad vocem *passus*: sicut confirmat *G. Jo. Vossius in Latinobarbaris* III, 3. ubi ex Auctoribus, qui confusanea linguâ Latinis barbara commiscuerunt, ostendit: *Passagium* sive *Pasuagium*, *Passuagium*, *Passigium*, *Paagium* notare *iter* seu *transitum* communiter. 2. seorsim *expeditionem*, quæ hic spectatur: atque tum interdum, differentiæ caussa, additur; *generale passagium*. 3. *tributum, quod à viatoribus exigitur.* 4. *tempus transmittendo mari idoneum.* sic præter loca *Vossio* notata, *Epistola R. Ludovici: passagium mensis Maji & Aprilis*: item *passagium sancti Johannis* nominat. *Oliverius de capt. Damiatæ; Instabat jam passagium vernale.* Nomenclator vocum barbararum in Bernhardo: *Passagium. Epist.* 119. *aliquando accipitur pro tempore profectioni destinato, ut apud Matthæum Paris. pag.* 515. Item, *pro viis publicis p.* 445. *imperator jussit passagia districte custodiri.* Item, *pro naulo sive telonio*

nio à viatoribus caussa mercium exigi solito, sicut hoc loco apud Bernhardum. His addas licet *Glossarium voc. semibarb. in Matth. Paris. Wilhelmi Watsii.* Est & alia significatio vocis apud *Freher. tom. 2. rer. Germ. p. 161. Sixti P. P. IV. Passagium, sive bulla exhortans Principes Christianos ad sacram expeditionem in Turcos suscipiendam, missa Philippo Palatino Electori, anno* 1481. Quatenus huc pertinet vocabulum, nonnunquam adjiciuntur aliqua. *Passagium terræ sanctæ, Passagium ultramarinum*, in epistolis *Marini Sanuti Torselli*, & alibi.

Aliis nominibus dicitur, *sacra expeditio in Turcos*, ut in *Bulla Sixti*: *subsidium terræ sanctæ, Expeditio Hierosolymitana, Iter sanctum, Via Dei, conspiratio & conjuratio sanctæ viæ Hierosolymitanæ*, apud *Albertum Aquensem*, & *Guibertum Abbatem*, aliosque. *Marinus Sanutus* alibi definit, *acquisitione terræ sanctæ & consumtione pessimæ sectæ Mahumeti.* Apud *Matthæum Westmonasteriensem* a. D. 1195. Cœlestinus dicitur admonuisse Prælatos Angliæ, *super promotione terræ sanctæ.* Ceteris Scriptoribus, *bellum sacrum, sacra militia, bella Domini hoc sensu vocitantur.*

In descriptione Passagii, abludunt à vero, & ad ὑπόθεσιν aulæ Romanæ, temporumque labem pertinent, quæ *de Pontifice*, itemque *de expeditionis merito*, habentur. Pontificis & Pastorum non aliud quam consulendi, exhortandi, rogandi munus in suscipiendo passagio esse posse, jam ante diximus. Hinc ipse Æneas, prima cogitatione cautior, *per Christianos indictam expeditionem* descripserat, posterioribus curis non in meliora, sed in ea, quæ sedis Romanæ illecebris instructa, magis blandiebantur, abreptus, Pontificem hìc quoque τὸ πᾶν fecit. Pontifices enim, ut alia jura Principum Regumque, ita hoc belli jus in se traxerunt, sub prætextu, religionis curandæ, Ecclesiæ juvandæ, gregis Dominici à lupis custodiendi. qualia schemata Bullæ Papales, super Passagiis, quasi ad munus Pontificium pertinentibus, præferunt. Accedit quod celeberrimi illius Passagii, quod auspiciis Henrici IV. Godofridus Bullionius fecit, origo speciose ad Urbanum II. Pontificem refertur; quem Petrus Eremita (primus hic passagi-

Descriptio Passagii.

Pontificiæ dominationis ὑπόθεσις.

ſagiorum ſuaſor jactatur) adierit, ad indicendum paſſagium extimulaverit; qui in concilio Claromontano ſua auctoritate & eloquentia monitos homines ad ſacram expeditionem impulerit. Qua de re, præter hiſtoricos, Æneæ oratio ita prædicat: *At Urbanus anteceſſor tuus, cum vexaretur à paganis orientalis Eccleſia, Saracenique terram ſanctam invaſiſſent, motus Alexii, qui Conſtantinopolim tenebat, precibus, & aliorum Chriſtianorum, qui ſub tributo Turcorum vitam agebant, rogatibus excitatus gravi & laborioſo itinere in Galliam profectus maximum exercitum comparavit, quibus nullæ Saracenorum copiæ, nullæ vires obſiſtere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent, & Hieroſolymam obtinerent. Unde adhuc & Urbani, qui convocavit Paſſagium, & Gotfridi, qui duxit, illuſtre nomen habetur, quamvis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni.* Operæ pretium eſt, obſervare artem Pontificum in hoc genere. Urbanus enim non alias ab initio partes, quam ſuadendi, rogandi, monendi Principes, ſibi deſumſit: additis pollicitationibns & ſpe gratiæ cœleſtis. quod vel oratio ejus poteſt oſtendere, deſcripta *Roberto Monacho, Baldrico Archiepiſcopo Hiſtor. Hieroſ. lib.* I. *Fulcherio Carnotenſi in geſtis peregr. Franc. cap.* 1. *Guiberto Abbati hiſt. Hieroſol.* II, 4. *Wilhelmo Tyrenſi hiſt.* I, 15. Ab his initiis eo progreſſi ſunt, ut Paſſagia Principibus imperarent, mandatis cogerent, minis urgerent, ſicut Bullæ Papales & monumenta hiſtoriarum demonſtrant. Imo Clemens V. Vienneſi concilio (an. 1311.) cum in Palæſtinam moveri vellet, mandata ſua usque ad Angelos extendere, non eſt veritus. Quantum ad Urbanum attinet, non tam publica Chriſtianorum cauſſa ſe in Galliam contulit, quam ſpecioſæ rei prætextum, cum in Galliis revera quaſi exularet, in occaſionem auctoritatis reparandæ convertit. Metus eum, non cura paſſagii in Galliam detulit. Diſcas id licet ex *Willermo Tyrenſi* I, 13. *Sigonio de regno Ital. anno* 1094. *Nicol. Machiavello hiſt. Florent.* I. ipſoque, dum diſſimulando cauſſam prodit, *Sabellico Ennead.* IX, *lib.* 3. Non eſt autem mirum Pontifices in cauſſa Paſſagiorum ſibi arrogaſſe, quæ Principibus ac Cæſaribus debebantur, cum Paſſagiorũ origo incidat in ea ipſa tempora,

pora; quibus dominatio sedis Romanæ, suprà majestatem civilem, Hildebrandi præsertim ausu, qui & Gregorius VII. fuit, invalescere cœperat. Neque vero mandatis modo, sed ductu, Passagia moderari Pontifices aggressi sunt. Æneæ Sylvii exemplum & judicium hic præcipue nominare debemus: qui in Bulla de profectione in Turcos (an. 1463.) cum suum caput periculis se objectaturum promisisset; *Non desunt*, inquit, *qui murmurantes ajunt: Quid ages in bello senex, ægrotus, sacerdos? Non est bellare tuum, nec potes nec debes ferire gladio, qui loco ejus suffectus es, cui præcipit Dominus, ut gladium in vaginam mitteret. Reges tuo jussu tenentur enses exerere: tuum est justa bella gerentibus benedicere. Fatemur, non convenit nobis effundere sanguinem, quando per alios possumus justitiæ fideique necessitati subvenire.* Legenda sunt etiam sequentia, ubi, necessario tempore bella clericis licita, seque exemplo, præsentia, precibus, non gladio pugnaturum, affirmat. Passagii illius primi Episcopus Podiensis, vice Apostolica, sive loco Pontificis præfuturus, dux lectus memoratur à Scriptoribus ante nominatis. Atque ne miremur Pontificem belli ducem, in concilio Carnotensi, S. Bernhardus dux Passagii electus est (an. 1146.) quod ipse excusat, & quam alienum à sua professione sit, ostendit, in *Epistola ad Eugenium Papam*; quam *Baronius* etiam describit *tom.* XII. *an. quem prædiximus.* Nimirum hæc fuit illorum temporum confusio in administratione rerum sacrarum & civilium, & zelus quidam sive ardor & in agendo impetus, nulla disciplinæ rectioris peritia eruditus; cujus ea memorantur opera, quæ ne admiratores quidem talium nominum, sine rubore recognoscunt.

Indulgentia & privilegia Passagii.

Quod in descriptione, *de merito passagii* dicitur, quasi omnes qui tali expeditioni nomina dant, *plenariam peccatorum remissionem mereantur & assequantur*, rursus ad errores Papales pertinet: dum partim de meritis operum humanorum jactantius quam verius prædicare; partim veniam peccatorum, & beneficia cœlestis gratiæ, pro libitu impertiri aut denegare, Pontifices nimis quam secure, etiam dictis Scripturæ abusi, instituerunt. Quæ res abunde est

 per-

perscripta in *Bullis Passagiorum*, ubi & alia privilegia hujus militiæ enumerantur. *Matthæus Westmonasteriensis in an.* 1096. *Nec adhuc soluto concilio concessa est à Papa, cui concessa est potestas à Domino, vice B. Petri, ligandi atque solvendi super terram, generalis indulgentia peccatorum, se cruce signaturis & jam signatis.* Id Scriptor, in anno præc. *rependi Christo, pro ipso scilicet moriendo, vicissitudinem*, à militibus Passagii, satis temerarie autumat. Quid enim de merito hujus militiæ senserint, utique constat. Possit videri colorem huic rei concinnasse ex primo Passagio *Albertus Aquensis*, qui *histor. Hierosol.* l. 5. visionem & data Petro Eremitæ mandata sic claudit: *suscitabis corda fidelium ad purganda sancta Jerusalem, & ad instauranda officia sanctorum, per pericula enim & tentationes varias, paradisi portæ nunc aperientur vocatis & electis.* Interim hæc erat illecebra, ad congregandos in hanc militiam homines comparata. Altissiodorensis: *Anno Domini* 1210. *grandis iterum fit motio nostrorum, tum propter zelum fidei fidelium animis accensum adversus fidei corruptores, tum propter pœnitentiarum remissionem à sede apostolica repromissam.* Hoc stipendium quasi militiæ sacræ destinabatur. *Pro stipendio erat Indulgentia peccatorum proposita*, inquit *Baronius, tom.* XI. *an.* 1095.

Crucis signum, tessera passagii.

Etiam tesseram hujus militiæ, *signum crucis*, descriptioni inseruit Æneas. *Gesta Francorum*, de primo Passagio: *Franci audientes talia protinus in dextra cruces fecere suere scapula.* Et huc accommodant verba Christi: *si quis vult post me venire abneget seipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Baldricus: *statim omnes in vestibus super amictis consuerunt sanctæ crucis vexillum. Sic enim Papa præceperat, & iturus hoc signum facere complacuerat: quippe prædicaverat summus Pontifex, Dominum dixisse sequacibus suis: Si quis non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Idcirco debetis*, inquit, *vobis crucem coaptare vestris in vestibus: quatenus ex hoc tutiores incedatis, & hi, qui viderint, exemplum & incitamentum suggeratis.* Adde *Robertum hist. Hier.* I. & qui hunc sequitur *Blondum dec.* II. *lib.* 3. Guibertus, *lib.* III. *cap.* I. *mate-*

1. *Crucis figuram, aut in humeris, seu ubi libet, ex qua volunt materia vel panno, praceptum est, ut vestibus assuant.* Idem Guibertus II, 5. *signum satis conveniens hujus tam honestæ professionis instituit, & veluti cingulum militiæ: vel potius militaturis Deo, passionis Dominicæ stigma tradens, crucis figuram ex cujuslibet materiæ panni, tunicis, byrris & palliis iturorum, assui mandavit. Quod si quis, post hujus signi acceptionem, aut post evidentis voti pollicitationem, ab ista benevolentia, prava pœnitudine, aut aliquorum suorum affectione resiliret, ut exlex perpetuo haberetur omnino præcepit, nisi resipisceret, idemque quod omiserat fœde, repeteret.* Fulcherius Carnotensis hoc spectaculum ita describit: *ô quam dignum erat & amœnum, nobis omnibus cruces illas cernentibus, vel sericas, vel auro textas, aut quolibet genere pallii decoras, quas in chlamydibus suis birris sive tunicis peregrini, jussu Papæ prædicti, post votum eundi, super humeros suos consuebant. Sane pugnatores Dei merito victoriæ signo insigniri & muniri debebant &c.* Similia vide apud *Willermum Tyrensem* I, 16. Chron. Cassin. *dextram scapulam* signo crucis notatam refert. *Boamundus* cum & ipse audisset propositum passagii, *duo pretiosa pallia jussit afferri, & ex eis corrigiatim incisis præcepit cruces fieri*, suisque distribuit: referentibus *Roberto*, *Baldrico*, *Pandulpho Collenutio*, & aliis. Rex Ludovicus (apud *Marin. Sanut. lib.* III. *part.* 12. *c.* 1.) *an.* 1243. *petit crucem ultramarinam suis humeris imponi.* Hinc *cruce signati*, *cruciferi*, *crucis fideles*; itemque, *negotium crucis*, *via crucis*, *prædicatio crucis*, de passagio passim usurpantur. Et Gallis *La Croisade*, Passagium notat. Et Italicus Lexicographus *Crucciata* explicat, *generale guerra, à gli infedelle.* Sigonius *de regn. Ital. ann.* 1095. Latine etiam extulit; *Cruciata decernitur.* Quamvis autem, pro *signo & tessera militiæ Christianæ adversus hostes fidei*, convenienter *Crux* adhiberi possit; non est parum tamen discessum à gravitate religionis Christianæ, in explicando symbolo crucis, in assuenda voti obligatione, in tribuenda muniendi efficacia, in confingendis denique superstitionibus. *multi de gente plebeia*, inquit *Baldricus*, *lib.* 1. *Crucem sibi divinitus innatam*

natam jactando ostentabant; quod & idem quædam ex mulierculis præsumserunt. hoc enim falsum deprehensum est omnino. Multi vero ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiæ, vel bonæ suæ voluntatis ostentatione. Hinc *Albertus Stadensis in anno* 1096. *Nonnulli crucis signaculum sibimet in frontibus, vel vestibus, sive in quolibet corporis loco divinitus impressum ostendebant, ipsoque se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant. Item aliis, subita mentis mutatione compunctis, vel visione nocturna edoctis, prædia resque familiares distrahere, signumque mortificationis vestibus assuere placuit.*

Passagia avium.

Quod in explicanda descriptione passagii, *avium passagia* nominat Auctor, id in linguis è Latina demutatis non est ignotum. Gallis, *oiseaux de passage, ou passagiers*, id genus avium notatur, quæ de terra in terram gregatim migrant.

Migratio Passagii qualis.

Ultima verba, de migrationibus Gothicis, Gallicis & similibus, recte capienda sunt. Nihil enim aliud cum passagio habent commune, quam numerosam illam multitudinem & studium proficiscentium. Hoc vult nimirum: Passagia tanto concursu nationum gentiumque & studio celebrari, sicut aliquando accidit, cum magna hominum multitudo ad quærendas sedes novas viam ingreditur. Idque eo magis locum habet, quia multi in passagiis, depulso Turcorum genere, sedem in terra sancta optabant. ut demigratio quædam velut in colonias his passagiis quodammodo permixta inesse videatur.

Descriptio Passagii alia.

Relictis ergo, quæ ad descriptionem Passagii non sunt necessaria aut accommodata, ita poterimus statuere; *Passagium esse expeditionem militarem numerosam, cum Christiani Principes, quibus belli gerendi jus est, sociata ope, in Christiani nominis hostes, qui infideles jam à pluribus sæculis nominantur, pro Christi gloria, defensione Ecclesiæ, & consequendo jure, arma movent.* Majoribus autem, & minoribus passagiis, sive quæ plurium pauciorumve Principum fœdere constant, etiam quæ ab

ab uno Principe ſuſcipiuntur, hoc vocabulum accommodari, tum aliunde, tum vel ex *Sanuti ſecretis fidelium crucis*, ubi multa paſſagia enumerat, conſtare poteſt. Scilicet nomina modo accuratius ad naturam & dignitatem rerum; modo liberalius, ad partem, aut ſimilitudinem exprimendam adhibentur.

PARS II.

De Cauſsis Paſſagii.

HAbemus quid ſit paſſagium, nunc cur petatur exponamus. (MSC. *Intelligunt jam omnes niſi fallor, quid ſit paſſagium, quod petitur : nunc petitionis cauſſas exponamus*) Tria ſunt quæ Cæſarem paſſagii cupidum reddunt, commiſeratio, utilitas, atque honeſtas rei (MSC. *quas tres eſſe comperio, commiſerationem &c.*) unde vero commiſeratio prodeat, paucis, adverte, docebo. Quis infirmatur, inquit Apoſtolus, & ego non infirmor? quis videt afflictos & non affligitur? cujus pectus adeo durum eſt, ut dolentibus non condoleat, gementibus non congemat, triſtantibus non contriſtetur? (MSC. poſt, *infirmor : pulcre, recte, religioſe, ſancte dictum : nam cujus p.*) Cæſar quidem poſtquam diſcretionis attigit annos, cœpitque noſcere fidei (*noſtræ*) ſacramenta, mox religionis induit zelum, *rebusque* omnibus divini cultus *præpoſuit* augmentum : quod ſibi & ſuæ naturæ bonitas, & nobilitas ſanguinis ſuadebat (MSC. *ſic enim & ſ. n. b. & ſ. n. expoſcebat*) Nam (*ſublimis*) domus Auſtriæ Principes, inter quos plures reges & imperatores floruerunt (*claruerunt*) tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperaverunt, cum divino numini bene atque conſtanter famulati fuiſſent. Quorum veſtigia Fridericus ſecutus (*ſectatus Fr.*) defunctis parentibus, quam primum tutelam exivit (*ut primum t. exuit*) ut locum videret in quo noſtra redemtio celebrata eſt adhuc adoleſcens trans mare navigavit, con- *Orationis pars II.*

temſitque pelagus, digitis à morte remotus quatuor aut ſeptem, inſpexit locum ubi natus Salvator noſter Chriſtus, ubi poſitus eſt in præſepio, ubi præſentatus in templo, ubi baptizatus, ubi tentatus, ubi prædicavit, ubi Lazarum ſuſcitavit, ubi captus, ubi deriſus, ubi judicatus, ubi crucifixus, ubi ſepultus eſt, & unde aſcendit in cœlum. Quid multa dicam? oſculatus eſt Cæſar terram, ubi fuerunt pedes ejus, qui nos redemit (MSC. poſt, *exuit: adoleſcens admodum trans mare n. contemnensque pelagus & tempeſtatum minas d. a. m. r. q. a. ſ. cupidus oſculari locum, ubi ſ. pedes e. q. n. r. in medio terræ ſalutem operatus, Hieroſolymam perrexit, ſepulcrum Domini viſitavit, calvariæ locum inſpexit, montem aſcendit oliveti, vidit cenaculum grande ſtratum, & Pilati prætorium, intravit deſertum, tranſivit Jordanem, Bethlehem acceſſit & vallem Joſaphat, mirabilem ſibi ac incredibilem devotionem ſanctorum locorum viſio ſuggerebat.*) Sed quo tunc animo fuiſſe arbitraris, cum ſpurios illic Saracenos, immundos, horridos dominari videret, ſanctiſſima loca poſſidentes? quid aliud dicere poterat, niſi Propheticum illud: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam? Et iterum: Quomodo ſedet ſola: civitas plena populo facta eſt vidua, domina gentium princeps provinciarum eſt ſub tributo. Proh dolor! quantum urgebat angebatque Cæſarem illius civitatis oppreſſio, & illorum qui trans mare Chriſtianorum conculcatio! (MSC. *at cum ſp. i. S. im. h. ſceleratos dominari veniebat in mentem, tactus dolore cordis intrinſecus, nihil aliud dicere potuit quam Pr. i. &c. Et iterum, ſicut alius Propheta clamat, q. &c. proh quantum urgebat angebatque Fridericum illius ſanctæ civitatis indigna ſervitus, & ill. q. tr. m. ſ. Chr. oppreſſio.*) Sed quid Græcia litterarum mater, inventrix legum, cultrix morum, & omnium bonarum (*& optimarum*) artium magiſtra? quem non miſereat gentis illius afflictæ, oppreſſæ, peſſumdatæ? cujus imperium non ſub Alexandro Macedone ſolum ſuiſque ſucceſſoribus, ſed ſub Athenienſibus, Theba-

Thebanis ac Lacedæmoniis olim & florentissimum & potentissimum fuit, nunc vilibus effeminatisque Turcis servire coacta est? (*cogitur obedire*) Quid regnum illud Hungariæ nobilissimum, terra antiqua, potens armis atque ubere gleba? Heu quanta passi sunt Hungari diebus nostris? qui dum nostrum servant sanguinem, fundunt suum? quorum pectora nostri sunt muri. Obligamur certe omnes Christiani Ungaricæ genti (*magnatibus & populis Ungariæ*) qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut oves occisionis. Ecce tibi præsentem, illorum Regem puerum, pupillum, orphanum Ladislaum, nobilissimam (*clarissimam &*) Regum & imperatorum prolem (*sobolem*) qui suo regno suisque subditis postulat auxilium, utinam tam sanctitatem tuam, quam Cæsarem suæ preces, suæ lacrimæ moveant. Nam illi genti postulat auxilium, quæ suis armis toti populo Christiano affert præsidium. (*qui dum s. r. s. s. opem orat afferri, toti Christianismo consulit, utinam tam tuam S. quam Cæsaris majestatem s. p. s. l. m. n. i. g. p. a. q. s. a. nobis omnibus a. p.*) Accedit & aliarum calamitas provinciarum, Massagetæ, & (*alii*) Scytharum quam plures populi Livoniam vexant (*nunc Liv. nunc Lituaniam v.*) Mauri imperium Hispaniarum occupant, regnum Ciliciam, maris insulas Cyprum, Rhodum, Cretam, Siciliam, quin & ipsa Italiæ litora Barbarorum sæpe classes invadunt, asportantque Christianos. (*Mauri non parvum Hispan. occ. regnum, Jonii, Carpathii. Ægyptii nostrique maris insulas C. &c.*) ô nostram maximam negligentiam! ô tempora, ô mores! (MSC. addit: *proh pudor! Major est Saracenorum in sua perfidia, quam noster in fide zelus*) Dum gentiles fuerunt Cæsares, & idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus: nunc dum Christiani sunt Imperatores, Reges, Duces, Christianitas minuitur, cultus Christi, qui totum fere orbem compleverat, in angulum Europæ redactus est. Africam & Asiam amisimus: Europà quoque conculcamur (*Europæ vix partem tenemus*) cur hoc? refrixit ardor, tepuit charitas, proh pudor! major est Saracenorum ardor in sua perfidia, quam noster in fide zelus. Cernimus Christiano-

rum injurias & tacemus: opprimitur, jugulatur nostra religio, & avertimus oculos. sed alius est Cæsaris animus, aliamque tuam mentem esse arbitratur. (MSC. post *tenemus*, omissis ceteris : *Movetur super his Cæsar, compatitur afflictis fratribus, commiseretur injuriam patientium, cupit laborantibus subvenire*) nam qui non defendit oppressos (*indigna ferentes*) neque obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, sicut philosophis placet, quam si parentes aut amicos, aut patriam deserat. quod ne tibi, neve sibi (*n. s. n. t.*) quisquam imputet, passagium expetit. (*petitur*) In quo magnam utilitatem esse intelligit, subvenire laborantibus Ungaris, liberare Græcos à servitute, propagare divinum cultum, sanctam terram ex manibus impurorum vindicare, monstrumque illud & abominabile idolum Mahometi exterminare. (MSC. *Sed concipe nunc utilitatem, quam parere passagium poterit. Subveniemus l. H. auferemus jugum servitutis ex collo Græcorum, recuperabimus s. terram, exterminabimus idolum, monstrum illud pessimum, horrendum, ingens Mahumeti, Christianæ religionis fines super & Garamantas & Indos proferemus. jacet extra sidera tellus, extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*) Unde placentes Deo immarcessibilem cœlestis regni coronam adipiscantur. En maximam utilitatem : sed non est vera utilitas, honestatis expers. Majores nostri justum bellum gerere, honestam rem censebant. Erat autem belli æquitas sanctissimi senatus populi R. jure descripta, denuntiataque bella & indicta justa putabant : in quibus qui viriliter pugnassent, non vincentes solum, sed occumbentes honore dignos judicabant (MSC. *en. magn. ut. nam sic agentes aut agere tentantes incorruptibilem cœlestis r. coronam adipiscemur, quam reddet nobis in illam diem justus judex. Sed quid de honestate gloriaque dicemus, quam vel tuæ beatitudini, vel Cæsaris altitudini accumulaturum cernimus esse passagium. bell. æquitatem majores nostri sanctissime feciali jure perscripserunt, denuntiata indictaque bella justa esse censebant. in q. &c. judicab. atque his statuas dicabant & triumphales arcus.*) Quid de hoc bello dicemus, quod non terrenus homo, sed divus Imperator indicit? in quo non imperii, sed divini

divini cultus propagatio quæritur, in quo fides catholica defenditur, & honor salvatoris nostri: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed formam servi accipiens exinanivit seipsum; factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos ex diabolica servitute redimeret. Et tumet adversarius ejus Mahometus, inflatur, cornua erigit: & nos quiescimus? annon arma pro Christo sumemus, qui pro nobis sumsit humanitatem? maxima esset ingratitudo nostra, si non ad incertam mortem pro Christo iremus, qui certam pro nobis tulit, si non illi vitam offerremus, à quo suscepimus. En bellum honestissimum, in quo Domini, in quo magni Dei nostri caussam tuemur: in quo qui vitam temporalem amittit, acquirit æternam, & famam clari nominis adipiscitur sempiternam. Quid plura? tantum abest, ut non sit gloriosum pugnare pro fide, ut infame fœdumque sit non pugnare, quando necessitas urget, sicut jam grassantibus undique in fratres nostros Saracenis, & nomen Christi magna vi, crudelitate atque immanitate prosequentibus. Et tantum de secunda parte sit dictum, in qua cur Passagium peteretur, monstrandum fuit. (MSC. *quid nos d. hoc b. d. q. n. terrenus, sed cœlestis Imperator indicit, in quo non pomœrii, sed fidei propagatio quæritur, in quo non paterna domus, sed fides catholica defenditur & honor s. n. qui c.* &c. usque ad *redimeret. En gloriosum ac honestissimum bellum, quod tanti beneficii memores susceperimus: in q. p. i. q. d. in quo redemtoris nostri, i. q. m. d. c. tuebimur: in q. q. v. t. amittet, acquirit a. & famam clarumque nomen adipiscetur sempiternum. Ac tantum d. s. p s. d. i. q. c. p. quæreretur, m. f.*)

Loci, qui hic tractantur, prolixe illustrari possent, & fortasse deberent ex consultationibus & orationibus de bello Turcico, *Reusneri* operâ editis; tum ex aliis monumentis; nisi hac vice, brevissime & velut in transcursu, quædam tantum annotanda essent.

Commiseratio partim ad oppressos tyrannide Turcica, partim ad opprimi metuentes sive periclitantes, partim ad Christianæ religionis persecutionem, partim ad singularia *Commiseratio.*

facinora & specimina barbaræ crudelitatis spectat. His enim omnibus obsistere, quantum ope humana potest fieri, jubet lex societatis civilis, religio, sapientum auctoritas. Oppressorum præsertim conditio, miseratione digna ostenditur: quod qui olim in Græcia exempli gratia, aliis imperare consueverunt, nunc miserrimam sub jugo Turcico servitutem serviant; qui olim veræ religioni, ipsique Christo, ac deinceps ejus cultoribus, domicilium & sedem præbuerunt, nunc hospitium immanibus barbaris cogantur præstare. Hujus miseriæ fœditatem, cum figura pathetica, ut sic dicam, veluti ob oculos ponit Æneas: oculatum sc. testem, ipsum Fridericum laudando. Sicuti mox, cum Hungaros hactenus dira passos, & diriora metuentes, miseratione dignissimos ostendit, veluti socium precis allegandæ, & implorandi auxilii ascisсit, quem Fridericus tutor secum in Italiam duxerat Ladislaum, regem gentis Hungariæ, & puerum, & orbum, & supplicem. Aucta est commiseratio, capta mox Constantinopoli. cujus captivitatis mala prolixe ex historia repetit, & facunde pro vi oratoris miseratur Æneas noster in orationibus ceteris de passagio compositis: interpretandus ex *Laonico Chalcocondyla hist. Turc.* 8. *Historia Politica in Turco-Græcia Crusii* (ubi etiam *Matthæi Camariotæ* lamentabilis narratio *in epistola Zygomalæ* habetur) *Isidori Cardinalis Rhuteni* & *Leonardi Chiensis Archiepiscopi Mityl.* litteris, quas *in Tom.* XVII. *annal.* descripsit *Bzovius*, cum ipsis etiam Æneæ & Friderici epistolis, quæ de hac re inter opera Sylvii leguntur. Hic locus attollitur descriptione horrendæ illius bestiæ (recte enim passim à Græcis Turca appellatur *ὁ ἄγριος θὴρ*, *fera bestia*; *ὁ τῆς ἄγαρ ἄγριος κύων*, *ferus ille canis Agar*, *ὁ ἀφανιστὴς χριστιανῶν γένους*, *generis Christianorum extinctor*) quatenus insatiabili cupiditate vastandi vineam Dei, deglutiendi regna & potestates, omnium gentium cervicibus imminet: tum precibus ad Deum fusis, quas rei indignitas etiam in historia exprimit *Niceta Choniati lib. 3.* quæque alia vel ex præteritis malis evidenter revocari, vel ex futuris periculis

lis clare divinari possunt. Exempla copiose sunt *in Anti-Turcico Reusneri, & orationibus, aliquoties jam commendatis.*

Sicut & in argumentis *Utilitatis* & *Honestatis. Illam* breviſſime hic attingit Æneas, quippe quæ etiam in prædictis ultro se offerebat: liberatio oppreſſorum & periclitantium, recuperatio terræ sanctæ, propagatio Christianæ religionis, Mahometismi abolitio, quo etiam addi debet, Christiani orbis pacificatio. Dubium enim non est, passagiis institutis (quorum scilicet cura Christianis potior esse debet, quam omnium bellorum ceterorum) animos à fœdis illis armis, ad honestiora imbui, atque ut foris feliciter dimicari possit, domesticam pacem, validius amari. *Utilitas.*

Honestatem Passagii, potiſſimum in titulo religionis defendendæ & propagandæ ponit Æneas. Pertinet autem huc alias totum jus belli Turcici: quod non tam inde repetitur, quia barbari sunt Turcæ, qui Christianis per latrocinia primum, mox per bella eripuerunt, quæ poſſident: quam, ex perpetuo hostili Turcarum proposito, & infanda crudelitate. Sunt enim & manent Turcæ Christianorum, imperiique e. g. Romani certiſſimi hostes; ardent inexpiabili odio, desiderioque extirpandæ religionis & libertatis; ultra jus belli sæviunt in captivos & victos, quos inauditis acerbitatibus discruciant, jugoque servitutis intolerabili & plusquam ferreo premunt. Neque avertit Turcos ab hoc proposito hostili, & perpetuo furore, pactio interposita, aut fedus cum Christianis Principibus. Nam qui fidem Turcicam aliter, quam ex usu proprio dispensari putant, vehementer falluntur. Fides omnis in libidine tyranni, in occasione temporum. Quoties volunt, bellum in pace est. Quamvis ergo Christiani, si quid ad tempus Turcis promiserunt, non debent fidem frangere: non desinit tamen Turca eos laceſſere, caussasque bellorum suppeditare, si tam auderent vellentque Christiani arma sumere, quam jure poſſent. Tractarunt hoc argumentum late *Autores Reusnero collecti*, ex quibus hac vice, ut sæpius *Honestas.*

pius jam testati sumus, nolumus aliquid exscribere. Informavit etiam conscientiam nostram hac de re *Magnus ille Lutherus noster*: cujus omni laude dignum studium, in describendo Tyranno Turcico, in explicando jure & officio Christianorum adversus Turcam diligentissime superiori sæculo versabatur. Etiam *Georgius Obrechtus I C. quondam Argentoratensis* non omisit hunc locum in discursu Bellico-Politico, quem gloriosissimæ memoriæ Imper. Rudolpho II. anno hujus sæculi quarto obtulit, quanquam is potius in *Facultate negotii* explicanda versatur, dum quæstionem pertractat: *quomodo adversus Turcorum tyrannum bellum commode geri possit quam felicissime.*

Sub prætextu Passagiorũ, interdum alia latent caussa.

Sicut autem certum est, caussas Passagiorum & belli Turcici graves, magnas, multas, valide & speciose tractari posse: ita sæpe sub titulis favore & dignitate plenis latent alia quædam; per quæ efficitur, ut momenta rerum, fiant schemata verborum, humanique moris pravitas, aut simulationis calliditas, magnifica juris præscriptione involvatur. Principum certe sæpe is lusus fuit, ut proposito illustri Passagii nomine, magni & memorabilis operis, quod in animum tamen serio nunquam admiserant, auctores & fautores haberentur. Pontifices, quibus inde à temporibus primi passagii præcipuus omnium consiliorum finis in stabiliendo dominatu indebito, & conculcanda civili majestate consistit, modo pericula sibi ab Imperatoribus aut Principibus objecta, proposito passagii negotio veluti declinare; modo curam suam pro ecclesia, & religionis propagandæ ardorem tam speciosi nominis jactatione ostentare; plerumque autem, affectati in Principes Regesque imperii, specimina sub sanctis titulis usurpare; à sensu aliarum molitionum in civilibus, hominum animos devertere; generosos & feroces spiritus, nec laturos fastigium Papalis ambitionis, veluti relegare, ac egerere studuerunt: dumque unice institutum, vim, fructum passagiorum, injecto subinde in Principes pomo Eridos, & cupiditate suarum opum non sine injuria aliorum

aliorum domi validiſſime promota, impedirent: præcipui auctores, exactores, principes paſſagiorum voluerunt haberi. in tantum à verbis, opera diſcrepabant. Non licet exempla adferre, quæ magno numero ſuppetunt. Unicum adjiciam *Abbatis Urſpergenſis* verbis, quæ *ſub finem Chronici* de Friderico II. Imperat. in paſſagio verſante & Gregorio IX. Pontifice ſic memorat: *Papa vero captata occaſione de abſentia Imperatoris, copioſum exercitum deſtinavit in Apuliam & terris Imperatoris in ſervitio Chriſti demorantis, quod nefandiſſimum eſt dicere, abſtulit & ſibi ſubegit: & cruce ſignatos ne transfretarent, omni ſtudio prohibuit, tam in Apulia, quam in Lombardia. Quis talia facta recte conſiderans non deploret & deteſtetur, quæ indicium videntur & quoddam portentum & prodigium ruentis eccleſiæ?* Et hic fuit, qui convocaverat paſſagium, qui Imperatorem, ut ſuſciperet, urſerat. Vide omnino amplius *Cuſpinianum in Frid.* II. Quid ipſe Pius, legatis Venetorum Mantuæ reſponderit anno 1463. apud *Nicol. Chalcocondyl. lib.* 10. legere licet. Accedebant nationum gentiumque æmulationes, odia, diverſa ſtudia, quæ plerumque nihil in propoſito paſſagii ſincerum relinquebant. Primum ſuaſorem Paſſagii Petrum Eremitam *Platina* quidem, *incomparabilis ſanctitatis* vocat: ſed *Urſpergenſis* non tacet, à multis *hypocritam* poſtea dictum. Apud *Guibertum* certe *Abbatem*, ſalſe perſtringitur IV, 8. Ne dicam de ceteris nonnullis paſſagiorum præconibus, qui tumultuoſo ſpiritu acti, nullis deliberatis rationibus, concitare populos, itidem nullo conſilio ruentes, potuerunt. Fuit enim is temporum illorum ſpiritus (ut nunc ſequamur ſtilum *Dodechini*, cum quo confer *Sigebert.* in hiſt. primi paſſagii) ut multi, quovis vento agitati, multi ſine duce & rectore in militiam ſacram, veluti clauſis oculis ferrentur. Legendus eſt *Willermus Tyrenſis* I, 29. Propioribus ætatibus, cum Pontificis in hoc negotio ſimulationes, aliorumque arcana Principum magis jam enotuiſſent, varias per artes Paſſagia à petentibus, & reſpondentibus jactata ſunt. Extat deſcriptum talis ludi exemplum *in Hiſtor. Henrici* VII. *Angl. R. auctore Bacono*, cum Papa Alexander

anno 1500. Passagium speciose magis quam candide peteret, Henricus autem, de animo Papæ informatus, itidem responsum *sollenne magis quam serium* redderet. Factum tamen esse, addit Historicus, ut ista *utcumque superficialis declaratio regis*, multum illi famæ ad exteros compararet. Ad plura porrigere stilum non licet.

PARS III.

De Facultate Passagii & spe successus.

Orationis pars III.

SUpererit nunc de possibilitate congregandi Passagii, deque spe fructus dicere. Plurimi sunt, beatissime Pater, qui cum nominari passagium audiunt, ecce vetus somnium, inquiunt, vetus deliramentum, (*veteres atque*) inanes fabulas. Verum Urbanus antecessor tuus, cum vexaretur à paganis orientalis ecclesia, Sarracenique Jerusalem conculcarent, motus Alexii, qui Constantinopolim tenebat (*precibus*) & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum vitam agebant, precibus; (*rogatibus excitatus*) & laborioso itinere in Galliam profectus, maximum exercitum congregavit, (*comparavit*) atque hominum 300000. (ut Otto Frisingensis scribit non futilis auctor) in Græciam, Asiam, Syriamque transmisit (*hæc absunt à MSC.*) quibus nullæ Saracenorum vires (*copiæ, nullæ vires*) obsistere valuerunt (*potuerunt*) quin & Antiochiam expugnarent, & Hierosolymam obtinerent. Unde adhuc Urbani, qui convocavit passagium, & Gotfridi, qui duxit, illustre nomen habetur. (MSC. addit: *quamvis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni. Quid tua sanctitas faciat, quam pro similibus ac majoribus caussis verus Imperator totaque Christianitas orat passagium convocare.*) Sed pensemus, si hodie spes bona possit haberi passagii. (*pensandum est, inquies, an h. sp. b. sit habenda p.*) quia nemo sciens impossibilia tentat, neque aggreditur quispiam quod assequi desperat: magnum facinus spes nutrit. Quid hic respondemus?

demus? (*hæc interrogatio abest MSC.*) Duo consideranda sunt: unum, An Christiani facile possint in passagium trahi; alterum, an inchoato (*coacto*) passagio, spes sit magna vincendi. Nam quamvis dubius est omnium bellorum eventus, nunquam tamen committendum est prælium sine spe quadam & argumento victoriæ, ne, sicut Octavianus Cæsar proverbium habebat (*sicut Augusti proverbium habet*) aureo piscari hamo videamur, in quo (*quorum*) major damni quam lucri ratio possit haberi. Difficile quippe primum videtur Christianos, qui sunt inter se discordantes, apertisque flagrant odiis, in unam passagii sententiam ducere. Sed quod multi putant obstare passagio, sapientia Cæsaris conducere judicat. Nam si pax Christianos haberet, incassum quietos Principes atque otio torpentes populos excitaremus, neque utiles bello manus invenirentur. timerent mortem, ferrum, neque signum, neque tubam ferre possent (*horrerent inertes ferrum, n. s. n. t. s. valerent*) At nunc exercitati bellis populi ultro se offerent. facilius ex bello vocatur in bellum miles, quam ex otio. Bonum est viro, sicut Propheta testatur, qui portaverit jugum ab adolescentia sua. Quis Christianorum est, postquam pugnare oportet, qui non potius in Turcos, quam in Christ. (*hostes quam in domesticos fidei*) stringere gladium velit (*glad. stringat*) placebit omnibus arma in Saracenos (*Turcos*) vertere, patriam ut quietam relinquant. & fortasse unica pacandi Christianos via est, convocatio Passagii. Martiales enim, & feroces Europæ populi nescientes quiescere, nisi adversus exteros prælientur, in se manus vertunt (*in se ruunt*) Qua ratione ductus olim Cato (*d. o. vir senatorius quidam*) excidi Carthaginem dissuadebat (*prohibebat*) ne pacem habentes in circuitu Romani in sese ruerent (*manus in se verterent*) sicut & Reges Israël (*fecisse constat, qui*) victis hostibus, mutuis cecidere vulneribus. Pacem ergo ut habeant Christiani, bellum in exteros est transferendum. ad quam rem neque Germanorum illustris animus, neque cor nobile Gallicæ gentis (*Gallorum*) neque sublimis mens H.spanorum, neque honesti (*gloria*) cupi-

 dus

dus Italorum spiritus deerit. Omnes quod tua jubebit sanctitas, constanti animo exequentur (*corde magno & animo volenti suscipient.*) Quis dubitet fieri (*cogi*) posse passagium, quod auctoritate R. Pontificis decretum, & Imperatoris mandato fuerit convocatum (*l. voluntate fuerit ordinatum.*) Videor videre rem perfectam, nec me dubium habet ullum, si tu verbum apponis, Cæsar adjicit manum. nam si quis obedire neglexerit, vel tuis jussibus, vel Cæsaris imperio compelletur (*Hæc in MSC. omittuntur*) Sed dicet fortasse quispiam, quod Bracius olim, quamvis hostis Ecclesiæ, aliquando tamen vir sensatus (*tamen alioquin homo s.*) frequenti sermone usurpare solebat: tribus potissime rebus indigere bellum, & inter tria unum esse pecuniam (*qui bellum gerat, tribus rebus indigere, & has tres unam e. p.*) unde ergo corradremus aurum, ad tantum & tam longinquum bellum necessarium? sunt & modi in promptu, quibus inveniemus argentum, quos vulgare non expedit (*s. i. p. m. quibus inveniri pecunia poterit sumtusque necessarius ministrari. sed hos vulgare, modo non est ex usu.*) Illud (*tamen*) dicere possum, civitates quæ ob eam caussam bella suscipiunt, ut sine injuria in pace vivant, libenter passagii contribuent curas, ut pacem nihil insidiarum habentem consequi possint (*civ. quæ propter pacem perpetuo bello fatigantur libenter passagio contribuent, ut pacis tandem compotes fiant.*) Non erit ergo difficile convocare (*n. est igitur desperata res passagii convocatio*) nec rursus spes magna victoriæ deerit. Novit majestas imperatoria (*imp. sublimitas*) Assyriorum, Turcorum, Ægyptiorumque gentem, (*gentes*) imbelles, inermes (*viles*) effeminati sunt (*-taque*) neque animo, neque consilio Martiales (*-li*) Salmacida erunt spolia sine sudore & sanguine. Quis tunicatos mitratosque Turcos, aut braccatos timeat Ægyptiacos? quos Arsaces ad Ezechiam regem loquens, arundineo baculo confractoque comparavit. (*Quis aut tun. m. T. aut. b. Ae. t. quos Rabsaces a. E. r. l. b. a. c. c. Sarmatica erunt sp. s. s. e. s. multa notavit Cæsarea majestas, cum transmarinas partes lustraret, quæ spem certissimam victoriæ præbent, suoque tempore patefient.*) Quod si ali-

NB.
Correctionem Papalem ad imminuendam potestat. Imp.

aliquando nostri exercitus victi ab eis sunt, neque viribus, neque rei militaris peritiæ, sed numerositati hostium ascribendum est: quoniam si Christianorum copiæ tot fuerint, ut opprimi à Sarracenorum multitudine nequeant (quod passagii nomen exposcit) certa in manibus erit victoriá, sicut prisca exempla nos instruunt. (*Nec moveri debemus, quia nostri nonnunquam exercitus ab illis victi deletiq; sunt. nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritiæ, sed nostris peccatis ascribendum est. Qui si emendati fuerimus, rectaque mente Christi caussam defensuri bellum susceperimus, nihil de victoria fuerit hæsitandum, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*) Juvabunt (*nos tum*) divisiones illorum & (*tum*) odia quæ çum Tartaris habent assiduaque certamina. juvabit & gentis illius desperatio. Nam Mahumetum, cui maxime credunt, sectam suam in octingentos usque annos augendam, exinde minuendam astruunt prophetasse: qui (*is autem*) sub Heraclio Cæsare malignari occœpit, post quem supputantur an. quadraginta & octingenti: & hoc admodum Turcos territat, Christianos elevat (*quæ res terrorem non parvum Turcis, spem Christianis adjicit*) nam etsi falsus Propheta (*pseudo-pr.*) Mahometus est, non est tamen falsum vaticinium existimandum, quod Jeremiæ sacris sermonibus consonum esse videmus (*non t. f. v. dici potest. q. sacris l. f. quadrare v.*) dum L. capite libri sui, quasi tuam sanctitatem ac Cæsarem adhortatus: nolite tacere super iniquitates ejus, quoniam tempus ultionis est; Dominus vicissitudinem ipse retribuet ei. (*Jeremias enim primo & quinquagesimo capitulo, q. t. s. ac Cæsaris majestatem adversus Mahumetum suscipere bellum hortetur: n. t. inquit*) possem (*possemus*) ad hanc rem plura deducere: sed neque doctissimis tuis auribus, neque reverendissimis (*præclaris*) sapientissimisque Patribus, qui assident (*astant*) danda (*donanda*) sunt verba. satis est nobis absolvisse, quæ promisimus, & quæ Cæsarea sublimitas me dicturum voluit (*mandaverat exposuisse*) intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram Cæsaris mentem intueris (*Intell. s. s. p. i. m. verum quamvis examen* *Conclusio.*

 impe-

imperatorium sic de passagio sentiat) totum tamen & consilio & judicio tuo relinquitur (*qui ligandi solvendique claves accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes jam cum Christo regnantium, cujus est inter sanguinem & sanguinem, inter caussam & caussam, inter lepram & lepram judicare.*) Cæsar cum esset hac vice apud tuam beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere, quæ sibi ab ineunte adolescentia semper cordi fuit. Alius fortasse aut generale concilium petivisset, aut reformationis decreta, aut aliud quippiam. Cæsari suscepta ex tua sacra manu Imperiali corona, nihil antiquius visum est, quam de passagio tecum agere. (*Alius f. vel g. c. v. r. d. petivisset, Sed quod majus haberi concilium potest quam tua sanctitatis tuique sacri Senatus præsentia? frustra concilium petit, qui R. Pontificis mandata non recipit. ubi tua sanctitas est, ibi concilium, ibi leges, ibi mores, ibi decreta salubrisque reformatio. Cæsari susceptis imperialibus insulis tuaque sacra manu coronato nihil hoc tempore v. e. a. q. d. p. t. a*) Quod si fortasse prima fronte arduum videatur, nihil est tamen tam difficile, quod quærendo non fiat facile. virtus circa difficile operatur: asperis in rebus & vir noscitur & gloria quæritur (*facile asp. i. c.* &c.) quæ magno animo & fortiter excellenterque geruntur, nescio quomodo pleniori bucca laudare solemus. (*difficiles aditus virtus aperit.*) Clari & illustres sunt tituli tui, beatissime (*gloriosissime*) Præsul, qui unionem feceris, Jubileum indulseris, Cæsarem coronaveris. Passagii tamen titulus & dignior, & diuturnior omnibus erit. quem ne successori relinquas, & Cæsarea sublimitas & omnis Christianitas orat (*C. pietas suadet, & t. Chr. o.*) nam tibi jam coronato Cæsare, quamvis multa incumbant, nihil tamen est, de quo vel utilius agere, vel gloriosius, quam de passagio valeas. (*Amen.*

NB. *insertum denuo schema Pontificiæ dominationi destinatum.*

Annot.

Facultatis locus in hac materia diligenter tractandus.

Facultatem Passagii merito diligentius sibi tractandam existimavit Æneas: non tantum, quia in hac parte consultationis, præcipua vis consiliorum omnium vertitur; sed etiam, quia Passagiorum quæstio, semper non minimam visa est habere dubitationem, quotiens in delibera-

beratione Prudentium, de spe effectus eventusque agitandum fuit. Hinc superioribus sæculis, plerique magni & cordati viri, non satis habuerunt, summorum Principum Cæsarumque virtutem in passagia instigare, sed tradiderunt insuper, modos conficiendæ pecuniæ (quod non tantum ex *actis publicis*, *tributique Turcici ordinatione*, sed *Obrechti* quoque ante laudati, similibusque consiliis constat) descripserunt itinera, demonstrarunt varia subsidia, quinimo ipsam artem belli cum Turcis administrandi, cum ceteris, quæ huc pertinent, accurate exposuerunt. *Busbequii consilium de re militari contra Turcam instituenda*, *Felicis Petancii Cancellarii Segniæ*, *via in Turciam ad Uladislaum Hung. & Boh. R. scripta*, *Joh. Sturm. consf.* præter cætera, quæ in voluminibus Reusnerianis visuntur, omnium manibus teruntur. Præcipua autem laude hic ferendum est *Marini Sanuti Torselli* (floruit is initio sæculi XIV.) *opus*, cui titulum fecit: *secreta fidelium crucis*. Quia enim per omnem vitam in hanc curam incubuerat, terrasque illas diligenter perlustraverat, studiosissime exposuit, quæcunque præparantibus aut apparantibus, aut etiam facientibus passagium, vel notitia, vel subsidio, vel usu quocunque, prodesse aut inservire possunt: adjecit tabulas Geographicas, repetivit historias, ut nihil videretur reliqui fecisse, quod ad argumentum Facultatis in hoc genere spectaret.

Apparatus & instrumenta Passagii.

Prudenter divisit hunc I. orator in duas partes: I. *an instrui passagium hoc tempore possit.* II. *an de instructi passagii eventu effectuque bene sperandum.* Ad instituendum Passagium requirebatur 1. *consociatio armorum Christianorum*, quæ non nisi extinctis discordiis intestinis procedere potuit. Hic pro re ipsa, spem amplectitur orator, & de Christianis gentibus, earumque in rem tam honestam propensione, magnifice potius quam valide, & speciose magis quam feliciter, bona omnia ominatur. 2. *Exercitus idoneus*, *sive miles bello induratus*: qui præsto erat. Ex utriusque rei vinculo & complemento nascitur locus ille Politicus, vere ad rationem status Europæi orbis, ac præsertim

tim Romani imperii pertinens: *Bella in Turcam, Europæis Christianis, tanquam populis acribus & bello pronis, pro præcipuo instrumento domesticæ pacis & tranquillitatis amplectenda esse.* Et ad hanc normam sapuerunt sc. tot illustres animæ, quæ superiori sæculo & proximis retro ætatibus, invictam Cæsarum Principumque virtutem, in Turcam concitare, summa ope contenderunt. 3. *Pecunia, nervus belli.* Hîc Æneas præter ordinaria & usitata subsidia expeditionum in Turcas, alia & nova videtur innuere, quæ suggeri posse, sed ante tempus vulgari non debere, ostendit. Anno 1471. ingruente jam vi Turcica in Germaniam, Ratisbonæ in comitiis actum est de decima in passagium exigenda. quæ res difficultatibus non caruit, sicut, præter hist. illius Conventus, *Chronicum Spirense Lehmanni* VII, 112. notat.

Spes & fiducia Eventus, quibus argumentis nixa.

Instructi passagii fiduciam istis ferme rationibus superstruit Æneas: 1. *Quod Turci & Asiatica orientalium manus imbelles effeminatique sint, si cum Europæis conferantur.* Argumentum solenne, & frequens: unde etiam observatio & divinatio eventus in bellis δυτικῶν καὶ ἀνατολικῶν, quasi ordinaria petitur. Sicut exemplum ex *Laonici Chalcocond.* II. *fin. ad Herodiani* III. 4. annotavimus. Disciplina tamen Turcicæ militiæ, & Europæorum securitas ac licentia, aliquando multum ex hac spe deminuit. 2. *Notitia rerum hostilium & exploratio*, multum adjumenti pollicetur. Ait ergo, ipsum Cæsarem in suo itinere multa in hunc usum observasse, & victoriæ elaborandæ vias indagasse. Non enim hic auditione & rumoribus, sed fidis, peritis, spectatisque testibus nitendum est. Qua de re multa Auctores supra laudati. 3. *Caussæ fiducia*, si ingenuo candore & studio, gloria Christi, & Christiani nominis defensio tractatur, non in postremis poni debet. Marcescit tamen vigor argumenti, si passagiorum titulo, sequiora teguntur. 4. *Discordia inter hostes, vicinorum odia*, & id genus alia, non abs re observari merentur, & in argumentum spei provide traduci. 5. *Vaticinia* quoque in deliberationis partem admittuntur. Æneas equidem, prædi-

prædictionem, quæ apud Turcas valida esset admodum, spei Christianorum accommodat. Alias, graviores sententiæ & conjecturæ ex oraculis vere divinis arcessuntur. Sicut cum ex *Apocalypſ. Joh.* XX, 9. non sine ratione, *ignis cœlo missus, qui Gog & Magog devoravit*, Turcis insignem aliquam cladem, ante finem rerum, ad vindicanda tot Ecclesiæ illata damna, inferendam, putatur significare. Similia collatis oraculis *Ezechielis* liceret colligere. Quamvis alii alio trahant. Qualem periodum imperii Turcici ratiocinetur *Joh. Dölingius*, apud ipsum vide, *in Anti-Christo συμβογέροντι* IV, 16. Accedunt rationes politicæ, quibus de imperiorum duratione fatisque divinare solent.

Ceterum ad Facultatem exponendam refertur etiam, Impedimentorum amolitio. Impedimenta dicimus, vel quibus fit ne instituatur passagium, vel ob quæ, institutum male cedit fineque suo frustratur. Æneas tria tangit, è quibus *I. Discordiæ Christianorum Principum. Auctor Anonymus in consilio de Recuperatione Terræ sanctæ ad Edoardum Angl. R. cap.* 3. ante omnia reconciliationem Principum litiumque abolitionem ad passagium requisivit. Sicut & alii plerique: etiam in consultationibus atque conventib. Imperii. Sed *hunc* de industria nominavi, quia diligentissime impedimenta enumerat. In his discordiis Chr. Pr. præsertim attendenda est hic illa acerbitas, qua nonnulli, etiam ipsum Turcam barbarasque gentes in partes trahere, bellique socios asciscere non dubitarunt. Qua de re vide, quos notavimus auctores *ad II. Hist. Tac. cap.* 11. *pag.* 106. Hinc etiam diffidentia illa, quâ multi adigi se putant, ut auro potius quam ferro adversus Turcam pugnare, vacationemque passagii, suo sibi impendio ab ipso hoste redimere debeant. II. *Peccata Christianorum.* Pertinet huc illud *Hieronymi: nostris vitiis barbari fortes sunt.* Quam caussam graviter agit *Magnus Lutherus.* III. *Ignorantiam* quoque *rerum hostilium locorumque* videtur innuere Orator. Certe de ea conqueruntur scriptores passagiorum, & res ipsa loquitur. Exemplis è pluribus unum vide, descriptum *Paulo Æmilio, sub finem libri* VI.

Impedimenta Passagii.

His addi possunt multa alia impedimenta. Sicut IV. *Inconsultus impetus temere ruentium* : quo factum est, ut absque certo proposito, sine duce & rectore, magna agmina viam ingrederentur. W. *Tyr.* 1, 29. & *Guibert. Abb.* 2. *hist. Hierosol.* 6. ubi benigne quidem judicat: *Licet enim æmulationem Dei habere viderentur, sed non secundum scientiam, tamen Deus, qui multa vane cœpta ad pium intorquere consuevit finem, simplicibus illorum animis comparavit, ex sua ipsorum bona intentione, salutem.* Sed quid auspicii jurisque in *Privatis passagiis* quorum vel nomen rei ipsi repugnat? V. *Impietas & scelera* ob quæ partim commissa, partim committenda multi hanc viam elegerunt. Quo etiam infandas superstitiones ref. de quibus prolixe scriptores sæpius laudati. VI. Hinc ex *imperitia, neglectio disciplinæ* & confusio rerum omnium. VII. Accessit *æmulatio & discordia non ducum modo, sed nationum consociatarum.* ut non male Legati Gallici dixerint de suo Rege propriis copiis exped. in T. S. aggressuro: *interdum minores copias, sub uno Imperio unitas successu feliciores evadere, quam copias multo ampliores, varie commistas, & vinculo federum & societatum tantum colligatas; quæ plerumque, paulo post principia, vertuntur in dissidia & dissociationes.* apud *Bacon. in Henr.* VII. Est ubi (VIII.) *pecuniæ nimium tenaces* fuere, qui minori jactura defungi poterant, si de majori unquam cogitassent. Et sicut tempus fuit, cum magno studio appeterent homines passagia, ita (IX) in fatali rerum perturbatione surdis fabula narratur, quotiens ejus negotii mentio fit; animis, etiam bellicosis, in alia omnia obstinatis. X. Seorsum nominari debet Pontificum Rom. perversitas, qui à tempore usurpati dominatus civilis, nunquam destiterunt, Principes Christianos inter se committere, R. imperium perturbare, adeoque Turcas ultro in Christianos solicitare, animisque hominum religionem magna sui parte primo suspectam, mox contemtibilem facere. Id quod magnis testimoniis doceri posset, nisi hic abrumpendum esset. Erit forte, cum augebimus, & ἐπίχειριν pleniorem de passagiis, cujus gratia hanc annotationem fere suscepimus, pro captu nostro consignabimus.

XVII.

XVII. JUDEX UNUS, ET MULTI. AD LOCUM *Taciti* 3. *Annal.* 10.

PIso apud Tacitum, necis Germanico illatæ reus, non invitus audivit, petitum à Principe, ut cognitionem exciperet: cum *vera aut in deterius credita, JUDICE ab UNO facilius discerni; odium & invidiam apud MULTOS valere* reputaret. Quæ sententia, sicut judicandi facultatem ac difficultatem ex personis comparat: ita de ipso judicandi jure sive potestate, ut tum Romæ se habebat, non obscuram significationem habet. In plurium regimine, *Multos judices esse*, lex & ratio reipublicæ est: nec ad *Unius* jus, etiam si officium uni mandaretur, quod vix contigerit, revocari jurisdictio potest. At in singulari unius imperio, etiam ubi *Multis* magistratu aut lege judicia permittuntur, *Unus* tamen vere & plene *Judex* est, à quo ceteri pendere intelliguntur. Et Romæ quidem, civili Principis nomine, ut cetera jura regia, ita judiciorum potestatem, Cæsares complexi erant, atque adeo magistratuum legumque munia ad se traxerant: quod, etsi maneret in multis prior species judiciorum, nec abrogarentur magistratus reddendo juri præfecti, omnia tamen ab *unius* potestate profecta, ad eandem revocarentur; non tantum, ubi ipse Princeps præsidebat cognitioni, suoque jure per se utebatur, quod cum Pisone ut optarent litigantes, non uno nomine fieri poterat, sed in perpetua æstimatione status ac formæ reipublicæ. Quod enim variis artibus, non Augustus modo, sed Tiberius etiam, regiam unius in dicendo jure potestatem subinde occultarunt ac dissimularunt, id nihil detrahit de statu & jure reipublicæ, sed ad schema

externum & modum administrandi, varios ex usu imperantium vultus sumentem, referendum est.

Judicare enim, id est, jus semel constitutum singulis reddere, caussas reosque audiendo, sententiam ferendo seu de jure facti statuendo, & quod statutum est, exequendo, unum est de summi imperii juribus, quæ & jura majestatis appellantur. Hoc sensu: Summa regendæ reipublicæ potestate sive Majestate, vel penes unum, vel penes plures, pro diversa regiminis forma, residente, jus judiciorum sive administrandæ justitiæ, & jurisdictio, etiam continetur; in omni negotio, quod administrationi justitiæ objicitur, sive civile id sit, sive criminale; adeoque etiam in omnes personas, quæ civitatis partes sunt. Atque hoc jus, in omni civitate, & soli majestati & semper inest, formaliter scilicet, & primo, ut in scholis interpretantur: unde per participationem ad alios, à majestate dependentes judices & magistratus propagari potest. Quo ita constituto, satis intelligitur, ad ipsam jurisdictionis naturam & potestatem judicandi proprie acceptam, non pertinere, quicquid precarium, fiduciarium, delegatum est: qualis est omnis magistratuum & eorum judicum potestas, quibus aliunde demandata est jurisdictio.

Qui nullum in hoc argumento civilis disciplinæ gustum habent, nisi quem ex prætoris, proconsulis aut cujusvis magistratus Romani officio ac jurisdictione perceperunt, non potuerunt non varie decipi, quando inde potissimum, ipsam jurisdictionis naturam aggressi sunt explicare. Quo factum est, ut jus magistratuum creandorum, & jurisdictionem, sive jus judiciorum, pro uno eodemque haberent. Quæ duo, veteres, & in primis *Aristoteles*, diligenter distinxerunt. *Libro IV. Polic. c.* 14. tres constituit reipublicæ partes: *τὸ βουλευόμενον περὶ κοινῶν, quæ de republica consultat, sive senatum*: *τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς, quæ in magistratibus & imperiis cernitur*; *τὸ δικάζον, quæ judicat, sive in judiciis consistit*. Cap. 15. Postea autem, *τὸ ἐπιτάττειν, imperare, præcipere, magistratui proprium* facit: quando ait, posse quidem fieri, ut is qui magistratus est, consultet de republica & judicet, sed

nec

nec semper nec necessario, cum magistratus natura non in consultando, aut judicando, si proprie velimus loqui, sed in imperando & præcipiendo quærenda sit. *τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι. Nam imperare, magistratui magis proprium est.* Si dicas; magistratus consultat de republica; at hoc faciunt & alii, qui non sunt magistratus: magistratus judicat; at hoc faciunt iterum alii, qui non sunt magistratus. Propria igitur magistratus nota, *τὸ ἐπιτάξαι*, imperare. quod *imperium* non recte videntur explicare, qui eo tantum significatu capiunt, quo in jurisdictione Romana accipitur. Si enim dicas; *Antecedit jus dicere, sequitur imperare:* recte sentis, quando de jurisdictione Romana loqueris. Sed *Aristotelis* magistratus, etiam extra judicia, & sine judiciis, imperat: neque vox imperandi ad solum forensem usum, apud Philosophum quidem, restringi potest. Unde & illud; *Magistratus est, qui jurisdictionem habet*, si de jure dicendo, jurisdictionem accipias, de certo magistratu verum erit; de omni falsum. Nam in Romana quidem Republica, jurisdictio, cum imperio fuit conjuncta, non autem semper & ubique in aliis rebuspublicis. Quid? si summa potestas per se jus dicit, neque magistratuum opera utitur? an tum quoque jurisdictionem ex potestate magistratuum metieris ac definies?

Vid. Piccart. ad c. 15. lib. 4. pol. Arist.

Qui hoc jus imperii, potestatem, inquam, judiciorum, *extremæ provocationis jure*, designant, illorum sententia quidem non aberrat à vero, sed stilus, ad tradendæ civilis doctrinæ optimam rationem parum congruit. itaque in alio facilius tulerim, quam in eo, qui jura summi imperii, ex professo tractanda suscepit. Verum ita necesse fuit loqui, ubi omnis potestas administrandæ justitiæ in judicando à magistratibus suspenditur; ut tandem per aliquos gradus ad majestatem ascenderetur. Vere sane & *μοναρχικῶς* locutus est Mæcenas ad Augustum, cum suasisset, provocationes ab aliis magistratibus ad Principem factas accipiendas esse: *Μήτε γὰρ αὐτόδικος μήτ' αὐτοτελὴς ἔστω τις τὸ παράπαν, ὥστε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀπ' αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι. nemo enim*

apud Dion. lib. 52.

enim quisquam tanta in judicando potestate esse prorsus debet, ut ab eo provocari nequeat. Verum, inquam, est, naturaliter ab omnibus judicibus, ad summam potestatem provocationis jus esse, ab ipsa autem summa potestate, non posse provocari: sed civilem doctrinam tradenti parum convenerit, partem nominare, ubi de tota re agitur. Tum & provocatio, ipsius summæ potestatis decreto sæpe suspenditur: si summa potestas constituat judices, à quorum sententia non appellare liceat. Mandati enim nomine tum incipit æstimari, quod in mandante proprium jus est. Alio modo (utemur verbis Grotii) *subditos esse videmus, qui præscriptione acquisiverunt, ut appellari ab iis non possit: ita tamen ut semper aliqua ab eis sit provocatio, per supplicationem scilicet, vel alium modum: nam ut ab aliquo nulla ratione possit provocari, cum persona subditi pugnat, ac proinde ad summum imperium aut partem ejus pertinet.* Caligulæ exemplum, qui *magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione, concessit*, non recte interpretantur, qui metuunt, ne majestati Principis aliquid inde detrahatur. Egit enim illud eo tempore, quo civilis animi studium præ se ferens, imaginem antiquitatis Romanis præbebat; nota arte, & nunquam ad diminuendam vim Principatus comparata. Nec aliud Nero spectavit, cum *omnes appellationes à judicib. ad Senatum fieri voluit.* Quem locum, non est, quod opponat Tacito 14. A. 28. Vir magnus. vide, & compara. Sicut autem hi dissimularunt curam majestatis exercendæ, ita eximie inculcavit *Theodoricus Rex in Edicto*, his verbis: *Omnes appellationes suscipiant ii provinciarum judices, à quibus provocari potest: quando optimæ conscientiæ conveniat, etiam superfluam appellationem sine dubitatione suscipere, dum de appellationis merito sacer possit perpensis legibus cognitor judicare. Quod si judex sua absentia procuravit, ne appellatorios libellos accipiat: in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de absentia judicis de sua appellatione habere debere censemus. Judex autem, qui aut suscipere appellationem contempserit, aut certe in custodiam dederit, aut verberaverit, aut aliquo dispendio læserit appellan-*

2. de I. B. 4. 13.

Sueton. Calig. 16.

Sueton. Ner. 17.

cap. 55.

pellantem, decem librarum auri amissione feriatur, quas fisci compendiis cura sacri cognitoris præcipimus aggregari, officium quoque, cujus interest, mulcta legitima subjacebit. Hæc, illa occasione annotare libuit, dum jus extremæ provocationis, partem juris judiciorum facimus: unde figurato loquendi genere, totum nonnulli ea appellatione instituerunt signare. Quod, extra μέθοδον τῆς διδασκαλίας, facile conceditur. Ita frequens est bonis scriptoribus, *jus vitæ & necis* vocare, totam judiciorum potestatem: cum tamen nec judicia omnia sint capitalia, &, more Romano, jus gladii partem tantum jurisdictionis notet. Nemo etiam reprehenderit eos, qui *jus dicere*, & *judicare* aliquando distinguunt: sed, quando summi imperii jura tractantur: τὸ αὐτόδικον, modo *jus dicere*, modo *judicare*, adeoque & jurisdictio pro judiciorum potestate, ἐκ παραλλήλου sumuntur.

Priusquam pergamus ad eos, qui impugnant hoc jus, & qui non recte defendunt, aliquid de illa quæstione annotandum est: *An Minor possit esse majoris judex?* Id enim examinare, ad potestatem judicandi explicandam proprie pertinet. Et Julius Cæsar quidem prætor, Novium Nigrum Quæstorem in carcerem conjecit Romæ, *quod compellari apud se majorem potestatem* (prætorem) *passus esset.* *Suet. Iul. 17.* Sed ista forte exempla, ad hodiernam disputationem parum pertinent. Posse enim à summa potestate civili constitui, ut in certis caussis, minor sit majoris judex, aut inferior magistratus, sive etiam populus, ubi non est populare imperium, majorem magistratum judicet, dubio caret. Estque huic in republica vel dispositioni, vel acti sua ratio, ac utilitas. Sed an ejus majoris Judicis, penes quem est summa potestas sive majestas, minor potestas judex esse possit, unice ambigitur. Summa enim potestas, ut alios omnes judicat, ita ipsa est ἀνυπεύθυνος, idque hoc ipso jure, de quo agimus. Quin possit tamen sibi sponte in certis casibus constituere vel judicem, vel arbitrum in vicem judicis, non fuerit inficiandum. In omni-

omnibus autem rebus, & citra exceptionem sibi imponere judicem summa potestas non potest, ut summa maneat, id est, omnia summi imperii sive majestatis jura habeat. Ἀυτόδικον enim dicere, qui sit ὑπεύθυνος, est ea ponere, quæ se invicem tollunt. Inquis: Si summæ potestati leges poni possunt e. g. Regi, quibus teneatur, etiam judicem habere poterit. Obligare enim aliquem legibus, & eximere judicio, nihil aliud fuerit, quam divellere ea, quæ naturali consecutione cohærent. Loqui autem te de Rege, qui non nomine tantum sed jure regio Reipublicæ præsit, quo nemo major est, ne populus quidem, ut postea monebitur, non dubitabo. Sed tum petam, ejus rei exempla mihi ostendi. Hic vero abunde plerisque erit, quod colligant. Quid enim? nonne de Re-
3. A. 26. gibus Romanis Tacitus scripsit: *Servium Tullium tulisse leges, quîs etiam Reges obtemperarent.* Si hoc fecit, imminuit utique jus regium, vel Reges Romanos post Romulum non habere jus vere regium, sed mixtum statum esse reipublicæ, declaravit: sicut & alia Tullii apud *Dionysium Halicarnasseum* dicta factaque eodem tendunt. Certe si accipimus simpliciter locum *Dionysii*, quo testatur, *populum*
lib. 4. *Romanum sub Regibus inde ab antiquo habuisse jus trium maximarum rerum; creandorum magistratuum, ferendarum legum, belli denique pacisque*: nemo civilis philosophiæ peritus dixerit, veros illos Reges fuisse, sed mixtam reip. formam obtinuisse animadvertet. Verba sunt gravia: Τριῶν πραγμάτων ὁ δῆμος ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων κύριος ἦν, τῶν μεγίστων τε καὶ ἀναγκαιοτάτων. Nisi oratorio magis, quam philosophi more locutum credas, ut dominum faciat earum rerum populum, quarum non potestatem habebat, sed in iis administrandis aliqua auctoritate pollebat: quorum illud ad formam reipublicæ, hoc ad modum administrandi pertineret. *Taciti* in dijudicandis talibus rebus semper magna apud me auctoritas est. Ille, Romulo potestatem vere Regiam videtur tribuere; quam imutato postea rerum statu, popularitas præsertim Servii Tullii diminuerit. Quamquam qui diligenter versaverit scriptores utriusque linguæ,

non

non pauca nobis deesse ad accuratiorem Regii Romanorum imperii cognitionem, animadvertet. Neque ad alia exempla nos progredi, studium brevitatis patitur. Id non veremur affirmare: eum aut eos, qui summam potestatem habent sine exceptione, non posse ab alio aut aliter judicari, quàm si in civilibus quibusdam causis ipsi sibi in vicem judicis aliquem aut aliquos constituerint. At, ubi mixtus est imperii status, & Princeps ex omnibus, ad præscriptam formulam regnaturus, quæritur; dubium non est, quin consuetudine aut lege talis imperii, judex aut judices, illi Principi constitui queant, &, si factum appareat, pro constitutis haberi debeant. Tum autem frustra quæreretur: an major à minori judicari queat? Non enim tam constitutus judex, aut constituti judices (quanquam si gentilitius is honor est, non potest non maximi æstimari) quam constituentes, adeoque ab origine rei, considerari debent. Cumque in tali, quem designavimus statu, Imperium semper majus esse Principe, neminem patiatur ignorare manifestissima philosophiæ ratio: Minor nunquam erit, qui judicat, quatenus & quo nomine judicat. Imo tali mixturæ non modo repugnat, sed usitatum est, ut vices magnitudinis sint; &, qui in nonnullis summus est, in certa re aliorum potestatem detrectare non possit. Certe, illi, qui ultro de tali statu reipublicæ in hoc aut illo exemplo pronuntiant, non poterunt tueri sua placita, si velint admittere, quæ de diversissimis formis & temporibus opponuntur, atque varia effugia, præter rem quærere. Hæc è certis philosophiæ fontibus, nimium proh! dolor hodie neglectis ignoratisque. Non latent interim nos & aliæ caussæ, quæ de republica scribere solitos diverse trahunt, neque ad liquidum deduci patiuntur, quæ diximus.

In oppugnando jure judiciorum, mirum est potuisse reperiri homines, qui Sacras literas nominare auderent, ubi Deus ipse se Judicem Universi promulgat, & Judicibus summis, mediis, imis, loca partitur, officia describit, atque ad summam in civitate potestatem, sibi secundam,

tam accuratè omnem jurisdictionem refert, ut nulli reorum, quocunque obtentu elabendi ulla rima relinquatur. Sed istos quidem fanatico errore lapsantes, abunde Theologi graves ac eruditi profligarunt.

Neque res melius cessit iis, qui clericos eximere voluerunt summæ potestati, cui Deus & natura judicandos tradit, quicunque civili consociatione continentur. Apud nos, qui Augustanæ Confessionis formulam in religione sequimur, etiam lex Reipublicæ, accessit, quando transactione Passaviensi, & Pace Religionis, & nuper Pace Osnabrugensi, Jus Episcopale, quod ita vocare cœperunt, qui Episcopis talia vindicabant, adeoque & jurisdictio illa, Principibus ac Ordinibus attribuitur. Quin ipsum Pontificem Romanum ab Imperatoribus Romanis optimo jure judicatum, exemplis omni exceptione majoribus, alias ostenditur. sicut & illud: Pontifici & clero in supremas potestates nullum judicium, aut adversus earum judicia & sententias, intercessionem competere. Nunc illud tantum vellem ex *Petro de Marca*, viro doctissimo, si liceret ipsi ὀρθοδοξεῖν in ejusmodi quæstionibus, percontari, quando exemplis valde debilibus & parum dextre explicatis, censuram clericorum, legibus & judiciis Principum subjacere negat, quid ergo sentiat, de sententia auctoritate Regia & Senatus anno superioris sæculi LXI. latâ, primo in Arturum Desiderium sacrificum, deinde in Theologos Sorbonicos, occasione libelli Johannis Tanquerelli, apud *Thuanum*. Et, recte ac ordine, an secus, Senatus Lutetianus anno hujus ipsius seculi XXVI, collegii Claramontani Theologis diem dixerit, ob librum Santarelli? cujus actionis totius seriem *Bartholomæus Gramondus* refert. Ita, qui apud eundem scriptorem, quæ anno 1616. pro Archiepiscopo Burdigalensi Sundisio, & contra eam disputata sunt, legit, non dubitabit, utra pars coloribus, utra argumentis utatur. Sed adversus ista quidem Pontificii dominatus inventa, nunquam non strenue & cordate certatum est: suntque in omnium manibus integra volumina.

de concord. sacerdotii & imperii l. 2. c. 7.

lib. 28.

hist. l. 15.

lib. 2.

Cæte-

Cæterum huic supremo judiciorum juri, etiam illi adversantur, qui populum in Regno quoque, aut Aristocratia, supremum Judicem ita faciunt, ut ejus examini & sententiæ subjici debeant Rex aut optimates, adeoque ipsa summa potestas. Quod equidem nulla solidioris philosophiæ ratio permittit; vel in divinis, vel in humanis literis. At, inquiunt, si Rex abutitur summa potestate in judicando, & male judicat? Interrogabo vicissim: Annon totus quoque populus abuti potest, aut abutitur, summa civili potestate? nihil frequentius certe in Democratiis olim accidit. Quod si ergo amplius roges populares illos philosophos, à quo sit judicandus populus, qui deliquit, seu tota illa civitas imperio inique ac fœde usa? respondebunt certe: à solo Deo. Quidni ergo eadem ratio valeat in iis imperiis, ubi omnis potestas à populo, uni & in unum, aut paucos, translata est? Quo genere argumentandi jam olim *Aristoteles* tales homines arguebat. Egregius est, *3. polit. 1. f.* adversus periculosam sapientiam, labor *Grotii* 1. *de jure belli cap.* 4. cui addendus *Arnisæi liber de auctoritate Principum in populum semper inviolabili.*

Involant etiam in hoc jus, qui se sibi constituunt ipsi judices. Quod quidem fieri quodammodo, quotiens vindictæ studio suas injurias & lites manu exequuntur aut singulari dimicatione, qui copiam judicii habere poterant, in aperto est. Exemplum autem mirabile talis delicti, id est, *comment. de* usurpati à privato judicii, *Thuanus* memorat. Balanus quidam *Vit. l. 2.* præfectus arci Lactoratensi injuriam sororis, cui qui vitium obtulit, alteram uxorem duxerat, in auctorem vindicare aggressus, convivium instruit. quo finito, *quasi pro tribunali sedens* (sunt verba Historici) adductum ad se in vinculis *reum interrogat, inficias euntem testibus productis convincit, etiam sorore, quæ aliquandiu latuerat, velo amoto, quasi ex machina comparente. cujus præsentia turbatus reus, consuetudinem cum illa se blanditiis provocante confessus est, ceterum ullam de nuptiis factam mentionem, aut de iis datam fidem, negavit. tum Balanus in judicis officio pergens confessionem scriptis ab amanuensi mandari jussit, & à reo subscribi, tandemque & testium fide & sua ipsius* con-

confessione convictum ad mortem damnavit : & qui judicis, accusatoris, testis, cognitoris partes hucusque impleverat, ad extremum etiam carnificis vicem implere voluit, & miserum hominem, Dei & hominum fidem implorantem, & hospitalis mensæ sacra violari nequicquam quiritantem, stricto pugione confodit, statimque corpus ad suos remisit. Ad Navarrum autem, à quo arci impositus fuerat, scribit, rem ordine denarrat, exemplum actorum caussæ transmittit, retentis secum, quas reus subscripserat, paginis; justum dolorem gravi injuria provocatum, in quo tamen judiciarius ordo servatus esset, excusat, facto veniam petit, traditurum se cuicunque juberet Navarrus, arcem professus. Fides mox extitit verbis ejus, cum Navarrus, temporum perturbationi obsequendum ratus, veniâ, quanquam atroci facinori datâ, alium arci præfectum imponeret.

In defendendo ac propugnando, quod summis potestatibus debetur, judiciorum jure, non recte videntur incedere, qui in historia Caini parricidæ putant, Deum tum demum, cum metuenti cædem Caino respondisset, nemini jus fore occidendi eum (*Gen. 4.*) *id quod naturaliter licitum videbatur, edicto repressisse.* Nunquam enim, à primo rerum conditu, cuiquam recte cogitanti naturaliter licitum videri potuit, ut interficeretur à quocunque obvio, etiam noxium caput. Et Cainus cum hoc metuit, conscientiæ angoribus perturbatus, non juris naturalis dictatu eruditus loquitur. Illud enim, *Non occides*, in hominum animis inscriptum, adeoque dictamen vere naturale, à nemine ignorari poterat. cujus non hic modo sensus est, neminem innoxium occidendum; sed ne noxios quidem temere aut à quovis, qui ejus rei nullum mandatum vel à Deo vel ab iis, in quos Deus summam judicandi potestatem contulisset, occidendos esse. Et ille, qui dixerat, sive in animo primorum hominum promulgaverat, *non occides*; non serius, nec aliter, constituerat ordinem imperandi parendique, adeoque coërcitionem facinorum non reliquerat in dubio, aut promiscuam, quando parentes honorandos, & summis potestatibus obsequen-

Vide Grot. de I. B. 1, 2, 5.

quendum dictaverat. Rectissime itaque magni Theologi historiam Caini ita interpretantur, ut dicant: nihil aliud (*Gen.* 4. *v.* 15.) quam generalem legem hic poni, qualis & ante animis hominum insita, & postea in Decalogo repetita est, *non occides.* Sed neque Lamechus ab hoc exemplo, conjecturam divinæ voluntatis in legem duxit, alio argumentandi genere, quàm de quo dictum est. ne dicam de diversis interpretationibus, quibus ille obnoxius est. Quare nec illa verba, admitti possunt: *Deum instaurato post diluvium humano genere, permisisse, ut insons esset, qui homicidam occidisset, quod postea institutis judiciis summas ob caussas ad judices solos restrictum est.* quasi aliquando promiscua cædis in nocentem licentia valuisset, quod omnino probari nequit. Nunquam fuit tempus ab orbe condito & genere humano multiplicato, quo, remota juris auctoritate, cuivis judicium sibi in alios vindicare liceret. neque enim, credo, facinora hominum pravorum pro permisso jure quisquam nominaverit.

Vid. comment. Phil. Melancht. in Gen.

Multo minus tolerari potest, cum ad oracula Novi Fœderis acceditur, illa totiens in illustri opere occurrens ὑπόθεσις Photiniana, *quasi Christus longe perfectioris, quam in V. T. erat legis auctor, quædam quæ ante non præcepta erant, præceperit, aut sublimiori certe gradu & latitudine præceperit.* Valere enim hic debet, quod probat *Isidorus Pelusiota*: ὅτι καινότητα δογμάτων οὐδεμίαν τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς εἰσήγαγεν, *quod novitatem doctrinæ nullam legi & Prophetis Filius Dei superinduxerit.*

Grot. de I. B. 1. 2. 6. &c.

Epist. l. 1. ep. 107.

Jam quod de *lege Mosaica quæ ad judicia pertinebat*, adfertur, primo ad rem parum forte facit. Fac enim, *Judæos etiam ad Christum conversos, si ad magistratum vocarentur, eum defugere non potuisse, sed judicia ad præscriptum legis Mosaicæ subire debuisse*: non statim inde colliges: si Romani, quorum erat tum in Judæos summa jurisdictio, permiserunt iis quædam juxta legem Mosaicam judicare, neque Christus & Apostoli, quo minus id fieret, inhibuerunt, ergo adventus Christi legem illam Mosaicam non finivit. Durum deinde est, dicere: *nullum in lege Mosis terminum isti legi præfinitum esse.* Quid enim faciemus dicto *Genes.* 49. *v.* 10. in

Grot. de I. B. 1. 2. 7.

in quo tanto consensu vetus & junior Ecclesia hunc quoque sensum agnoscit. Durum amplius est, dicere: *neque Christum neque Apostolos usquam de legis istius cessatione locutos esse.*

2, 15. Non dicam de loco *Pauli ad Ephesios*, ubi νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι *legem praeceptorum in decretis sitam*, unde lex forensis non potest eximi, Christus *destruxisse* perhibetur. Christus certe & Apostoli, tota vita sua & exemplis, quod potentissimum docendi genus est, abunde Romanam jurisdictionem confirmarunt; atque ad alias & Cæsaris Romani leges potius quam ad Mosaicas respiciendum dehinc esse, declararunt. Frustra etiam dictum Christi in alienam

Matth.5.v.17. sententiam trahitur quando dicit: *non veni solvere, sed implere legem.* De qua enim lege ibi sermo sit, & quo proposito id dicatur, ex tota illa gravissima Servatoris ὁμιλίᾳ, nemini obscurum esse potest. ne dicam de interpretum auctoritate, non uno nomine venerabili.

Hæc igitur potestas judicandi sive dicendi juris, de qua hactenus aliquid annotamus, semper majestatis sive civilis summæ potestatis pars est, & ab ea vel in magistratus derivatur, vel aliis curatoribus committitur, prout formæ reipublicæ, temporibus, consuetudinibus, aptissimum videtur. Sicut magna varietate docere potest Historia Rerumpublicarum veterum & recentium. quam si quis partitim considerare velit, notabit *primo*, quæ ad ipsam potestatem judicandi, vel summam, vel jure magistratus aut lege competentem pertinent; *deinde* exemplo *Aristotelis*,

4.pol.16. modum & consuetudinem constituendi singulos judices, aut collegia judicum, ex censu, ex genere aut suffragio, aut sorte, idque vel ex omnibus, vel ex quibusdam, vel etiam mixta utraque ratione, quæque alia hujus loci sunt, observabit: *postea*, ejusdem summi Philosophi more, πόσα εἴδη δικαστηρίων, sive quæ pro diversis causarum generibus, tribunalia publicis privatisque litibus attributa sint, cognoscet: *porro*, ipsam formulam (processum vulgo vocant) & ordinem legum exercendarum & judicii habendi, spectabit: *denique*, quæ ad judices ipsos attinent, vel eorum *voluntatem* dirigere, vel *facultatem* instruere, vel *opus* definire,

finire, animadvertet; qualia ad *virtutem & officium judicis* vulgo referuntur. Judiciorum Romanorum consuetudinem late sparsam in historia & jure civili, tradere aggressi sunt *Carolus Sigonius tribus libris de Judiciis*, & *Franciscus Polletus*, commentario, cui titulum dedit, *Historiam fori Romani*. Hi, inquam, ex antiquitate studuerunt pleraque colligere, non ut contenti his essemus, sed ut fontes ipsos, scripta scilicet Historicorum, & Ciceronis præsertim, tum Philologos veteres adiremus. Sic etiam, qui leget, quæ ille ipse *Carolus Sigonius de Judiciis Atheniensium*, *Jo. Meursius in Areopago* scripserunt, excitabitur, opinor, ut cupiat cognoscere, quæ doctissimus *Pollux*, *Xenophon*, *Plutarchus*, *Græci Oratores* de hoc argumento tradiderunt. *l.8.onomast.* *Germanicorum Judiciorum* consuetudinem Juris publici privatique scriptores copiose explanarunt, de antiquioribus autem sæculis, non eodem modo res ad liquidum deducta est. De officio & virtute Judicis, *Philonis Judæi* elegans libellus extat: nec parum conducunt *Stobæi Eclogæ*: tum in historia fabulari, *serm.155. & 156.* Minois, Æaci, Rhadamanti exempla. Ex Junioribus superiori sæculo *Claudius Cantiuncula* Jureconsultus *de officio judicis duos libros* edidit, quibus tres quatuorve addere destinaverat: *Erycius* autem *Puteanus* primoribus lineis designavit *Judicem*: inhærentque oculis aliorum quoque labores. Quod si lubet huc conducere materiam *de pœnis*, obvia est scriptorum enumeratio: ad quam non digredimur, quibus constitutum est, hac vice, quædam de singulis juris dicendi partibus afferre, & denique ad comparationem Pisonis apud Tacitum aliquid annotare.

Jam ante dictum est: totam jurisdictionem cum omnibus suis partibus ad majestatem sive summam civilem potestatem pertinere: quam qui habent, cum non possint omnia per se peragere, consentaneum est, jurisdictionem committi aliis, vel jure magistratus vel lege beneficiove aut mandato speciali: idque rursus, vel per omnes, vel per quasdam jurisdictionis partes; itemque vel in hac aut his, vel in alia aut aliis objectorum speciebus: prout supremæ potestati visum fuerit. Quæ ut recte omnia obe-

antur, quid oporteat, & quid deceat in singulis, studiose exquiritur.

Cognitionis, quæ prima jurisdictionis pars est, *necessitatem*, & *diligentiam*, non tam leges aut mores postulant, quam ipsa naturalis ratio præscribit exigitque. Ipsius naturæ vox est apud *Tacitum*: *cuicunque defensionem tribuendam*, etiam nocenti. nam qui *inauditi atque indefensi pereunt*, *tanquam innocentes perisse videntur*, sicut ipse *Historicus*, eandem rationem secutus, pronuntiat. Reperiuntur tamen caussæ, in quibus Judices, præsertim summi, cognitionem omitti posse, existimaverunt: Si crimen manifestum est, & re ipsa comprobatum; tum, si naturalis judiciorum ordo, sine summo reipublicæ periculo, teneri non potest. quod postremum scilicet itidem de aperto ac indubitabili facinore intelligendum est. Ponamus exemplum. Constet Principi, non conjecturis & probabilibus argumentis, sed certa rerum fide, aliquem insidias sibi, aut proditionem reipublicæ parare: neque tutum sit, ad caussam dicendam vocare sontem. Annon liceat, prætermissa cognitione scelus punire? Nulla ætas dubitavit, quin liceret. Exempla sunt notissima. Ubi duo tamen notamus: primo, requiri hic tam certam criminis fidem, quam quæ potest morali æstimatione maxima esse; sed & periculi publici ratiocinationem non qualemcunque, sed quæ possit viri prudentis judicio prorsus satisfacere, intelligi: deinde, rumoribus & sinistris judiciis plurimum obnoxia esse, quæ ex tempore, quacunque de caussa, exercentur supplicia. quæ res facit, ut non minus de quæstione consilii, quàm de quæstione juris hîc cogitandum sit. Legi digna sunt, quæ de Ancræi in Gallia cæde jussu Regis facta, apud *Gramondum*, disputantur, cum ultio quidem ipsa & ultionis caussa nemini non approbaretur, ultionis modus plerisque displiceret. Si licet bona cum æqui lectoris venia hoc interserere, satis scio *Gramondum*, quem non semel & alias laudavi, apud popularium suorum doctissimos existimationem Historici partim tueri, neque caussas ejus rei ignotas habeo. sed testimonio ejus recte ac

13. A. 10.

1. H. 6.

lib. 2.

ac in tempore uti volentibus magna plerumque ratio superest. De re ipsa, illud non addam; sæpe sperato destitui successu, quæ ad hunc modum repræsentantur supplicia. quemadmodum, ut ex multis unum adferam, nece Guisii, *Thuano* memorata, cognitum est. Sed hæc humana *lib. 93.* prævideri sollertia non semper possunt, &, ubi propius periculum imminet, de remotiore vix tam accurate cogitatur.

Loquimur autem hactenus de præterito cognitionis ordine, in caussis, quæ certius quam conjecturis, &, quas Jureconsulti vocant, præsumptionibus, compertæ sunt. Nam in reliquis, quam sit res accipitis aleæ plena, multis possumus & magnis exemplis doceri. Quis non adversus Turnum Herdonium conjecturam fecisset, apud *Livium*, *lib. 1. c. 51.* quando protractis undique ex domo ejus gladiis, crimen insidiarum in Regem, falso structum, arguebatur? Innocens tamen fuit, qui *indicta caussa* punitus est. Quam facile Alexander plerisque conjecturam suam de Sisine probasset? *accepit literas de re magna & occulta, imo ad facinus exhortantes. non adiit me, non detulit indicium, sed suppressit. scelesti consilii manifestus est.* At qui sine accusatione ita accusabatur, & sine cognitione plectebatur, revera insons fuit. *apud Curt. 3. 7.* Adde Antistii Petronis exemplum, à Tarquinio Superbo eversi, apud *Dionysium Halicarnassensem.* Memoranturque *lib. 4.* hujus generis alia in hominibus homicidii male suspectis, male damnatis. Quare nunquam probare *Clapmarium* potui, qui Parmenionem juste occisum pronuntiat: cum ad eam veritatis fidem, quæ hic requiritur, non pauca deesse animadvertantur. Sicut autem hic de *præsumptionibus* & conjecturis locus, multis pro inextricabili habitus, forte in ordinem concinnari & serie bene contexta plenius proponi posset, ope præsertim *antiquorum Rhetorum*, qui diligenter viam pedum viderunt: ita judicis summa cautio esse debet, ne animosius aut securius præsumptionibus etiam violentis utendo, putetur interdum *præsumptive* agere, alio illo sensu, qui in vitio est & temeritatem notat. Sic in caussa Sisinis & Turni, nimis cito ad conjecturas de- *V. Alciat. de præsumtionib. pr.*

 cur-

cursum est: cum de veritate aliter & aliunde constare potuisset, si auditi essent. Quare tutius & in publicum utilius est dicere: in causa capitis ad damnandum inaudita caussa reum, præsumptionibus judicem, etiam summum, niti non debere. Nam facti evidentiam, jam ante à conjecturis distinximus.

Diligentia cognitionis multo labore, sollertia, patientia constat. ad quam interim omnes judices naturaliter obligantur. quis enim recte sententiam se ferre posse autumet, de re, quam non satis accurate cognovit? Hinc illæ tot formulæ, & sollennia fori olim & hodie. de quibus *Fabius*
l. 5. instit. orator. *Quintilianus* tam exquisite egit, ut non magis sui quàm nostri sæculi homines, si qua παλαιῶ χρυσῶ æstimatio superesset, erudisse videatur. Utut autem maxima versari debeant in cognoscendo diligentia Judices, abesse tamen calliditatem, nimiam asperitatem, superstitionem & vicinas superstitioni opiniones vulgi, fas est. Propinqua in-
in Claud. cap. 15. terdum virtutibus ista vitia sunt. *Suetonius* exemplum judicis *in cognoscendo circumspecti & sagacis* agnoscit in facto Claudii, qui *fœminam non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio juvenis.* At si judices hanc sagacitatem voluissent
declam. 306. imitari, qui in caussa *Quintiliano* descripta judicare debuissent, *ubi filius expositus matris non agnoscentis nuptias, præmium fortitudinis petiit*, in calliditatem degenerasset diligentia eorum. Non enim statim colligere debuerunt: *illa abnuit matrimonium; ergo mater est.* Nam & vetulæ, post tot annorum viduitatem castissimam, abunde caussarum erat, cur abnueret nuptias juvenis. Rectius itaque condemnarunt petitorem, qui argumentis de cetero idoneis de-
2. A. 30. stituebatur. Manifesta est, quam *Tacitus* refert & damnat, Tiberii vafrities, in caussa Libonis. *Quia* enim *veteri senatusconsulto quæstio in caput domini prohibebatur, callidus & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet: scilicet ut in Libonem ex servis, salvo Senatusconsulto quæreretur.*

Nimia asperitas in cognoscendo, plerumque diligen-

tiæ

tiæ obtentu, se tueri studet. nam de cupiditate puniendi ac sæviendi, crudelitate item suppliciis gaudente, quæ animum cognoscentis aliquando occupat & latet, Deus occultorum inspector judicat. Alius est, qui non æque latet, rigor ille immobilis, quo omnia ad lenitatem & humanitatem ducentia momenta, inter cognoscendum negliguntur & quodam modo projiciuntur. Qua in re, qui ex mandato cognoscunt, plerumque mandati formula defenduntur: nisi quod meminisse debemus, nullis mandatis humanitatem ipsam tolli. Amplius autem, quæ in hoc genere peccantur, in abusu tormentorum perspiciuntur. Quæ nemo miretur, ad cognitionem à nobis referri; cum tormenta alias imperii dicantur esse potius, id est, alterius partis, in potestate judicandi. Aliud est enim quærere, cujus sit tormenta decernere, cum magistratus judicant: aliud de caussa & usu tormentorum loqui, quo pacto ad probationes referunt Veteres quæstionem per tormenta: probationum autem omne genus, cognitioni tribuunt in dicendo jure. Multis modis circa *hanc exhibendæ veritatis fidem*, peccari posse, ex mente accuratissimi Scriptoris *Q. Curtii*, in caussa Philotæ, ostendemus. *Curt. 6. 8. 15.* Decernitur in consilio Alexandri, *quæstionem de Philota, ut participes sceleris indicare cogeretur, habendam esse.* Suaserat hoc decretum Craterus, homo Philotæ inimicus ac æmulus: suaserat hoc fulcro sententiæ; culpam silentii, non in alium quàm participem sceleris cadere, neque contemtum sed celatum judicium debere judicari, quod Alexander jam, ut negligenti, non ut dissimulatori, ignoverat. Poterant participes sceleris, qui adhuc latebant, ex aliis sciri, quibus minore invidiâ quæstio per tormenta adhibita esset, antequam ad illustrem virum Philotam, ex nova & emergente caussa deveniretur. In eo præsertim non frustra videtur Philotas *jura gentium* invocasse, quod à *confesso* etiam, *ut in tormentis eadem diceret*, exactum est. *V. Langla. semestr. adde Eundem 9. 3. Curt. 6.12.14. & 15.* Licet enim jure civili constitui potuerit, ut confessus etiam ad investigandum totius criminis ordinem, & noscendos socios ac participes, torqueatur: jus naturæ tamen,

quod Philotas, hîc *jura gentium invocans*, laudat, non favet illi severitati, ex qua nihil præter modum, & unicam illam rationem, probari potest, si aliter veritas reperiri nequeat. Quanquam & sic semper dubitatum est: neque sine caussa *Ludovicus Vives* existimat; *fortissima esse, quæcunque contra tormenta* apud antiquos *dicuntur*, *quæ vero pro tormentis, imbellica.* *Idem* qui *Augustini* sententiam, quasi ad *necessitatem societatis humanæ* tormenta referentem, aliter, quam vulgo accipitur, explicat, atque *cum gentilibus & de gentilibus sermonem esse*, ostendit. Utamur jam porro regula *Fabii Quintiliani*, in considerandis Philotæ tormentis: *quis præfuerit quæstioni, quis & quo modo sit tortus, an credibilia dixerit, an inter se constantia; perseveraverit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutarit; prima parte quæstionis, an procedente cruciatu.* Præfuerunt quæstioni Hephæstio, Craterus, Cœnus partim propria inimicitia, partim specie obsequii aulici in Regem, Philotæ iniqui. *Inimici*, inquit *Historicus, in gratiam regis torquebant.* quæ res nimirum partem judicis invidia onerat, partem Rei miserabilem facit. Quis, & quomodo torquetur? vir clarissimus, per *ultimos cruciatus, igne, verberibus, jam non ad quæstionem* (nota gravissimum judicium Historici) *sed ad pœnam*, lacerabatur: ita ut, *intumescente ulceribus corpore flagellorum ictus nudis ossibus incuterentur*; fatigatis denique tortoribus *ipsi quoque*, qui præerant quæstioni, *hastis os oculosque Rei everberarent.* Quid autem dixit Philotas & qualia fuerunt, quæ ipsi extorta sunt? Ad summum processerat cruciatus, antequam quicquam dixit. Tum demum victus magnitudine dolorum, ut omitterentur cruciatus petivit, quasi aliquid dicturus. Remotis tortoribus, quid dicere debeat, ignorare sese professus, *dic*, inquit Cratero inimico suo, *quid me velis dicere.* Rursum admotis tormentis, narrationem orsus est, vel ideo suspectam, quod ab homine mortuo, qui interrogari non poterat, omnis rei series arcessitur. de ultimo crimine, quod à Dymno enotuerat, constanter negat: donec novis cruciatibus ut id quoque confiteatur, exprimitur. Agnoscit quidem postridie, quæ in tormentis dixerat; sed postquam ei vivendi nec spes nec caus-

ad Aug. de C. D. 19. 6.

Institut. orat. 5. 4.

Curt. 6. 11. 15. &c.

caussa relicta erat. Quid melius de re tota judicari potest, quam quod Historicus pronuntiavit? *Philotas*, inquit, *verone an mendacio liberare se à cruciatu voluerit, anceps conjectura est: quoniam & vera confessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur.* Unde satis intelligitur, *Curtium* de tormentis, præsertim tam atrocibus, idem sentire, quod summus Orator facunde explicat: *Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque tum animi, tum corporis: regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.* Periculum certe in hoc negotio ita est evidens, ut judices quosvis, de summa cautione & moderatione adhibenda, possit commonefacere.

Curt. 6. [illegible]
Cic. pro Sulla c. 28.

Superstitionem quoque à cognitione removimus. Quod genus probationum rudioribus sæculis erant, duella innocentiæ demonstrandæ, sortes, ferrum ignitum, aqua fervens, & similia. Nec nulla hodie occurrunt, præsertim in inquisitione in veneficas, quæ omnium difficilima est. Abesse certe à Christiano judice debent, qualia *Tholosanus* refert. Potest etiam fieri, ut superstitio accedat, ad captatam effluxionem sanguinis ex cadavere, præsente homicidii auctore; vulgo Baarrecht/ appellant: quæ Græce est *αἱματόδειξις*. Si enim per miraculum divinum illa effluxio sanguinis fit, quæ multorum est sententia in exemplis non suspectis aut exaggeratis, fideque dignis: periculosum est captare divina miracula & provocare, sicut aliunde constat. cum præsertim factum esse sciamus, ut admoto cadaveri vero homicida, & coacto manum vulneri imponere, adhibitis etiam precibus & invocatione divini numinis, nullum tale indicium compareret: quanquam postea aliis modis crimen compertum est. Exempla sane admiranda referuntur: sed, cum in vestigatione caussarum omnia sint ambigua, incerta, imperscrutabilia, nulla cautio prudenti judici nimia videri debet.

de rep. l. 13. c. 30. §. 5.
Wehner. obs. pract. & Besold. Thes. pr. voc. Baarrecht.

Proponuntur apud *Aulum Gellium* à Favorino duæ quæstiones ad diligentiam judicis cognoscentis pertinentes. Prima est: *debeatne judex inter cognoscendum, ea, quæ dicto quasi-*

l. 14. c. 2.

quæsitoque opus est, dicere & quærere, etiam si, cujus ea dici quærique interest, neque dicat neque postulet? Qui negabant, *patrocinari prorsus hoc esse, ajebant, non judicare.* Quin tamen subvenire debeat hoc pacto diligentia judicis vel simplicitati hominum, vel advocati imperitiam supplere, denique, ne quid ad plenam & quantacunque haberi potest facti notitiam desit, providere, vix dubitandum fuerit. præsertim quia reipublicæ interest, ne innocens quisquam condemnetur, adeoque nihil præsidii innocentiæ etiam à judice denegetur. Atque hoc non fuerit Rei, sed Reipublicæ caussam agere, quæ prima judici lex est. Altera quæstio Favorini hæc est: *an ex usu exque officio sit judicis, rem causamque, de qua cognoscit, interlocutionibus suis ita exprimere consignareque, ut ante sententiæ tempus, ex his, quæ apud eum in præsens confuse varieque dicuntur, proinde, ut quoquo in loco ac tempore movetur, signa & indicia faciat motus atque sensus sui?* Diversum sensisse hic & fecisse judices, ipse adjicit. *nam qui judices,* inquit, *acres atque celebres videntur, non aliter existimant rem, qua de agitatur, indagari comprehendique posse, nisi is, qui judicat, crebris interrogationibus necessariisque interlocutionibus, & suos sensus aperiat, & litigantium deprehendat. Contra autem, qui sedatiores & graviores putantur, negant judicem debere ante sententiam, dum causa utrimque agitatur; quotiens aliqua re proposita motus est, totiens significare, quid sentiat. eventurum enim, ajunt, ut quia pro varietate propositionum argumentorumque alius atque alius animi motus patiendus est, aliter atque aliter eadem in caussa, eodemque in tempore, sentire & interloqui videatur.* In priori consuetudine, plurimum auctoritati tribui; in altera plus rationis demonstrari, videtur. Illam non sine periculo exercueris: hæc tutius personam judicis incorrupti gubernat. Nam illa veterum Græcorum elogia, quibus judex describitur

apud Pollux. 8. 3. ἀπαρέγτρεπτος, ἰσοστάσιος, ἰσόρροπος, ἀκλινὴς, ἀκριβέστερος τοῦ ζυγοῦ τὴν ῥοπὴν, *immobilis, æquus, indeflexus;* non in ferenda tantum sententia, sed in cognoscendo etiam spectari fas est.

Tac. 3. A. 15. Unde Tiberius in caussa Pisonis, boni judicis imitatione, *sine miseratione, sine ira, obstinatum se clausumque* præ-

præbet, *ne quo affectu perrumperetur.* Et in caussa Libonis, *immoto vultu* conspiciendus, *libellos & auctores recitat, ita moderans, ne lenire, neve asperare crimina videretur.* Parum equidem sinceri, pleraque Tiberii judicia habent, quatenus ad infinitæ dominationis aut acerbissimæ tyrannidis mysteria fere aptantur, vel etiam tegendis variis consiliis destinantur. unde *Historicus*, non cognitionem, sed *imaginem cognitionis* in Pisoniano negotio agnoscit. Sed istæ simulationes tamen veritatis speciem assumunt, voluntque sub laudatorum judicum exemplo latere, quicunque non Deo & reipublicæ, sed sibi & suis libidinibus sanctissimum officium administrare inceptant.

Tac. 2. A. 29.

Tac. 3. A. 47.

In *secunda parte juridictionis*, quæ nomen generis sibi vindicat sæpe, & *in statuendo jure* versatur, vel maxime cerni discrimen justi ac iniqui judicis putatur. Ita enim ferenda est sententia, sicut lex divina & humana dictat. Et suma quidem potestas, sicut liberius dispicere potest, quid lex divina per naturam aut scripturam sive præcipiat sive suadeat, adeoq; patenti semper via ad æquitatem procedit; ita nec magistratibus & inferioribus judicibus, omnis facultas, certi generis scilicet, temperandæ per æquitatem justitiæ adempta est. Sed de illa quidem elegantissima disputatione, qua omnis æquitatis fontes inquiruntur, alias egimus. *Aristoteles* incomparabili diligentia excussit hunc locum, non in *Ethicis* modo, sed præsertim in *Rhetoricis*: unde apparet, æquitatem partim rigori juris sive τῷ ἀκριβοδικαίῳ, partim calumniis & versutæ sollertiæ oppositam esse; jureque naturæ, &, quæ maxime secundum naturam est, utilitate reipublicæ, adeoque virtute civili, totam gubernari. Hujus pulcerrimæ scientiæ peritissimi fuerunt veteres Romani Jureconsulti, qui ubique cum de jure responderent, magnam sibi æquitatis rationem habendam existimaverunt, suumque exemplum omnibus judicandi munere recte usuris commendarunt: sicut ex iis, quæ supersunt, luculente intelligitur. Ne tamen degeneret hoc æquitatis studium, sive ne judex perversam gratiam gratificando cuiquam,

in calculo Minervæ.

5. Nicom. 10.
1. Rhet. 13.

non

non tam æquitatis studiosum se quàm imperitum præbeat, cautiones graves suggerit, *Suasoria Libanii de Assessoribus Magistratuum & Judicum.* Movet *Philo Judæus* illam dubitationem de æquitate: *qui factum sit, ut lex Divina humanissima alias personam pauperis in judicio respici vetaret?* Scilicet alia est ratio pauperis, ut egestas ejus sublevari desiderat; alia, ut facinus admisit. In priore statu, beneficentia & benevolentia pauperibus lege divina humanaque debetur: in posteriore, animum facientis & mores, non fortunam spectare, fas est. Atque hoc ipsum est, quod æquitas dictat, ne fortuna potius quam animus & caussa partium, in judicio consideretur. nisi cum premitur à potentiore & injuria afficitur pauper. tum enim personæ infirmitas, tanto diligentius tuenda est judici, quanto minus in se opis habere animadvertitur, sicut lex divina alibi explicat.

tom. 2. orat. 5.
de Judice
Exod. 23. v. 3.
Lev. 19. 15.
Deut. 1. 17.

Celebris est, & magno studio agitata sæpissime quæstio, quam apud *Gellium* Favorinus proponit: *si judex forte id sciat, super qua re apud eum litigatur, eaque res uni ei, priusquam agi cœpta aut in judicium deducta sit, ex alio quodam negotio casuque alio quo cognita liquido & comperta sit; neque id tamen in agenda caussa probatur; oporteatne eum, secundum ea, quæ sciens venit, judicare, an secundum ea, quæ aguntur?* Vulgo ita proponunt: *An judex secundum acta & probata, an vero secundum conscientiam judicare debeat?* Alii: *An judex judicare secundum acta & probata contra propriam scientiam possit?* Ubi post magnum *Theologum Jo. Gerhardum*, *Gregorius Biccius Jureconsultus*, insigne nuper Academiæ nostræ ornamentum, recte notavit, *acta & probata*, accurate loquendo, non posse opponi conscientiæ. adde, nec scientiæ. si enim vere *probata* sunt, quæ probari debebant, nec conscientia judicis habebit quod repudiet, & scientia cum probatis coincidet. contra id enim quod sufficienter mihi probatum est, nihil possum scire. aut si quid aliud scio, prius sufficienter probatum mihi non sit, necesse est. Non est autem consilium, recoquere aliis disputata; hoc unum liceat cogitandum suppeditare prudentioribus, quod opinor: Talem

l. 14. c. 4.

loc. de magistrat. polit. §. 292. Aure. sect. 5. th. 153. not.

Talem casum, in quo revera huic difficultati locus sit, in terminis, ut scholæ loquuntur, præcise sumtis, dari non posse; certe non ostendi datum. Si enim certa sit scientia judicis (de alia utique hic non disputatur) quis dubitet, quin inter cognoscendum idonea offeratur occasio, deprehendendi vitia probationis, sive id quod deest probationibus, vel inani specie aut fraude obtenditur, animadvertendi?

Affinis est quæstio, quæ *Gellium* movit, ut juraret, sibi non liquere. Petebatur apud eum pecunia, quæ dicebatur data numerataque. Petitor vir bonus, notæque & expertæ fidei, vitæque inculpatissimæ, neque tabulis neque testibus factum docebat, & argumentis nitebatur exilibus. Is, unde patebatur, probri perfidiarumque ac fraudum plenus, postulabat probari consuetis modis pecuniam datam, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione. Horum cum nihil fieri posset, viri exercitati atque in patrociniis & in operis fori celebres, in consilium rogati, *nihil esse dubium dicebant, quin absolvendus foret, quem accepisse pecuniam nulla probatione solemni docebatur.* At Favorinus Gellio commendabat Catonis consilium, qui *ita esse à majoribus traditum observatumque ait, ut si quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit; tum apud judicem, qui de ea re cognosceret, uter ex iis vir melior esset, quæreretur, &, si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum illi unde petitur, crederetur: ac secundum eum judicaretur.* Sed Gellius non ausus est committere, *ut cognovisse & condemnasse de moribus, non de probationibus rei gestæ videretur.* Celebre interim est exemplum quo hæc ratio valuit, non sine fiducia scilicet prolata, in M. Scauri caussa, qui ita se defendit: *Q. Varius Hispanus, M. Scaurum principem senatus, socios in arma ait concitasse; M. Scaurus, princeps senatus, negat: testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere?* Hac enim voce effecit, ut judices, quem absoluturi erant, si pronuntiandum fuisset, ab ejus accusatione depellerent Varium. Res est profecto parum expedita, de qua tamen forte ista, non præter rem annotari possunt.

l. 14. c. 2.

Ascon. Pedian. in orat. Cic. pro Scauro. Val. Max. 3. 7. 8. Quintil. instit. orat. 5. 12.

possunt. *Primo* enim, judici, qui non est summa potestate judicandi præditus, non licuerit uti hoc ordine judicandi, nisi lex aut consuetudo, legis auctoritatem nacta, aut, sicut in nonnullis tribunalibus obtinet, præjudicia id permittant. neque ignoravit Cato, qui *à majoribus ita traditum observatumque*, dixit. *Deinde*, præcipuum difficultatis in eo versabitur, si quæramus: periculosiusne sit, reipublicæ, si de probationibus rei gestæ innocentem caussa cadere contingat; an, si judicio, quod de facto instituitur, substituatur censura de moribus. Quamquam, si *porro*, in consuetudinem aut legem res iverit, utilitatis quæstio cessat: neque deest, quæ legem aut consuetudinem tueatur, æquitas. *Denique* nequaquam negligendum est judicium *Quintiliani*, qui ad *probationes* παθητικὰς sive *ex affectibus ductas*, caussam Scauri retulit. cui generi, omnis, in auctoritate dicentis, id est, in externo robore, vis est. itaque magis fortuna ac eventu, quam ratione proficit.

4. de rep. ult. Vicinior est quæstio, quam *Bodinus* in hunc modum tractat: *An si res gesta non nisi Principi aut magistratui cognita est?* Respondet: *testem quidem agere utrique licet, judicem non licet.* Quod ita crude dictum, admitti nequit, si præsertim de eo Principe sermo sit, penes quem est suprema judicandi potestas. quem sua scientia non excludit, sed obligat judicis officio: imo interdum efficit, ut repræsentare statim liceat maleficio supplicium. Exempla quoque *Bodini*, valde discrepant: neque accurate explicantur. Primo enim, *præsidi Bononiæ, qui sine teste cædem admitti viderat, ab Azone consulto ita responsum*, refert. Postea addit: *Idem responsum est Henrico II. Regi Francorum à judicibus, qui extra ordinem Meloduni varias cognitiones susceperant.* Rex Italum familiarem in capitali scelere deprehensum, in carcerem duci jussit. Is tædio carceris ex albo reorum eximi, ac vinculis solvi, quando nullius criminis convictus, ac ne accusatus quidem esset, desideravit. Prætor itaque curiæ cum tribus judicibus Regem adeunt, caussam iræ requirentes. Rex offensus judicibus, quasi fidem suam in dubium vocantibus, juravit, se hominem in nefario facinore deprehendisse.

Miti-

Mitigavit animum Regis Annas Mommorancius magister militum, cum diceret; non mirari se, quod infamiam metuerent judices, si ministerio supplicii potius, quàm religione jurisjurandi officium suum metirentur. subtrahendam deinde rumoribus vulgi, ad nova stupentis, materiem, suasit. ita nocte insecuta reus, jussu Regio, flumine demersus, facinoris pœnas luit. Quomodo hic idem responsum est Regi, quod Azo respondit magistratui? Magistratus enim, præter formulam præscriptam, judicare nihil potest. nisi quod hoc ipsum formula includi forte contingit, ut judicet in eo genere caussæ, quod tetigimus. Illi autem judices Galli suæ religioni metuebant, non autem regis potestatem detrectabant. Potuit Rex uti, & usus est jure suo, absque ope magistratum & inferiorum judicum. neque ei controversia ob eam caussam moveri potuit. Judicibus interim facile ignoscendum videbatur; nisi potius laudandos dixeris, quod præscriptâ formulâ, quatenus jurisjurandi religio inesset, ex tempore solvi se posse non putarent.

Chilonis Lacedæmonii factum, in caussa amici, à *Gellio* memoratum, brevitatis studio non disquirimus, quanquam multa sane & elegantia in eo genere occurrunt: sed non obiter dicenda. *lib.* 1.

Properamus enim nunc ad *tertiam partem jurisdictionis*, quæ in exequendo quod statutum est versatur. Sicut autem *jurisdictionis* vocabulum nequaquam ad magistratus solos restrinximus; ita *imperii meri & mixti* vocabulis, varie explicatis, sæpe & implicatis, satius est forte abstinere: nisi velimus illo significatu acquiescere, qui philosophiæ maxime consentaneus à *Lampadio* declaratur. Solent fere in hunc locum congeri regulæ de coërcitionibus, & suppliciis: quas nihil attinet repetere. Ad cogitandum tamen & disquirendum ista consignamus: *Impleveritne judicis officium, qui statuti juris aut pronuntiatæ sententiæ executionem intermittit?* vide exemplum Papirii Cursoris apud *Livium*. *An judex Christianus, statim à pronuntiata sententia, supplicium capitis irrogare possit? An is quem supplicio capitali afficere decrevit* *judex,*

De const. Imp. Rom. part. 3. c. 15. §. 31. & seqq.

l. 9. c. 16.

judex, aut afficiendum ex evidentia facti, novit, diuturno carcere detineri jure possit? An immanes illæ pœnæ, quibus ita excarnificantur homines ut se mori diu sentiant, utilitate exempli satis excusentur? An secreta supplicia, statim tyrannidem spirent, quod quidam statuunt? An Flaminius inter cœnam reum capite plectens, in gratiam meretricis, quæ nunquam se vidisse decollari hominem dixerat, majestatis crimen commiserit? aut, si hoc negatur, quod crimini huic nomen dandum? Quomodo accipiendum & explicandum sit illud Asconii Pediani: Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti majestatis læsæ reus est? *An ex dicto Caracalli, quando Papiniano securi percusso, percussori dixit,* gladio te exequi oportuit meum jussum, *Goveanus recte colligat, plus acerbitatis in gladio, quam in securi fuisse? An perpetui carceris aut fustigationis pœnam, morte redimere optanti, optio concedenda sit? Quale sit peccatum Pauli III. Pontificis, qui hominem morte affici jussit, quia sibi adhuc Cardinali parricidium confessus esset, quamvis constanter negantem? An tota multitudo supplicio affici possit? An decimatio probari debeat? An in crimine majestatis magistratibus aut extraordinariis judicibus, liceat, totum judicium, rationibus magis suasoriis & politicis, quam juridicis & legitimis gubernare; obtentu publicæ securitatis? An ullo casu defendi possit, si sacra Regum capita gladio aut securi feriantur?* Hæc inquam, & similia multa, hoc loco considerari possent, nisi modus adhibendus scriptioni esset, quæ ex amplissima materia aliquid decerpere, & ad rationem judicandi, tum in unius, tum in plurium imperio, annotare constituit.

M. Sen. controv. l. 4. contr. 25.

in Verr. de prat. urb.

ap. Spartian. in Carac. cap. 4.

Accedendum nunc est ad comparationem Pisonis, quando apud Tacitum existimat: *vera aut in deterius credita, judice ab uno facilius discerni, odium & invidiam apud multos valere.* Ea enim res nos ducit ad considerationem judiciorum in diversis reipublicæ formis, aut etiam in una aliter atque aliter administratorum. Ac in regno quidem, ut alia omnia, ita etiam judicia, expeditius, præsentius, liberius conficiuntur. Ecce, ubi ab unitate discessum est, etiam in duobus, dissidia occurrunt. E primis Romanis consulibus, Brutus damnabat conjuratos; collega alter

Col-

Collatinus paris potestatis obtentu, absolvebat. in anci- *apud Dion. Halicarn. l. 5.*
piti respublica erat. Unde & in S. literis, non tantum exemplo judicii Salomonis, sed notabilibus sententiis judicii regii vigor laudatur. Notum est illud: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* (*Proverb. 20. 8.*) Rex qui consedit judex sine æmulo, sine consorte, sine arbitro; dissipat malū absq; contradictione absq; disputatione, absq; impedimentis vel juris vel facti. Intuetur enim oculo perspicace; cui alienos colores offerre, nec tutum, nec facile est. Et quando Spiritus S. vult describere & ob oculos ponere *τὸ ἀκριβὲς καὶ ἀπλανὲς καὶ μεγάλειον τῆς δίκης*, juxta *Isidorum Pelusiotam*, (*Epist. l. 328.*) collocat Regem in solio, in cujus conspectu non consistunt mendaces, & qui matutinus adest, ad perdendos improbos. (*Ps. 101. v. 7. & 8.*) Jam, quotiens æquitati via & ratio datur, unius judicium facile explicatur. Id in animo habuerunt, qui apud *Livium* inani proposito, sententiâ minime vanâ ita disputant: *Regem hominem esse, à quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit: esse gratiæ locum, esse beneficio; & irasci & ignoscere posse, inter amicum atque inimicum discrimen nosse.* (*l. 2. c. 3.*) Leges (secundum quas scilicet *multi* judices judicare tenentur; de plurium enim regimine hic sermo est) *rem surdam & inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti; nihil laxamenti nec veniæ haberi, si modum excesseris.* quæ nude accepta facile refutaveris, nisi ad comparationem aptari meminerimus. Sed hæc unitas judicis, si dicendum, quod res est, facilius optatur, quam obtinetur, inter mortales. Finge unius imperium. Is, nisi optimus plane sit & sapientissimus (quales pauci semper humanis rebus contigere) non poterit ubique omnia omnium justa noscere: sed adhibebit consiliarios. Imo, quis est ille tanta sapientia fisus, qui non cupiat prudentium virorum consilia audire, aut sibi necessaria credere? Ergo ab *uno* jam ad *multos* devenitur. Quæ sicuti verissime dicuntur, ita adhuc tamen magna unius judicis, in unius imperio, excellentia ostenditur, quod multi quidem censere ac sententias dicere, unus autem decernere ac definire, possunt. Ille unus, si prudens est, facilius *vera* à falsis *discernet*, ut *Tacitus* ait:

si non malus quidem, sed consilio negotiis impar, jam nomine *Unus*, revera *multi* debent judices existimari. Si pravus est, & tyrannus, qui unus judicandi potestatem habet, tum invertitur votum Pisonis, & ab uno ad multos, non provocatio quidem, sed optatio, fieri solet.

Odium & invidiam apud multos valere, contingit (quis enim negaverit?) nisi legibus accurate & severe latis, hi animorum motus compescantur. Quo major judicantium multitudo, eo majus periculum: & ubi judicia populi sunt, maximum. Testula Atheniensium facit, ut demonstratione nulla sit utendum. Nec Romana historia caret exemplis eorum, quibus nullam sua innocentia opem tulit. Sed, ut cœpi dicere, legum auxilio ordinari possunt, quæ sibi relicta aberrant. Unde, si palam dicuntur sententiæ, disciplina singulari opus est. Sin tacita feruntur suffragia, ipsa latendi fides, perturbationibus apud plerosque conceptis, favere videtur. *Quoto enim cuique eadem honestatis cura secreto, quæ palam?* inquit *Plinius*. [*Ep. 3, 20.*] Unde tam solicite monet *Cicero* judices *in Rabiriana*: *quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. si enim, quid liceat, quæritis, potestis tollere è civitate, quem vultis. tabella est, quæ dat potestatem,* [*cap. 5.*] *occultat eadem libidinem. cujus conscientia nihil est, quod quicquam timeat, si non pertimescat suam.* Et quantum odia ac invidia in multitudine judicum possint, ubi semel à lege & probis moribus recessum est, satis magno exemplo dequeritur *Sallustius*: [*Orat. 2. de rep. ord.*] *Judicia, tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt, tamen iidem illi factiosi regunt; dant, adimunt, quæ lubet: innocentes circumveniunt: suos ad honorem extollunt. non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant: quod commodum est trahunt, rapiunt: postremo tanquam urbe capta, lubidine ac licentia sua, pro legibus utuntur.*

Sed videbimus, quomodo Pisoni ceciderit votum suum, quique totius caussæ exitus fuerit. Cum enim petitum esset à Principe, ut cognitionem exciperet, reo non invito, qui studia populi & patrum metuebat: Tiberius, invidiæ & suspicioni obnoxiam rem cernens, per imagi-

imaginem quandam cognitionis, *paucis familiarium adhibitis minas accusantium*, & ex parte rei, *preces audit*. nullaque ſententia pronunciata, *integram cauſſam ad ſenatum remittit*. Incedebat enim fama, quaſi Tiberius ipſe Germanico in externas terras quaſi relegato, cauſſa mortis per Piſonem hunc Syriæ legatum fuiſſet Maluit itaque Senatui negotium permittere: *integrum* ſcilicet *judicium* utrique parti *oſtentans*. Quare & in curia meditato temperamento diſſeruit: *integris animis dijudicandum*: diſcordia ne reus an veneficio in Germanicum peccaſſet; res novas molitus eſſet, an intra hoc crimen deliquiſſet: neque enim *objecta crimina pro approbatis accipi, fas eſſe*. Hæc ad Senatores, tanquam ad judices. in curia enim de morte Germanici inquirebatur. Accuſatores Piſonis monuit, ut temperatis nimiis in Germanicum ſtudiis, quantum tamen labore & conſtantia poſſent, cauſam agerent. Patronis rei itidem animum addidit, ut periclitantem juvarent ne que eloquentiæ aut curæ quicquam omitterent, ſi quid haberent, quo innocentia ejus ſublevari poſſet. Eſt hæc oratio inter præcipua eloquentiæ Tiberianæ, profundis regnandi artibus deſtinatæ, ſpeci mina, uniceque id agere videtur, *ne odium & invidia apud multos* in judicando *valeant*: quod Piſo metuebat. *Tac. 2. A. 82. & Suet. Tib. 52.*

Crimen Piſoni duplex intentabatur: *veneficii in Germanicum*; & *læſæ majeſtatis, petitâ armis republicâ*. In priori crimine, loco probationis aſſumebatur etiam, quæ antea exuto in Germanicum imperatorem ſuum obſequio, *contumacia & contumeliis ac pravis certaminibus* peccaſſet. Hæc ſicut infitiari reus non poterat, ita veneficium viſus eſt diluiſſe. Quanquam interim ex patrum plebiſque animis eximi non poterat ſuſpicio, fraude profecto inſidiiſque Germanicum interiiſſe, miniſterio Piſonis. In altero crimine, abunde demonſtratum eſt, læſam à Piſone rempublicam, & bellum provinciæ illatum, quod nec poſtremis ad Principem literis negare auſus eſt.

Quanquam autem, per ea, quæ probata ac evicta ſint, exitium Piſoni imminere, nullo modo dubitari poterat,

tatem, id est, ut gentilibus philosophari mos est, *mixtam bonis malique indolem* agnoscat. Nobis, si clarius agendum sit, diceretur *ingenium ad bona non ineptum, sed ad omnia mala propensum; quod rebus adversis aut metu coërcitum forte improbitatem velaverit; potentiam autem & divitias & fortunam non nisi male usurpaverit.* Talia ingenia si plus acrioris spiritus & vehementiæ habent, in acerbitatem tyrannicam exeunt; si mobilitas prævalet & vanitas, in luxum, libidines & lutulenta illa, quæ *Cicero* appellat, vitia prolabi solent.

Unde non mirum est, quod Antonius *arma exosus in otio agere, & Cleopatræ sinu se reficere*, mulierisque Ægyptiæ mancipium Romanus imperator fieri non sustineret modo, sed præoptaret. tam insano amore & immodico, ut προσθήκη τῆς γυναικὸς, tanquam *additamentum sive appendix Statuæ illius Venereæ*, contumeliose à *Plutarcho* appelletur; & cum interpretatione, ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς γυναικὸς, ὥσπερ συμπεφυκὼς καὶ συμμεταφερόμενος, *trahi à femina tanquam agglutinatus nec alio quam ipsius motu mobilis*; dicatur. Et inter hæc tamen, non minore vecordia, quam ignavia, dominationem agitabat, ac muliereculæ suæ pretium luxuriæ Romanum imperium promittebat; plane quasi sedendo & otiando vinci Cæsar, aut Romana virtus debellari posset; quod signanter exprobrat *Florus*. Atque hinc speciosius Cæsari prætextus subnatus est, ut posset in senatu Romano dicere: *Antonium philtris fascinatum non virtutem modo viri sed rationem hominis insuper exuisse.*

Cæsar enim, jampridem consilio opprimendi Antonii agitato, postquam segnitie adversarii, suas vires, quas Antonius facile potuisset prævertere & dejicere, convaluisse animadvertit, serius *venienti bello*, mature *occurrere* statuit. Nec difficile illi fuit Senatum Populumque in partes trahere, & efficere, ut bellum adversus eum decerneretur, qui patriæ mores exuisse, patriæ jura violasse, majestatem imperii femineæ ambitioni prodidisse, adeoque pro hoste publico omnia fecisse videbatur. Id ut certius approbaret Cæsar, *testamentum, quod is Romæ etiam*

de Cleopatra liberis inter heredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit, notante *Suetonio Aug.* 17. Indignum id nonnullis visum (sicut *Plutarchus* memorat) *quod vivo cuiquam ratio esset reddenda eorum, quæ post mortem voluisset fieri*, neque sanctitati supremarum voluntatum ita satis consuleretur. Sed indignitas rei, omnem facti, alias
lib. 50. iniquissimi, invidiam sustulit; quod non omisit *Dio*.

Videamus nunc ipsa rei gerendæ consilia ac instrumenta. Res suadebat ipsa, ut terra potius quam mari bellaret Antonius; quippe & ipse terrestrium certaminum peritus, navalis belli rudior erat, & exercitum similiter affectum habebat; & consilio suorum, ne per incerta maris suam fortunam volveret, flagitabatur. Id Canidius dux robustissimarum legionum, explicatis consilii rationibus hortabatur: id ductor quidam cum lacrymis precabatur, cum sub ipsum discriminis tempus Antonio occurrens, ostensis cicatricibus suis, diceret: *Quid? an diffidis Imperator his vulneribus, his manibus; & in fragilibus lignis fiduciam ponis? Ægyptii & Phœnices bella mari committant; nobis permitte terram, in qua assuevimus occumbere aut vincere. Plutarchum* vide *in Antonio*. Tam bonis ille consiliis prætulit muliebre, & deterius. Quippe magistra Antoniani belli Cleopatra malebat navali prælio decernere, ut suarum quoque, quas adduxerat, navium aliqua esset opera & gloria.

Jam ipsarum structura navium, quam inhabilis ad militiam, quam inepta ad victoriam? Celeritate constat navalis militia: neque ulla re alia quam mobilitate, equestri pugnæ est similior. Unde *illa ipsa moles*, navium Antonii, *quæ non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur, exitio fuit*. Accessit, quod socios navales habebat plerosque ineptissimos, & de via & rastro passim correptos. At vero Cæsar meliore in omnia consilio, non modo naves habiles in ea quæ usus poscebat, & *ad impetus, recursus flexusque capiendos* (sicut *Florus* eleganter formam navalis certaminis designat) aptas comparaverat: sed etiam remi-

miges *firmissimos* instruxerat & exercitatissimos: sicut præter *Dion.* & *Plutarch.* refert *Velleius* 2, 84, 2.

His utraque parte, ad hunc modum comparatis, quis non conjectura, imo certo pæne judicio præciperet cum *Velleio*, certaminis eventum? Sane non defuit Antonio militum fides virtusque: sed fortissimos milites, ducis & consilium & exemplum destituit. 2, 84. quippe cum Cleopatra præcoci & muliebri fuga se discrimini subduceret, Antonius maluit fugientis dominæ (proh dedecus!) quam pugnantis exercitus comes esse. Quanta rerum vicissitudo! pro fugitivo duce, constantissime dimicat proditus exercitus: & dum ille fugacissimi militis officio fungitur, milites optimi imperatoris munia obeunt: quod cum dicterio, non minus vero, quam censorio *Velleius* judicat.

Præcipua pestis Antonianos, ignibus à Cæsare in naves jactis, afflixit; horribilique incendio, quod fuse & facunde *Dio* exequitur, multavit; quippe cum aqua marina ad delendum ignem minime esset idonea. Sequioribus annis, sub Constantino Pogonato Callinicus architectus adversum Agarenos ignem reperit, teste *Zon. t.* 3. qui injectus navibus aut ædibus nulla re, præterquam aceto, extingui poterat. Græcis ὑγρὸν πῦρ, *humidus ignis*; Aliis *Græcus ignis* appellatur, quia in Græcia inventus. *Nicetas Choniates* ita describit: ὑγρὸν πῦρ, ὃ τοῖς στέγουσιν ἐφυπνοῦν σκεύεσι κατὰ τὰς ἀστραπὰς ἐξαίφνης προΐησι τὰ ἐξάλματα, καὶ πιμπρᾷ καθ' ὧν διεκπῖπτον ἀφίκηται. *Græcus ignis vasis celatus, mox fulguris ritu prosiliens & emicans, quacunque contigerit, incendit.* Certe maximæ res tali commento, ex eo tempore, confectæ passim leguntur. Notavit de hoc igne aliquid *Majolus in Canicularibus,* quem compilat *Jacob. Pontanus ad Georg. Phranzæ Protovestiarii lib.* 1. *cap.* 36. colloq. 22.

Cæsar parta feliciter victoria, strenue utendum ratus, ordinatis in Italia rebus (vide *Dionem*) insecutus est Antonium & Cleopatram, varia jam de reparandis viribus agitantes. lib. 51. Sed quid fidum esse poterat in femina, cui omnia honestate potiora? In aperto valde satagit pro Antonio

Ingens ex his rebus gloria Ventidium secuta, eo fuit illustrior, quia olim in triumpho Pompeji Strabonis ductus, postea primus Romanorum de Parthis triumphavit. id quod *Velleius* etiam miratur, 2, 65, 5. Sed & *Tacito dejectus infra Ventidium Oriens* memoratur, *Germ.* 37, 6. Quanquam maxima pars ejus laudis ad Antonium redundavit: cujus gloria ap. gentes barbaras nulla re magis crevit, quam industria & felicitate ducum. quod *Appianus* non indictum reliquit, *in Parthicis p.* 157. *Dio 49. p. 462.*

Antonii in hoc bello errata compluria sunt. Ante omnia magnum sibi dedecus & rebus Romanis damnum conscivit, quod neglecta omni temporis opportunitate, cum res postularet industriam & viriles curas, ipse amoribus Cleopatræ per ludum & otium vacavit, magnaque securitate belli non jam metus sed tumultus transmisit. *μειρακίου σχολὴν ἄγοντος διατριβαῖς καὶ παιδιαῖς χρώμενος, ἀναλίσκων καὶ καθηδυπαθῶν τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα, τὸν χρόνον: non aliter scilicet quam ad instar otiosi ac ludentis pueri, tempus, cujus pretiosissima jactura est, perdens atque per ignaviam atque luxum conterens.* quod signanter *Plutarchus in Antonio* notat.

Jam quale est, quod Ventidio tam præclare ac feliciter omnia agenti invidit? Ventidius, ut antea tetigimus, ad Antonii gloriam sua facta referebat: Antonius ob res ductu Ventidii gestas summis publicisque honoribus afficiebatur: tamen per invidiam officio tam egregium hominem demovit, neque ulla in re postea eo usus est, si *Dioni* credimus, qui ista narrat. *Plutarchus* & qui eum exscribit, *Appianus* nihil aliud, quam honoratum ex merito Ventidium memorant: Sed *Dionis* narrationi facile fidem habebit, qui de ingenio Antonii invido, deque ipso Ventidii metu cogitabit. Dissimulaverit sane invidentis animi malignitatem circa honores triumphi: de cetero, & reipsa usurpatam, nihil dubito. Itaque tali exemplo cautior factus *Sossius*, cum Syriæ præfectus esset insequente anno, non id egit, ut rebus præclare gestis invidiam Antonii mereretur, sed ut inertia & otio gratiam ejus obtineret. *Dio* rursum *l.* 49. *pag.* 463. *lib. 49. p. 462.*

Conſtituta jam pax erat inter Parthos & Antonium, non illa quidem valde honeſta, ſed quam Antonius ſibi
4, 10. judicaſſet neceſſariam: *cum immenſa vanitas Antonii, dum titulorum cupidine, Araxem & Euphratem ſub imaginibus ſuis legi concupiſcit; neque cauſſa, neque conſilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quaſi hoc quoque ex arte ducis eſſet, obrepere; relicta repente Syria in Parthos impetum facit.* Hæc enim Antonii ἁμαρτήματα in *ſuſcipiendo bello* notat *Florus*: idem, qui totum hoc caput erratis ejus diſponit ac diſtinguit. Parum ex gravitate, & arte ducis factum.: quod *ſine cauſſa nova & idonea*, ſola cupidine gloriæ; itemque quod *ſine indictione* arma in Parthos convertit. Vide, quæ *de indictionibus* ejuscemodi olim requiſitis annotat *H. Grot. 3. de jure bell. & pac. 3, 5. &c.* & *Selden. de jure naturæ & gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum lib. 6, 12.*

Neque melius gerit bellum, qui male ſuſcepit. Hic enim ſtatim *Plutarchus*, & exinde *Appianus* tradunt; ingentis apparatus exercitum Antonii cunctatione, dum in Cleopatræ amores intentus, curas belli poſthabet, inutilem redditum, deſtinatæque occaſionem invaſionis ſecure transmiſſam eſſe. Prolixior eſt, quam quæ huc tranſcribi debeat, obſervatio, qua Antonio, quid facere debuerit, oſtendunt; quid non fecerit, exprobrant. Nunquam peritis militiæ conſilia impetu potius quam ratione capta placeant: quo nomine rurſum offendit Antonius, dum relictis machinis, ſperatam fruſtra ex ſuperventu repentino victoriam turpi clade duarum legionum, amiſſioneque inſtrumenti bellici permutavit. Notatus il-
4, 10. le error *Dioni & Appiano*; ipſique *Floro* qui *temeritatem* ducis ſatis graviter reprehendit.

Imprudentiusne reliquerit machinas, an ſine machinis Praaſporum obſidionem aggreſſus fuerit, vix diſcreveris. Factum eſt certe, ut obſeſſor ipſe obſideri videretur, longeque majora, quam obſeſſis inferre poterat, damna acciperet. Interim, ne nihil ageretur, intempeſtiva iracundia ſæviit in milites, donec omnibus impro-

ſpere

ſpere tentatis, turpius recedit ab obſidione, quam acceſſerat. Ecce enim: Hoſti ſubdolo, & jam ſimili fraude decepto, decipiendum ſe, velut ex talione, præbet: imagineque pacis deluſus, operibus quoque ad obſidendam urbem comparatis, ſicut erant, remanentibus, abit: atque ita mox incenſis operibus, pro illa ſtolide captata pace novam in ſe belli molem vertit; qua mirum in modum exhauſtus & debilitatus: amiſſaque non minus quarta parte militum; calonum, ſervitiique tertia, impedimentis omnibus, vix caſu & fide cujusdam captivi ſervatus eſt, quem imprudentia internecioni tradidiſſet. Confer cum *Floro & prædictis*, *Velleium* 2,82. *Dio 49. p. 466. & 467.*

Atque licet inter hæc aliquoties vicerit Antonius, tamen victoriæ illæ nihil efficax, nihil firmum habebant. Parthus enim furtis belli & mobilitate quam ſtatario congreſſu melior, cum magno Romanorum labore repulſus eſſet, paucos amiſit, hoſtisque inſequentis manum facile effugit. *αἱ δὲ νῖκαι κράτος οὐκ εἶχον, οὔτε βεβαιότητα, μικρὰς ποιουμένων καὶ ἀτελεῖς τὰς διώξεις.* inquit cum *Plutarcho Appianus*. Neque fortunæ tantum adſcribi debet, quod tam nobilis exercitus varia itinerum vexatione & clade abſumtus eſt. ſicut præter *Florum*, hactenus totiens nominati ſcriptores prodiderunt. 4,10,8 & 7. Fuiſſe aliquam in duce culpam, exemplo Xenophontis declaratur; qui decem millia virorum multo longiori itinere à Babylonia ad mare feliciter, ſine noxa, nec citra nobiles victorias duxit. cujus rei conſideratio, confeſſionem erroris extorſit Antonio, ut ſubinde inclamaret, *ὦ μύριοι*. *Plutarchum* vide; qui etiam miſerias exercitus multiplices, *Floro* obiter perſtrictas, paulo diligentius deſcripſit.

Audaciam & temeritatem ducum, plerumque infelicitas, infelicitatem deſperatio ſequitur. Hinc eſt, quod Antonius à liberti cujusdam Rhamni manu interitum expoſtulavit: qua ipſa in re parum egregii ducis officio functum autumat *Florus*. ſicut nec conſtantiæ viri cordati conveniebat, ex ſumma animi dejectione, in vecordem elationem temeraria mobilitate transferri: *quaſi viciſſet, qui*

invitamenta exequi Tiberius : *nobilitatem domus ; etiam ipsius* patris , *quoquo modo meriti , gravem casum* (αὐτοχειρίαν intelligit) *miseratus*. Et poterant hæc pronis utique auribus accipi , apud homines æquitatis nec imperitos , nec incuriosos : ut sententiæ ratio constaret, qua Piso filius ignominiæ exemptus, nec paternis bonis exutus est.

Gravior fuit Plancinæ invidia, mariti in Germanicum insidiis ac discordiis pervicacius immixtæ. Augebat dolorem civitatis, deprecatrix Livia Tiberii mater : cujus odia in Germanicum, & verum Augusti sanguinem, secreto optimi cujusque questu differebantur. Quare Historicus, Tiberium *cum pudore & flagitio pro Plancina differuisse, cum matris preces obtenderet*, animadvertit. Sed nihil ad veniam in animo Tiberii & Liviæ validius fuisse, quam conscientiam secretorum aulæ, satis licet credere : nemine vel tunc vel postea reperto, qui persuaderi sibi pateretur, inimicitias Pisonis & Plancinæ in Germanici domum privatis auspiciis exercitas fuisse. Unde & totum hoc judicium, plus speciei, quam fidei habuit : Pisonisque spes non immerito in irritum cecidit, quando ab UNO, à quo inter conscientiam sceleris & infamiam nec amari nec defendi poterat, judicari desideravit.

XVIII.
DE
LEXICIS
Veterum Græcorum, ex Photio potissimum σχεδίασμα.

IN Bibliotheca sua, ut aliarum literarum & doctrinarum, ita librorum, qui de verborum significationibus agunt (Græci *Lexica* vocant) pereruditam notitiam consignavit *Photius*.

Eam annotationem, si quis tanti Scriptoris judicium sequendo, partiri velit, ista fere *Lexicorum discrimina* inveniet:

niet: ut *alia* ſingulas voces ſibi proponant; alia commatis, colis, & multifaria rerum cognitione abundent. *Quibusdam* unum ſtili vocumque genus, curæ eſt: quædam plura miſcent aut comparant. Diſtinguuntur autem varie vocabula; ut, *nationibus*; ita Attica, Jonica, prodierint Lexica: *Scripturâ*, ſic Poëtæ, Hiſtorici, conſuetudo vulgaris, ſua habent vocabula: *formâ*; quaſi quis de peregrinis aut barbaris itemque dubiis, ſcriberet: *charactere ſive idea*: ſic pura, gravis, civilis oratio ſuas ſibi voces optat: *Auctoribus*; ita *Platonicas voces*, & *decem Rhetorum Lexicon* novimus. In omnibus autem ejuſmodi Lexicis ſpectatur *Auctoritas*, *Copia, Ordo*. *Illi* teſtimonia probatiſſimorum Scriptorum ſerviunt; *iſta*, pro inſtituto modum habet: *hic*, vel literis vel rebus diſponitur. *Literarum* ſeriem plerique ſequuntur, vel earum quæ inchoant tantum vocabula, vel ſyllabas priores diſcriminant. *Rerum* ordo in *Pollucis Onomaſtico* obſervatus eſt.

Explicatio vel conciſa & brevis additur, vel uberior ſeu φιλολογικωτέρα: quâ nonnulli ad modum perfecti commentarii progreſſi ſunt, ſicut mox noſcetur.

Primum eſt ex iis, quæ nominatim commendat *Photius*, *Helladii Lexicon*: quod inter ea, quæ cognoverit, maximum fuiſſe ait. Nec *vocibus* tantum conſtabat, ſed aliquando *elegantibus orationis membris*, *minoribus majoribus adornabatur*. Verum Græca elegantius deſcribunt: *ἡ λέξεων δὲ μόνων ἡ συναγωγὴ, ἀλλ᾽ ἔνιοτε καὶ κομματικῶν τινων χαριεστάτων λόγων, καὶ εἰς κῶλα πολλάκις σύνθεσιν ἀπαρτιζομένων*. *Ordo Alphabeticus*, quoad literas incipientes verba. Eſt Lexicon *pedeſtris ſermonis* non ligati. *Teſtimonia* tamen non tantum oratorum, ſed & probatorum Poëtarum adducuntur. quatenus ſcilicet auctoritas & uſus linguæ ſpectatur, non quatenus Poëtæ quædam ponunt, extra carmen non habitura locum. Qualia Diogenianum ait collegiſſe. *Utile* ait opus, *Scribentibus*, & *πολυμάθειαν, variam eruditionem amantibus*.

Sequitur Lexicon *τῆς καθαρᾶς ἰδέας*, *Pura Idea*; nullo auctoris nomine expreſſo. *καθαρότης* puritas (qua voce ne ii quidem abſtinere potuerunt, qui ut parum Latinam notarunt)

runt) pars est σαφηνείας. Σαφήνειαν γὰρ τοῦ λόγου ποιεῖ εὐκρίνεια, καὶ καθαρότης, inquit *Hermogenes*; qui *primo de Ideis* prolixe καθαρότητα explicat. Cumque duplex sit Perspicuitas, rerum & verborum (notante *Quintiliano Instit. orat.* 8. 2.) ad hanc posteriorem καθαρότης refertur. In hoc genere *Lysias* olim præcellebat, καθαρὸς τὴν ἑρμηνείαν πάνυ, ut *Dionysius Halicarnasseus* de eo loquitur; pleniore mox elogio testatus, *hac præcipue eloquentiæ laude, quæ puram facit orationem, neminem in posterum repertum, qui Lysiam superaret; imo, excepto Isocrate (qui & ipse purissimus) neminem, qui imitari posset.* Sed Græca dulcius leguntur: καὶ τοῦτο μὲν δὴ τὸ μέρος ὅσπερ ἐστὶ πρῶτον καὶ κυριώτερον ἐν λόγοις, λέγω δὲ, τὸ καθαρεύειν τὴν διάλεκτον, οὐδεὶς τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ὑπερεβάλετο. ἀλλ' οὐδὲ μιμήσασθαι πολλοὶ δύναμιν ἔσχον, ὅτι μὴ μόνος Ἰσοκράτης. καθαρώτατος δὴ τῶν ἄλλων, μετά γε Λυσίαν, ἐν τοῖς ὀνόμασιν οὗτος ἐμοί γε δοκεῖ γενέσθαι ὁ ἀνήρ. Hujus ergo ideæ sive formæ orationis qui studiosus sit, eum *Photius* ait Lexico, quod laudavit, rectissime usurum.

Inde ponit Λεξικὸν σεμνῆς ἰδέας, *Gravis stili*: *mole* itidem *magnum*, ut priora; *utile futurum iis, qui sublimi orationis gravitate delectantur*; τοῖς εἰς μέγεθος καὶ ὄγκον ἐπαίρειν τοὺς λόγους ἐν τῷ συγγράφειν ἐθέλουσιν. Σεμνότης sive *gravitas* est pars eorum, quæ efficiunt magnitudinem, amplitudinem, majestatem orationis, ἀξίωμα τοῦ λόγου καὶ μέγεθος. *Hermogenes* sex hujus generis partes habet: σεμνότητα, περιβολὴν, τραχύτητα, λαμπρότητα, ἀκμὴν, σφοδρότητα. De quibus ordine singulis pertractat. Inprimis autem quæ ad χαρακτῆρα σεμνὸν pertinent, eruditissima subtilitate persecutus est *Dionysius Longinus, in aureo* περὶ τοῦ ὕψους *libello.*

Succedit Λεξικὸν τοῦ πολιτικοῦ λόγου, *Lexicon Politici sive Civilis sermonis.* Quis autem λόγος πολιτικὸς, habendus sit, præ ceteris, ut solet, accuratissime *Hermogenes* explicavit; 2. de Ideis. ex omnium idearum mixta beneque contemperata ratione eum *formans*; *distinguensque*; *tum* quatenus in se, ut talis, spectatur; aut comparatione præstantiæ, sive denominatione certi Auctoris describitur: *tum*, quatenus vel in deliberando, vel in actione forensi, vel in panegyrico ge-

nere locum habet. Fuisse autem *ingens* opus Lexici hujus, Photius asserit, atque hoc elogio prosequitur: αὕτη ἡ πραγματεία πλήθει μὲν ἐστι πολλὴ, κατορθωθῆναι δὲ χρησιμωτάτη, καὶ ῥάστη δὲ εἰς ἀντίληψιν, εἴτις ἄλλη. *Andreas Schottus* vertit: *Utilissimum* (opus) *si quod aliud, ad præclare rem suam agendam, & ex quo facilime objectiones suppetant.* Unde colligitur, delectum apparatumque rerum singularem, verborum explicationi adhibitum fuisse. Imo requiritur in sequentibus, *ut antiquos Scriptores jam versaverit, qui velit hoc Lexico feliciter uti; in quo non discere primum verba, sed eligendo ἀποσημειώσασθαι denotare oporteat.*

Memoratur hinc *Pollionis Lexicon:* cui plurimas in esse Poëticas voces, ait Criticus. Notitia hujus Scriptoris talis extat apud *Suidam in Diodoro*, qui filius ejus fuit: Διόδωρος Οὐαλέριος ἐπικληθεὶς φιλόσοφος, μαθητὴς Τηλεκλέους, Ἀλεξανδρεύς. Υἱὸς Πολίωνος, τοῦ φιλοσόφου, τοῦ γράψαντος τὴν Ἀττικὴν λέξιν. *Diodorus Valerius cognomento, Philosophus, discipulus Teleclis, Alexandrinus: filius Pollionis Philosophi, qui scripsit Atticam dictionem.* Fuerit ergo hoc Lexicon Atticarum dictionum, quale infra Photius laudat: nisi quod hic plurima Poëtica fuerint admixta, pauciora tamen quam in *Diogeniani Lexico.*

Sed Diodori illius mox ipse *Photius* facit mentionem, *Tria* conjungens *Lexica è Decem Oratoribus* facta, *Juliani, Philostrati Tyrii, & Diodori.* Quia autem illi X Oratores erant Athenienses, hinc diligenter in Juliani Lexico reperiebantur annotata, quæ ad res Atticas, & mores Atticos pertinebant. *Diodorum* autem & *Julianum*, alterum ab altero descripsisse putat.

Cod. 151. Interjecta deinde brevi descriptione, *Lexici Platonicarum vocũ,* τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων, auctore *Timæo*: comẽdat.

Cod. 152. *Aelii Dionysii Halicarnassei Dictionum Atticarum libros,* Ἀττικῶν ὀνομάτων λόγους. Laudantur in hoc λέξεις ἐπιχωριάζουσαι, & τὰ ἰδιοτρόπως λεγόμενα apud Athenienses: tum testimonia, quibus confirmantur. Hujus auctoritate *Eustathius* sæpe utitur *in Scholiis Homericis*; ut & *Pausaniæ.*

Cod. 153. *Cujus Lexicon* itidem *ad Atticos* Scriptores spectat. Unde suadet *Photius, ut ex Aelii Dionysii & Pausaniæ Lexicis unum concinnetur.*

Idem consilium repetit mox, ubi *Boëthi vocum Platonicarum collectanea*, συναγωγὴν Πλατωνικῶν λέξεων; & alterum ejusdem opusculum περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων *de dubiis apud Platonem vocibus* annotat, *Timaique* libello conjungi jubet, ut fiat opus Platonis Lectoribus utile. Cod. 154. & 155.

Putandus est & *Dorotheus* utilem sumsisse laborem, cum περὶ τῶν ἔξω ὡς εἰρημένων λέξεων, *de vocibus externorum more usurpatis* librum scripsit. Cod. 156.

Subsequitur Μοίριδος ἀττικιστὴς, *Mœridis Atticista*, solo nomine hic designatus. Dicitur & *Mœris Atticista. Andreas Schottus* in margine annotat: *Extare fertur in Vaticana Pontificu Bibliotheca.* At *Vir Illustris Claudius Salmasius*, qui, ut ex sermonibus ejus non semel deprehendi, diligenter hunc Scriptorem legerat, *in Commentario de Hellenistica*, ita notat: *Mœris Atticista, quem se legisse in Bibliotheca sua testatur Photius, & qui hodie extat in multis Bibliothecis Gallicis & Anglicanis, in tota illa συλλογῇ, nihil frequentius notavit quam differentiam nominum Atticorum & ἑλληνικῶν.* Cod. 157.

Ex iis ergo, quæ hactenus ex Photio commemorata sunt, Lexicis, primum hoc est, quod extat, quamquam nondum typis exscriptum. Ex sequenti autem *Phrynichi Arabii* magno σοφιστικῆς παρασκευῆς s. *Apparatus Oratorii* opere, parvam *Epitomen* reliquam habemus *Petri Nunnesii* cura editam. sive potius aliud opusculum hoc est. sicut ex *Suida* intelligere licet. Institutum scriptoris in majori illo opere, paulo fusius explicat Photius. in qua scriptione notatu inprimis digna est *lex* illa quam ipse sibi in scribendo Phrynichus posuit. αὐτὸς καὶ διακρίνεσθαί φησι τὰς συνειλεγμένας αὐτῷ φωνὰς τοῦτον τὸν τρόπον. τὰς μὲν γὰρ αὐτῶν ῥήτορσιν ἀποδίδοσθαι, τὰς δὲ τοῖς συγγραφεῦσι, τὰς δὲ συνουσίαις ἐφαρμόζειν, ἐνίας δὲ καὶ εἰς τὰς σκωπτικὰς ὑπάγεσθαι λαλιὰς, ἢ καὶ εἰς ἐρωτικοὺς ἐκφέρεσθαι τρόπους. *Collectas à se voces ad hunc modum se aiebat discernere, ut quasdam earum Oratoribus, alias Historicis, quasdam familiari consuetudini tribuat: nonnullas autem conviciis proprias, aut amatoriis rebus opportunas notet.* Idem ex Auctoribus præcipue commendabat *Platonem, Demosthenem, Aeschinem, inde Thucydidem, Xenophontem, Critiam, Antisthenem, Aristophanem, Æschy-* Cod. 158.

 lum

Sophoclem, Euripidem. Bene, quod in ejusmodi opere demonstravit, quorum potissimum auctoritate Græci sermonis gloria staret.

Ceterum ex illis antiquorum Lexicis, quæ hodie supersunt, singulari eruditione *Pollucis Onomasticon X. libris ad Commodum Cæsarem*, præcellit. cujus egregiam editionem, anno hujus seculi VIII. *Wolffgangus Seberus Typis Wechelianis*
præf. l. 1. dedit. *Suidas* ait, esse *συναγωγὴν τῶν διαφόρως κατὰ τοῦ αὐτοῦ λεγομένων, collectionem eorum, quæ diverse de eodem dicuntur. Ipse* ita argumentum & propositum operis designat: *μηνύει δὲ ὅσα τε συνώνυμα ὡς ὑπαλλάττειν δύναται καὶ οἷς ἕκαστα ἂν δηλωθείη. πεφιλοτίμηται γὰρ οὐ τοσοῦτον εἰς πλῆθος, ὁπόσον εἰς κάλλος ἐκλογήν. ostendit synonyma, quomodo permutari possint, & quibus*
præf. l. 2. *singula efferri soleant. Neque autem tantum copiæ studuimus, quantum delectus venustati.* Auctores secutus est *τοὺς τὴν ἀκριβῆ φωνὴν ἔχοντας, tersi accurratique sermonis usum habentes*; tum *qui rerum experientia cognitionem adepti essent.* *Testimoniis* tum demum
præf. l. 3. utitur, si *pauciores* ita locuti sunt, aut si *dubia* occurrunt
præf. l. 6. vocabula. Quædam autem *judicando*, quædam *indicando* posuit. Verbisque aliquando *formulam* adjecit. Non autem
præf. l. 7. sufficiebat tractasse multos, soluta ligataque oratione præstantes Scriptores, sed oportebat etiam quærere, *συντάξεως*
præf. l. 9. *σχῆμά τι, καὶ τὸ ἐν τοῖς ἀνομοίοις ὅμοιον, quemdam dispositionis habitum, & in dissimilibus similitudinem.* Hic enim ordo tædium
præf. l. 10. operi detrahit, lectoremque ad sequentia quodam deside-
præf. l. 4. rio trahit. Denique non ex veteribus tantum collegit verba, sed ex *ipsis rerum formis.* Tanta autem cura atque dexteritate absolvit hoc opus, ut vere posset prædicare, *neminem Græcorum ante se τοσαῦτα, καὶ ἐν τοσούτοις reperisse.*

Hesychius & ipse nobile reliquit Lexicon, *Bonau. Vulcanius* Græcæ linguæ thesaurum vocat *in annot. in Callimach. hymn. Dianæ.* An sit ille, cujus alia opera *Suidas* commemorat, merito dubitatur. Multa è scripturis sacris & interpretibus earum suo Lexico admiscuit. In quo non pauca sunt, quæ manum medicam desiderant.

Harpocrationis Lexicon è X. Rhetoribus edidit nobis in Gallia *Maussacus.* is de quo fabulam confictam audivi, quod Græcæ linguæ studiosus & peritus, tandem eam plane us-

que

que ad ignorantiam oblitus sit. Athenæo æqualem putat *Ger.* 10. *Vossius de Philologia cap.* 5. §. 17. ita ut alter alterum exscripserit. *Suidas Alexandrinum* vocat. Apud eum, alius *Harpocration Argivus* memoratur, qui scripserit λέξεις Πλάτωνος βιβλίοις δυσίν, *Platonicas voces, duobus libris*: *Harpocration Aelius, Sophista*, περὶ τῶν δοκούντων τοῖς ῥήτορσιν ἠγνοῆσθαι, *de iis, quæ Rhetoribus ignorata videntur*. Quorum nihil hodie superest.

Suidas quoque contexuit *Lexicon* magnum, ante annos quingentos amplius, sicut putat *Casaubonus*, aut sexcentos ut *Andreas Schottus* autumat. Auctores ex quibus sumsit nominantur: *Eudemus Rethor*, περὶ λέξεων, *Helladius*, *Eugenius*, *Zosimus Gazæus*, *Cæcilius Siciliensis*, *Longinus Cassius*, *Lupercus Berytius*, *Justinus Julius Sophista*, *Pacatus*, *Pamphilus*, *Polio Alexandrinus*, de quo supra. Multis historiis ubundat hoc opus: quas excerpsit *Hieron.Wolffius*, & Latine seorsum edidit. De toto opere in Latinum converso emendatoque præclare meritus est *Aemilius Portus Francisci filius*.

Etymologici Magni Auctor itidem multa de Historiis inserit. cujus editione doctissimus *Fridericus Sylburgius* rem literariam ornavit.

Cyrilli libellum de differentiis vocum, *Erasmus Schmidius* edidit, cum erudita dissertatione de pronuntiatione linguæ Græcæ.

Glossas, sive Glossaria utriusque linguæ, *Græcolatina* & *Latinogræca*, inter quæ & *Philoxenum*, ediderat *Henricus Stephanus*. Iteravit postea editionem, pluraque Glossaria, & libellos argumenti affinis in unum opus coëgit *Bonaventura Vulcanius*. hoc titulo: *Thesaurus utriusque linguæ*.

Renascentibus litteris, in Italia *Varinus Phavorinus Nucerinus Episcopus* magnum & memorabile Lexicon Græcum scripsit: in quo plurimæ *fabulæ, historiæ, proverbia, verba & res expositæ commemorataeque, atque etiam demonstratæ & explicatæ reperiuntur, ut Joachimus Camerarius* in Præfatione merito prædicat. Latine hactenus nemo convertit.

Anno superioris sæculi XXIX. *Guilielmus Budæus* Vir Illustris, *Commentarios Græcæ linguæ* edidit; in eruditi Lexici speciminibus habendos, ut arbitror; si quis cetera

(partem

(partem enim hujus curæ complexus eſt) ad eum modum elaboraſſet. Conſilium ſuum ita ipſe expoſuit : *Quoniam uſus ſcribentium eſt multiplex , ego quæ in mentem mihi venient, in hos commentarios quam potero explicatiſſime referam , & ad juvenum captum quam appoſitiſſime : ita tamen , ut ſi jam forte provectiores eos legerint, nonnulla inventuri ſint (niſi fallor) ob quæ nec omnem operam luſiſſe ſe dictitent , nec nos in rebus translatitiis tantum laboris exhauſiſſe.*

Nominandus hinc eſt *Theſaurus linguæ Græcæ Stephanicus*; & non ſine diſpendio operis factum compendium *Scapulæ*. Neque tamen nulla fuit cauſſa, cur poſtea *Roberti Conſtantini Lexicon*, non paucis placeret.

Cetera, quid attinet referre, quæ ſingulis operibus deſtinantur, *Lexica Homerica, Pindarica, Heſiodea ? Novi* quoque *Teſtamenti Lexicon* , *Paſor* ; & accuratius , *Lud. Lucius*, edidit.

In Hebraiſmo Biblico , multum laboris inſumſerunt Lexicon *Pagnini*, *Schindleri*, *Forſteri*, & accuratius *Buxtorffii*. cui *Arca Noæ Marin.* addi debet. In Rabinico quoque Hebraiſmo incomparabile eſt *Lexicon Buxtorffianum*, *Talm. Rabbin. Chaldaicum*. In Arabicis , *Golii* nuperum opus præcellit. Neque fraudari meritâ laude debet *Syriacum Troſtii Lexicon*.

Sed nos iſta attingendo, excedimus limites. De Græcis enim Lexicis conſtitueramus dicere. Si tamen ad Latina etiam obiter liceat reſpicere, ea quidem, quæ in *Veteribus Grammaticis* & *Iſidoro* & *Gloſſis*, huc ſpectantia continentur, jam ſupra verbo tetigimus. De cetero certum eſt,Græcis longe melioribus Lexicis ſive antiquis ſive recentioribus nos inſtructos eſſe, quam Latinis. *Perotti cornucopiæ*, doctioribus monumentis accenſetur. De *Calepino* nihil dicam, qui à tenuibus initiis , &, vitioſis etiam annotationibus, novi ſubinde editoris cura in magnum volumen proceſſit. Qui fruges ignorant, iis glandes quoque ſapiunt. inter quos forte reponas licet, qui credunt , Paſſeratium , doctiſſimum virum , aliquid operæ criticæ contuliſſe, ſicut Bibliopolæ, ſui quæſtus cauſſa, præſcribere auſi ſunt.

Jam

Jam *Thesaurus Latinæ Linguæ Roberti Stephani*, & *Forum Romanum Cælii Secundi Curionis* multum laboris in vasto opere præferunt. Quibus tamen merito anteponas *Basileense Lexicon*, cujus *prior tomus Ciceroniana Nizolii auget*; *posterior Lud. Lucii opera aliorum auctorum vocabula*, erudito sane & eleganti proposito, *exhibet*. In *Fabri Thesauro* plus doctrinæ est: cui copiam, decus, limam, addidit singularis industria & doctrina *Cl. Buchneri*, qui ex opusculo opus dedit. *Roberti* quoque *Constantini supplementum Linguæ Latinæ* extat.

Philologicum Lexicon *Martinii*; *Philosophica Goclenii* & *Cl. Micrælii*, ad scopum peculiarem respiciunt. Sicut & illa certis materiis destinantur, quæ *Caroli Stephani Dictionarium Hist. Geogr. Poëticum*; *Ortelii Nomenclator Geographicus*; *Glandorpii Onomasticon Histor. Roman*: complectuntur. Exquisitiore cura *Francisci Marii Grapaldi Lexicon de partibus ædium*, confectum est. Jam *Theologici Lexici* eruditum specimen *Clavis Flacii* habet; nisi malis designationem locorum communium appellare. *Juridicorum Verborum significationes*, *Barnabas Brissonius*, egregio commentario prosecutus est. ne de iis dicam, qui suis additionibus, opus, merito etiam separatim conservandum, inseruerunt.

Nolo nunc referre, qui literarum Alphabeti ordinem secuti, in vicinis, sed alio tamen nomine æstimandis operibus occupantur. Quid? quod *Lexico* etiam *Latino-barbaro* caremus. quale ex *Glossario Spelmanni*, ex *Glossario Watsii* ad *Matthæum Parisiensem*, ex *Vossii Latino-barbaris*, ex *iis*, *quæ in Goldasti Antiquitatibus Alemannicis habentur*; ex *Scrieckio*, *Goropio Becano*, *Lindenbrogio*, & *similibus Scriptoribus*, tum ex diligenti monumentorum ævi sequioris consideratione, confici posset.

Sed redibimus ad linguam vere Latinam. in qua satis erudito satisque copioso Lexico nos destitui, non sine pudore quodam recordamur. At in vulgaribus linguis, quam est eximium *Lexicon Italicum*, *quod societas sive Academia de la Crusca* opere majori, & epitomico minori, edidit? Bene, quod sociatis laboribus res gesta est. rarissimus enim quisque omnem vitam unus velit impendere labori omnium

gravissimo; de quo non elegans magis quam verum *Josephi Scaligeri* epigramma habetur:

Si quem dura manet sententia judicis olim,
Damnatum ærumnis suppliciisque caput:
Hunc non fabrili lassent ergastula massa,
Nec rigidas vexent fossa metalla manus:
Lexica contexat. nam cætera quid moror? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

Qui hæc studia tantum nomine tenus norunt, putaverint forte, præter laboris arduam operam, nihil ingenii requiri. Hi *Pollucem* audiant, unum ex omnibus antiquis, qui supersunt, accuratissimum Lexici auctorem. Requirit ille *ἀκρίβειάν τινα ἐπὶ τῆς ψυχῆς, εἰς βασάνου κρίσιν, singularem ingenii sollertiam, ad examinandi judicium adhibendam*: conqueriturque, *se neminem potuisse συνεργὸν socium operis nancisci, cui posset satis confidere.* Adjutores tamen hodie adhiberi posse, vel mediocri judicio præditos, palam est; qui e. g. in auctores vocum inquirant? qui ex philologicis doctissimorum virorum etiam juniorum, ut *Scaligeri, Casauboni, Salmasii*, & aliorum curis, veluti sylvam eruditæ explicationis verborum colligant; è qua postea is qui præest operi, suo ingenio judicioque eligat, digerat, adornet, quæ structuræ consummandæ sunt; graviora sibi sumat. id quod exemplo clarius fiet. Quæ in *Asconio, Donato, Servio, A. Gellio*, exquisitiora & subtiliora habentur plurima, ad Lexici Latini usum nemo adhuc satis diligenter, satisque erudite ac cum judicio transtulit.

præf. l. 9. Fatetur autem *Pollux*, cum de Gorgiæ Sophistæ Lexico loquitur, *se ab initio, talibus titulis auditis, rem puerilem, & conatu facilem putasse; experiendo autem postea didicisse, nihil contemtibile in eo labore, utilitatem vero prorsus commendatione dignam esse.* Si modo fiat, quod iterum requirit, ut erudita manus huic operi admoveatur. *ita enim futurum*, ut *quod in vocabulorum congerie naturaliter inest tædium, dispositionis arte, & ordine structuraque venustatem adipiscatur: ὡς μηδένα θᾶττον τῷ γνωσθέντι προσκαμεῖν, τῷ τὸ μᾶλλον ἀκοῦσαι ποθεῖν, ut nemo lectis po-*

tius

tius fatigari, quam sequentium desiderio se incitari sentiat. Id, sicut in *Pollucis* Lexico mihi semper usu venisse ingenue fateor: ita tumultuaria & rudis Lexicographorum Latinorum Scriptura, non potest non ciere nauseam homini aliquem disciplinæ melioris gustum habenti; ita ut malit majoris laboris subsidia circumspicere, quam his non bene paratis uti.

XIX.

COMPARATIO HISTORICOrum commentariorum, quæ acta hodie vocantur, cum contextâ historia; quam veteres unice consectati, in commentariis materiam tantum veræ ac pragmaticæ historiæ repositam judicarunt.

NOtum est, nostri ævi hominibus, in Germania præsertim, loco Sapientiæ hactenus fuisse, ab historia opere pragmatico contexenda abstinere: ejusque vicem, publice actorum formalem scripturam, ut sic loquar, in vulgus edere. Cujus suscepti amor negotii tantum apud nonnullos graves viros potuit, ut confectæ laboratæque historiæ, istud genus memoriæ præferendum, contenderent. Id adeo an recte decreverint; sive, an publice utilius sit, actorum commentariis conducendis operam navare, quàm scribendi arte & conserti operis curâ, rerum gestarum memoriæ consulere, postquam breviter attigero, quibus se momentis utrinque disputatio intendat, lectori erudito dijudicandum relinquam.

Præcipuum roboris, homines pragmatici in eo ponunt, si ostendant, quanto cum periculo, quomodocunque ab accurata & solicita actorum scriptura recedatur. Singulis verbis magnam sæpe vim inesse, formulisque uberioribus non frustra negotii genium figurari. At hæc in contexta historia pro arbitrio scriptoris modo in summam

contrahi, modo membris dividi: aliquando vice conversa, quæ arctiore tractatus termino cohibebantur, diffundi; &, quæ in membra tribui debebant, in cumulum confundi, aut diversa pro iisdem haberi. Afferuntur deinde hujus rei exempla varia, unde constet, neminem eo ingenio, ea dexteritate scripsisse, quin illi, quibus tenore ac experientia actorum contingit erudiri, aliquid merito desideraverint. Ipsum, qui ex Junioribus tantopere commendatur, Sleidanum, quamvis industriam adhibuerit, quanta humanæ opis esse potest, alicubi tamen, conjunctis quæ distingui oportebat, actorum mentem non assecutum esse, arguunt. Vetustiorum peccata, amisso plerumque, quo de loquimur, commentariorum publicorum instrumento, quo minus deprehenduntur, eo magis, ex dissensu plurium, qui easdem res perscripserunt, suspectantur. Et quis est ille, inquiunt, qui citra omne partium studium, citra omnis humani affectus stimulos se scripturum, vel vere polliceatur, vel pollicenti credat? Sumantur in manus, quæ de rebus Belgicis, ex quo tempore Hispanicam dominationem exuerunt illæ nationes, in historiam retulerunt iste Belga, & iste Hispanus, & alius neutrarum partium homo. Pro suo quisque captu rem eandem, coloribus nihil minus quàm iisdem pingent: atque, ut quemque præsens movit affectio, stilo, judicio, fide discrepabunt. Cui ergo fidem habebis aut denegabis? Dices forte; perturbationes animi suopte sæpius indicio prodi, lectorisque sollertis industria, verum à falso, sincerum à fucato facile discerni. Esto, neque enim nunquam hoc fiet. Ut autem semper fiat, insipienter sapit, qui sperat. Comparari plerumque historiam speculo videas. Sed nimirum in speculis sunt, quæ rem exhibent majorem: sunt, quæ minorem faciunt: aliqua nativam speciem distorquent: plane quod in Historicorum operibus usu solet venire. Soli actorum commentarii, verum fidumque speculum repræsentant: neque formant rem gestam, sed ostendunt. Nihil hic additur, nihil demitur negotio: plena utramque paginam


paginam occupat fides, & incorruptæ fidei vel filia vel comes, auctoritas. Quicquid eruditionis, prudentiæ, facundiæ in historico prædicas, illustres titulos audio, sed unius hominis; nec qui privatæ laudis mensuram supergrediantur. At quæ in commentarios publicos regesta sunt, ipsam reipublicæ auctoritatem, & irrefragabilis momenti pondus præ se ferunt. Consequitur itaque, ut, qui hac Scholâ prudentiæ utuntur, generosa proficiendi fiducia ad felicem eventum grassentur: obhærescentibus interea, & anxietate suæ disciplinæ passim præpeditis, qui per fabrefactos historiarum libellos oberrando fatigantur. Et quis ille lynceus divinator, qui vel unius negotii aut rei gestæ perfectam notitiam ex ejusmodi annalibus sibi comparet? Summarium est (sive breviarium malis dicere) omnis artificiosa historia; & admonet scientem, non ut sciat efficit. hoc enim uni scripturæ debetur publicæ, actisque per seriem consignatis. In hunc locum illustri prorsus elogio, se jure suo inserit Serenissimi ac Celsissimi Principis AUGUSTI Luneburgici exemplum: qui, cum nullum non genus contextæ historiæ in locupletissima sua Bibliotheca asservet, singularis tamen & incomparabilis thesauri loco numerat illa volumina, quæ magno numero animosisque impensis, in Gallia conscribi, ac nobiliorum eventuum de rebus Gallicis historia, ex ipsis Gallorum tabulariis depromta, atque per omnem negotii tractati formulam, plenamque actorum seriem, consignatâ, impleri curavit. Ex talibus scilicet monumentis fas fuerit repeti interiorem viroque civili dignam cognitionem eximiarum rerum, quas historiæ vulgo celebratæ non nisi per indicem & primas lineas designant. Ad hæc mysteria invitandi videantur, quorum studia profectusque ad rempublicam pertinent: ut primæ sortis historiam de publicis actorum commentariis requirant; inde proximum nobilitate credant, quod ad eum scribendi modum proxime accedit; quales legationum suarum commentarios Philippus Canajus, & alii illustres viri reliquere: ne de pluribus

ribus nunc hujus generis voluminibus mentio inferatur; ad quorum indolem, tanquam ad lydium lapidem omnia historiæ solitis artibus adornatæ opera exigi putaveris oportere.

Neque tamen nihil est, quod dicere contra queant, qui historiæ condendæ facultatem suo pretio, suæ dignitati cupiunt restitutam. Ac primo quidem, quanta debeatur actis publicis reverentia, nemo ignorat aut diffitetur. neque historiæ nomen meretur ulla scriptura, nisi quæ illo fundamento nixa, illo instructa præsidio, literarum publicarum auctoritatem bona fide exhibet. Ardui eam rem operis esse, neque cujusvis eruditi aut prudentis viri ingenio studiisque convenire, non eget demonstratione: cum inde ab antiquo paucos operis inter humana summi auctores numeremus idoneos. quibus si contigerit aliquando ab actorum mente aberrasse, quanto id magis necesse est lectoribus actorum ceteris usu venire plerisque, longe scilicet infra eam ingenii præstantiam, de qua dictum est, constitutis? Et certe, publicis invigilare commentariis, omnemque de republica sapientiam ex actis petere, perpaucorum hominum fuerit. Quotusquisque est, qui evolverit, aut cum spe ac destinatione profectus evolvere potuerit, quæ de rebus Germanicis, homines patriæ studiosi in acta retulerunt? At vero, ex alio orbe similem monumentorum, præsertim ineditorum, copiam colligere, non est privatæ opis negotium: nec à magnis quoque Principibus unquam sine aliqua difficultate ac periculo tractabitur. Duræ sunt, fere ubivis gentium, tabulariorum publicorum fores: metuque & prudenti invidia, emissitios curiosorum oculos occæcant: atque, si quid earum industriam effugerit, velut ex fuga repetunt. Prodeat utinam, qui ex Principum Civitatumque Germaniæ Archivis, adeoque in patria, rerum ad statum patriæ pertinentium notitiam suppleat, jurisque publici scriptoribus nobile, ad integrandam, quæ ubique deficit,

ficit, sui operis historiam instrumentum suppeditet! Extabit ejus nomen primo inter illos loco, quos servandis rerum memoriis bona quædam fortuna accommodavit. Nimium dixi, nec ab uno homine expectandum. Si unius civitatis aut provinciæ monumenta plena serie in lucem depromenda sint, jam habebimus Rhodum, in qua saltum videre concupiscas. Quicquid igitur ejus generis tenemus, aut sperare possumus, ad paucos, ut res ipsa loquitur, spectabit. At historiæ contextæ utilitas ad omnes pertinet: in quibus plerique aut carebunt disciplinæ tam necessariæ bono, aut non nisi judicio ac industria prudentis scriptoris, ad modum & usum scientiæ longe lateque diffusæ producentur. Hoc enim ipsum est, quo Historiæ præclare scriptæ genius amplissimos actorum apparatus exuperat; quod non explicat modo, quicquid in tractatione rerum, in gerendi rationibus adest; sed eruit, quicquid in consiliis & arcanis momentis subest. Illis nimirum neruis ligatur, & in corporis firmi compagem speciemq; ordinatur ac valescit, quod in actis dissolutum ac dissociatum indigestæ materiæ rationem videtur referre. Exemplo, nec longe petito, clarum erit, quod dixi. Publicata sunt, typisque expressa Pacis Osnabrugæ ac Monasterii tractatæ, divinoque tandem beneficio conventæ, Acta. Illa legas licet, relegas, ediscas: nondum habebis historiam totius negotii; nondum tibi constabit, de consiliis, propositis, artibus, caussis penitioribus, quæ illos actus in commentariis expositos, veluti moderamine quodam ac spiritu permanente temperarunt atque in habitum istum exteriorem composuerunt. Nam talis cognitio non potest sperari, nisi à prudentia & calamo Viri, in negotii tam ardui tractatu intime versari, aut eorum, quibus secreta partium rerumque patuerunt, disciplinâ exquisite instituti. Sed his operibus concinnandis, quia refragante sæculi genio vix est, qui animum adjiciat, ipsaque actorum congeries, variis casibus fatisque suos passim manes patitur: itaque, aut ad barbariem

riem redibit, aut, quod de nobis prudenter meritoque conqueratur, abunde habebit posteritas. Quod fidem historiæ humanis subinde affectibus interpellari, nonnulli metuunt arguuntque: id tale est, ac si quis diceret, nemini esse id mare navigandum, cujus undis adhæsit, aut scopulis impacta est aliqua navis. ne dicam, in ipsam commentariorum publicorum scripturam nonnulla insinuari, quæ illo prudentiæ lumine discutienda sunt, sine quo nihil in ulla historia satis liquidum est. Summa rei est: historiæ genium hodie parum à plerisque intelligi; quando & cetera eruditionis nomina quam opera, publice notiora sunt. Relinquam tamen, ut ab initio dixi, prudenti Lectori arbitrandum, quomodo utriusque sententiæ, novæ & veteris, rationes conciliare, & ad eandem publicæ utilitatis metam velit dirigere.





XX.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

Quibus præcipuæ Incomparabilis Panegyrici materiæ explicantur,

PROOEMIUM.

OMnes homines, qui bonarum artium ac litterarum famam quærunt, ſumma ope contendant opinor, ne in ſpecie magis quam in uſu ſtudiorum, nec in Schola potius quam in vita operis ſui rationes videantur collocare. Igitur pernicioſo in publicum errore actos dixerim, qni jam olim otio & perſuaſione in adulterinam eruditionem corrupti, cognitionem ab actione, ſcientiam ab uſu, verborum intelligentiam à rebus disjunxerunt, ſeu, quod idem eſt, vinculum ſolidioris ſapientiæ disruperunt: ut *quæ Philoſophia fuit*, *Philologia jam fieret*. quod Annæus Seneca in prolixa ſuper hac re querela (*epiſt.* 108.) autumat. Plenæ ſunt Ciceronis, plenæ Fabii Oratoriæ commentationes deteſtatione ejus moris, quem in rem præſertim Oratoriam numerus peccantium & vanitas invexit, adeoque Oratorem, cujus omne fundamentum, præſidia, auxilium in vera philoſophia non tam antiquitas cordatior, quam natura ipſa collocarat, veluti poſſeſſione ſua ac ſedibus depulit. Quid autem tam abſurdum, quam velle perfecte rem exponere, cujus tu perfectionem ignores? utiliter de iis loqui aut graviter, quorum tu & utilitatem & gravitatem extra curam tuam ponas? Jam vero in ſummorum orationibus virorum nihil aliud quam rhetoricari, & ſine ſtudio tam profundæ ſapientiæ nitorem verborum & dictionis apparatum ſectari, quam ineptum

est & prorsus puerile? Itaque cum nobis ex officio & utilitate publica nuper placuisset, *C. Plinii Secundi incomparabilem illum Panegyricum* studiosis bonarum artium Juvenibus interpretari, injuriam tam præclaræ lectionis auditionisque credidimus, si verba tantum gravia, & inventiones acutas, & sententias concinnas, translationum denique spiritus, & figuras dicendi inculcaremus, profutura autem per omnem vitam præcepta, & animosas magnificasque voces, cum observationibus mox in rem transferendis præteriremus: id est quid aliud, quam florum admiratione retenti fructus arboris ipsos sperneremus? Atque licet cum cura hactenus, quam arctum sapiendi dicendique confinium sit, quantumque rerum gravissimarum sub splendidissimæ Orationis majestate contineatur, Auditoribus nostris ostenderemus, satis tamen apparebat, plurimas ita per omne Orationis corpus diffusas, varieque insertas, esse materias, ut nec ea, quam lectiones nostræ tenerent, serie colligi, nec salva tamen interpretationis plenioris ratione, ac propositi nostri dignitate possent velut inobservatæ relinqui. Visum est igitur commentationibus quibusdam potissima pleraque ordinate ac perspicue complecti, quæque sub Oratorio cultu & figuris involuta laterent, apertius enucleare, & publice ad differendum proponere. Cum præsertim exercitationis Oratoriæ præcipua etiam laus sit, posse de rebus quibusque propriam ac ornatam Orationem expedire. Sunt præterea ut distincta multumque differentia exercitationis genera, *Declamatio*, quæ apparatum atque curam, & *Dissertatio*, quæ profluentem nec penitus inornatam familiaritatem quandam spectat, ita profecto ex æquo necessaria, ex æquo cura functionis meæ complectenda. Monebuntur itaque & jam monentur, qui hisce exercitationibus operam sunt daturi, ut de proposita ad differendum materia, pure, decenter, proprie, placide, adeoque instructi consuetudine & copia auctorum, quorum in unaquaque re exemplum commendabimus, nobiscum colloquantur, atque ita paulatim ad extemporalis dictionis facilitatem, in qua fru-

ctum

ctum studiorum Quinctilianus constituit, proficiant. Quod institutum nostrum, Divinæ quidem gubernationi piis votis; exercentium autem industriæ ea, qua poterimus, exhortandi strenuitate commendabimus.

CAP. I.

De Principatu proprie ita dicto.

1. PRincipatum vulgo pro imperio unius, id est, pro una è tribus imperandi, quas faciunt, formis, quam Græci *μοναρχίαν* Latini regnum dixere, accipiunt.

2. Aliter, id est proprie & ex consuetudine accurate loquentium Plinius Noster, cujus nos mentem in hoc argumento sequemur, de *Principe* & *Principatu* loquitur, quem & regno opponit. Præsertim cap. 55, 7. cum de Trajano suo, *sedem*, inquit, *obtinet principis*, *ne sit Domino*, id est, regi, *locus*. quæ verba universæ huic commentationi præmunita volumus.

3. Intelligimus autem per *Principatum* hoc sensu nihil aliud, quam *eminentem unius auctoritatem aliorum potestate atque legibus definitam.*

4. Quibus signis à regno proprie nominato distinguitur. Unde Tac. (2. A. 57.) Pisonem dixisse memorat de Germanico, *Principis* Romani, non Parthi *regis* eum esse filium. de Caligula autem Sueton. (22.) parum abfuisse, quin *Principatus* speciem in *regnum* converteret. Sicut de Vercingentorigis patre Cæsar, obtinuisse eum Galliæ *Principatum*, sed ob eam causam, quod *regnum* appeteret, à civitate interfectum. Libuit hæc verbis *Grotii* illius (antiq. Batav. cap. 1.) adstruere.

5. Ergo cum Plinianus Panegyricus de optimo Principe tam multa, deque omni ejus imperio disserit & artibus; non eo animo capienda sunt, sicuti Cyrum aliquem aut Alexandrum, aut imperium unius cujusdam, sive Principem is se sive Regem ferret, laudaremus, sed Trajani spectandæ

virtutes, Trajanianum regimen cogitandum, ut id, quod quærimus, descripti Principatus scilicet & principis, non jam nomen, sed rem ipsam atque facta inveniamus. Quo respectu verba illa (cap. 2, 1.) *nihil dicendum de Trajano, ut idem illud de alio dici potuisse videatur*, non ad contentionem tantum deterioris aliorum imperii, sed ad ipsam quoque imperandi formam possis referre.

6. Cujus rei causam ostensuris altiore opus videtur esse exordio. Apud Romanos primum imperii nomen Reges fuere. Horum cum corrupta solitudine & licentia potestas in crudelitatem, superbiam, omneque libidinis genus prorupisset, populus in libertatem semet armis vindicavit; ejectoque nomine regio, cum delatum populo ac optimatibus deinceps jus imperii varie haberetur, prout occasio & contentiones alteram alteri partem vel supervexerant vel æquaverant; denique intemperantia tum libertatis tum imperii in utroque ordine Reipub. perdendæ viam malis civibus ostendit. Quo cum fœda publici quoque moris corruptio accederet, paucorum primo opes laceravere, mox unius dominatio, id est, Sullæ, & post hunc Cæsaris dictatura penitus oppressere libertatem. Quo sublato, Augustus (cujus tempore scilicet, μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο Ῥωμαῖοι, revera & penitus ad unius arbitrium res Romana revoluta est, quemadmodum cum Dione, cujus hæc verba sunt lib. 52. pr. Herodianus in præfatione sua recte judicat) cum alia omnia simularet quam faceret, *cuncta discordiis civilibus fessa*, PRINCIPIS *nomine sub imperium accepit.* Tac. (1. A. 1.) id est, cum videret regium & imperium & nomen Romanis, libertatem & Rempub. cogitantibus, invisum, nec minus gravem Dictaturam perpetuam fuisse, gratum se fore omnibus credidit, si cum Dominus esse posset Principem agere mallet, cujus imperium scilicet, nec optimatium auctoritati nec libertati plebis officeret, sed utriusque durationi provideret.

7. Sed prudenter Tacitus, quod *Principis* NOMINE constitutam Rempub. ait. Non enim nisi titulo princeps fuit, reipsa

reipsa κύριος πάντων καὶ αὐτοκράτωρ. nisi quod Principatus & reipub. cujusdam redditæ simulacra & excogitavit plurima solerter, & feliciter usurpavit. Ex hoc igitur tempore perpetuum jam cœpit *dominationis arcanum* esse, *imago & simulacrum Principatus*: retento ab omnibus cupide tam moderato nomine, vi imperii ubique extensa, exauctaque, usque ad Tyrannidis impotentiam. Donec Nervæ primo, sed præcipue Trajani exortus, toties jactatum antea inane *Principis* nomen, & ab ipsis qui gerebant irrisum, reipsa Romanis præstitit, & quod diceretur esse voluit, *amica republica & aquabili utens potestate Princeps.* Accommodari huc quodammodo potest, quod Panegyr. (cap.24,1.) ait: *talis es, quales alii Principes futuros se, tantum pollicentur.*

8. Potest ex dictis intelligi, scopus Plinianæ laudationis: cujus & artificium licet mirari, quod omnes cæteræ, etiam quæ alio pertinere videntur laudes, ad rationem boni Principatus (quem peculiariter sic vocamus) tanquam ad centrum lineæ solent, referuntur. Ut hæc scriptio *commentarii* in hoc argumento vicem possit supplere. Certe inter antiqua monumenta nihil de principatu tam accurate & copiose editum satis constat. Vere igitur sub hoc exemplo possunt *& boni Principes, qua faciunt recognoscere, & mali qua facere deberent. paneg.* (4,1.)

9. Sed excutienda est interius natura hujus Principatus. Diximus UNIUS EMINENTEM *auctoritatem*, cum Grotio. Agnoscimus ergo *mixturam quandam* μοναρχίας, sed honoris præcipue respectu & propter quandam dignitatis eminentiam. Unus Princeps *eminet*, *excellit*, caput est quodammodo: clarissime dicam: *Primus* est in imperio & potestatis ratione, *non solus*. Unus habet potestatis ἐξοχὴν, non unus potestatem. Græci πρωτεύοντα & πρόκριτον, non vero μοναρχοῦντα vocarent. Sic libera adhuc Repub. *princeps senatus*, *princeps civitatis*, dicebatur, nullo libertatis publicæ præjudicio. Igitur Tiberius, arte supra perstricta, cum & δεσπότου & αὐτοκράτορος nomen recusasset, πρόκριτος

κεῖτ© τῆς γερουσίας, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ὀνομάζετο. Dio (57.) Noster (c.24, 4.) ad Trajan. *Emines, excellis*: sed hoc alibi explicat: *unum*, inquit, *ille se ex nobis*; *& hoc magis excellit atque eminet quod unum ex nobis putat* (c.2, 4.) Ex diverso qui monarchiæ student, non *principes omnium, sed potius soli volunt esse*. Cic.1. de offic.19. sive *in quibus rebus primi esse debebant, soli esse cupiunt*. quod de Pompeio Vellei. (lib.2.) usurpat.

10. Quæ limitatio etiam aliis Panegyrici locis adstruitur. Ut cum (cap.23, 5.) *in* UNIUS *salutem collata omnium vota* dicuntur, & *cuncta complexum votum salus principis*: (94, 2.) additur in cap. 23. quidem, cum *sibi se ac liberis suis intelligerent precari, qua pro te precarentur*. Capite autem 72, 2. clarissime explicatur: *Fuit tempus & nimium diu fuit, quo alia adversa, alia secunda Principi & nobis.* (nota signum non Principatus, sed ipsissimæ dominationis, de qua Aristoteles, 5. polit.10. *πρὸς οὐδὲν ἀποβλέπει κοινὸν, εἰ μὴ τῆς ἰδίας ὠφελείας χάριν.*) *nunc communia tibi nobiscum tam læta quam tristia: nec magis sine te nos esse felices, quam tu sine nobis potes.* Quasi dicat, *unus es, in quem Respub. se convertit, cui administrationem rerum nostrarum, salvo jure nostro, detulimus. igitur ut nobis laboras, nobis vigilas, nobis Principatum geris, nobis emines, ita tuam salutem non tam tua quam nostra causa, omnes votis exoptamus, neque tam honore tuo, quam utilitatum nostrarum cura, qua tu nobis, nos tibi innexi sumus, fastigium illud Principatus metimur.*

11. Porro in descriptione, uni alicui non tam imperium quam AUCTORITATEM, tributam observare debemus. qua voce & distinguitur ab *αὐτοκρατορίᾳ illa* Principatus, & *potestas* quidem, sed *cum meritorum exceptione* notatur. Planius agam: *Auctoritas non tam potestatis, quam virtutis, non tam imperii quam meritorum titulus est.* Ita Tac. (Germ. 11.) *Reges vel Principes Germanorum audiri in concilio solitos, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate.* Et Liv.1, 7. Evander tum ea *auctoritate magis*

quam

quam imperio regebat loca. Princeps itaque verus ideo ceteris superior, quia & melior, nec tam fastigio quam virtute major esse debet. Quemadmodum belli Ducem, *sicut imperat solus, solum ita esse qui debeat imperare*, volumus (paneg. 13, 5.) ita de Trajano Plinius; *hoc tantum ceteris major es, quo melior.* (21, 4.) sed & ipse admiratione se quam potestate præesse maluit videri. *Adjecisti in fine votorum* (ait Paneg. 72, 3.) *ut ita precibus tuis Dii annuerent, si judicium nostrum mereri perseverasses.*

12. Agnoscimus jam *circumscriptam* esse Principatus potestatem & *finitam*. *Fines* igitur dedit nostra descriptio duplices: ALIORUM POTESTATEM & LEGES. De *illa* conjiciendum est ex statu Reipub. nondum everso. Penes *Senatum populumque* summa, penes *magistratus* proxima Romanæ rei erat Potestas. Augustus ergo cum primus PRINCIPIS nomen assumsit, eo ipso potestatem suam *senatoriæ dignitatis* ἰξοχῇ circumscripsit, & *Magistratuum imperio* temperavit: siquidem vel ipsius vel successorum blandis promissionibus ulla adfuisset præstandi ingenuitas. Tib. apud Suet. (30.) hæreditaria fraude hanc speciem libertatis & Principatus induxit, *conservatis Senatui & Magistratibus, & majestate pristina & potestate.*

13. Re autem ipsa, cum *Principes* videri quidem, *Reges* autem esse mallent, facinore scilicet vere regio *munia Senatus & Magistratuum in se trahebant*, quod de Augusto Tacitus (1. A. 2.) innuit, & Dio explicat (l. 53.) Belli pacisque arbiter *Senatus* Romanus erat: Hi cum Senatui imbelles tantum Provincias relinquerent, bellorumque & exercituum omnem, ut ajebant, molestiam in se transferrent, vere καὶ πολέμων καὶ εἰρήνης κύριοι erant. quem olim Cæsari victori metus publicus titulum obtulerat (Dio 42.) *Magistratibus* cum jura civitatis & disciplina omnis conveniret, præumbravit obscuravitque eorum auctoritatem splendor dominantis fastigii, consulatus, proconsulatus, imperia, censuram, sacerdotia, Tribunitiam protestatem, quæque alia nomine speciosa, vi efficacia erant, ad se rapientis. Qua

in

in re nimis dociles habuit discipulos magister dominationis Mæcenas, qui *Magistratibus honoris aliquantulum relinqui, vim pleramque deminui*, *apud* Dion. (52.) suadet.

14. Vidimus quantum *simulatores Principatus* à vera ejus laude abierint: videndum quomodo eam impleverit Trajanus: *dum* ALIORUM POTESTATEM *non attentavit, non obscuravit, non imminuit, sed sua in ea limites & consortium agnovit.* Qua in re ostendenda copiosus est Panegyrista & lætabundus. *Illuxerat*, inquit, (c. 66, 2.) *primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus, nunc singulos, nunc universos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus & insurgere. Quo justius Senatus* (verba sunt cap. 78, 1.) *ut susciperes quartum consulatum & rogavit, &* JUSSIT. IMPERII HOC VERBUM, *non adulationis esse, obsequio tuo crede.* Recusasses enim, *si permitteres tibi vetare, quod Senatus* JUBET. (4, 2.) Ergo *eadem Cæsar qua Senatus, probat improbatque* (62, 5.) nec diversis & contrariis affectibus circa palatium & curiam cives distrahuntur, sed *inter Principem Senatumque dignissimi cujusque caritate certatur*, & iidem amantur (62, 4.) En redditam & conservatam Senatui Majestatem.

15. Eadem modestia circa *Magistratus tuendos honorandosque. Consulatus enim honore, quem & incipientes Principes alii & desinentes adeo concupiscebant ut auferrent, privatis cessit* Trajanus: (57, 2.) *Alii ita Consules semper ut semper Principes erant* (58, 5.) sub Trajano *reddita libertatis indicium fuit, quod Consul alius quam Cæsar esset.* (58, 4.) sub hoc *nullum periculum, nullus ex Principe metus consulares animos debilitabat, frangebatque*: nihil *invitis audiendum, nihil coactis decernendum erat.* (93, 1.) & mox: *licebat tales consules agere, quales antea Principes erant.* Ergo tum *Consulum tribunal majestati suæ redditum: constitit͡q; reverentia Magistratibus.* (60, 2.) Adeo NULLIUS MAGISTRATUS JUS, *nullius auctoritas imminuta est: aucta etiam, siquidem pleraque ad prætores remittebat:*

atque

mque ita ut COLLEGAS vocaret, non *quia populare gratumq; audientibus, sed quia ita sentiebat* (77,4. 78,5.)

16. Altera limitatio principalis potestatis est A LEGIBUS. Quas nos duplices facimus: *Leges Reip.* & *Leges* Principatus. Utrarumque volumus esse Principem observantem. Non enim profecto recte sentiunt, qui *Legibus Reip.* Principem solvunt, seu quod idem est, ex rectore Dominum faciunt. (nisi si quæ sunt leges non tam publicum statum concernentes, quam tempora & varios casus, quas ἐψήφισμα βίῳ καὶ χρόνῳ vocant) *Non est Princeps supra leges* (ait Noster 65,1.) *sed leges supra Principem.*

17. At, inquis, præcedentia verba aliud volunt: subjecisti ipse te legibus, *quas nemo Principi scripsit.* Cave de legibus in universum, aut de omni tempore, aut de Principe proprie ita dicto capias. Textus ipse nos extricat. Quas enim *leges* dicit? nonne illas, in quas consules jurabant? Has autem in libertate natas, post mutatam Reipublicæ formam nemo Principi (id est, domino, quis enim ante Trajanum verus Princeps?) scripsit. Pertinet huc observatio: *Panegyrista, inventionum & acuminum & oppositionis ergo, perpetua ambiguitate utitur in vocabulo Principis, ut cum eorum factis, qui hoc nomen tantum gesserant, hunc qui rem ipsam præstitit efficacius possit contendere.* Prodibit igitur iste sensus: *Nemo scripsit Principi leges* (non enim, *scribit*, posuit; quæ aliena à sensu loci & veritate corrumpentium, & ad suas opiniones trahentium hæc verba, deflexio est) scilicet antea; cum, quos *Principes* vocare cogebamur, *Reges* esse & Monarchas satis sciremus: cum arbitria eorum pro legibus esse omnes videremus: quis enim tum auderet eos in ordinem redigere, & *ad formulam gerendi consulatus* adstringere? Nunc autem primum intelligimus, nunc discimus, alios qui titulo tenus Principes fuerunt, fastigium legibus inaccessum ostentasse, verum autem principem, qualem tu imperio præstas, non esse supra sed infra leges: itidem ut consules, ut prætores, ut magistratus cæteri. Hinc est quod *adigendum te præbuisti in*

 ver-

verba Principibus (prioribus) *ignota*, solennemque *juramenti* consularis formulam (64, 1.)

18. Igitur Trajanum quidem *legum reverentem* fuisse præter locum in genuinam mentem modò à nobis vindicatum, alibi quoque Panegyricus ostendit. Disertis verbis: Jus enim dixit *magna legum reverentia.* (77, 3.) *Legibus auctoritatem reddidit.* (60, 2.) tum per signa: *Dicitur Actori Principis atque etiam Procuratori, in jus veni, sequere ad tribunal. Eodem enim foro utuntur Principatus & libertas.* (36, 3.) Et ipse Princeps *edicto subjecit impensas* itineris, *rationem reddidit*, *atque cum imperio calculum posuit.* (20, 5.)

19. Longe diversum *μοναρχοῦντες* isti Principes institutum sunt secuti. An legibus se subjicerent, quorum in verba, in acta veluti in leges jurabatur publice? Igitur Augustus initio dominationis suæ ut magistratuum, *sic legum munia in se traxit* (Tac. 1. A. 2.) *nullo adversante*: imo cunctis hoc licentiæ fastigium exaugentibus. *πάσης αὐτὸν τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης ἀπήλλαξαν, ἵνα καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιοίη, καὶ πάνθ᾽, ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο, μὴ πράττῃ.* quæ Dionis verba (ex l. 53.) rem evidentissime exponunt. Memorabile est quod Tacitus (2. A. 51.) refert: *cum inter filios Tiberii & leges Senatus disceptaret,* VICTA *est sine dubio* LEX.

20. Sed & ipse PRINCIPATUS LEGES certas habet, quas scilicet, vel ut formulam administrationis suæ à Republica accepit, vel quas ipse sibi Princeps constituit. Harum scilicet violatio omni studio ei vitanda. Ita Trajanus, cum delatum sibi, absens Roma, suscepisset imperium, *statim sua manu prolixas ad Senatum litteras dedit, multaq. de imperandi, quam servaturus esset, ratione pollicitus est: inter quæ etiam illud, ὡς οὐδένα ἄνδρα ἀγαθὸν ἀποσφάξῃ ἢ ἀτιμάσῃ, nemini se bono viro vel cædem vel ignominiam allaturum:* atque hæc omnia & tum *& postea jurejurando firmavit.* teste Xiphilino (in Trajan. pr.) Equidem quanta ei præstandi fiducia, quod propositum fuerit, inde licet

licet perspicere, quod votis suis adjecit exceptionem, *ut ita demum se Dii servarent, si bene remp. & ex utilitate omnium recturus esset*, (paneg. 67, 4. 68, 1. 94, 5.) Tum ex memorabili dicto: cum ei quem Prætorio præficiebat porrecto gladio adderet: *Hoc tu, si bene remp. rexero, pro me; si secus, contra me utitor.* Xiphil. Ad quod alludit Plin. (67, 8) Sic hodie certæ sunt, *Imperii leges atque conditiones*, quas jurejurando probat, qui suscepturus est imperium Germanicum, de quibus vide Sleidan. l. 1. comment.

21. Ac quemadmodum quidem se natura Principatus habeat, exposuimus. arbitramurque colligi per se jam posse, quem sibi Scopum hoc imperii genus & *Finem* proponat: CURAM videlicet ET MINISTERIUM SALUTIS PUBLICÆ. *Curam* diximus, ut τὸ ἀρχιτεκτονικὸν καὶ προνοητικὸν τῆς ἀρχῆς notaremus. *Ministerio* autem τὸ δημιουργικὸν καὶ ἐπίπονον καὶ φιλεύθερον τοῦ πολιτεύματος significamus. Est hic finis (neque diffitemur) omnibus legitimis imperiis communis: sed peculiari quadam ratione, & veluti ἐξαιρέτως fit *Principatui proprius.* Cum enim omne imperium sit vel δεσποτικὸν herile vel τῶν ἐλευθέρων, liberorum ut vocat Aristoteles (7. polit. 14.) illudque ad imperantis, hoc ad Parentium commoda referatur: igitur ei, quod ad hoc posterius propius accedit, magis laudatum finem convenire necesse est. Jam vero, Regnum quidem etiamsi justissimum, participat tamen aliquid de herili illa ratione: Principatus autem sincere ac penitus hoc civile imperandi genus repræsentat. Trajani certe *peculiarem curam*, *peculiare* fuisse *ministerium*, tum *voti formula*, de qua paulo ante diximus, tum *tota Laudatio* Pliniana satis convincit. Hinc *veluti formula erat* (ait Lipsius in not. ad Paneg.) *in laudem bonorum Principum, & in nummis passim insculpitur*, SALUS PUBLICA. Huc non immerito retuleris, titulum PARENTIS, PARENTIS COMMUNIS, PARENTIS PUBLICI toties Trajano veluti proprio honore additum (vide Paneg. 93, 6. 26, 3. 67, 1. 87, 1. &c.) quia *patria potestas* non tantum *est temperatissima,*

ſima, ſed & ſaluberrima, *liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens*. Senec. de Clem. 14.)

22. Præcipuum hunc, quo de nobis ſermo fuit, finem comitatur *alter ille*: LIBERTATIS RESTITUTIO & CONSERVATIO. *Libertatem* hic opponimus non tyrannidi tantum ac oligarchiæ, ſed regno ipſi ac horum omnium ſeminibus, qualia in imperiis vix unquam deſunt. Commendat hoc propoſitum in Trajano Plinius (78, 4.) *Hac nempe intentio tua, ut libertatem revoces ac reducas.* Inde *adoptione Trajani libertas Romana fundari* (8,1.) ipſe *libertate civium lætari* (2,5.) & libertatis gloria illuſtris (24,5.) *nihil cogere cum gratior poteſtate libertas ſit* (87,1.) dicitur. Inſignis ad hanc rem evidentiæ locus eſt in Tacit. Agric. (cap. 3.) Nerva *Cæſar res olim diſſociabiles miſcuit* PRINCIPATUM & LIBERTATEM, *augetq; cottidie facilitatem imperii Nerva Trajanus.*

23. Quorum explicatio verborum hæc eſt: Accurate Dominos agebant, qui ſe Principes hactenus ferebant. Igitur Dominationis Romanæ fundamentum erat, extincta Romanorum libertas. An relinquerent aliquid Senatui Populoque poteſtatis, auctoritatis, arbitrii; qui ſuam ſervitutem interpretabantur aliorum libertatem? Principatui inimica erat Libertas: Libertati infeſtus Principatus. Unde res tam moderatæ civileſque *diſſociabiles* exiſtunt? Non enim erat aut eſſe volebat quod dicebatur Principatus; Libertas, ut eſſet quod dicebatur, monitis, voto, denique ſuſpiriis enitebatur. Quid eventum quærimus? *ut Principatus omnia eſſet, Libertas nihil erat.* Tandem inſperata temporum felicitas egregio juſtitiæ æquitatiſque temperamento in gratiam & ſocietatem utrumque reduxit: poſtquam utrumque naturam reſumſit, larvam exuit, & quod debebat eſſe, fuit. Redeunt Libertas, ſecuritas, æquitas: ſed duce & comite & fautore Principatu redeunt, ſub cujus larva tyrannis hactenus omnia Reipubl. membra convulſa vaſtaverat.

24. Auctor tam ſalutaris muneris, tam gratæ mixturæ,

turæ, *Nerva*, à Tacito laudatur. Atqui nos *Trajano* deberi eam laudem diximus. Neque pœnitet. Sane *Nerva* ille Libertatis Romanæ fautor, & Principatui quam dominationi studiosior fuit. Verum ea hominis mitissimi veluti lentitudo erat, ut quod egregie destinarat animo, exequi re & facto non auderet. Igitur res ad dissolutionem potius status publici quam ad libertatem spectabat, *ruebatq; imperium super Imperatorem*, cum *confugit in Trajani sinum concussa Resp.* (paneg. 6, 4.) Notavit hoc Fronto Consul, simulque tum quid priorum temporum tyrannis, tum quid Nervæ remissum imperium præstiterit, expressit, celebri illo dicto; *malum quidem esse Imperatorem habere, sub quo nihil; pejus, sub quo omnia licent omnibus.* Xiphil. (in Nerva) Tacitus ergo cum *Nervam miscuisse Principatum & libertatem* ait, de voto potius efficiendi quam de effectu, de animi potius moderatione, quam de imperii felicitate, exaudiendus est. Viam ostenderit *Nerva* qua uterentur boni Principes, facilitatem imperii sibi proposuerit ac Libertatem: implevit postmodum & auxit tam insigne institutum *Trajanus*, ipso Tacito non abnuente.

25. Quæ de aliis plerisque Principibus dicuntur, quibus hoc nomine placuit uti, facile ostendunt, *quam longa consuetudine* & crebra *corrupti depravatiq; mores Principatus sint*, (paneg. 53, 1.) quamque dissideant ab hoc civili regimine: *cum verus ille & salutaris Princeps in libera civitate supereemineat quidem alios*, sed non *obumbret*, *imperet quidem, sed cum Magistratibus, cum legibus, ut collega, ut administer, præsit quidem, sed admiratione, meritis, exemplo, plus quam potestate: intentus & accinctus in commoda civitatis, in labores, in pericula: auctor & vindex publicæ Libertatis.* Qua quidem laude compotes paucos, næ paucos numerare possumus, & *quorum nomina* (ut ex Historico illud hic usurpem) profecto *uno in annulo possunt perscribi*.

APPLICATIO PRACTICA HUJUS COMMENTATIONIS Corollarii vice adjecta.

1. P*Rincipatum* cum dicimus, non simplex imperii forma, sed mixtum regimen cogitandum est. *Vel enim conjungitur cum Aristocratia*, vel *cum Aristocratia & Democratia simul.* Solus princeps, proprio quidem significatu, nusquam imperat.

2. *Prioris generis*, cum multa veterum multa possint recentium afferri, duo tantum ponemus exempla: *Venetorum Rempublicam*, de cujus Principe, Senatui addito, videndus Contarenus de Republ. Ven. (lib. 2.) & *Imperium Romano-Germanicum* quod vocant, cujus res Imperator *neque pro arbitrio* (leges enim eum certæ adstringunt, de quibus antea) *neque solus* (nihil enim debet in rebus arduis & Rempublicam concernentibus facere absque consensu procerum) administrat. Hinc in *Aurea sua Bulla* tit. 24. Carolus: *Electores partem sui corporis* vocat: & *Recessibus imperii* clausula apponitur, quæ *de consensu ceterorum Ordinum* testatur. Electoris Moguntini vocem apud Sleid. (1. comment.) *nobis imprimis est Aristocratia retinenda*, non simpliciter accipio cum Clapmario id negante (vid. de arcan. imperii. 5, 20.) sed ita interpretor: *danda est nobis opera, ut administratio hujus imperii ἀριστοκρατικωτέρα quam μοναρχικωτέρα* sit, *plus ex optimatum auctoritate quam potestate unius trahat.*

3. Quanquam, ut hoc obiter annotem, magna est plerumque Politicorum in imperiorum formis discernendis dissensio. Qui dum in mixtis præsertim nusquam se satis extricant, varia sequuntur judicia. Sive per se res est difficilis, ubique, quid prævaleat alteri in societate regiminis, videre: sive nullum ferme est imperii genus, quod non trahit aliquid ex altero: sive facillimis momentis variantur

impe-

imperandi rationes, neque in constituto primitus tenore persistunt, indeque fit ut non tam status quam temporum sint judicia. Certe omnium ætatum eventis docemur, à Principatibus levi transitu ad Regna, ab his ad Tyrannidem deventum esse, Aristocratiam in oligarchiam & ultra ivisse, Democratiam autem nunquam ad aliquod tempus, nisi simulacris tenus, perdurasse. Fiunt hæc paulatim, & veluti per tacitam quandam successionem. igitur nec statim apparent, nec antequam penitus appareant, queunt dijudicari.

4. *Posterioris generis* celeberrimum fertur exemplum *Resp. Spartanorum*, sicut eam Lycurgus instituit. qui *Regibus potestatem bellorum* (hi Reges nihil aliud quam Principes erant, absque infinita scilicet & libera potestate) *magistratibus judicia per annuas successiones; Senatui custodiam legum; populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit.* Justin. 3, 3, 2. Apud *veteres* quoque *Germanos*, similem imperii formam obtinuisse ex Tacito colligas (vid. Ger. c. 7. & 11.) Post *Reges* enim (qui itidem ut Laconici finita potestate utebantur) duo adhuc ordines erant: *Principes*, i.e. qui partem aliquam gentis, ut vicum aut pagum curabant (atque hi optimatium auctoritatem præferebant, & *Plebs* penes quam multarum rerum arbitrium, communicato tamen cum principibus consilio, erat.

5. Atque hæc *temperata ex omnibus* regiminis forma censetur optima. *ἡ γὰρ ἐκ πλειόνων συγκειμένη πολιτεία βελτίων.* Aristot. (2. polit. 4.) addenda quæ paulo ante annotavit, Laconicæque reipubl. exemplo illustravit. quam & Polybius (4. Hist.) *καλλίστην πολιτείαν* vocat. Non enim hic solitudine corrumpitur potestas; quia unius eminentia Optimatum auctoritate temperatur: nec plebs de servitio familiarem sibi querelam allegare potest, cujus libertatem Princeps cum Optimatibus, aut hi contra illum, ille contra hos tuetur: nec periculum ex populari licentia, quæ freno majoris autoritatis continetur: dumque illa omnium mixtura singu-

ſingulis modum licentiæ ponit, vere illud exiſtit, quod Polybius (6. hiſt.) fundamentum egregiæ πολιτείας autumat, τὸ κοινὸν ἦθος τῆς πόλεως ἥμερον καὶ δίκαιον, *ut publica civitatis inſtituta ſint manſueta atque juſta. Optima* igitur, ut diximus hæc forma; ſed *cum periculo fragilitatis & mutabilitatis* conjuncta; quod acute, ut omnia, obſervavit Tacitus: cujus eximius ille locus hic non omittendus eſt. *Cunctas nationes* (inquit 4. A,33.) & *Urbes* POPULUS, *aut* PRIMORES, *aut* SINGULI *regunt. Delecta ex his & conſtituta* Reipubl. forma *laudari facilius*, *quam evenire*, *vel ſi evenit*, HAUD DIUTURNA *eſſe poteſt.* Ob inclinationum breves in imperiis vices: & varietatem ordinum, & æqualitatem harmoniæ, cujus difficilis eſt conſervatio.

6. Verum eſt illud Tiberii apud Suet. (29.) licet minime ex veri ſtudioſo pectore profectum: *Bonum & ſalutarem Principem Senatui ſervire debere*, *& univerſis civibus ſæpe*, *& plerumq; etiam ſingulis.*

7. *Ut Principatus* facile *poſſit* in regnum tranſire tria maximè efficiunt: *ignavia populi*, *certamina Potentium*, *negligentia Magiſtratuum*: *ut velit*, duo præcipua allectamenta ſunt: *Plebeja vanitas*, quæ affectuum libidini dedita ſervitutem ſuam officioſa plerumque ſedulitate provocat; *& Poetarum*, *Rhetorum*, *aliorumq; audax & intemperans adulatio*, quæ dum infelici ſolertia & noxioſiſſimo figurarum ſtudio omnia majora, quam ſunt, concinnat, nihil aliud quam invitat, ut majores quam eſſe debent, eſſe cupiant imperantes.

8. Major in Trajano laus, quod *Princeps*, quam quod *optimus Princeps* dici meruit.

9. Principatus nomen Romanis varia viciſſitudine gratum, acerbum; fidum, inſidioſum; noxium, ſalutare fuit. *Larva dominationis*, *inſtrumentum ſervitutis*, *neceſſaria deceptio*, *ſuavis medicina*, *libertatis reparatio*, diverſi tituli ex æquo huc quadrant.

COM-

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. II.

De Civilitate Principis.

EXplicata in superiori capite, *Principatus* proprie sic dicti *natura*, quatenus eam Plinius Noster in distinctas à regno laudes, multa φιλοσοφία πολιτικῆ vindicat: sequitur, ut de eo nunc agamus, quod cum proxime & præcipue ex ejusmodi Principatu resultet, originis suæ ingenium quadam velut exempli efficacia amplius declarare existimandum est.

2. *Civilis*, inquam, *monumenta animi* sunt, quæ à regii celsitudine fastigii, à dominatricis fastidio superbiæ, Principem ad illam temperatissimæ potestatis, & benignæ gubernationis laudem, ratione in publicum gratissima lætissimaque deducunt.

3. *Est* enim *Civilitas*, prout à nobis hic accipitur, *moderatio & temperamentum potestatis, cultus, honorum Principalium: quod in mansuetiore eorum usu, & communis æquabilitate juris conspicitur.*

4. Ignotior vocis & reconditus usus, sub initium renascentium litterarum interpretationem multorum in scriptoribus emendatissimis locorum corrupit. Plerique pro *modestia*, alii pro *bonitate*, *humanitate*, *popularitate*, *facilitate*, *comitate*, *suavitate*, & *elegantia morum* acceperunt. Equidem habent ista omnia vel cognationis aliquid, vel adjumenti ad hanc laudem: totam vero solum, quod posuimus vocabulum exhaurit. Primus *Casaubonus* rem mere politicam, in qua ceteri Ethica magis fundamenta attenderent, τὰ πολιτικώτατα in Animadversionibus Suetonianis consideravit: ita tamen ut vim vocabuli exponeret potius, quod institutum ejus poscebat, quam rei ipsius tractationi immoraretur.

 5. Ver-

5. Verba ejus, licet prolixiora, malumus apponere quam invertere: *Civilitas, quam Græce dixeris ἰσονομίαν, virtus est, quæ civi convenit qua civis est: cum enim civitas æquo jure constet, civis ᾗ civis, virtus est, æquabilitatem juris tueri cum ceteris. Plato videtur πολιτικὴν appellare, cum ita definit: ἡ πολιτικὴ ἐστὶν ἐπιστήμη ποιητικὴ δικαιοσύνης ἐν πόλει: tamen πολιτικὴ vulgo apud Philosophos & Rhetores, itemque civilitas apud Quintilianum alius generis virtus est. Hanc qua de agimus Antoninus Imp. l. 1. appellat πολιτείαν ἰσονόμον κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένην. de hac enim sentiebat, cum scriberet, didicisse se à fratre φαντασίαν λαβεῖν πολιτείας ἰσονόμου κατ' ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων. Dio civilitatem hanc ἰσομοιρίαν ἐξ ἰσονομίας appellat, & alibi τὸ δημοκρατικὸν egregia voce: simili ratione Theophrastus in fragmento characterum ὀλιγαρχικὸν vocat hominem non civilem: de quo apte dixeris quod de Julio Cæsare Lucanus:*

Concessa pudet ire via civemque videri.

Dio idem elegantissime ἀδημοκράτητα vocat honores inciviles, id est, qui excedant fastigium civis ἰσονόμου, sive ut loquitur Velleius, civilis dignitatis modum. *Latini interdum* æqualitatem *indigetant, vel* æqualitatem civilis juris, *ut Seneca. Juvenalis* sensum communem, *acute. nam de hac virtute accipi debet hic locus Satyræ octavæ:*

Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna. Hactenus Casaub.

6. Nos omisso latiori significatu, qua ceteros quoque civilitas respicit, hic *de civilitate Principis* acturi sumus. Quæ adeo propria huic nomini est, ut cum ea aut ex ea natum id videatur. Fallor an ipsum hoc Justinus & Aristoteles volunt: cum ille: *Principio rerum*, inquit, *gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.* 1, 1, 1: hic l. 5. polit. 10. καθίσταται βασιλεὺς ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ' ὑπεροχὴν ἀρετῆς ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. In quibus locis nec per *moderationem* aliud

liud quam *civilitatem*: (quo ſenſu etiam Panegyriſtæ uſurpatur 9, 1. boniquc & *moderati* principes hac notione paſſim memorantur) nec per *ἐπιεικεῖς* alios, quam *civiles* intellexerim: cum præſertim ii in verbis proxime antecedentibus populari violentiæ & incivilitati opponantur. Nam quod utrobique de Regibus ſermo eſt, non de Principibus, ſcire licet, antiquiſſimos illos Reges, quos ſua merita hoc nomine honeſtabant, Principes ejusmodi fuiſſe, quos diximus: donec paulatim mora & licentia, poteſtatis uſus intenderetur.

7. Igitur Principatui quidem ſummopere, ceterum & regno & omni imperio legitimo, ut tale, id eſt legitimum ſit, civilitatem volumus adeſſe. Spreta aliorum haud neceſſaria dubitatione. *Virtutem hanc*, inquit Caſaubonus, *fuere qui negarent Imperatori convenire: & refert Lampridius objectam Alexandro Mammeæ nimiam civilitatem. jure quidem, ſi nimia fuit: ceterum ἁπλῶς civilitatem in principe damnare, eſt negare, civem eum eſſe. Quo poſito ſequitur, quemadmodum docet Ariſtoteles, ut ſit vel Deus vel fera: quare nullum erit jus commune Principi cum ſubditis. Melius Plinius qui in laudatione Trajani aliquoties eum* civem *appellat, & in Novell. ipſi ſe Impp. πολίτας.* His nos addimus Antonini Pii exemplum: qui *imperatorium faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit*, teſte Capitolin. 6.

8. Præcipuus Plinii, & qui univerſæ materiæ præſtrui meretur, locus eſt in Cap. 2, 3. *Non de tyranno, ſed de* CIVE *loquimur.* De *cive* ſcilicet, qui *ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων καὶ πολιτείαν ἰσονόμον*, eorum quibus præeſt libertatem & æquabile regimen, quod ſupra dicebatur, cogitet: cum tyrannus *δεσποτικωτέραν ἀρχὴν*, magis herile imperium & ſervos animo concipiat, Ariſtot. 5. polit. 10. Cetera Pliniana teſtimonia ſub exemplis opportunius adducentur. huc enim nos vocat explicatio poſitæ deſcriptionis.

9. In qua diximus civilitatem, MODERATIONEM eſſe

ac TEMPERAMENTUM. Ubi præter ea quæ de *moderatione* jam sunt allata, illud tantum notamus, quod profundioris est considerationis: usu ferme in rebus magnis venire, ut magnitudo illa, splendida potius & admirabilis, quam grata sit & in publicum læta, nisi quædam accedat ἐπίπληξις ἰσχῦς & *temperamentum* excellentiæ. hanc enim alteram vocem priori addidimus, exemplo ductuque Plinii, qui Cap.10, 3. *Quo* TEMPERAMENTO, inquit, *potestatem tuam fortunamq;* MODERATUS *es?* Docent Physici, elementorum qualitates ut in corpore mixto ad unionem sint idoneæ, refringi temperie quadam & ad moderatiorem statum redigi: tali moderatione civilitas fortunam principalis fastigii ad civitatis communionem detractis horridioribus cristis attemperat.

10. Exempli causa, in *potestate* imperandi, omnis cernitur vis imperii, omne consistit robur. Hanc *iratam* mitigat *clementia*; *superbam* coërcet *modestia*: *civilitas* autem nec iratam nec superbam, sed *sui juris* tantum *memorem*, de *moderatione juris* ac condimento veluti quodam admonet. Hinc appellata nobis ea *temperamentum* POTESTATIS. Potuisset & Trajanus perpetua inter cives potentia armatus agere, necessitatemque faciendi, unam factorum legem constituere, nisi placuisset conciliatum obsequium, potius quam imperatum. *Civile* enim *hoc erat, & parenti publico convenientissimum, nihil cogere: semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas.* Paneg. 87, 1. Pertinet huc, quod Cicero 3. de ll. 18. licet restrictiore paulum sensu: *nihil minus civile*, ait, *quam per vim agi.* Porro Consulatum primum civilis imperii in libertate nomen, alii Principes titulo gerebant, re fastidiebant, semper ad μοναρχίαν suam relapsi ac intenti. Trajanus diversa ratione temperatissimæ potestatis nomen congruenti moderatione adæquavit. De quo propterea noster: *Non est minus civile & Principem esse pariter & consulem, quam tantum consulem.* 78, 5. adde 76, 1. & 6. *Moderationis* enim *& justitia*

tia monumenta prima ſtatuere Conſul poteſt, 78, 3. Senatoria ſcilicet æquabilitate, quam alii tantopere fugiebant: *cum hæc perſuaſio ſuperbiſſimis dominis eſſet, ut ſibi viderentur Principes eſſe deſinere; ſi quid facerent tanquam Senatores.* 63, 6. Igitur *forte in Senatu ad reverentiam ejus compoſiti: ceterum egreſſi ſtatim ſe recipiebant in Principem, omniaq; conſularia officia abigere, negligere, contemnere ſolebant.* 76, 5. (quæ res etiam ad explicationem civilis honorum moderationis, de qua infra, poteſt adhiberi) Sed & illud incivilis impotentiæ fuit, cum libertas ſententiarum in Senatu ad *mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem* redigeretur: per Trajani ergo civilem admodum poteſtatem *diſſentire, diſcedere & copiam judicii ſui reipubl. facere tutum fuit.* 76, 1. Quibus addenda ſunt, quæ Cap. 1. 14, & 15. diximus.

11. Suetonius cum in Auguſti vita, id eſt operis ſui pulcerrima parte, publicas ejus Principis virtutes explicaturus eſſet, à *clementia civilitatiſq;* documentis initium duxit, quod nec ſine illa imperium tolerabile, nec ſine hac legitimum eſſet. Igitur clementiam quidem uno capite complexus, *civilitatem* à cap. 52. uſque ad 57. tanta exemplorum evidentia oſtendit, ut pro comperto habeam, nullibi hoc argumentum vel plenius vel prudentius tractatum reperiri. Quod fortaſſe minus iis manifeſtum ſit, qui, nihil in eo ſcriptore abſque ſumma judicii politici cura vel narrari vel diſponi, non attendunt. Nobis cum non minus brevitas quam perſpicuitas ſit propoſita, ideoque non plurima huc cumulanda, ſed adſerenda electiſſima autumemus, inde potiſſimum præſens inſtitutum libet illuſtrare. Quapropter moderatæ Auguſti potentiæ illa ſunt indicia maxime: quod cum in ſenatu non libere tantum ſed contumaciter ſæpe reſponſum ei eſſet, *non ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.* Suet. Aug. 54. *quod forum anguſtius fecit, non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos.* c. 56. quod etiam *amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent, quo ceteri,*

legibusq; judiciariis æque tenerentur. Ibid. *filios* autem *tum demum extolli, cum mererentur.* Ibid. *unum omnino è reorum numero, ac ne eum quidem nisi precibus eripuit, exorata coram judicibus accusatore.* Ibid.

12. HONORES quoque moderatur *civilitas* : quos ceteroquin ambitio menti, adulatio auribus, pompa & species oculis, ultra quam par est, commendat. Ac ceterorum quidem hominum hac in re vanitatem superbiæ titulo notamus, eamque vel risu vel contemtu ulciscimur, vel cum philosophari libitum est, μεγαλοψυχίαν illam Aristotelicam tanquam scopulum opponimus. Principatus autem, id est, res per se honoratissima, cum aut quærit honores aut intendit, aut exigit, videri queat absurde, odiose, crudeliter id facere, nisi privatæ propiora ἐπιχώρια vocabula, de publico judicio nos potius admonerent: cujus consensu, *incivilitas* sive *incivilior elatio* existimatur, quicquid in aliis aliter dicimus.

13. Invidiæ plenum id opus ut corrigatur, imo ut absit, civilitas *vel* honores injustos amovet: ut cum Trajanus *magnitudine sua contentus, qua nulli magis caruerunt, quam qui majestatem sibi vindicabant* (novo jure majestatis & lege reperta vid. Tac. 1. A. 72. 73. 74.) *Majestatis singulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacarent, ejusq; metum penitus sustulit.* Paneg. 42. 1. ut cum Augustus *vulgato jam templorum honore partim abstinuit, partim cum temperamento usus est.* Suet. Aug. 52. *Argenteas statuas conflavit.* Ibid. *vel* nimios deprecatur: ut cum Trajano *florenti & incolumi nunquam nisi modici honores, sæpius nulli decernebantur*: quia ipse, *quod moderationis erat, eligebat parcissimos,* Paneg. 55, 1. & 5. *tertium* autem *consulatum, ut prægravem recusabat* 57, 4. ut cum Augustus *Dictaturam magna vi oblatam humillime deprecatus est.* Suet. Aug. 52. *domini appellationem*, herilis scilicet non civilis imperii indicem, *omni modo à se amolitus est.* 53. *Filiorum* quoque *immodicos honores temperavit.* 56. *vel* magnos submissione temperat: ut cum Trajanus, *amicum ex imperatore,* Paneg.

neg. 85, 5. *ex Principe senatorem egit.* hoc enim volunt verba Paneg. 2, 4. *unum ille se ex nobis* (senatoribus) putat. cum *Imperatorem commilitonemq́ miscuit, exactor laboris & socius.* 19, 3. *vel* proprios ac debitos haud rigide vindicat, nonnunquam cum judicio transmittit: ut cum Augustus *sparsos famosos de se in curia libellos, nihil aliud quam redarguit, & in posterum de talibus cognoscendum censuit*, Sueton. 55. (Adde Tac. 4. A. 34. Senec. 3. de ira, 23.) *Jocis invidiosis & petulantibus lacessitus contradixit edicto: neque tamen de inhibenda testamentorum licentia* (quibus affectus suos liberrima dicacitate quisque inserebat) *ne senatus quidquam constitueret, intercessit*, Suet. 56. Sic Capitolinus *civilitatis* in Antonino Pio *præcipuum argumentum judicat, quod joca semper patienter accepit. vel* denique alienos non per invidiam impedit deprimitve sed favore & incrementis attollit. Apud Trajanum *patebat omnibus* (*præcipue bonis*, (Paneg. 44, 7.) *honoris & gloriæ campus.* 70, 7. qui *sibi accrescere putabat, quod cuique adstrueretur.* 62, 8. Hinc nulli Ducum Legatorumque auctoritas præsentia ejus detracta. *Major omnibus* quidem *erat, sed sine ullius diminutione major: eandem auctoritatem præsente illo quisque, quam absente retinebat: quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod ipse quoque illos reverebatur.* 19, 2. Hinc est, quod *rectos civium ac vividos animos, non ut alii* (inconsulto scilicet decrementi metu) *contundebat ac deprimebat, sed fovebat & attollebat*, quam ego potissimam civilitatis laudem dixerim. 44, 6.

14. Cujus & in omni CULTU, *habitu, incessu ac similibus* moderatio salubris esse consilii putanda est. Cujus rei copiose nobis jucunditatem Panegyrista capitibus duobus integris, 23. & 24. extollit, cum *de civilissimo* Trajani in urbem *ingressu* agens, *pedibus*, ait, *incessisse, sine animadversione lictoria, sine custodia satellitum, libero turbæ accessu, per familiaritatis notas, & comes salutationes, & gratam intuentibus moram, & assimilatam prioris privatæq́ fortunæ imaginem.* In ipso deinde principatu & consulatu

ſulatu ſuo, *ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiæ principalis, nullus præcurſorum tumultus detineret. nemo proturbabatur, nemo ſubmovebatur. tanta viatoribus quies, tantus pudor faſcibus, ut plerumq; aliena turba ſubſiſtere & conſulem & principem cogeret.* Paneg. 76, 7. & 8. Alibi *Candidatis oſculo occurrit, omnesq; comitatis numeros obibat.* vid. c. 71. De Auguſto ſimilia Suetonius 53. *Non temere urbe oppidove ullo egreſſus aut quoquam ingreſſus eſt, niſi veſpere aut noctu, ne quem officii cauſſa inquietaret. In conſulatu, pedibus fere; extra conſulatum, ſæpe adoperta ſella per publicum inceſſit.* Adde quæ ſeq. de ſalutatione ſenatus nominatim facta. *Ædium* quoque *civilitatem* & *diſciplinæ domeſticæ modeſtiam* quam commendet in Trajano Noſter, patet ex Paneg. 47. Non omiſerim huc ex Curtii 3, 6. transferre, qua *civilitate cultus* Alexander apud milites tantum profecerit: *quæ leviora haberi ſolent*, inquit, *plerumq; in re militari gratiora vulgo ſunt: exercitatio corporis inter ipſos, cultus habitusque paululum à privato abhorrens, militaris vigor:* ad quæ illuſtranda facit exemplum Trajani Paneg. 13. & Valerii Rom. Ducis apud Liv. 7, 33.

15. Pertinet huc *admiſſionum* quoque *facilitas* & *colloquiorum humanitas.* Quod vel illud Spartiani poſſit oſtendere in Adriani Cæſ. vit. 20. *In colloquiis etiam humillimorum civiliſſimus fuit, deteſtans eos, qui ſibi hanc voluptatem humanitatis, quaſi ſervantes faſtigium Principis, inviderent.* Trajanus quam liberaliter & prolixe ſui copiam præbuerit, eſt in Paneg. 47. & 48. *nulla in audiendo difficultate, nulla in reſpondendo mora uſus.* 79, 6. Auguſtus *promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam ideo corripuerit, quod ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.* Sueton. Auguſt. 53. Idem Princeps illud quoque *civile rebatur, miſceri voluptatibus vulgi.* Tac. 1. A. 54. & ſpectaculis intereſſe. Quæ laus ei cum Trajano communis. Paneg. 33.

16. Qua-

16. Quare cum MANSUETIOREM fortunæ Principalis USUM descriptio nostra requisivit, præter moderationem hactenus per partes ostensam, insuper humanitatem & facilitatem moris, quandam quasi dispensatricem fecimus civilitatis: cujus omne denique fundamentum in COMMUNIS ÆQUABILITATE JURIS constituimus. Cum enim *jus civile æquitas sit, iis constituta, qui ejusdem civitatis sunt.* Cic. Top.2. ejusque *finis sit legitimæ atque usitatæ in rebus causisq; civium æquabilitatis conservatio.* Id. 1. de Orat. 42. sequitur cum Princeps pars civitatis sit, cui conservatio ejusdem maxime cordi esse debet, ut nec JURI quidquam nec æquabilitati detrahat. Quæ res licet profundiorem habeat commentationem, ex ipsis societatis humanæ fontibus,quos *ἰσονομία* & *μετριότης* conservat, deducendam: est tamen levioribus illis quoque locus exemplis, per quæ tanquam per exteriora indicia, interior animi mansuetudo declaratur. Ut quod Augustus *in comitiis supplicabat more solenni. Suffragium ut unus è populo ferebat. testem se in judiciis & interrogari & refelli æquissimo animo patiebatur. periclitante amico in subselliis rei sedebat. clientibus aderat.* Suet. Aug. 56. *officia cum multis mutuo exercebat & dies cujusq; solennes frequentabat. Senatorem minus sibi familiarem, inedia mori destinantem, præsens consolando revocabat ad vitam.* Id. 53. De Alexandro Lampridius: *Moderationis tantæ fuit, ut amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferioris ægrotantes viseret.*

17. Scilicet hæc longe à se spernunt dominantes isti, quibus omnia æqualia pro contumeliis accipiuntur: quique non comi morum via sed horridi ac plerumque formidati imperium administrant. Non errant semper vulgi judicia & sermones: quin rem ipsam tangere mihi videntur, cum apud Tac.2. A.82. queruntur: *displicere regnantibus* CIVILIA *filiorum* INGENIA: *neque ob aliud interceptos quosdam, quam quia populum Rom.* ÆQUO JURE *complecti reddita libertate agitaverint.* Tam ubique se magnis fastigiis inserit, tyrannidis vel magistra vel proles illa formido, cum detrahi

sibi quicquid reipublicæ accedit aut civibus, imperantes existimant. Quanto verior Senatus Romani acclamatio, qua civilitas Trajani celebrata est: TANTO MAJOR, TANTO AUGUSTIOR. *Nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si seipse submittat securus magnitudinis suæ.* Paneg. 71, 4.

18. Quanquam fatentur hoc illi ipsi inciviles domini, dum qua fraude utebantur in omni Principatus imagine assimilanda (vid. cap. 1.) eadem, civilitatis simulationem, præsertim sub initia imperii cupide arripuerunt. De Tiberio (id est, præcipuo incivilitatis dominatricis exemplo) Sueton. 26. *Civilem admodum inter initia ac paulo minus quam privatum egit.* adde sequentia & Dion. l. 57. De Nerone similia apud Tac. 13. A. 4. quæ propterea recte *arcanis inanibus* accensentur à Clapmar. 6, 9. Atque Tiberio quidem non optime successit illa simulatio. licet enim de se valde civilia loqueretur, *non tamen ideo* (inquit Tac. 1. A. 72.) *faciebat fidem civilis animi.* Nam & incivilius ac violentius agebat quam dictitabat: & duritiem animi occultare penitus non poterat. Igitur Panegyrista noster non tam civilitatem Trajani, quam civilitatis *intentionem asseverationemq;* commendat. 71, 6. Et cap. 54, 5. *Tuæ*, inquit, *moderationis hæc laus quod convenimus, hanc simplicitati tuæ veritatiq; gratiam relaturi, ut te quæ vis velle, quæ non vis nolle credamus. Inaffectata enim* (verba sunt cap. 67, 1.) *veritas verborum: adseveratio in voce, affirmatio in vultu, magna in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides.* Igitur quanquam *omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est.* 66, 2. Quo veluti experimento discimus simplicitatem dictorum ac fidem administram quandam civilitatis & conciliatricem esse.

19. Intelligi opinor ex superioribus potest, quæ civilitatis in imperio vis sit, *quam tranquilla potestate, quam modico honore, quam placido fastigio, quam virili cultu, quam æquabili officio ad communionem civitatis jurisq;, ac salutis publicæ comiter procedat, imperantiq; publice* AMOREM, *imperio*

perio FIRMITATEM *conciliet*. Quos FRUCTUS fallor an ex ſola hac moderatione, in qua eſt omnis origo gratiæ, omnis fides durationis expectaveris.

20. Cautionis gratia potuiſſemus hic de *popularitatis* & *civilitatis* diſcrimine diſputare; quarum *illa* artes tractandæ plebis & demerendæ quærit traditque, *hac* viam æquo jure complectendæ civitatis ſibi proponit; *illa* voluptatem civium, *hac* moris publici manſuetudinem (τὸ ἥμερον καὶ δίκαιον τῦ κοινῦ ἤθες Polybiana voce cap. I. diximus) ſpectat: *illa* humanitatem ſive comitatem magiſtram, *hac* miniſtram habet: & quæ plura poſſent adferri, unde conſtaret, *illam* imperatoris, *hanc* imperii bono propiorem eſſe. Quemadmodum & illud moneri explicatius haud abs re fuiſſet, non confuſas à nobis illas virtutes, quas in civilitatis partim *adjumentum*, partim *miniſterium*, partim *ornamentum* advocavimus; manere quin imo ſuum cuique ſeorſim honorem, ſuam vim: quam participatione iſta, & quæ in adminiſtrationis civilis artibus conſpicitur, mixtura non corrumpi, ſed intendi: neque infelicius eas ad unum aliquod conſtituendum concurrere, quam alioquin unas & integras eſſe. Verum hæc & talia, per inſerta ſparſim indicia, tum per ſubintelligenda philoſophantibus ubique tractationis fundamenta, meditationem lectoris confidimus haud difficulter ſuppleturam.

Character ſive notatio,

INCIVILIS PRINCIPIS ſeu DOMINI.

AD illuſtrationem propoſitæ hactenus materiæ videtur pertinere, ut de *Incivili Principatus ſive Imperii more*, aliquid dicamus. quod ut breviſſime fieret, ſimul & efficа-

efficacissime, de *charactere* sive *notatione* quadam adornanda cogitavimus. quæ ista est:

INCIVILEM corrupti in dominationem Principis ANIMUM dixeris, qui non tam inter cives se quam supra eos esse semper cogitans, æqua omnia spernit, nihilque pensi habet, dum fastigium suum extruat, vimque imperii intendat ubique & amplificet.

Talis solus esse in imperio cupiet, quia primus est. Insurget contra jura imperii: munia senatus, magistratuum, legum in se trahet, omniumque officiorum curam ad se recipiet. Instituet nova; veteribus, spreto patriæ more, quos & quamdiu volet, præficiet. Quæsitus de judiciis majestatis, exercendas esse leges respondebit. Cum senatus inclinationem illuc ferri intellexerit: prompte adversatus & cupide huc ibit. Metui semper volet, semper ab omnibus exiget. Custodiæ suæ & satellitii terrorem per oculos civitatis minaciter circumferet. Ædes ejus superbe ac regie urbi imminebunt. Possessione immensa, omnes lacus, stagna, saltus, agros circumveniet. Si qua nobilis viri sedes & villa ipsi arridebit, migrare jubebitur dominus. Si eximiæ mulieris amore tenebitur, è domo mariti abducet. Suæ demtum gloriæ credet, quicquid cedit alienæ. Erga egregias artes, virtutes, merita obliquus & sævus erit. vividos ac generosos animos; feroces & seditiosos: libertatis memores, dictitabit refractarios & contumaces: certus contundere tales, quantum in se est, ac deprimere. Honores, inquiet, insatiabiliter Principi parandos. Igitur quos tempore arctatos invenit, continuos recipiet: quos adulatio supra humanum fastigium excogitabit, admittet. Volet effigie numinum per provincias sacrari, flamine coli. Adeuntibus se senatoribus & magistratibus non assurget. Desideria civium sine cura habebit: admissiones ægre dabit & cunctanter: audiet fastidiose, quæ perferuntur, respondebit severe & cum tristi arrogantia. Calamitates privatorum & luctus inter ceteras convivales fabulas transmittet. Tributorum immodicas exactiones deprecantibus, una vo-

ce

ce occurret: ſolvendum eſſe. Fors erit ut adjiciat: Satius eſſe civium multa millia interire, quam deficere fortunæ Principalis inſtrumenta. Colloqui cum inferioribus, Principe indignum exiſtimabit. Linguæ delicta & verborum, factorum pœnis afficiet, liberasque voces è Republica tollet. Simplicitatem jocorum pro malitia interpretabitur. omnia in veſtitu pretioſiſſima: omnia in menſa novitatis quodam ingenio exquiſita: omnia in ſupellectile ſplendoris artificio inuſitata aſſectabitur. Denique ſola ſe decere quæ excelſa & ſpecioſa: ſola dedecere quæ æquabilia ſunt & moderata, arbitrabitur.

APPENDIX OBSERVATIONUM Practicarum de CIVILITATE.

1. Civilitatis naturam optime Græci, quibus nimirum

-- -- -- -- dedit ore rotundo
Muſa loqui,

declarant. Illi vel *æqualitatem* & *communionem* vocant: ut cum Eutropius lib.10. brev. hiſtor. Rom. *Civilitatis penitus expertem* Herculium dixiſſet, Metaphraſtes ejus Pæanius *κοινότητος παντοδαπῆς ἀλλότριον* vocat. Et Suidas Antoninum Severi filium, *κοινὸν πρὸς πάντας, in cunctos civilem.* Quemadmodum Conſtantius vir *Præſtantiſſimæ civilitatis* Eutropio dictus lib.10. metaphraſtæ *πάντας κοινότητι παρελθὼν* appellatur. Vel *Popularitatem*; ſicut Auguſtus & Trajanus iisdem ſcriptoribus *δημαγωγοὶ πάντων ἄριστοι* l. 7. & 8. *civiliſſime vixiſſe* dicuntur. Vel *Moderationem*: dum civiles paſſim Principes *μέτριοι* & civilitas *μετριότης* (Zoſimo *τὸ μέτριον*) indigitantur. Vel *bonitatem*: dum *ἀγαθὸν* ſuum frequenter vocibus commemoratis adponunt, ſynonymiæ cauſſa. Qua varie, in hoc negotio; nunquam autem ſine efficaciore quadam hujus virtutis declaratione utuntur.

Sic *κοινὸν καὶ ἀγαθὸν* Eutropius l. 8. *κοινὸν καὶ μέτριον* l. 7. *μετριότητα καὶ κοινότητα* l. 9. sic *κοινὸν καὶ ἰσοδίαιτον* Xiphilinus in Vespas. sic *σώφρονα καὶ κόσμιον ἄρχοντα* Herodianus in vit. Commod. (quod Politianus *continentem moderatumq; Principem* vertit) conjungunt.

2. Unde apparet late patere hanc laudem, neque simplicem aliquam virtutem intelligi, cum una & simplici voce utimur; ac per synonymicas, quas dixi, conjunctiones copiosam plerumque amplitudinem denotari. Equidem cum duo sint reipublicæ tempora, pacis unum, alterum belli, ad quorum usus omnis quæ vel imperantibus convenire vel parentibus potest, ars refertur: igitur cum generaliter loqui volumus, id est, ejusmodi vocabulis, quæ cum per se unum quidpiam videantur significare, idonea tamen sunt ad complectenda alia omnia, quæ profunditatem negotii concernunt, sic *civilem in Pace*, quemadmodum *bello strenuum* appellamus, seu quod idem est, *omnes Pacis artes civilitatis titulo involvimus.* Eutropius Augusti laudes in unum collecturus *neq; in bellis*, ait, *ullum feliciorem fuisse, neque in pace moderatiorem aut civiliorem*, lib. 7. hoc diserta *μεταφράσει* assecutus est in hunc modum Pæanius: *οὔτε γὰρ ἐν πολέμοις ἀνδρειότερον ἡ τύχη δείξει. οὔτε ἐν ἡσυχίᾳ μετριώτερον ἄν τις εὕροι γεγενημένον* &c. Libro 8. uterque adhuc rotundius de Trajano Nostro: *Inusitatæ civilitatis & fortitudinis fuit: δημαγωγὸς γὰρ ἦν ἄριστος, κἀν ταῖς μάχαις ἀνδρειότατος.* Quibus verbis nemo est, quin videat, omnes togatas, omnes militares artes hisce Principibus adscribi.

3. Sicilicet ut cognomentum omnem pacis habitum & laudes complexum acciperet Trajanus, id est, OPTIMUS diceretur, civilitas potissimum effecisse putanda est. Clare Paneg. 2, 7. *Jam quid tam* CIVILE, *tam senatorium, quam illud additum à nobis* OPTIMI *cognomen? quod peculiare hujus & proprium arrogantia priorum Principum fecit.* Optimus certe Princeps esse nemo potest nisi qui commune civium suorum bonum sit. Id quod à sola civilitate expectan-

pectandum, quæ publicat usibus civitatis Principem, quem incivilis arrogantia in quadam fastigii inutilis arce seponit.

4. Civilitas optimi imperii mater, libertatis socia, tyrannidis inimica est; quam velut obice quodam arcet. Ingenti illa quidem & rara laude, si spontanea sit: sed & artibus quæritur obtineturque. pulcre Eutrop. l.1. de instituta post Reges ejectos Consulari potestate, *placuit*, inquit, *ne imperium longius quam annuum haberent: ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed* CIVILES *semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos.* Metaphrast. ὥστε τῷ χρόνῳ πεπερασμένην μετριωτέραν εἶναι τὴν δυναστείαν. ἀνάγκη γὰρ ἦν, ἀείστους εἶναι δημαγωγοὺς, εἰδότας, ὡς μετὰ τὸν χρόνον, ἴσον τῶν ἀρχομένων. quod l. 9. ἐξ ὕψους πρὸς κοινὴν μεταστῆναι πολιτείαν vocat. Huc pertinent omnia illa jura, vincula, privilegia, instituta, quibus imperantium potestas includitur, finitur, limitatur, astringitur. ne videlicet civilitatem egrediantur aut spernant. Itaque cum, in regnis præsertim, paulatim dissolvuntur, fundamentum boni moderatique imperii periclitari intelligendum est.

5. *Monarchica* quidem, sed notabilis tamen *civilitatis* exemplum in Vespasiano, his verbis Xiphilinus proposuit: τῇ προνοίᾳ τῶν κοινῶν αὐτοκράτωρ ἐνομίζετο. ἐς δὲ δὴ τἆλλα πάντα, κοινὸς καὶ ἰσοδίαιτος σφίσιν ἦν. quæ verba hac videntur paraphrasi explicari posse: *in universum æstimantes deprehendemus Vespasianum imperii quidem curas & negotiorum præcipua sibi reservasse, solumq; in imperio fuisse, qui ut potestate sic labore superemineret: in cetera autem omni vita, societate, cultu, communem se & ex æquo gessisse, sive æquabili civilitate omnes suos complexum esse.* Diversam esse hanc à *Principis civilitate*, tum tota commentatio nostra, tum idem Auctor exemplo Adriani ostendit, de quo ita loquitur: ἔπραττε δὲ καὶ διὰ τῆς βουλῆς πάντα τὰ μεγάλα καὶ ἀναγκαιότατα, καὶ ἐδίκαζε μετὰ τῶν πρώτων &c. Maxima rerum non per se solus, sed adhibita senatus auctoritate tractavit: jus autem cum Primoribus dixit. *Execratus est denique Principes*, inquit Spartianus in ejus vita, *qui minus senatoribus detulissent.* 6. Ari-

6. *Aristocraticæ civilitatis*, nobilissimum exemplum Q. ille Fabius Maximus: qui cum oblatum sibi non petenti consulatum recusaret, accensaq; hac moderatione justa offerentium studia verecundia legum (quibus intra decem annos eundem consulem refici non liceret) restinguere nequicquam conaretur: inter alia plenissima civilitatis verba, illud quoque usurpavit: *se gloria seniorum succrevisse, & ad suam gloriam consurgentes alios lætum aspicere. nec honores magnos fortissimis viris Romæ, nec honoribus deesse fortes viros.* Liv.10, 13. Non colligo, quæ ubique de civili ejus animo obvia: quo denique effecit ut *Princeps civitatis* haberetur & esset, vid. Liv.27, 13.

7. *Democraticæ civilitatis*, exemplar præcipuum Romanus ille Poplicola meretur haberi. quem Plutarchus in vita ait, *λαβόντα τυραννικὴν ἀρχὴν, ποιῆσαι δημοτικωτέραν, καὶ μηδ' οἷς ἐξῆν ἔχοντα χρήσασθαι.* cum tyrannicum accepisset imperium, ad popularitatem illud & civilitatem redegisse, neque potestate sua quoad licuisset, usum esse. Et antea laudaverat in eo: *κοινὰ καὶ φιλάνθρωπα ἤθη, ὅτι πᾶσιν εὐπρόσοδος ἦν τοῖς δεομένοις, καὶ τὴν οἰκίαν ἀεὶ παρεῖχεν ἀνεῳγμένην, καὶ λόγον οὐδενὸς οὐδὲ χρείαν ἀπόῤῥιπτε τῶν ταπεινῶν.* mores civiles & mansuetos: quod aditu facilis, si quis ipso indigeret, domum semper apertam haberet, colloquia autem & desideria humillimorum quoque non rejiceret.

8. Difficile est *civilitatem*, id est, rem ad bene imperandum unice necessariam, constanter servare. Nec licet profecto ex omni historia & memoriis rerum gestarum exemplum reperire, ubi civilitas in eodem quo cœpta est, tenore diu incorrupta perstiterit aut creverit. Causa est, vetus illud & antiquitus insitum mortalibus malum, *nimia cupiditas principatus*, & excellentiæ: magnis quibusque animis valde familiaris. *Ut quisq; magnitudine animi excellit,* inquit Cicer. 1.offic.19. *ita maxime vult Princeps omnium vel potius solus esse* (quo sensu apud Tac.4. A.38. dicitur: *optimos mortalium altissima cupere.*) *Difficile autem est*, addit graviter Cicero, *cum præstare omnibus concupieris, servare æquitatem, quæ est justitiæ maxime propria.*

COM-

XXII.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. III.

De Electione Trajani.

MAjoris curæ rem ac momenti, quam cuiquam videatur, Trajani electionem adoptionemque esse, vel illud ostendit, quod Panegyrista Noster sex capitibus, à 5. cap. numerandis eam commentationem vix satis habuit complecti. Scilicet & per se plurimum interest, qua quis ad imperium via contendat perveniatve, & quæ tum inciderant reipublicæ tempora, augustiora omnia in negotio tam necessario fecerant.

2. Ad cujus ordinatiorem intellectum, *ὥσπερ ἐν προπαρασκευῆς λόγῳ*, Historica repetitione rem paulo altius arcessemus. Ex eo tempore, quo Romanorum libertas unius arbitrio cessit, *bellis* ferme *civilibus & armis oppressa rep.* (paneg. 5, 1.) per vim & occasione malorum publicorum Principatus petebatur. Quibus addebantur arcana domus, & sola juris specie nixa successio. paneg. 7, 4. & seq. Julium enim Cæsarem primo, quid aliud quam jus regnandi gratia violatum, felixque in patriam impietas cervicibus publicis imposuit? Quo nihilo melior sed occultior & speciosior dominationis architectus Augustus, ferrum juvandæ patriæ titulo inscriptum per inopinantis jugulum Libertatis adegit. Tiberius crudi adhuc servitii victor, multa fraudum ambage, solito scilicet malæ causæ non patrocinio magis quam indicio, dici meruit. Post quem Cajo Caligulæ paterni nominis favor & adultæ servitutis insidiatrix, dominationis autem vi partæ injuriosa retentrix successio, Imperium dedit. Hunc patruus excepit Claudius, tam mirabili casu favorisque militaris errore, ut si qua Fortuna Cœca esset, quod paganis olim visum

 est,

est, Principem ejus alumnum dare ; Si qua incerta imperiorum & fatalia ludibria, exemplum in maximo possemus maximum ostendere. Adfuit tamen imperanti, cum cetera omnia deessent, veneratio sanguinis Cæsariani, quæ Neronis quoque dignitatem ad hoc fastigium uni familiæ hactenus mancipatum provexit.

3. Defecto Cæsarum sanguine, cujus reverentia Romani imbuti plus jam natalibus quam meritis deferre didicerant, Galbam nobilitas & provincialis favor extulit. Hujus cæde viam sibi ad imperium omnibus servilis ambitionis exemplis instructus Otho quæsivit. Nec melius per rebellionem inertissimus mortalium Vitellius eo contendit. Gentis Flaviæ necessaria quidem reipublicæ, sed sumpta potius quam delata dominatio fuit. Vespasianus enim nomine & viribus haud dubie tum præcipuus, cum ad occupandam reipublicæ proditæ projectæque dignitatem conversus esset, non ipse tantum voti habuit successum, sed & filios Titum, qui post eum bene imperavit, & Domitianum, qui Principatui admotus Neronibus & Caligulis & Tiberiis, quorum regenerabat publice mores, potius quam paternæ fraternæque indoli conferri meruit, Cæsares statim designari vidit.

4. Hactenus Roma domesticis vel virtutibus vel vitiis gubernacula rerum nolens volens permisit : deinceps ad externorum opem conversa Nervam primo nobilitatis respectu Principem fecit : cujus laudabile per multa imperium, id eximium habuit operum, de quo loquimur, adoptionem electionemque Trajani. Quæ duo conjungimus merito. Eligi enim à Principe non potuit, nisi adoptandus, neque adoptari, nisi electus.

5. In quo utroque exempli hactenus inusitati gloriam agnoscunt prudentes, inter quos Plinius Noster primo *Causas & necessitatem facti* egregii, gravi consideratione ad periculum patriæ & turbas in publicum minaces refert. Vidend. cap. 5. & 6. cum initio 7. Cæde Domitiani ad tumultus occasionem usus miles, non tam in cædis auctores quam

quam in principis qui successerat auctoritatem, ferrum & ferociam exertavit. Atque id primum sub Principibus specimen fuit militaris contumaciæ, pessimo more adversus Imperatorem obstinatæ nullisque nec precibus nec rationibus flexæ: quin sibi sumerent, quod nisi penes unum sit, fundamenta reipublicæ haud dubie tentat, plerumque & evertit. Certe vulgato tam horribili arcano, posse aliquid supra & in Principem milites, tribuenda est secutorum temporum deformitas ac sævities, cum militaris strepitus pretium; respublica & imperium; materies, ejusdem turbatio; ludus, ipsorum interfectio Principum esset. Incendebant furentes Calpurnius Crassus, qui indignum celebritate tanti nominis ac familiæ facinus ausus, insidias in caput mitissimi senis comparaverat, quemque alii amore libertatis tyrannidi putarunt intentandum, in clementiam plusquam væcordi ambitione acuerat mucronem: tum Casperius Ælianus, Prætorio Præfectus. qui, postulatis ad supplicium viris egregiis Domitiani interfectoribus, neglectaque Principis vehementer renitentis auctoritate jugulatis, *scelere tam truci insolentior*, *Nervam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos pessimosq; omnium mortalium peremissent.* quæ Aurelii Victoris est commemoratio.

6. Dici non potest quam sit multiplex & varia rebellionis pernicies, sed ab uno proficisci fonte solita. Majestate enim Principis læsa, honesta omnia, jusque & fas, tum pax civium in qua omnia continentur, promiscuis ruinis profligantur. A quo periculo non longius tum resp. quam ab adoptione Trajani aberat. quæ noxiam diu tyrannidem, & cumulata novis vulneribus vulnera imperii, fatali auxilio lenivit, quod recte Victor judicavit; qui de eo: *Post tam multos*, inquit, *atque atroces tyrannos perdito atq; prostrato statu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportune datus.* Noster memorabili inventione; *imploratus*, ait, *adoptione & accitus es, ut olim duces magni à peregrinis externisq; bellis ad opem patriæ ferendam*

rendam revocari solebant. cap. 6, 4. Atque hæc negotii vere publici publica origo : fundamentum, inquam, Trajanianæ Electionis, *Concussa salus reip. est.*

7. *Adoptio* enim Electione nixa potius *Eligentem* respicit; ad cujus majestatem tutandam haud dubie pertinebat. Fuit sane ab initio constituti Principatus adoptio inter artes & subsidia dominationis : quod vel solo Augusti exemplo pateat, qui multiplicato subinde adoptivorum numero nihil aliud spectavit, quam *ut pluribus munimentis insisteret.* Tac.1. A.3, 7. Cum enim sibi suæque familiæ propriam hanc & perpetuam dignationem plerique cuperent, satis liquebat, *non legiones non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum*, quos vel natura dedisset vel quæsivisset succenturiata naturæ adoptio. quod prudenter patrem monuisse Titus scribitur, Tac.4. H.52, 2. Despicitur enim aliquando orbitas, & quod certum ultorem nescit scelus, de incerto non cogitat. Agnovit hanc insidiarum capiti suo structarum causam Alexander apud Curt. in Philotæ accusatione. 6, 9. *orbitas mea*, inquit, *quod sine liberis sum, spernitur.* Igitur ad securitatem quidem dominantium & dominationis, aliquando præsidium ab adoptione petitur, ut & spes pravæ, novaque consilia & tumultus civiles coërceantur : (quo Piso respexit, apud Tac.1. hist.29, 6. *provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset*) sed & salus imperantis ab imminente periculo nonnunquam ita redimitur. Hoc erat illud Galbæ consilium, de quo dicere cœpimus : *audita*, inquit, *adoptione desinam videri senex, quod nunc unum mihi objicitur.* Tac.1. H.16, 5. Quod secus tamen evenit.

8. Nemo autem facile quenquam adoptavit felicius, quam Nerva; nemo felicius adoptatus est quam Trajanus. Lenissimi moris Principem illa ipsa animi civilis bonitas simplicitasque primo contemtui, mox odiis, denique insidiis ambitiosorum objecit : satisque è vestigio patuit, nullam, quantacunque sit, virtutem imperio sustentando idoneam

neam esse detracta auctoritate, quam ego *unitum & verissimum Principis scutum* dixerim. Igitur *ruebat imperium super imperatorem* (paneg. 6, 4.) scilicet immensam per se molem onus præ ceteris intolerabile, intestina defectio & dissidium aggravabat: sustinentisque nervos placidior, quam pro re tam crepera, industria, aut certe cujusdam talis imbelliæ publica opinio, quæ pro crimine est, infirmaverat. Nihilo tamen minus nitebatur contra, audebat, jugulum præbebat: diceres nullum ab eo prætermissum constantis viri officium. Sed experimentis compertum est, semper quidem in re virtutem consistere; effectum virtutis plerumque opinioni ejusdem & famæ deberi. Impar sane adversum singulos, sine fide sui potentia erat: cujus fides in omnes haud dubie valida perviguisset. Hanc porro senectus imminuebat. quæ prima in principe egregio spernitur, nisi subnascentis juventa sobolis canos & canorum debilitatem inumbrante potentia occulat. Debetur tamen fatis tam tristibus hæc gratia, quod irritatam Nervæ generositatem, nobilissimus dolor ad fortia non minus consilia, quam prospera remedia accendit: contemtum suis contemtoribus per eum qui contemni non posset; terrorem cupiebat terrentibus regerere per eum qui terreri dedignaretur: ultionis denique metus, quos violata tanti majestas fastigii ultro offerre debebat, in robore successoris plurimos maximos destinaverat ostentare.

9. Atque ut rectissime destinata provenirent, *eligendus* erat vir (nam de hoc sequitur ut agamus) cujus etsi magna omnia fuissent, dubites non inique de successu, nisi & recentia expeditaque cognoveris. *Auctoritas & fama* requirebatur: sed hæc interdum assiduitate & mora obsolescit. *Gloria belli & forti dextera* opus erat: sed gladii aliquantisper reconditi splendor, & cum splendore acies retunditur ac hebescit. *Potentia & præsentissimo robore* res indigebat, ut robusta successu impotentia frangeretur: Sed accinctum nemo nisi accinctus terruit: neque colligendæ vires avertere collectas, aut pace tecta præ-

ſidia increſcentibus paria turbis fuere. Præcipua hæc ſtabiliendo imperio & imperatori, in uno tantum congeſta videbantur. Solus, inquam, Trajanus tum erat, qui *innutritus bellicis laudibus* (paneg. 16, 1.) cui *Parthica laurus inter rudimenta militiæ pariter & pueritiæ* (14, 1.) quem *Domitianus ut validiſſimum præſidium Romani ſtatus admirabundo pariter & invido timore ſuſpexerat* (14, 5.) *qui unus ex illis veteribus & priſcis Romanis ducibus ab hoſte* (11, 1.) *à milite* (13, 1.) *æſtimari meruit*, quem omni imperatoria laude cumulatiſſime inſtructum, factorumque ſplendore orbi Romano pridem monſtratum ſua merita tum exercitui, *fortiſſimo*, *ampliſſimo*, *ſui Ducis amantiſſimo*, Germaniæ præſeſſurum impoſuerant (9, 2.) Hoc rei Romanæ ſidus, ſummumque inter ſummos virum forte ſeditioſi ſpiritus veluti oblivione quadam extra curam ſuam pariter & metum, ut in abſentibus fieri ſolet, poſuerant. Donec electio Nervæ inveniret optimum, adoptio oſtentaret ſplendidiſſimum, neceſſitudo opponeret potentiſſimum.

10. Nulla electio tam ſeria, nulla adoptio tam neceſſaria, nulla ante hoc tempus tam proſpera neceſſitudo Romanos annales inſignivit. Auguſtus enim, cui prima in principatu hujus rei ſolicitudo tribuitur, cum ſororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes ſuos, poſtremo Tiberium Neronem privignum adoptavit, *in domo ſucceſſorem quæſivit, non in rep.* Tac. 1. H. 15, 3. Diceres talem adoptionem non ab æſtimante, ſed ab amante fieri. quod turpe & publice noxium. *An*, inquit Paneg. 7, 5. *Senatum populumq; Romanum, exercitus, provincias, ſocios transmiſſurus uni, ſucceſſorem è ſinu uxoris accipias? ſummæq; poteſtatis heredem, tantum intra domum tuam quæras? non per totam civitatem, circumferas oculos? & hunc tibi proximum, hunc conjunctiſſimum exiſtimes, quem optimum, quem diis ſimillimum inveneris?* Addenda ejusdem capitis cetera. Sane Nervæ non deerant propinqui. Sed latiori proviſione, nec intra domum arctanda, Reſpubl. indigebat.

11. Me-

11. Memorabilis itaque quod diximus & inusitate nobilis *Ipsa* illa Trajani *Electio* fuit. Territus enim suo reique publicæ periculo Nerva, velut Deum vindicem invocaturus, & conservatorem, Capitolium adiit, factisque suppliciis tribunal conscendit, ut omnibus ipsa conatus tam singularis specie ostenderet, religiosum esse, & verendum, quod pararet. Hinc post debitam magnis operibus salutis vovendæ formulam Trajanum se adoptare professus, idem Senatui testatus est, apud quem mox Cæsarem designavit, quem adoptaverat. Sed & ipsum per litteras de sua voluntate pariter & ultione graviter admonuit, eique curam fulciendæ firmandæque reipublicæ commendavit. Mirificus & interpres & prædicator hujus adoptionis est Plinius noster: qui prolixiore studio & cura tum ex civilibus regulis ostendit, quantum boni in electione præ ceteris quibus ad imperium pervenitur rationibus sit; tum per varias oratorias inventiones, & acutos cum pondere sensus, quibus ad miraculum usque pollet, meram in hoc negotio divinitatem agnoscit: Jovis enim id auspicium consiliumque; Nervæ ministerium fuisse, cujus ἀπαθέωσις hoc veluti omine meruerit significari; accedere loci reverentiam ac cærimoniæ, oblataque pridem ipsi Trajano indubia tantæ rei signa.

12. Præcipue autem animus Oratoris & calamus assurgit, quoties in lætissimam *rerum, quæ adoptionem consecuta sunt*, mentionem incidit. *Salutem publicam* nominat, *& libertatem & securitatem & imperii conservationem, & pacem publicam.* Vid. 5,8. 6,5. 8,1. &c. Sane dici tam magnifice nihil potest, quin rei amplitudo respondeat. Audito enim Trajani nomine, nec senatus in diversum auctoritas ivit, neque novarum molitores rerum ausi sunt ferociam retinere, neque militis improbitati spes in reipubl. turbatione relicta est. Bene sperabant boni, mali velut injecto capistro quiescebant silebantque: nemo abnuere hunc rerum statum vel audebat vel cupiebat. Contigerat scilicet rei Romanæ capax tantæ molis animus, & quem

quem ruinæ imperii posse opponi nemo dubitabat. ab eo imperii incolumitatem quisque expectabat. Præsertim cum non fortem magis, quam civilem esse Trajanum publice constaret. Igitur satis longæ dominationis malis contusi depressique civium spiritus, tanquam ad sospitale sidus alacriore obtutu votoque excitabantur, unaque opera, & quietem à turbis, & libertatem ac inducias à superbia regnatrice animo concipiebant.

13. Complectemur breviter hoc loco, quod observationis politicæ causa diligenter putamus considerandum. Laus Trajanianæ electionis adoptionisque pleraque referenda est ad conditionem statumque illius temporis. Tam salubris, inquam, tam gloriosa illa non fuisset, nisi tam tempestiva accidisset, & opportuna. Dominationis ingenium illud est, ut post actas firmatasque radices, à stricto severoque jure, ad quod paulatim plerumque & occulte tendit, præcipiti cursu deinceps ad injurias & violentiam & utriusque arcem ac complementum sævitiam feratur. His, quanquam ingenti cum dolore jugum tam insolens recipitur, seu potius non recipitur, raro tamen ultra verba, cruda adhuc servitus obluctatur. Qua, ut miseriarum quoque assuetudo est, in tolerandi obstinationem adducta, metu magistro primum submittuntur ingenia humiliter, mox ingemiscunt acriter, donec reputatione vel comparatione justioris regiminis in desperabundam acti audaciam homines, ad excutiendum obsequium, non sui non publici memores periculi, primum animo & iracundia, post opere & rebellio festinent. Succedit ergo molitioni molitio, seditio seditioni. Quarum nulla tam feliciter unquam fuit sanata, quin cicatrices reip. & cicatricum debilitatem, relinqueret.

14. Quæ res ubi in oligarchicas turbas, tum in proximas anarchiæ confusiones profecit, more incendii omnia funditus populatur, nisi cooriatur ἐκ μηχανῆς auxilium. Sic olim cuncta discordiis civilibus fessa non magis, quam ruinæ penitus præparata, Augustus refovit instauravitque.
Post

Post hunc Tiberiana crudelitas rursus denique odia generis humani sopita stimulavit: Caligulæ furor execrationes publicas concivit: Claudiana væcordia fastidium omnibus imperatorii fastigii expressit: Neroniana flagitia, tentatam jam diu patientiam servientium, ad inauditos ante id tempus conatus, indignationes, decreta permoverunt, atrocisque rei exemplo futuris quoque tumultibus semina dederunt. Fax enim & turbo sequentis ævi damnatio Principis. quem ubi publicis cervicibus demoveri posse patuit, nulla in eo fastigio vel affectando probitas, vel obtinendo securitas cuiquam est relicta. Rebellione Principum trium ac cæde imbutus ad deterrima omnia sæculi genius, ne sub Vespasiani quidem Titique Pace emolliri potuit, quin Domitiani moribus ad tentandam mutationem status nonnulli abusi, conceptum animo furorem, in Nervæ civilitatem ac moderationem effunderent. Quid post tot exempla sceleri inaccessum poterat sperari? Quid post resuscitatam nova sævitie veterum acerbitatum memoriam sanum aut constans in populo, in provinciis, in exercitibus? Nam urbana multitudo, præter causas, quas dixi, vernacula vanitate sua: provinciæ, infidæ servitutis partæque gladio ditionis ingenio; milites, licentia temporum & cupidine prædarum ex publico, omnes, inquam, ituri erant, qua ruina imperii viam aperuisset: cum Trajani commodum adoptio audita, vulgarem quidem improbitatem metu & auctoritate; ceterorum suspensos & varia circumspectantes animos, virtutum civilium comitate continuit, erexitque.

15. Hæc temporis opportunitas, cetera laus Trajano debetur. Non parum enim ad constituendam denuo rempublicam momenti attulit mens Trajani, & regiminis forma, civilitate plena, & libertatis studio. *Principatum* intelligo. cujus si simulacra Augusto sceptrum, imperio tranquillitatem stabilivere; quid res ipsa in Trajano effecisse putanda est? cujus infelicior profecto medicina, si durior, fuisset. Opus enim erat, ut corruptum depravatumque

nomen principatus ideoque jam invisum, rectiore Imperii administratione civibus rursum conciliaretur, suæque redderetur moderationi.

16. His exemplis (plura enim congerere huc non lubet) moniti, politicorum illud scitum, *Oligarchiam, ac turbas imperiorum per monarchiam ferme corrigi*, hac possumus animadversione prosequi: *non satis esse, si monarchia ad emendationem temporum & status vocetur, nisi monarchiæ adsit moderatio & quoddam civilitatis temperamentum.* Quod si enim emendari dicendum non est, quod brevi potestate coërcitum in majores mox evalescet motus; monarchicus iste dominationis rigor & immoderatæ potestatis immoderatior usus ad imponendum reipublicæ statum speciosior erit quam efficacior. Quicquid enim immodicis rebus contractum vitii est, necesse ut modicis sanetur. Alias infida erit ac instabilis curatio. Id quod hac occasione in favorem *Principatus*, quem proprie ita dicimus, quique temperatissimæ monarchiæ genus est, non omittendum duximus.

17. Intelligi jam potest, non oratoria μεγαληγορίᾳ, sed ad magnitudinem rei congruenter dictum à Plinio, *Trajani adoptione Romanorum libertatem & salutem & securitatem fundatam*, 8, 1. nec minus recte judicasse Eutropium (quem & alias consilii animadverto sat prudentis) cum de Nerva scripsit: *Reipublicæ divina provisione consuluit Trajanum adoptando.* l. 8. pr. Longeque de hoc verius dici potest, sive electi modestiam spectemus sive electionis eventum, quod de Tiberio simulatore, dissimulator Cæsarearum fraudum Vellejus annotavit: *magis ratione quam honore victus est, cum quicquid non tuendum suscepisset, periturum videret.* l. 2.

18. Igitur provide & illud à Nerva factum, quod *non solum successorem imperii*, sed *participem etiam sociumque* fecit (paneg. 9, 1.) *omniaq; pariter & statim filio* (adoptionis id nomen) *& Cæsari* (quæ successoris est signif.) *& Imperatori* (summæ potestatis in rep. id vocabulum) *& con-*

& conforti tribunitiæ potestatis (qui titulus in partem sanctioris majestatis curarumque adscitum notat) contulit (8, 6.) non olim usurpaturo sed jam repræsentaturo quæ acceperat: ut mature constaret improbitati, quantæ essent vires, quibus se à casu & deformitate resp. cuperet vindicatam. Nemo mihi *rationem monarchiæ* hic objiciat, & *infidam regni societatem*. Sane *arduum est, eodem loci potentiam & concordiam esse*. (Tac. 4. A. 4, 2.) nec societas imperii tranquilla sæpe aut felix. Verum ambitio est, quæ & communicantem in pœnitentiam, aut suspiciones; participantem, in superbiam & æmulationis mala plerumque solicitat. Da mihi civilem, æquum, apertum utriusque animum, da modestiam; neque fides consortio, neque consortibus deerit concordia. Atque hoc est, quod Plinius *moderationi* Trajani, abhorrentique ab omni novo consilio mori tribuit communicatam potestatem, 9, 1. Scilicet nec socium Nerva suspectabat, quem ferre per ingenium poterat, optare per adversa debebat: nec socius invidebat Nervæ, cui similitudine civilis animi & proposito melioris status, per modestiam mire congruebat.

Ἀξιομνημόνευτα quædam,

De

ELECTIONE UNIVERSE SPECTATA.

19. NOn decuerit hæc, quæ de Trajani adoptione philosophati sumus, tam arctis includere limitibus, ut de latiori usu totius rei & fundamentis nihil neque dicamus neque cogitemus. Quinimo sequendum est *Plinii* nostri exemplum, qui hac occasione, *Electionis Universæ* dignitatem illustrare operæ pretium duxit. De

qua nos neque collecturi aliis dicta scriptaque, neque disquisituri singulorum rationes, neque amplificaturi laudes aut exempla (cum hæc partim à more nostro, partim ab instituto hujus laboris abhorreant) sed *observationes quasdam, dirigendæ judicandæq; omni, quæ super hoc negotio fertur, dissertationi accommodatas* prodituri.

20. Primo *prænotamus*: Adoptionem quoad imperantes & imperaturos nullam sine Electione; Electionem sæpe sine adoptione esse. *Ibi* Electio invenit adoptandum; Adoptio firmat electum: *hic* vel propiore via ac directiore, vel ampliore suffragio virtus, sceptrum, quod meret, consequitur. Hinc est, quod permutatas sæpius utriusque formulas, & tributas alteri alterius laudes, tum apud ceteros passim scriptores, tum apud Panegyristam nostrum licet invenire.

21. Quæ *figura* nullum quidem in verbis periculum habet, nisi quod ad rem translata jam meretur inter *σοφίσματα* politica numerari. Illud dico: Cum *Electionis* & nomen & res, publice sit amabilis, atque, ubi de unius imperio sermo est, civilitati amica & libertati, denique quiddam publicum & commune: *adoptio* autem nonnunquam privatas potius rationes, quam Principis labores & munia respiciat: factum adeo est, ut plerique dum adoptant alios, *elegisse malint videri quam adoptasse*, id est, adoptionem rem per se privatam privatæque originis (nisi quatenus in principali domo omnia privata, sive destinatione, sive casu in publicum redundant) malunt publicis Electionis vestire encomiis. Fundamentum fraudis Politicis ita notatur: *cum quæ arcana domus sunt, firmando publico statui per simulacrum imputantur.* Adoptio e. gr. per se & proprie domum (inter cujus arcana sæpe referenda est) firmat, rempublicam non nisi ex eventu: Electio per se cum domo & ejus arcanis nihil habet commune, tota Principis, tota Reipublicæ.

22. Exempli efficacis vicem Galba Imperator ille, si quis, infelicissime prudens, potest subire. Premebatur

avarus

avarus senex, odio militum & contemtu: rebus scilicet, quarum alterutra ad subvertenda magna fastigia satis comperta est valere. Audiebantur motus tumultusque; timebantur eorundem eventus: quos nemo intelligens minores, potius majores animo præcipit. Nihil circumspectanti tutum, nihil adversus ruinam firmum occurrit: cum adoptionem veluti sacram ancoram amplexus, securitati suæ & vitæ illud relictum suffugium credidit. Tu tamen orationem ejus, qua Pisonem adoptasse, Tacito I. H.15. & 16. memoratur, mihi considera. Nihil mangnificentius de Electione dictum scriptumque. *Amore curaq; patriæ, cujus salus non aliter queat teneri, susceptam*, ait: *libertatis haud dubio indicio, imperii autem bono certissimo: cujus administratio, servilem in modum hactenus fortunæ & casui permissa, jam optimos inventura sit ac dignissimos.* Scilicet quod sibi per adoptionem quærebat, Reipublicæ respectu fieri unice, per Electionem liberam, providam, civilem, videri volebat. Certe in tota oratione nihil verius mentem orantis ostendit, quam cum, *audita*, inquit, *adoptione desinam videri senex.* Hoc enim agebat, cetera fato permissurus ac eventibus. Ipse quinimo Nerva, cujus judicium tamen haud dubie & consilio & fortuna ceteris præferendum est, de dando Reipublicæ capite, de constituendo publicis utilitatibus fulcro, de firmandis imperii ruinis tantopere non fuisse laboraturus videtur, nisi suæ infirmitatis metu de publica esset admonitus. Electionis inquam libertatem & commoda, tanta publici cura nunquam fors pensitasset, nisi adoptionis privatim necessitas aurem vellicasset, præclarique subministrasset rationem consilii. Adde quæ supra diximus. §. 7. Tam diligenter sunt in omni civili studio distinguenda, *interiora rerum consilia, & exteriora consiliorum vocabula, & eventus utrorumq;, sæpe ab utrisq; diversus, sæpe respondens alterutris, rarius utrisq;.*

23. Tota hæc res evidenti loco notata Panegyristæ, cum cap. 7, 6. dicit: *Superbum istud & regium, nisi adoptes*

ptes eum, quem constat imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. Duplicem ait adoptionem esse, quarum altera, *veluti privata* sit, domesticoque respectu fiat; altera *publica*, publicæque rei intenta dicataque. *Illam* dominationi & regio mori; *hanc* civili & libero imperio convenire: *Illam* angustiorem, & intra significatum sui vocabuli conclusam; *hanc* ampliorem & Electioni proprie ita dictæ penitus congruentem, cum qua paria faciat. Igitur, cum sic adoptat princeps, nihil aliud quam Reipublicæ vicem ipsum obire, quæ liberrima eligendi potestate ex omnibus sibi quærere dignissimum consueverit. Clariora enim sunt, quæ antecesserant: *Nulla adoptati cum eo qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo: nisi quod uterq; optimus erat, dignusq; alter eligi, alter eligere.* Ecce permutata, non oratoria συνωνυμίας figura, sed politica ἐπίκρισιν, *adoptandi eligendiq;* vocabula. quia scilicet de publica illa adoptione ei sermo. Igitur mox differentia additur: *Itaque adoptatus es, non ut prius alius atq; alius, in gratiam uxoris. adscivit enim te filium non Vitricus, sed Princeps* (observa hic oppositum necessitudinis nomini, vocabulum virtutis & dignitatis) *eodemq; animo, divus Nerva pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium adsumi, si adsumatur à Principe.* Illustratur quod dixi, collatione cap.10, 1. & 2.

24. Quibus præmissis; *Notamus* jam, quæ circa Electionem & electione fultam adoptionem solent spectari. Est *origo Electionis*, est *ejusdem nobilitas*, est *fructus*: ad quæ tanquam capita revocatur omnis ea quæstio. cujus nunquam ferme simplex seorsim consideratio instituitur, semper enim cum *successione* (hæc altera est ad imperium via legitima) *Electio* comparatur, eique à nonnullis præfertur, à multis postponitur. *Origo electionis* respectu eligentium *ex libertate*, respectu eligendorum *ex virtute* æstimatur. utrumque complectitur Galba ap. Tac. 1. H.16, 2. *sub Tiberio & Cajo, & Claudio, unius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finita*

finita Juliorum Claudiorumq; domo, optimum quemq; adoptio inveniet. primum hujus rei fundamentum Aristoteli cum cura explicatum l. 1. polit. cap. 3. & 4. ubi ostendit, *natura judice dignißimo deberi principatum, eamq; pracipuum inter imperantes & parentes discrimen commentam esse, prout nimirum excellentia animi & virtus, vel humilitas ejusdem & stupor, hominem ceteris consulere natum, aut servire, ostendant.* sed & Plinius *eligentium libertatem* signat tum remotione regiæ adoptionis & monarchicæ, c. 7. 6. de qua diximus §. præced. tum celebratione consensus & amplificatione judicii publici. Sic enim ille ad Trajan. 10, 2. *Audiebas senatus populiq; consensum. non unius Nervæ judicium illud, illa Electio fuit: nam qui ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant, ille tantum jure Principis occupavit primusq; fecit, quod omnes facturi erant. Nec hercule tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset antequam fieret.*

25. Etiam *Nobilitatis* haud obscurus est laudator Noster. Cum enim potissima *Electionis Nobilitas ac præstantia* duabus rebus nitatur, *judicii publici & certitudine & amplitudine, (nam generari & nasci à Principibus fortuitum nec ultra æstimatur: adoptandi & eligendi judicium integrum & si velis eligere, consensu monstratur* (Tac. 1. H. 16, 3.) clara de utroque argumento verba sunt cap. 7, 7. *Eum adoptavit Nerva, quem constitit imperaturum fuisse etiamsi non adoptasset. nihil interesse arbitratus, genueris an elegeris, si perinde sine judicio adoptentur liberi, ac nascuntur. nisi tamen quod æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit.* Et paulo ante *de judicii amplitudine* præmiserat magnificam specie ἀξιώματος sententiam: *Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus. Non enim servulis tuis dominum, ut possis esse contentus quasi necessario herede, sed Principem civibus daturus Imperator &c.* Pertinet huc Adriani de adoptione judicium, qui Xiphilino memorante, ad convocatos senatorum principes ita disseruit: ἐμοὶ γόνον

μὲν

μὲν οὐκ ἔδωκεν ἡ φύσις ποιήσασθαι, νόμῳ δὲ ὑμεῖς ἐδώκατε. διαφέρει δὲ τοῦτο ἐκείνου, ὅτι τὸ μὲν γεννώμενον, ὁποῖον ἂν δόξῃ τῷ δαιμονίῳ, γίγνεται. τὸ δὲ δὴ ποιούμενον, ἀυθαίρετόν τις ἀυτὸς ἑαυτῷ προστίθεται. ὥστε παρὰ μὲν τῆς φύσεως ἀνάπηρον καὶ ἄφρονα πολλάκις δίδοσθαί τινι, παρὰ δὲ τῆς κρίσεως καὶ ἀρτιμελῆ καὶ ἀρτίνουν πάντως αἱρεῖσθαι. Non quidem filius mihi genitus per naturam, ſed dediſtis vos per legem. Quæ duo inter ſe plurimum ſane diſtant. Qui enim naſcitur filius, habendus eſt, qualem fortuna dedit. At in adoptione, libero ſibi quiſque delectu quem probat adſciſcit. Igitur videas haud raro fieri, ut natura liberos tribuat neque corpore neque animo competentes aut perfectos: cum judicio adhibito & electione, is poſſit inveniri, cujus nec intelligentia, nec bona corporis habitudo deſideretur.

26. *Fructus Electionis*, *imperantem* reſpicit duplici ratione. *Fiduciam ei* & ſecuritatem quandam morum dabit illa cogitatio: non irrepſi per ambitum, non obtruſus ſum per vim, non alienis meritis & familiæ claritudine à tolerantibus magis quam æſtimantibus ſuſceptus: liberis ſuffragiis votoque communi placui electusque ſum, qui jura ceteris diſpenſarem. Sed & *frenum* imponet *modeſtiæ*: non enim in propriam ſe poſſeſſionem veniſſe, ſed tutorio nomine curandam potius quam regnandam ſuſcepiſſe Rempublicam meminerit. Æqui liberique juris id ſe beneficium, non hereditatis habere. Atque ita extra timiditatem nec extra moderationem erit ac civilitatem. *Imperium ipſum* lenius erit ac temperatius, quia certa ſui ſtatus fundamenta habebit & regulas. Talia enim pleraque regna ſunt, ad quæ electione pervenitur. Legibus, inquam, & directa imperandi formula, ab anomalia illa politica, quæ ceteras comitatur poteſtates, vindicata. Quin & plurimum *venerationis* habet, ſi virtutis præmium, non generis audiat Reſp. *His qui ſub imperio*, eo *facilius* erit obſequium, quo à ſervitute remotius: eo *tutius* quo à dominationis machinamentis munitius.

27. Notavimus breviſſime, quæ Electionis commendatio

tatio fundamenta habeat. Ad quæ operæ pretium erit, ut *Annotemus* nunc, judicandi quædam discernendique adminicula, & usui accommodatas observationes. Ante omnia *cum tota res sit συγκρίσεως καὶ ἀντιθέσεως, comparatione constet atq; contentione, ipse ille mutuus respectus ejusq; rationes distinctius sub meditationem veniant necesse est.* Habet haud dubie multum in se *successio* boni, habet multum mali: neque Electionis diversa est conditio, si seorsim utraque spectetur. Sed civilis viri sapientia, non tam cognitione rerum bonarum malarumque ducitur, quam delectu. αἱρετικωτέρα ἐστὶν ἢ γνωστικωτέρα. Ac *successio* quidem plerosque invenit fautores. Hanc *principi* reverentiam augere, & securitatem addere; hanc *imperio* tranquillitatem; hanc *parentibus* amorem obsequii & fidem conciliare: adeoque & utilitatis certæ, & splendoris adulti fortisque momenta habere jactitant.

28. *Electio* licet illis æstimanda nominibus veniat, quæ diximus, potissima & indubia præstantiæ argumenta: incusatur tamen ex altera parte: *tanquam ambitus occasio Optimatibus, quorum prava spes hoc pacto solicitentur; tanquam incitamentum indulgentiæ & metus, male remp. administraturi: tanquam rapinarum ex publico caussa: tanquam totidem publico malo saginandi, quot electi: tanquam sic interciderent consilia longioris spei, ac imperii diuturnioris instrumenta: Eligendi difficultatem, inter diversa studia, & largitiones, & paria in pluribus merita, quomodo expediri posse? sed nec deturbari difficulter, qui facile potuerit evehi: Tum autem non virtutem, sed plerumq; potentiam ac felicitatem electione attolli. Deniq; nec sine incommodo regnare electos, nec eligi sine periculo posse.* Tetigimus quæ eleganti simul & prudenti dissertatione exposita est videre apud Barclaium, in Argenidis libro primo. Inde enim potius, quam ex ullo commentario politico, petenda duxerim hæc & similia argumenta: in quæ cum incidit disertissimæ sapientiæ scriptor, facile agnoscas, nec copia, nec solertia, nec rerum

 inge-

ingenio, & pertractandi novitate plerorumque opera tam illustri monumento posse comparari.

29. Non deesset quidem, quod adversus singula exercitationis caussa exciperemus. Timendi Optimates, inquit, *ne in regni spem audeant ipsum Regem violare.* Atqui nunquam desunt in magno Optimatum numero Oligarchici spiritus, etiam ubi successione nititur imperium. Ceteroquin eo gratior iis Rex electus quam natus est, quo electio auctoritati optimatum & honori convenientior. Se porro quisque damnat Optimatum, qui electum à se regem damnat; metuatque sua exempla necesse est, qui suffragio firmata scelere refutat. Jam quod ait: *Talis Rex Optimates perniciosa indulgentia ideo sibi devinciet, ut purpuram cognatis suis servent, aut largiri immodice non vetetur, aut denique ne futurum lædat Regem, injurias in decessoris familiam vindicaturum*: ad ea hic notamus, quod deinceps quoque volumus observari. In ejusmodi Regno, quod vocant, Electivo plerumque sunt certa jura, regulæ, cancelli, munimenta adversus negligentiam regis & optimatum licentiam, tum adversus mutuam malorum dissimulationem. Quemadmodum & ceteris, quæ nobis objicientur, parata in salutaribus legum (quibus in tali imperio maxima vis) constitutionibus medela. *Ne comitia ambitu, studia factionibus, regnum turbis, aut rapinis fœdetur,* ipsa talis imperii formula, ipsa, quibus constat, jura cavebunt. ut jam nihil dicam, de *παρισῶν* sic affectæ Reip. semper extra disceptationem seponenda. Sed quid? *Electio novas identidem stirpes obtrudit malo publico saginandas.* Nescio sane an plus suspectes novi & nondum expleti Regis avaritiam, an vero domus innutritæ opibus ac pompæ luxuriam. Experientia nobis dicet, crebrius per adultam familiæ regnatricis magnificentiam, & apparatuum, quos ut cetera, ipsa consuetudo & mora intendit, molem, paupertate publica laboratum; quam per electorum Principum verecundiorem & astrictam majestatem. De *consiliis longioris spei*, duo suggerit prudentissimus Barclaius:

claius: *Sperni enim aut omitti sæpissime solent ab Rege, qui non patrio sed comitiorum jure obtinet sceptrum.* Porro, *Fac me velle*, inquit, *at successores forte invidia sua inutile meum munus efficient.* De *Primo* forte illud moneri posset: sunt ea consilia, vel *arcana domus*, quibus nihil commune cum electione & electis: vel *firmamenta status & boni publici*, quæ vel propterea plerisque, qui prudentia valent, conciliabuntur, quod & optimus quisque, & ambitiosissimus, eam appetet gloriam, ut exemplo Augusti *status melioris auctor* dicatur. *Alterum* nihilo minus in successionem quadrat. Sæpe filius aut nepos evertit, quæ præclare à parentibus aut majoribus sunt constituta; sæpe abrumpit, quæ laudabiliter inchoata. *Difficultatem comitiorum & factiones ac diversa Electionis studia* tum demum timenda sunt, si promiscuus ille populus & in ordinem legum comitialium parum redactus, eligendi potestatem habeat. Tunc enim verum est, quod ait Cicero (pro Muræn.17.) *Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum; quantas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum?* de qua & mox dicit, *nihil fallacius esse.* Est autem ratio eligendi & sanctior & ordinatior. Qualem Veneti, quorum exemplo lubens utor, servant in Principe constituendo. Certi Electores constituuntur, quorum & spectata fides, & obstricta juramento industria. adhibentur cetera, quæ majestatem negotio, integritatem tractatoribus, efficaciter concilient. Quo eodem respectu vere neque contra nos tamen dixisse existimandus est Vir eximius: *quod populus Regem facere jure assuetus, sæpe quoque eum audeat amovere injuria.* Quod si metuemus denique: *non dignissimum fore, quem principem comitia dicent, sed aut potentissimum aut felicissimum:* fors illud sufflaminabit metum, si cogitemus: potentiam & felicitatem, cum mediocribus animi dotibus conjunctam, haud dubie ingens ad imperium habere momentum; de cetero non consensuros facile in eo viros præclaros Electores

Vvvv 2 (nam

(nam à fluctuante vulgo procul hoc negotium removemus) ut destitutum bona arte hominem solo illo exteriori respectu sceptro admoveant.

30. Proposita sunt, ductu Barclaii, quæ Electio habet incommoda: nequaquam infitianda illa quidem nobis; sed cautionibus quibusdam opus erat, quæ simplicioribus ostenderent, quatenus & quo sensu dicantur, quæ apud prudentes nunquam simpliciter intelliguntur. Certe observatu dignum est, quibus ipse ille vir gravissimus suam dissertationem limitibus incluserit. Ut enim quod ultimum posuit, primo notemus loco, Agnoscit plurima in electione bona, ceterisque imperiis haud dubie præferenda: *sed hæc bona*, inquit, *sperari non possunt. Reclamant vitia hominum & toties experimenta in contrarium versa.* Multa (hæc mens est verborum) præclare possunt excogitari, multa ordinate disponi & reipublicæ usibus commendari, ab iis præsertim qui res & vident acutius & disserunt ornatius; sed in civilibus caussis multa facilius optantur quam sperantur. Ratio ab inconstantia humani ingenii & indole actionum prona deterioribus petitur. Sic Plato multa præclare vidit, quæ Aristoteles fieri feliciter posse negavit. Qui propterea non adversas sed diversas facit has commentandi rationes. memorabilis est locus 3. polit. 5. *Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾷν, μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν.* paraphrasis Heinsiana sic exprimit: *oportet eum, qui in singulis philosophari velit disciplinis, neque tantum, quæ in usu atque in actione locum habent, sed & quod philosophorum est, caussas singulorum contemplari atque rationes, nihil præterire: verum contra, omni modo dare operam, ut veritatem eruat, eamq́; aliis exponat.* Alibi (lib. 4. polit. 1.) distinguit *πολιτείαν τὴν ἁπλῶς κρατίστην, καὶ τὴν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην.* quod ex eodem fundamento nascitur: accidere nimirum aliqua in vita civili & actu aliter, quam sapientia civilis conceperat destinaveratque: remque per se

bonam

bonam, si ad civitatis instituta & populorum accommodetur, fieri non bonam: neutram tamen debere rationem ignorari.

31. Esse autem Electionem aliquam, οὐ λόγῳ χάριν ἀλλ' ἀληθῶς ἐπαινεῖν, quam non dissertatio philosophantis, sed usus imperantis commendat, non est quod dubitemus. Venetorum antea exemplum posui, nec ignorat quisquam exempli felicitatem. Non fugit me, plurima in principatu Veneto, regnis sine successu accommodari. Tu tamen consideres velim apud scriptores illius Reipubl. an non talis religio electionis, talis tranquillitas, talis scopus alibi posset in regno institui. Non aberrabit electio, electoribus commissa optimis, quæsitissimis: non turbabunt comitia ordinatissime concordia: non Imperator imperium tam probe munitum; non imperium audebit Imperatorem lacessere tam innocenter venerabilem. Si ambitus optimatum eousque nobis objiciatur, tollenda erit universa Aristocratia: cujus tamen status, potius suæ durationi per leges adversus ambitum & alia præsidia prospicit, ne paucorum opes adversus securitatem publicam increscant. Porro cum satis constet illa imperia esse salubriora, quæ unius potestatem, Aristocratice temperant, & mansuefaciunt, quam absolutæ infinitæque dominationi permissa: igitur in Electione plurimum talis mixturæ instar est, quippe quæ ita ad principatum proprie dictum accedit, sicut successio dominationi proxima est. Illud quoque diligenter attendendum, *an non pleraq; quæ electioni tribuuntur incommoda, non electionis sed regni, sed populi, sed παρεκβάσεων & vitiorum in imperio latentium, sed modi denique, quo electio perficitur, incommoda sint.* Tale quid prudentissime nobis Plinius ipse in Electione Trajani suggerit: *Temere fecerat Nerva, si adoptasset alium, obliti ne sumus, ut nuper post adoptionem non desierit seditio sed cœperit? Irritamentum istud irarum & fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te.* 8, 5. Igitur Electio, si in persona errasset, haud dubie noxia fuisset, quæ salutaris

facta est & fieri solet, cum observantur cetera rei momenta. in qua si difficultatis aliquid est, potius ad præstantiam quam ad vituperium illa valere debet.

32. Quod non diffitetur Vir summus, ad cujus auctoritatem nobis redeundum est. Qui etiam illud caute addit: loqui se de *nobilibus & inquietis gentibus, quæ hereditario continentur imperio.* his difficulter Electionem conciliatum iri. & postea: *in vividis*, inquit, *gentibus, subtiliq; exserto ambitu ferventibus, num quieta fore speres comitia?* Revocanda hic est in memoriam nota politicorum observatio, cum de imperiorum formis & rationibus disputant: *nihil omnibus gentibus, nationibus, locis, temporibus ex æquo congruere, sed hæc quidem in se spectata, bona; alibi autem & aliis incommoda: alia ingenio hominum, alia temporibus apta.* & quæ similis sunt circumspectionis. Itaque ex his pronuntiandum, neque simpliciter aliquid probandum aut improbandum. Ut nec illos sine exceptione audiam, *qui successionem ad servitutem & dominationem referunt. posse infanti, puero, fatuo summam rerum obvenire: quo tempore rempublicam affligi damnis difficulter reparabilibus. Quod indignum esse. neque enim regum gratia urbes conditas & gentes, sed ipsos populorum caussa reges constitutos. Virtutis itaque & meritorum præmia manerent, quæ præter virtutem nulli rei deberentur.*

33. Nostros quoque Imperatores, & præcipue Carolum IV. Sanctionum Aurearum Auctorem tangit dissertatio Barclaiana; quasi *majestatis suæ vires*, curis ambitus haud raro fregerint, perniciosaque indulgentia publicis vectigalibus suæ familiæ fastigium emerint. Quam nos litem nostram non facimus. Illud non dubitaverim affirmare, *Electionem* (cujus fundamenta & regulas præsertim Aurea Caroli Bulla firmavit) *tum ad majestatem hujus imperii Germanici tum ad salutem, illustre præ ceteris monumentum esse.* In qua illa eximia: quod *saluberrima paucitate à strepitu comitialis multitudinis ad augustissimum Electorum collegium, cui tamen consiliarios adhibere prudenti moderatione*

ne permissum, res est translata: quod *ad virtutis merita non ad nomina natura est astricta:* quod *sanctissimis non juramenti tantum sed totius tractationis est inclusa vinculis; quæ non ambitum, non turbas, si observentur, formident:* quod *ipsum Imperatorem Capitulationi, quam vocant, sive legibus ad imperii libertatem spectantibus & securitatem, religiosissima pactione alligat.* Quarum rerum qui congestas summatim rationes & historiam, tum ostensos plenissimarum commentationum fontes quærit, duce utatur *Quirino Cubachio* in Jurisprudentiæ Germano-publicæ lib. 2. qui methodicam A. B. explicationem habet. Videnda præcipue capita, 4. deinde à 13. usque ad 17. Nos obiter hic adspergimus; *Turbas imperii & varia, quæ inquietum Germaniæ statum habuere, incommoda, non, quod faciunt nonnulli, Electioni tribuenda, sed altioribus quibusdam caussis, quas tempus & animorum varietas tum Electioni, tum imperio omni solent affricare, nata videri.*

34. Accuratissimus Civilis Doctrinæ scriptor *J. Lipsius*, cum lib. 2. Pol. 4. de legitimis capiendi Principatus modis, id est, de Electione & successione ageret; videtur, *neque sibi neque aliis voluisse liquere*, utram utri præferret. Successionem *receptiorem* nominat, & *aliquo affectu meliorem.* Sed post allatas pro Electione rationes, in medio relinquit, *utra harum rectior.* Cujus occasione cautionis observari velim: *Haud dubie, quæ pro Electione dicuntur & dici possunt, habere plus rationis, & philosophi splendoris & æquabilitatis, quæ est omnis boni imperii mater: Successionis autem nihil præter diuturnam consuetudinem & otii tranquillitatisque blandimenta laudari posse.* Fit tamen, ut etiam ii nonnunquam, qui Electioni & ejus fundamentis non possunt non favere, ingenio consuetudinis, cui usitatissima quæque gratissima, & abrepti multitudine ita sentientium successionem tueantur. Sed & sola cogitatio tranquillitatis, quam certius polliceri successio (licet profecto fallaciter nonnunquam) videtur, plerosque

plausi-

plausibili otiosæque philosophiæ propiores facit. à qua dimotos equidem non cupimus; dum modo constet, multa in civili disputatione non argumentis sed jucunditate, neque rationibus sed usus facilitate, ceteris antehaberi.

XXIII.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. IV.

De Auctoritate sive Majestate Imperantium; quid ea, quomodo paretur retineaturque; tum quid efficiat ac prosit.

HOc caput dabimus rei, quæ Trajanum ejusque imperium tum splendore eximio illustravit: tum efficacia singulari roboravit. *Auctoritas* ea est, & meritorum nominisque majestas: hac ille foris domique divinior fuit, quam eorum quisquam, qui arroganti consecratione suas spes & suorum captum supergressi, ludibrium, & ad posteros infamiam reportarunt.

2. Antequam autem rei ipsius expositionem aggrediamur; primo omnium clariora fieri oportet, quæ vocabulorum ambiguo significatu moram aut tenebras tractanti faciunt. Igitur *Auctoritas*, hic non est; *qualecunque momentum & pondus ad effectionem rei aut fidem, persona annitente, proficiens*: neque tantum *exterior corporis habuns-*

bitusq; ac gestuum dignitas sive gravitas ita nobis notatur. Illo sensu, præclare Vellejus 2,127. scripsit : *interest reip., quod usu necessarium, etiam dignitate eminere, utilitatemq; auctoritate muniri* : id est, viros reip. utiles, gerendisque rebus aptos ascititio etiam dignitatis honorumque momento ad efficaciam suarum actionum provehendos esse. Posteriore autem intellectu capio illud Taciti 15. A. 26, 3. *Auctoritatem* viro militari (Corbuloni) pro facundia fuisse. Victor in Mithridate disertè immissum percussorem, *auctoritate vultus* regii territum memorat.

3. Eandem ὁμωνυμίαν patitur vox *Majestatis* : quæ cum ex se illam ipsam Auctoritatem notet, de qua sumus acturi, (nisi quod Lipsius ad *privatum*, discriminis caussa vocem *Auctoritatis* restringit, ut clariori titulo *imperantibus Majestas* possit tribui) tamen & oris dignitatem, & agentium illas δυνάμεις πολιτικὰς (ut Aristotelicam vocem huc accommodem) καταχρήσει loquentium ac consuetudine, interdum significat. Sed & frequentissimè à recentioribus *Majestas* pro *jure ac vi Imperii*, ut veteres loquebantur, usurpatur. Hinc Arnisæi opus, *de jure Majestatis*, & apud Politicos passim, *jura Majestatis.* quæ Livius, *jura summi imperii* dixit. Verum hæc & talia in præsens nihil ad nos.

4. *Auctoritas* enim sive *Majestas*, de qua disquirimus, est *Reverentia, virtutis, meritorum, factorumve existimatione parta, aut religione quadam conciliata, ostensam rerum dignitatem cum efficacia velut interpretans.* Lipsius 2. polit. 10. definit, quod sit : *Reverenda quadam amplitudo, ob meritum virtutis aut rerum affinium :* rotunda verborum perfectione, quatenus in re tali licet, ejus naturam complexus.

5. Diximus *Reverentiam.* Et firmat nostram mentem, tum Græca synonyma vox σεμνότης (quid enim σεμνότης est aliud, quam gravitas venerationis ac cultus excitatrix?) tum quia vix alia vox generis loco commodius poni potest. An enim *magnitudo?* at ea efficit potius auctorita-

ctoritatem. an *existimationem*, *famam*, *gloriam* nominasse oportuit? at hæc partim non exhauriunt naturam auctoritatis, partim in efficientibus aut adjuvantibus rectius numerantur. An *admiratio* verius est? Non videtur diffitendum, si admiratio pro reverentia, quod scriptoribus non insolens, accipiatur: de cetero anteambulam aut comitem auctoritatis melius dixeris. *Reverentia* autem planissime exprimit illud, quod majestatem auctoritatemque dicimus: reverentiam merita antecedunt, meritorum gloriæ provocant: hanc comitatur amor, judicium, venerabundus stupor: hanc sequuntur promtitudo, studium, aliquando timor, & ejusmodi plura. Tale quid in Trajano dum passim laudat Plinius & explicat: plane ad nostram finitionem, aliquando *venerationem* pro auctoritate ponit (ut cap. 13. 1.) aliquando *admirationem* (ibid.) aliquando ipsam *reverentiam* (clarissimus est locus 19, 2.)

6. *Caussarum generantium* censu, *ex parte habentis* majestatem, includimus; *virtutem*, *merita*, *facta*. *Virtus* enim *bonum* vere *venerabile*, juxta Aristotelem; virtus *clara aeternaque*, judicio Sallustii; etiam post mortem, idque *non sine ratione*, *sacra est magnarum virtutum memoria*, verbis Senecæ. Fœcunda autem res est virtus, editque præclara & multa in patriam, in bonum publicum, in humanum orbem pignora, id est, *merita & facta*: quorum tam efficax est in animis hominum veneratio, ut nonnullos, *Heroas*, quosdam *Deos*, quosdam *Principes ac Reges* fecerint. Hinc *Perseus Zenonis auditor*, *eos dicit habitos Deos*, *à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa*. Cic. 1. de nat. Deor. 15. ne jam exempla & expositiones genticæ ἀποθεώσεως huc afferam. Aristoteles vero Noster quam diserte agit, cum 3 polit. c. 10. scribit: Διὰ γὰρ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν, ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων. καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι, id est, expositione Paraphrastæ: *Cum enim olim magni quidam viri atque eximii*, *beneficiis quibusdam sive in bello sive in*

pace

pace (exempli caussa, ibi quidem clara aliqua victoria, hic autem rei alicujus necessariæ inventione, & arte) obstrinxissent sibi populum, aut palantem vagantemq; sine legibus ac civitate primi convocassent, terramve quam incolerent dedissent; primi à volentibus pronunciati sunt reges. Qui *successionem regni hujus voluntarii, ad liberos exinde transmiserunt ac nepotes.* Huic loco geminus, extat l. 5. c. 10. Unde quanta sit meritorum facinorumque ad parandam majestatem vis, existimo intelligi.

7. *Respectu rei*, quæ majestatem conciliat, est *dignitas, magnitudo & pretium*, quod ei rei tribuitur; tum *religio quædam*, ita enim nobis loqui placet. E.G. quid virtuti auctoritatem dat? illa ipsa virtutis nobilitas & excellentia, quæ clarissima luce mortalium animis inculcata, tot testes quot spectatores auditoresque invenit. Facta quoque & merita, eorundem usus & ipsum gloriosissimum bene faciendi merendique opus cultui hominum commendat. Sed & multæ res sunt, quæ consensu quodam tacito sanctæ, religiosæque æstimantur. Est quædam religio in imperio propter sanctitatem: est quædam admiratio in senio, propter experientiam: est quædam veneratio in sanguine, propter necessitudinem. Aliqua traditione & consuetudine religionem obtinuere; pleraque vi occulta: ut conscientia, ut testimonia majorum &c. Igitur ex *magnitudine* sive innata, sive adventitia omnis majestas. Quam in rem eximius est locus Plinii 42, 1. ubi maxime omnium illos caruisse *magnitudine*, ait; qui *majestatem* sibi vindicabant.

8. *Ex parte eorum*, apud quos Auctoritas obtinetur, caussa vocari meretur, *existimatio & judicium* de re præclara ac venerabili *honorificum*: (sicut & despicientia, *apud Aristot. 2. Rhet. 2.* ἐνέργεια τῆς δόξης actus opinionis dicitur) quod ostensam suomet fulgore dignitatem inculcat, non sine interpretatione magnifica: qua fit ut propensio, studium, obsequium, cum aliis sequantur, de quibus infra agetur. Absque hac *interpretatione* nulla est, quæ videtur ma-

maxima Auctoritas: quæ non in operibus hominum aut cultu externo, non in statuis, templis, trophæis, sed in animis hominum, in judicio posterorum, in consensu temporum quærenda est. Hinc *majestatis vera inscia ambitio*, à Panegyrista Nostro objurgatur 63, 4. & affectus civium judiciumque multa figurarum luce Principi tanquam certissimæ majestatis pignus commendatur exponiturque.

9. Dum in explicatione caussarum harumce versamur, succurrit locus Ciceronis, quem in Topic. 19. positum, egregiaque philosophia nixum, operæ pretium fuerit, huc transferre. *Auctoritatem*, inquit, *aut natura aut tempus adfert. Natura auctoritas, in virtute inest maxime. In tempore autem multa sunt, quæ afferant auctoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum.* Scilicet vel hoc scriptore monente discimus, *caussas* auctoritatis, ut vocant, *efficientes* non unius omnes generis esse; sed alias quidem *principes ac primarias*, alias vero *minus principes & ministras adjutricesq;*. De illis jam diximus: de istis consequens est ut dicamus. Referimus autem in hanc classem omnia ea, quæ non à se, sed aliunde venerationem habent, aut Principis magnitudini ornandæ potius quam illustrandæ; neque indubie ac semper, sed pro usu aut tempore conducunt.

10. Si *ingenium* primo spectamus, res utique maximi æstimanda merito habetur: sed quem latent Gracchi illi apud Vellejum, 2, 7. *viri optimis ingeniis male usi?* Alexander, quem orbis domitorem laudant, majore ingenio fuerit an nocentiore, cogitandum cuivis relinquo. Quærat hic forte quispiam, *quale ego ingenium ad auctoritatem principi convenientissimum* putem? Est enim inter ingenia, quæ admiramur, multa omnino diversitas: in quam scriptio nostra non effunditur: Huic obiter responderim, non tam subtilitatem quam gravitatem, nec tam scientiæ scholisque aptam indolem, quam actionibus & vitæ, hic spectari, vel eorum exemplis constare, qui magni

magni ingenii sui nullam nec gratiam nec gloriam tulerint. Nulla Neroni auctoritas ex solertia in fides, cantus, histrioniam valida: Claudium quoque felix in litteras liberales ingenium non vindicavit ab insigni stultitiæ, stuporis, ineptiarum in ceteris rebus omnibus probro. Possem ex illo & antiquiori ævo, usque ad hoc nostrum exempla invenire: eaque recentibus continuare si res vel instituti vel modestiæ nostræ esset: vide & Barclai. Icon. anim. c. 10.

11. *Opibus, divitias & potentiam* complectimur. utraque enim res majestati aliquando juvandæ: utraque Pompejum orbi pæne universo mirandum fecit: utraque Lucullum extulit magnifice: utraque utrumque privatum, principis auctoritate honoravit. sed quam bene uterque usus sit sua magnitudine, sapientium pridem judicio est ostensum. Cautionis loco Sallustianum illud suggero, Catil. 12. *postquam divitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus cœpit*; id est, veræ majestatis fons & origo. Hic non intempestive forsan inseri possit distinctio ista sive observatio: *Alia sunt*, quæ apud vulgus auctoritatem intendunt: alia, *quæ prudentium venerationem merentur*. In *illo* censu sunt opes, potentia, forma, ætas, res fortuitæ; de quibus deinceps: in *isto* majora virtutis meritorumque momenta.

12. *Ætas* venerationem habet præcipue *senecta*; tum annorum, tum canorum respectu. *Habet in ætatibus auctoritatem senectus*, inquit Cic. in orat. 50. Et Panegyrista noster, de ipsis canis cap. 4, 7. *festinatis senectutis insignibus*, ornata cæsaries Trajani, *ad augendam majestatem*. Bene tamen observanda Cic. cautela cap. 18. de Senect. *non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos*. Nisi enim hoc virtutis subsit fundamentum; contemptus haud raro existit caussa: imo nisi adsit. Nam in L. Vitellio apud Tac. 6. Annal. 32, 7. discis: *bona juventa senectute*

flagitiosa oblitterari. *Invalidus senex* Galba & cui *senectus sola objiceretur*, apud eundem scriptorem memoratur, H.6, 1. & 16, 5.

13. Præter senectutem etiam *virilis ætatis robur* suspicitur. caussam ex Onosandro pete: καὶ γὰρ τὸ δυνατὸν ἐν τῷ μηδέπω γεγηρακότι, καὶ τὸ φρόνιμον ἐν τῷ μὴ πάνυ νεάζοντι. quod Rigaltius vertit: *quia & robur inest seni juniori, & prudentia juveni seniori.* Hanc ætatem Noster c.4, 7. *indeflexam maturitatem ætatis* dixit, augendæque majestati adhibuit. Quia ipsa interdum juventus majestati apta, cum scilicet præclaro successu annos suos virtute vincit. Castigatissimi judicii scriptor, cum Alexandri auctoritatem ex origine & caussis producit, inter alia: *ætas quoque*, inquit, *vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens, omnia etiam ejus opera honestabat.* Curt.3, 6. f. Scipio etiam adolescentiæ per magna specimina actæ venerationem tantam pretium tulit: *ut illis freta civitas ætati haudquaquam matura, maximam molem rerum, maximiq; belli imperium permitteret.* Liv.26, 19.

14. De *Forma* nunc & *vultu habituq;* aliquid dicendum est. Panegyrista externa ista auctoritatis præsidia conjunxit Cap.4, 7. *Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, jam dignitas oris, nonne longe lateq; Principem ostentant?* Ad quem locum operæ pretium est videre, quæ in Frischmanniana editione annotata sunt Auctorum loca. Dioni in Trajano, egregia voce τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου, dicitur. cujus explicationem ad miraculum disertam ab Erasmo pete, qui in *Panegyr. ad Philip.* describit: *plusquam heroicam totius corporis speciem, procul etiam Principem ostentantem, eximiam sed decentissimam proceritatem; insignem capitis honorem, vividum quasique aquilinum oculorum vigorem: regiam oris dignitatem ac totam faciem sic ex amabili quadam venustate pariter ac majestate temperatam, ut neque gratia minuat reverentiam, neque dignitas officia gratiæ.* qualem (inquit) *arbitror fuisse illum, in quo uno quasi geminos vultus Martis*

atque

atque Apollinis apparuisse, scripsit Calphurnius, idq; in rustico quodam carmine, sed quo nihil posit dici minus rusticum. Elucet enim omnino in te talis quidam oris habitus, qualem & hostes formidare, & vereri improbi possint, boni vero non posint non amare. Istiusmodi figuram Achilli affinxit Homerus, Æneæ Virgilius; talem Africano duci tribuunt historiæ: quam sic augustam esse voluerunt, ut nihil amabilius: sic rursus amabilem, ut nihil augustius.

15. Nemo, opinor, vitio vertet, prolixiorem locum huc exscriptum. nam tractatio ipsa merito à nobis: ejus illustratio ab antiquis aut doctioribus, cupidius expectatur. Sed & imitationi eloquentiæ, quam spectamus, locus tam nobilis inservire potest: in quo plenissime expositum,quod Tacitus copiosa brevitate in Germanico dixit: *visuq; & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat.* 2. A. 72, 3. Quæ ego verba aliquando tali declarabam paraphrasi: *digna viro Principe species, cultusq; & habitus multa condecentia honestatus, omnia in eo visenda fecerant. nec dispar in loquente, præcipiente, conversante elucescebat majestas. Deniq; ut alii affectatione gravitatis, in morum arrogantiam elati pro auctoritate reportant invidiam, fastigio principali per se satis imminentem (credunt enim homines facile, incivilius secum agi, quod cum summa fortuna nihil sibi commune; igitur non æquis valde oculis illam supra sortem, ut interpretantur, hominum posita aspiciunt, præsertim ubi nimis ostentantur) ita ipse vera auctoritatis, natura & arte exemplar, tum in suæ venerationem personæ, tum fortunæ suæ fastigiiq; admirationem non invitos omnes pertraxerat.* Sed hic quidem quod obtinuit, meruit: alios leviora honestant. Certe vulgus sic oculis pro judicio utitur, ut prudentes judicio pro oculis. Ecce, *Magnus fama cultuq;* fit apud Romanos *Maximinus*, cui præter corporis magnitudinem nihil boni: qua ipsa quoque, licet stupendo exemplo, non tamen ita sui ævi mortales vicit, sicut ferino animo omne humanum genus.

16. Sed

16. Sed non in solidis & durabilibus hæc talia collocanda: quemadmodum nec cetera illa *concursio rerum fortuitarum.* Quosdam *prænunciata, solis lunave defectio*; quosdam *ejus interpretatio*, animoso in suarum rerum comparatione mendacio nixa: alios *tolerata indigne calamitas*, *ominosa rei nihil minus quam ominosæ explicatio*; *rumore melioris eventus fucata temeritas*: non neminem *cerva*, alium *corvus*, *aquila*, & quid non? venerabilem fecit. Scilicet illa gloria non est κτῆμα ἐς ἀεὶ, ἀλλ' ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν (καὶ θεᾶσθαι) *non mansura constansq; possessio, sed ad brevem aurium oculorumq; oblectationem comparatum ludicrum.* ut Thucydidis, qua scribentium scriptorumque diversitatem expressit, sententiam ex principio lib. 1. nostro instituto accommodem. præsertim id evenit, ubi affectatio accedit, quæ & prodit pergulam totius sæpe histrioniæ. Apud Xiphil. Vitellium σεμνοπροσωπῦντα rident, qui fœditatem ejus domesticam non ignorabant.

17. Majoris momenti *Felicitas* est illa divinum munus, & qui felices, Deo grati acceptique ac propterea suspiciendi videntur. Curtius de Alexandro, 3, 6. *Jam primum nihil nisi divina ope aggredi videbatur. Nam cum esset præsto ubique fortuna, temeritas in gloriam cesserat.* Itaque *Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis Imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos*, Cicero testatur pro Manil. leg. 16. Causam duplicem possumus afferre: vulgus enim in felicitate nihil præter splendorem atque τὸ παράδοξον eventus solet mirari: apud eos qui plus judicant, plerumque *rerum prosperitas cum innocentiæ sapientiæq; laude conjuncta est. si quidem, ut scripsit Libanius, qui pietate atque honesto sua consilia metiuntur, iis demum solent res ex sententia evenire.* Sunt hæc verba Erasmi in admirabili illo ad Philippum Maximil. Cæs. fil. *Panegyrico.* Hinc est, quod nemo facile Laudatorum, fortunam absque fortunæ caussis extollit: sed his illam amplificant, & interdum (quod ab

ab ethnicis aut ethnico more fieri putandum est) obscurant. Antiquioris Panegyristæ (Latini Pacati c. 40.) mirifica est in hoc loco illustrando diligentia. *Fatearis necesse est Imperator*, ait, *quantum te in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum. cui si vocem demus, & judicem, nonne prolixe suam & enumerabit operam, & ut virtutibus tuis multa concedat, sibi aliquam vindicabit? & cur, quaeso, non demus, ut accipiamus utrimq; partis asserta, cum sit quae viceerit tua? Audio Constantiam dicere &c.* legatur totus locus. Non aliter Plinius noster philosophatur c.74,1. *Nihil magis possum proprie dicere, quam quod dictum est in cuncto senatu: ô te felicem! quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri.*

18. Sequuntur *Artes*, & ipsæ Auctoritatis instrumenta: quamquam neque *omnes* neque *omnibus*. Abusus enim est rerum optimarum, & ex iis quædam, ut plantarum multæ, certo veluti solo assuetæ; extra quod degenerant. Itaque tum alias, tum hic studiose tenenda Aristotelica illa: πόσι καὶ τί, καὶ πῶς. Potuit Nero dicere: *quantus artifex pereo!* non potuit, *quantus Princeps! Fuit Gallienus (quod negari non potest) oratione, poëmate, atque omnibus artibus clarus. Sed aliud* (hæc enim ἐπικρίσις sequitur in Trebellio) *in Imperatore quæritur, aliud in oratore vel poëta flagitatur.* Et tulisse tamen multum gloriæ Principibus eloquentiam, præter exempla quæ scimus, Aristoteles rationibus ostendit, præf. Rhet. Alex. vide enim quid faciat illud; *quis & qualis.* Breviter & vere loquar si dixero: *easdem artes majestatem juvare, quæ & imperandi instruunt sapientiam gerendisq; rebus addunt promptitudinem.* Revera enim, juxta Philosophum: *res Regia est sapere.* verum ista commentatio peculiaris est laboris: quem occasioni & tempori reservamus. Illud obiter addimus: Trajanum bonis artibus aliis copiosum, litterarum expertem: favore tamen & munificentia erga omne studiorum genus, explesse admirationem. *Tu*, inquit,

quit, Plinius 47, 21. *Studia & artes ſapientiæ in complexu, oculis, auribus habes; præſtas enim quæcunque præcipiunt &c.* Utrumque ad majeſtatem inſigne; ſtudia, quæ ignores, amare & attollere; tum ea vivendo præſtare, ultra quæ nec ſapientium doctrina progreditur.

19. *Experientia* ſupereſt, hanc in Trajano miratur cap. 15. Panegyr. Hæc ſi cum artibus & ſapientiæ ſtudio miſceatur, efficaciſſimi roboris deprehenditur, & propterea venerationis. Quod enim vehementer neceſſarium aut utile in rebus arduis homines agnoſcunt, illud venerantur. Satis glorioſe pro ſe Marius; ſed nec ſententioſe minus, eventu autem feliciſſimo, in oratione, qua nobilitatem exagitavit, apud Salluſt. Jugurth. 85. *Ita ad hoc ætatis à pueritia fui, ut omnes labores, pericula, conſueta habeam.* & mox: *mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, bene facere, jam ex conſuetudine in naturam vertit.* adde plurima alia indidem.

20. Nos, quæ de cauſſis hactenus ſunt dicta, colligimus obſignamusque verbis Senecæ ep. 115. ubi boni viri magnique ſplendor & auctoritas graviter deſcribitur. *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere; ô quam pulchram faciem, quam ſanctam: quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus? hinc juſtitia, illinc fortitudine; hinc temperantia, prudentiaq; lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & liberalitas, comitasq;, & quis credat? in homine rarum humanitas bonum, ſplendorem illi ſuum affunderent. Tum providentia, tum elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantum, dii boni, decoris illi, quantum ponderis, gravitatisq; adderent? quanta eſſet cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret.* Talis animus vere nimirum regius, vere imperantibus conveniens & utilis. Illud non omiſerim monere: *Plurima eſſe, quibus majeſtas ſive conſtat ſive ornatur: etiam minima in conſortium paranda rei maximæ admittuntur.* Sed præcipua *virtutum* vis eſt, quas qui cum condecentia ad ſceptrigeros accommodare

modare noverit, ille majestatis vim intellexerit rectissime. Tacitus *claritudinem Calpurnio per virtutem*, aut species virtutibus similes *partam* ait 15. A. 48, 2. de quibus mox sub exemplis.

21. Non enim esse duxi necessarium, præter caussarum tractationem, *artes parandæ majestatis retinendæq; ipsas* (quid autem sunt illæ aliud, quam caussarum in agendo occupatarum propior contemplatio & applicatio?) denuo exequi. *Dispensa prudenter, quæ diximus, & obtinebis majestatem: etiam retinebis.* iisdem hæc conservantur artibus quibus acquiruntur. Unum observa: *ne obsolescat majestas in animis hominum, quibus nihil est inconstantius; crebris meritorum speciminibus veluti renovanda est tam illustris species.* Ne tamen quisquam putet justo breviores nos esse, *exempla producemus* eorum, qui majestatem & *parare* & *habere* sciverunt maximam. Intuere utramque virtutem, quibusque artibus constiterit intellige.

22. Post artes Trajani, *de quib. vid. cap. 13. paneg.* Primus *Scipio* erit, idque suo merito: huic enim, si solidam Auctoritatem quærimus, quem præferam, non habeo. Adi facundissime ista explicantem Livium lib. 26, 19. *Fuit Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab juventa in ostentationem earum compositus: pleraq; apud multitudinem aut per nocturnas visa species aut velut divinitus mente monita, agens: sive & ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaq; velut sorte oraculi missa sine cunctatione assequeretur. ad hæc jam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamq; rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressusq; ædem consideret, & plerumq; tempus solus in secreto ibi tereret. Hic mos, qui per omnem vitam servabatur, seu consulto seu temere, vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinæ virum esse. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi ta-*

le quicquam, nec palam affirmandi. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia assimulata, admirationis humanæ in eo juvene excesserant modum. Latini hujus Polybii paraphrastes haberi, Græcus ille Lycortas potest: qui lib. hist. 10. non tam narrat, quam interpretatur, *τίνι τρόπῳ ὁ Σκιπίων ἐγένετο ἐπιφανέστατος,* Multam reportabit philosophiam, qui totam dissertationem legerit.

23. *Alterum* exemplum *Corbulo* dabit: ille qui apud Tacitum, *omnium ora in se vertit, corpore ingens, verbis magnificus, & super experientiam sapientiamq; etiam specie inanium validus.* 13. A. 84. Multa in paucis agnoscit, qui brevitatis Cornelianæ genium non ignorat. *Tertius, Alexander* prodibit: quem ut in ceteris rebus, ita & Auctoritate *Magnum* dixeris. Cujus *artes dotesq;* (ita enim Curtius distinguit ingenii munera & virtutum præsidia) describens Historicus, inter alia: *Quæ leviora*, inquit, *haberi solent, plerumq; in re militari vulgo gratiora sunt; exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusq; paulum à privato abhorrens.* 3. 6. Nam & quædam supra memoravimus, & quædam ex tam memorabili loco infra adducemus: qui si totus conferatur, luculentum Auctoritatis exemplar, artesque præcipuas ostendet.

24. A *quibus* penitus *removemus* eos, qui *affectatione singularis cujusdam moris* Auctoritatem quæsivere. *Videamus*, inquit Seneca epist. 5. *ne ista, per quæ admirationem parare volumus, ridicula & odiosa sint. Temperetur vita inter bonos mores & publicos: suspiciant omnes vitam nostram sed & agnoscant.* Nulla altitudo alta censetur & clara, si supra *sensum communem* aspici potius, quam intelligi velit. Itaque nec *pompæ ministeriorumq; & ejusmodi externi paratus nimius splendor* huc facit. Ostendimus in capite 2, 14. de *civilitate*, plus venerationis accessisse Trajano ex temperatione suæ fortunæ fulgorisque, quam aliis, ex ejusdem intensione. Multo minus *arrogantia* in hunc finem efficax, quæ quid nocuerit *Julio Cæsari*, ex Sueton. cap. 76, 77, 78. discant, qui nec principis, nec hominis fastigio

ſtigio contenti, ſuis quos aſcivere radiis obſcurantur, ſuaque ipſi vi deprimuntur. *Vocem non conſociare, manum denegare*, cujus ſit, Plinius Panegyr. 71, 2. ſatis manifeſta improbatione eorum explicat, qui *velut affixi curulibus ſuis, manum tantum & hanc cunctanter & pigre & imputantibus ſimiles promerent. Demetrius ille Pompejanus*, & *Claudianus Pallas*, quam male, *ille* quidem numero ſervorum, *hic* colloquii cum ſervis aſpernatione magnitudinem quæſiverint, Seneca, de tranquill. an. 8. & Tacitus 13. A. 23, 3. recenſent.

25. Quid de *occultatione ſui*, quæ Perſis ad magnificentiam viſa idonea, dicamus? Multi principum *majeſtatem regiam imminui & vulgari putabant, niſi eos intra repoſitum palatinæ ædis incluſos, tanquam aliquod veſtale ſecretum veneratio occulta conſuluiſſet, niſi intra domeſticam umbram jacentes ſolitudo proviſa, & ſilentia late conciliata vallaſſent.* Pacat. in paneg. Theodoſ. c. 21. ubi ſuum Imp. laudat, *quod creber egreſſu, expectantibus populis ſe fateatur. Noſter hic*, inquit, *omnibus ſpectantibus affertur. nec magis communem hunc diem atq; ſolem, quam noſtrum Imp. videri licet*, idque *ſine faſtidio*, quod mox additur. Sed & *Pompa* prodeuntium aliorum ibi deſcripta ad explicationem ſuperiorum valet. At, inquis, *Velleda Germanorum* majeſtas occultatione ſtetit; *hanc coram adire alloquique negatum. Arcebantur aſpectu, quo plus venerationis ineſſet*, Tac. 4. H. 65, 8. Hoc & ſimilia exempla facile declinantur, ſi *objecta* venerabilia, ſi *ſcopus* e. gr. ſuperſtitionis vel majeſtatis, ſi *ſubjecta* quæ cæco feruntur vulgarique impetu, à prudentium veneratione diſtinguantur. Eſt enim, quod & ſupra innuimus, duplex Auctoritas. *vera & ſolida*, quam omnes conſentiunt, nec affectu magis, quam judicio proſequuntur; & *fallax, inanis, fluxa*, quæ vel malis vel ſtultis, imprudentibusque nixa auctoribus, facile evaneſcit aut nomen ac ſpeciem ſine re tuetur.

26. *Effectus Majeſtatis* (huc enim pervenimus) *proxime* quidem eſt *illa ipſa efficacia in interpretatione magnitu-*

gnitudinis: de qua in defin. diximus: id est, Auctoritas efficit, ut magni Principes sint ac venerandi, & propterea in imperandi negotio, actusque sui administratione efficaces: adeoque specialius loquendo, *Amorem* & *Honorem*, quadam vi valentiore & naturæ suæ charactere, animis hominum imprimit: quæ tamen rursus, ceu firmissima imperii instrumenta, ad *efficaciam* fastigii actusque imperatorii commodissime referuntur. Curtianus locus, aliquoties jam per partes memoratus, iis, quas exposuimus, sive artibus sive dotibus Alexandrum ait effecisse, *ut pariter* CARUS *ac* VENERANDUS *esset.* Ex utroque nascitur *Timor*, qualis filiorum esse solet, non mancipiorum: hæc pavescunt & formidant: illi verentur. Hinc sequitur certatim *obsequium, modestia, promtitudo,* denique *imperandi felicitas ac facilitas.* Hæc omnia passim suggerit Panegyrista, ut indicatione capitum opus esse non videatur.

27. Clare complexus est hos effectus Onosand. strateg. cap. I. *ὅντινα γὰρ ἄνθρωποι φιλοῦσιν αὐτομάτῳ διανοίας ἐμπλόσει, τούτῳ ταχὺ μὲν ἐπιτάττοντι πείθονται, λέγοντι δὲ οὐκ ἀπιστοῦσιν, κινδυνεύοντι δὲ συναγωνίζονται.* *Quem enim* (interprete Rigaltio) *homines spontanea voluntatum inclinatione cordi habent* (elegans auctoritatis *περίφρασις*) *ejus facilime imperio parent, dicto audiunt, periculis subveniunt decertantemq; protegunt.* Nimirum ad tam *beneficum sidus & clarum certatim advolant cives, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit.* Senec. I. de clem. 3. Gravissimum instar majestatis est. hæc *secundis ornamentum ingens, adversis grande perfugium,* malique sæpe præsentanei præsentanea medela. Quid enim? *Cajus Marius in profundum ultimarum miseriarum abjectus, ex ipso vitæ discrimine, beneficio majestatis evasit.* Rem totam dicet, cujus hæc verba sunt, Valer. Max. l. 2. c. 10. *de Majestate.* ex quo & cetera pete. Nec feminis (quanquam virile bonum Auctoritas sit) parum in ea præsidii.

ſidii. lege Juſtin. de Olymp. 14, 6. & vide, quæ Cl. *Berneggerus* aliunde petenda indicavit.

28. Nervoſe prudenterque quem modo laudabam, *Valerius*, omnia, quibus exponi majeſtas poteſt, initio nominati capitis concluſit: *Eſt & illa*, inquit, *quaſi privata cenſura, majeſtas clarorum virorum ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio, potens in ſua amplitudine obtinenda. Grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur, admirationis prætexta velata. quam recte quis dixerit, longum & beatum honorem eſſe ſine onere.* Sed non ſemper *longus* ille honor. & hic arte opus magnaque virtutum non conſtantia modo ſed renovatis conſtantiæ exemplis. Alias enim ſcimus *quantus* fuerit, de quo vere Poëta, 1. pharſal.

— — — *ſtat magni nominis umbra*,

& quæ ſequuntur. Opinio hominum facile mutatur: flexibiles ſunt voluntates: artium quoque, quibus paratur Auctoritas, non idem ubique tenor & facilis aberratio. Mireris Auguſto (quam ſolerti catoque Principi?) accidiſſe: *qui dum affectabat carior militibus fieri, Auctoritatem Principis emolliverat.* Hiſt. miſcell. 7, 16. ex Victor. epit.

29. *Diviſio* adhuc reſtat. Eſt enim & *Togata majeſtas* & *Bellica*: *domeſtica* apud tuos; *externa*, apud alios foris. Raro utraque uni contingit. *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace, alium toga, ſed non & arma honeſtarunt.* Paneg. 4, 5. *Trajano concentus ille omnium laudum, omnisq; gloriæ contigit.* ibid. adde cap. 13. Certe ut in pace telum adverſus omnes difficultates id præcipuum eſt; ita in bello *terrore nominis & majeſtate plurima geruntur.* vide Noſtrum, cap. 12. De Germanorum veterum *Principibus* magnifice Tacit. Germ. 13, 7. *ipſa plerumq; fama bella profligant.* Ad quem locum plurima congeſſit Gruterus in diſcurſibus ad Tacit. quem in compendium noſtri laboris advocatum hic volumus.

30. Hæc ſunt illa, quæ Auctorum gentilium mentem de *Majeſtate Imperantium* potuerunt explanare, noſtrum

ſtrum autem Panegyriſtam illuſtrare. Sed ut in multis aliis, ita in hoc *præcipuum* gentilitas ignoravit. Quid enim artes parandæ majeſtatis, quid merita virtutesque extulimus, quæ contemtæ ſæpe jacuere, ſæpe manſerunt inefficaces? *A cœlo enim & cœli Domino ſolo omnis auctoritas, omnis auctoritatis efficacia, omnis fructuum conſtantia unice petenda expectandave.* Igitur omnibus Trajanis, Alexandris, totaque Heroum gente illuſtrior haud dubie, majorque fuit Joſua ille, cujus vera & ſolida ſcilicet magnitudo exiguam facit omnium gentilium famam illisque caliginem ſuperinducit. Plena majeſtatis verba ſunt, lib. Joſ. 4, 14. ביום ההוא גדל י את יהשע בעיני כל ישראל וייראו אתו כאשר יראו את משהכל ימי חייו : *Ex illo die magnum fecit Joſuam*; quid ergo? an ſua virtus magnæque artes? nil tale: ſed *is qui ſolus magnus, ſolus magnitudinem communicat, ineffabilis ille DEUS.* Hic magnum fecit, *in oculis totius Iſraël.* Apud omnem populum ἐν εὐδοκίᾳ, ἐν πολυτιμήτῳ τῆς διανοίας ἐμπλώσει, magna approbatione, conſenſione, honorificentia ſuſpiciebatur, magnamque de ipſo cuncti exiſtimationem (id enim Hebræa phraſi notatur) conceperant. *Erat enim nomen ejus, ſicut Magni illius Moſe*: ut effectus diſſimilis ſequi non poſſet. *Reverebantur Moſen reverentia multa fidaq; & obſequioſa: idem Joſuæ præſtitum, quamdiu populo præfuit.* DEUS enim qui dederat munus tantum, etiam conſervabat. Davidi quoque DEUS Ipſe ait, *ſe feciſſe* שם גדל כשם הגדולים אשר בארץ *nomen magnum juxta celebritatem* (id enim ſignificat hic Hebr. שם) *magnorum & potentium in terra.* 2.Sam.7.9. Quod agnovit David & prædicat Pſal. 18. 44, 45.

31. Ad quæſtionem, *An gentilium quoque Imperatorum & Imperiorum majeſtas Dei munere detur, ſervetur, invaleſcat*: reſpondemus affirmando. Videndus de ſimil. quæſt. Auguſtin. de civ. D. l.5. c.12. & ſeqq. Neque intelligunt tamen Ethnici quid dicant; cum *magnum & terribile nomen pop. Rom.* jactitant. ap. Liv. 38. 46. neque illud: *in ſumma fortuna, pleraq; auſpiciis geri.* Tac.13. A. 6.5. ad quem l. vid. Grut.

COM-

XXIV.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. V.

Id eſt:

Vindiciæ Virtutis & Boni publici.

Plin. paneg. cap. 93, 3.

Ita verſemur in republ. ut credamus eſſe rempubl.

DUM in Imperio Trajani, imperandique artibus ea commentamur, quæ ad omnium pertinent tutelam regnorum, poſt *Majeſtatis* (de qua cap. præced.) munimentum, *ad ipſum imperatorii actus tenorem, unde & quomodo & quorſum perducatur*, prævertimus. Cujus rei, ſimulque inſcriptionis, quam huic capiti fecimus, ratio ante omnia exponenda eſt.

2. Cum enim omnem eorum, qui Reipublicæ præſunt, actum, ad Bonum publicum, tanquam ad metam dirigi & ſcopum neceſſe ſit: quibus ſpatiis iſte curſus contineatur, quæ viæ regula tenenda, recte ac ordine, nec ſine conſenſu, traditur inter prima civilis ſcientiæ rudimenta. *Virtutis*, inquiunt, *auſpicio*, *conſortio*, *arbitrio*, *agenda omnia*, *quæ cum reſpectu Publici Boni ſunt agenda.* Hoc cum Platone Ariſtoteles; hoc noſtra ætas cum majoribus præfert, docet, jactitat. Sed nunquam certioris apud me fidei fuit, quam in hoc ipſo negotio, vox Bruti: *non in re, ſed in verbo virtutem eſſe.*

3. Sciunt, qui memorias temporum comparandæ caussa peritiæ tractant, *Civilem artem*, seu quocunque nomine aptiori lubet vocare eam, *qua ordinandæ tuendæq; præcepta Reipubl. tradit*, doctrinam; antiquissimis temporibus non tam libris, quam responsis Prudentum, constitisse, partemque potissimum νομοθετικὴν excultam, ceteras usu magis, quam certa notitiæ ratione fuisse comprehensas. Primum litterarum post *leges* consignatas in hoc genere monumentum, descriptiones quarundam Rerumpublic. fuere. Hinc observationes formari cæptæ: locusque philosophiæ paulatim præbitus. Donec ad fatalis excellentiæ viros Platonem & Aristotelem est perventum. quorum *ille* operosa suavique philosophia quædam civitatis fundamenta, præcipue autem virtutis bonique publici rationes plenissime exposuit, summam ea re laudem meritus, nisi quod è duabus, quas formavit, altera civitas (ἐν ἰδέαις λόγῳ posita, & μυθολογουμένη ut ipse loquitur) plurimis reprehendendi ansam dedit: *hic* autem more suo, corrigendo, supplendo, inveniendo, applicando ad perfectionem usque hoc studium evexit.

4. Hi duo auctores merito summi habentur tum studio, tum probitate. nisi quod Aristotelis doctrina nonnihil Græculæ improbitatis ex ingenio aulæ, sub qua vixit, creditur traxisse. Quanquam in opere ad nos transmisso strenuus sit assertor virtutis publicæque disciplinæ, & omnino talis, qui novitios veteratores, omnia quæ ille de tyrannide habet, ad imperiorum & status, ut loquuntur, rationes pertrahentes, in ruborem dare possit. Alias, omnino Græci inter primos corrupere sanctitatem administrandæ reipubl. præsertim *Philippus* Macedo; cujus vafrities longe lateque in exemplum ivit.

5. Romanorum constantior religio fuit; quod historiæ ejus gentis loquuntur: nam qui de Republ. commentati sunt, interiere prorsus. A qua δικαιοπραγίᾳ *populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus* dicitur Floro 2, 19. In bello Jugurthino corrumpi cæpit illa inte-

integritas: hinc veluti per gradus labefacta, mox civilibus bellis cum ipsa libertate extincta, sub Cæsaribus in vafritiem meram & simulacra, & nescio quam arcanam histrioniam vertit.

6. Ea res inversam bellis *Italiam* non reliquit: quia mutata jam lingua, totoque statu, veluti magnanimitati priscæ impar, in subtilibus quibusdam nequitiis multum politicæ prudentiæ reponeret: exortumque fatale *Machiavelli* ingenium aularum passim gentiumque mores solicitavit. Italiam *Hispania* superare contendit. cujus politicam duabus, juxta periculosis, rebus ortam provectamque judico: ambitione, cujus ingenium sinuosissime pravum est; & dominatione, cujus vis præfracte abrupta est atque indomita.

7. Hos *magistros*, non tam tuendi imperii scilicet, quam *dominationis* (sic Tacito dicuntur tales 2. H. 63, 1.) habuere mox aliæ gentes; ampliusque, quam credi potest, infecta publici moris justitia est. Ad quam rem plurimum profuit nova & mira in civilibus philosophandi ratio. His enim ferme temporibus, quæ dixi, *nullo idoneo scribendi genere, nec solida plenaque fundamentorum totiusque, ut ita dicam, corporis ordinatione, sed vagis, veroque nomine sic appellatis discursibus, quæstionibus, consiliis, artibus, arcanis*, ideo pleraque gerebantur, ut lateret inscitia, non appareret absurditas, involveretur improbitas.

8. Donec assuetudine quadam impudentiæ, in ipsa irrupit *systemata* hoc malum. Atque, dum scribendi politiceque commentandi prurigo late pervasit (æstimare domi rem possimus, si unius sæculi proventu, Germaniam ejusce mercis ferme vacuam, usque ad jacturam priscæ ingenuitatis oneratam respicimus) cui non specie eruditionis & prudentiæ obrepere calliditas potuit? i. e. Una publici egregii obtinendi ratio, *virtus & justitia & rectitudo honesti moris*, ceu ipsum ædificii totius fundamentum, instrumentumque rem gerendi præcipuum concussum, demotumque, vitii non parum rebusp. conscivit.

9. His ita præmissis, clarius nunc efferimus nostram mentem: *Politicorum plerique, cum in scriptis & ore, bonum illud summum, quod ex virtute ortum, recta virtutis via obtinetur, ubique præmuniant; in scriptorum tamen progressu & factis, injustitia potius & nescio quibus mali moris jurisque machinationibus tantam aperiunt portam, ut calliditas pro prudentia, nequitia pro virtute, sicuti nubes pro Junone, ut est apud Poëtam, publice exponatur objiciaturq.* Atque hoc esse primum illud ψεῦδος (voce Philosophi) quod admissum semel, totam hanc rem inficiat corrumpatque, experientia convicti existimamus.

10. Neque quenquam hac sententia obtrectamus. Novimus enim *qui* longe cordatiores serio aversentur illatam innocuis litteris tam obscœnam labem: novimus, *qui* in scriptis suis prætereunt hos scopulos amore integritatis: novimus, *qui* inviti imprudentesque (tantum consuetudo & fucati species mali possunt) hic impingunt. Interim quanta est eorum multitudo, qui, cum hæc quotidie audiant, videantque, unum hoc & solum, ideoque sequendum sibi genus arbitrantur.

11. Præsertim cum *quibusdam fulcris* satis valide nitatur hæc deceptio. *primo* enim: *Nemo audet ferme personam his ludionibus detrahere.* In communi licet periculo, fit nescio quo pacto, ut omnes conticescant. Neque ut longe arcessamus caussam necesse est, partim quippe tot bonorum verborum involucris malæ res induuntur, ut non omnes capiant illud, quod vera ἐπιείκεια Isocrates dixit, τὸ φανερῶς πολιτεύεσθαι: partim optimorum virorum casus effecit, ut ceteri malint ex veteri formula, non liquere sibi, etiam cum liquet.

12. Quamprimum enim aliquis *vir bonus & prudens* removere velum cœpit, & *quid distent æra lupinis* monstrare, statim exortus clamor: *Ad scholam ablegandus est: homo scholasticus est: nugæ scholasticæ sunt.* Ergo quod felix & faustum sit; qui pro virtute bonoque publico & justitia in posterum verbulum fecerit, pudendi commatis damnas

mnas esto: id est plectatur Aristides exilio, ecqua causa? *quod cupide elaboravit, ut præter cæteros justus appellaretur.* quod apud Cornel. Nepotem & Plutarchum amplius videre licet. Sane his moribus gratulamur scholis, quod innocentius quam aulæ agunt, quod interpres honestatis, vindex virtutis, dissuasor flagitiorum, monstrator fraudum, *homo scholasticus* appellatur: neque nescimus interim quam frequens & vetus sit ratio *per convitia respondendi, ubi rerum argumentis mala caussa destituitur.* Igitur Senecam, ut ejus viri omnia erant insignia, nunquam honestissimarum præceptionum, quibus primos Neronis annos moderatus est, majorem tulisse gloriam, quam cum Agrippina, *Professoriam ei linguam* objiceret (Tac. 13. An. 14, 5.) semper judicavi.

13. Sed quis color hujus convitii? perveniendum est enim ad *secundum deceptionis fulcimentum.* Satis speciose, *Aliter*, inquiunt, *rerum actus, aliter sapientiæ monita se habent. Quidni sequar praeuntes populos magni nominis, magni successus? Ille princeps, quem plerique dicunt πολιτικώτατον sic solebat. Sed & eventis arguuntur, qui honestatis obsequio, utilitatum commodis excidunt.* Atque in hanc rem innocentissimi viri, velut in patrocinium malitiæ, advocantur Historici. Quasi vero, qui perfidias regum, cupiditates populorum, aularum facinora narrant, etiam approbent aut commendent. quasi vero, si quis hoc faciat (& plerique satis cavent) regulæ & juris auctoritatem obtineat, quod error facti est aut personæ.

14. Exemplum grande nobis præbet, historicorum solertissimus Cornelius Tacitus. Hujus ingenio & eloquentiæ cum dignam fortuna materiem denegasset, obtulisset autem tempora, quibus nulla unquam fædiora res Romana habuit; scripsit non Principum vitas, sed facinora latronum, sed immanitates belluarum, non senatus sententias & consulta, sed probrosas adulationes, scelestas delationes, miseras neces: populi autem non obsequia sed miserias sine exemplo acerbissimas. Denique quicquid tyran-

nidis ingenium in orbe unquam tulit impium, crudele; dedecorosum, triste; hoc in compendium eorum temporum, quæ Tacitus memoravit, Romam confluxit. De quo tum sæpe conqueritur; tum, cui bono res tam malas narraverit diserte fatetur; nimirum ut execrari hæc posteri, & propter eam posterorum execrationem futuri Principes cavere discerent: *utque pravis dictis factisq;* (sic loquitur 3. An. 65, 1.) *ex posteritate & infamia metus esset.* Atqui ille propter ejusmodi *arcana*, *flagitiosa*, *inania dominationis* denique (quibus vel solis nominibus tamen cavit, ne quis pro imperandi artibus arriperet) mirifice placet hodiernis politicis. qui felices se suosque Principes autumant, si ea sequantur, ob quorum solam narrationem infelix Tacitus sibi aliisque visus est.

15. *Tacitum igitur* (sunt hæc magni Casauboni in aurea ad Polyb. præfat. verba) *facile nos quidem excusamus: illos excusari non posse judicamus, qui unicum hunc historicum*, *ob causas*, quas diximus, *omnibus aliis anteponunt: unum Tacitum politicis hominibus assidue terendum pronuntiant: unum esse unde Principes & Principum consiliarii documenta regendæ reipubl. petere debeant. cujus absurditatem sententiæ si vellemus exagitare, facile probaremus, qui ita sentiunt, eos tyrannidis principes hodiernos tacitè accusare; vel palam tyrannidis instituta videri velle eos docere*, *&c.* Hactenus Casaubonus: cujus auctoritate ex abusu infelicissimo vindicandum censuimus scriptorem maximi ingenii, nec minoris prudentiæ; parique eloquentia præditum: quem alio fine rationeque multum diversa tam serio admiramur, ut in gentilitate tota neminem audeamus illi usquequaque anteferre.

16. Sed redimus in viam: ubi illum quoque publicæ deceptionis fomitem reperimus, quod nonnulli genere scribendi utuntur non quidem manifeste improbo, sed *improbitatis quandam pruriginem veluti nutibus quibusdam irritante.* subinde enim *spem magni arcani*, *consilii singularis*, *artis novæ*, nec enuntiandæ, non sine jactantia & invi-

invitamentis suggerunt. Malle ipsos ostendere, quam loqui, dixeris. Sequeris hos nictus nutusque? itaque ergo in rem præsentem, id est, in casses ipsos pervenisti. Vides ibi, quid fiat: quæ vita quos mores habeat: quid sæculum denique sit: adversus quod paucissimis semper animus constitit: præsertim hodie, ubi & hoc ipsum, *corrumpere & corrumpi sæculum vocatur.*

17. Accedit, quod corruptio nulla tam infesta, nihil tam manifeste contra leges peccatur, quin *Salutis publicæ*, id est, supremæ legis auctoritate prætexatur. De qua re, quoniam latam nocendi fenestram aperit, paulo amplius videndum. Est haud dubie *Salus publica*, summa illa ratio ad quam dirigi omnia debent, quæ in civitate fiunt, nisi velimus ipso fine societatis civilis excidere. Igitur hujus caussa multa fieri posse, prudentes tradunt, quæ institutis gentilibus, legibusque patriis aliter præcipiuntur. Nondum tamen, id quod volunt hodie, consequitur: quasi ad defensionem cujusvis in republ. παρεκβάσεως & κακοπραγμοσύνης sufficiat, *caussam boni publici salutisq; communis interserere.* Nam illa caussa nimis sæpe in prætextum degenerat & obtentui sumitur. quem nemo sanus in juris ullius communionem aut patrocinii admiserit.

18. Primo enim definiendum, quid *Salutis publicæ* titulo accipiendum, cum supra & præter leges constituitur. Nimirum *non quævis difficultas*, multo minus *quævis utilitas aut jactura*; sed nec *ambitio dominantium*, aut *quodcunq; sui fastigii commodiq; caussa potius, quam publici respectu boni suscipiunt imperantes:* denique nec *tyrannorum securitas* quam solicite custodiunt: verum *ipsius Reipublicæ honesta & generosa e periculis liberatio, aut contra pericula præmunitio, aut provisis juste utilitatibus amplificatio cum remotione obstaculorum, ad quæ nulla necessitate absoluta obstringimur*, hoc nomine suscipi excusarique potest. Talia sunt in Græcorum rebus, prorogata Lysandro contra leges potestas maris: consuetudinum jura, necessitatis tempore, dormire jussa. apud Romanos: quod Scipio Africa-

Africanus ærarium aperuit, publicisque usibus inutilem eo tempore legis rigorem correxit: & in majoribus caussis, SCta fiebant, viderent Coss. *ne quid resp. detrimenti caperet*: cujus formulæ illa vis fuit, ut L. Opimius Cos. C. Gracchum, & M. Fulvium cum liberis, indicta caussa, merito statim occidisse existimetur: quod in L. Saturnino trib. pl. & C. Servilio prætore eodem jure factum. Sed & Q. Servilius Ahala Sp. Melium novis rebus studentem juste manu sua interfecit. vid. Cic. Catil. 1. cap. 1. & 2. Sallust. Catil. 29. & Cæsar: 1. de bell. civ. qui id vocat *extremum atque ultimum SC. quo, nisi pene in ipso urbis incendio, atque desperatione omnium salutis, latorum audacia nunquam discessum est: Dent operam Coss. pratores, tribuni pl. quiq; pro Consulibus sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti capiat.*

19. Atque ita videmus excipi aliquando à legibus reipubl. administrationem, ob respectum Salutis publicæ propere vindicandæ. Sed *à quibus legibus*, eximitur quandoque πολίτευμα? *supra qua jura* titulus Publici boni ascendit? supra ea nimirum, quæ ordinis caussa & formæ inventa, hominum instituto valent mutanturque: Minime autem *supra jus gentibus commune, vitaq; necessarium*; *supra honestatem*, cujus conservatio societatem humani generis; *supra Pietatem*, cujus reverentia societatis vitæque fundamentum continet. Nam contra hæc quicquid fit, illud malo jure, malo more fieri nemo est, qui penitus audeat negare. quanquam revera id agitur à multis, ut sola utilitatis ratione ducti, honestum inter inania & irrisa nomina habeant. *Hinc sica* (inquit Cic. 3. off. 8.) *hinc venenum, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptionesq; sociorum & civium: hinc opum nimiarum potentia non ferenda: postremo etiam in liberis civitatibus regnandi existunt cupiditates.* Hæc si ad monarchias applicemus, id est, rem indomitam quodammodo, & in confinio injustitiæ positam, quid suadere illi videbuntur, qui ubique *utilitates* projecta honesti cura crepant?

20. Quid

20. Quid illi, quibus pro defensione pariter ac jure occultatio est, *arcanorum magistri ac provisores?* Sane Honesta Viris Bonis, Non Occulta Quæruntur. Rursus Tulliana vox est: qui totam hanc rem ita pertractavit *in officiis*, ut hoc potius consultore cum Alexandro Severo uti, quam callidos lubricosque audire Proteos, è republica generis humani sit futurum. Quod non eo spectat, ut omnes τοῖς πολιτευομένοις artes, omnem adimamus dissimulationem: quæ interdum tam est necessaria, ut spernat auxilia civitas, quæ manifesta sunt; ut impediat remedia, quæ publice adhibentur. Igitur si in tali occultatione aliquid peccatur, *peccari cum beneficio in rempublicam opinandum est*. At vero res ipsa loquitur, plerumque *Gygis annulum* quæri hoc pacto: cujus figmento Platonem *Politicorum tenebras* non obscure præfiguraſſe crediderim.

21. A quibus frustra scilicet, ad *virtutem publici boni fundamentum* provocamus. frustra *Honestatis Solem* optamus. ad quam cordata tamen gentilitas tam constanter respexit, ut cum Themistocles callidum ad firmandam dominationem ac *perutile consilium, sed minime honestum* aliquando attulisset, *Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverint, totamque eam rem quam ne audierant quidem* (Aristidi enim dixerat) *auctore Aristide repudiaverint*. Cic. 3. Offic. 11. Romanorum ea in re generositas, uti supra innuimus, diu inconcussa, sæpe etiam hostibus admirationem movit. Exempla non cumulo. Certe πολιτικώτεροι fuere, id est, rempublicam administravere rectius feliciusque, cum Pyrrhus de hoste Romano, *Ille est Fabricius*, diceret, *qui difficilius ab* Honestate, *quam Sol à suo cursu averti posset*: quam cum postea Jugurtha, *omnia Romæ venalia esse, divitiasque bono honestoque potiores*, jactitaret. Victor. in Fabric. Sallust. in Jugurth. Tempore Julii & Augusti semel nata sunt & usurpata & adornata *illa simulacra, illa arcana, illæ artes, illæ species, illæ machinæ*; quibus tantopere honestatem & justitiam imperiorum hodie expugnatum imus: Sed quid? nonne initium à domina-

 tione,

tione, nonne finem in servitute repererunt? Interim quo successu tam solicite discimus tyrannos, aut servos agere? an alio quam ut ruinæ nosmet præparemus?

22. Ex his facile apparet, cujusmodi sit illud, utinam Julio tantum Cæsari familiare:

- - - - Jus regnandi caussa
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

cujus paraphrasin experientia & mos sæculi talem suppeditat: *jura respicere & infrugiferum honesti nomen sectari, mera simplicitas fuerit. Sufficit ista vocabulo præferre, aut certe in minoribus quibusdam admittere: ut fama simulacris alibi conservetur, alibi fiscus nummis, potentia magnitudine augeatur. Igitur oblata finitimos domandi spe, caussas interpone, arma compara, ditione tua complectere non tantum istos, sed quos catena belli praterea alios involvet. Dissuadebit hac aliquis? exterre. interpretabitur hac aliquis secius? subverte. Nam & istud regni caussa faciendum, opprimatur tuo fastigio, quisquis fastigium non adorat. an desunt exilia, proscriptiones, sepositiones, mulcta, cædes? an vero caussa horum omnium desunt? Quasi vero difficile sit, in acta clarorum virorum, in sermones, in commercia inquirere, & vel ex lare secreto publice prosternendi viros promtioris quam dominationibus prodest, sive virtutis sive lingua, occasiones & titulos educere. Præsertim si opes alicujus excreverint, si fama se sustulerit gloriosius, facile invenies aditum nocendi. Sed nec magistri novorum jurium, ministri cupiditatum deerunt: sponte & cum gaudio accurret jurata servituti promovenda manus &c.*

23. Cum quibus conveniunt ista: *domi terrorem* (*oderint dum metuant*, Caligulæ vox est) *foris comitatem conducere*, sed vulpinam. *Perfidias, talos esse regum lusorios, igitur fidem non diutius quam prodest servandam.* Philippum his artibus Græciam obtinuisse. Ita enim de eo Justin. 9, 8. *Blandus pariter & insidiosus, qui plura promitteret quam præstaret: Amicitias utilitate non fide colebat.* (hodierna paraphrasis: fœdera non ex justitia caussæ, sed respe-

respectu potentiæ ineunda, nec colenda pactionibus, sed eventis fortunæ accommodanda, mutanda, rescindenda) *Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia &c. Iræ ministros ad levandam iræ invidiam tollere.* Denique non humana tantum jura sed *cœlum* quoque *suis usibus attemperare*, *sacra bella*, *sacerrimis cupiditatibus explendis meditari*, *sanctis parricidiis*, *sancta sævitia cruorem sicut aquam, profundere.*

24. Hæc & talia deformia dictu, infanda factu esse, nemo est quin intelligat: sed de origine noxæ ac principiis non æque omnes cogitant. Quæ omnino in licentia tum doctrinæ tum *πράξεως* politicæ quærenda sunt. Erat, ut distincte hoc & membratim repetamus; *Civilis prudentiæ scopus ab initio unicus* (nec esse alius unquam debuit) BONUM PUBLICUM; *τὴν κρατίστην πολιτείαν καὶ πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύεσθαι*, sæpe usurpat ea de re Aristoteles: ad communem enim reipublicæ imperiique salutem; nisi omnia accurate exigantur, neque legitimum amplius aut justum id imperandi genus esse, testatur. Sed hujus *Boni* præter vocabulum nil magnopere mansit; & vocabulum quidem, quoniam prætexendo exitio publico sumitur, vehementer infelix atque subdolum. Perquire Politicorum libros, considera imperiorum actus, videbis alium *ad magnitudinem & commoda imperantium*, quam tyrannidis notam Philosophus constituit; alium *ad potentiam*, *opes ac splendorem*, cujus affectatio orbem bellis, humanum genus servitute semper afflixit; quosdam *ad famam & opinionem*, ut intelligas periisse primævum candorem, quo *esse bonum quam videri* erat utilius; non neminem *ad licentiam facinorum & subversionem legum*, (quo enim alio nomine tradi, quove suscipi fine putanda sunt, quæ principes ab omni juris morisque boni rectitudine abductos, potentiæ libidinibus relinquunt, consilia?) denique *ad vafritiem fallendique artes*, ut insidiæ tuæ omnes, neminis autem molitiones te lateant; ad hos, inquam, & ejusmodi alios referri fines tam constanter omnia videbis, ut *ϑηλαυγὲς* illud opta-

optatissimi boni πρόσωπον ab initio ostensum, humanis se subito obtutibus subducat: quod de Astræa Poëtæ finxerunt.

25. Cujus conspectus eo minus terris redditur: quo magis *vera illa & una Boni Publici obtinendi docendiq; regula & norma*, VIRTUS nimirum & JUSTITIA opprimitur relegaturque. Hujus respectu Aristoteles πόλιν ἀρίστην καὶ καλῶς πράττουσαν appellavit: Plato autem, hoc illud, ut ait, ἓν μέγα φυλάττειν unum maximum summeque necessarium custodire in republica imperantes voluit: ut vita honestatis virtutumque studio beata efficeretur. Hoc remoto, civitas ferarum relinquitur. ad quam quotidie iis, quæ sunt perstrictæ, rationibus proficitur. Rursum enim in rem præsentem veni, modestiam & justitiam in meras astutias vertisse deprehendes, quarum omnis ratio in id tendit: *ut, quodcunq; è re cujusq; ulla ratione sit aut esse videatur, id nulla ratione prohibente, quacunque autem promovente obtineatur.*

26. Observari à discentibus docentibusque hunc erroris fontem, & diffusos ex hoc fonte rivulos satius esset, quam quæsitis honestioribus nominibus ista in publicis scriptis juventuti conciliare, quæ etiam absque monitore, ut infelix lolium, satis fecundo proventu, in republica suppullulant. Quod cum hactenus dissero, sine cujusquam detrectatione, ad ingenuitatem omnis cordati orbis provocans, non eo accipiendum est, quasi nihil discriminis constituam, inter eam, *qua simpliciter dicitur prudentia; & πραγματικὴν, cujus consilia ut necessitate temporum expressa, & sapientes excusant, prudentes vero etiam laudant. atque hac est, quam solet Polybius probitatis ac recti constantissimus assertor πολιτικὴν συνήθειαν nominare, quoniam aliud simulatur, aliud agitur: res toto genere diversa ab illa veteratoria malitia*, quæ hodie studium Politicum obsedit: quæque κακοπραγμοσύνη recte ab eodem Polybio dicitur. Sed hæc prolixius petant quibus commodum est è Casauboni ad laudatissimum Lycortam præfatione.

27. Nobis illud restat, ut in fine applicemus hæc ad

ad *Plinii* nostri mentem, quam potuissemus interserere passim, nisi maluissemus differre. Trajano igitur quis gerendæ reipubl. modus fuerit, quæ regula, inde manifestum est, quod neglectis suis commodis, boni publici studiosissimus, non nisi in hæc verba pro sua salute nuncupaverit vota: SI BENE REMPUBLICAM ET EX UTILITATE OMNIUM REXERO. vid. cap. 67, 4. cujus explicationem pulcre conceptam illud ipsum & sequens caput suppeditat. Testimonium autem cap. 80, 6. *tibi dies omnis, summa cum utilitate nostra, cum tua laude conditur.* Multa possent adferri, quæ per singulas actuum species monstrarent nobis *Principem ad boni publici metam recto tramite incedentem, tyrannisq; factitata sedulo declinantem*, adeoque μάλα καλῶς καὶ ὁσίως πολιτευόμενον. Sed reservamus illa specialia ad capitum aliorum exegesin, quæ rerum potiorum singula tractabit.

APPENDIX, *de mixtura Utilium & Honestorum.*

1. DIctum est supra, male promoveri bonum publicum, cum projecta *honesti* cura, *utilitatum* habetur respectus. Hinc exurgit quæstio: *an igitur utilitates nec miscere honestati liceat?* cum præsertim Tacitus id in Agricola commendaverit. Quem locum operæ pretium fuerit examinare. Extat autem in Agric. 8, 1. ubi Agricola dicitur *peritus obsequi, eruditusq;* UTILIA HONESTIS MISCERE. Mens verborum, nisi explicatis rei totius præsentisque negotii momentis, percipi recte non potest. Igitur primo, *Quando & ubi & in quali negotio hæc misceri potuerint*, attendendum. Præerat, inquit Tacitus, *tunc Britanniæ Vectius Bolanus, placidius, quam feroci provincia dignum est. temperavit Agricola vim suam &c.* Sensus iste: Britanniæ præferocis & adhuc rigida cervice jugum subeuntis provinciæ mores nimia Bolani indulgentia, & remissior

 missior

missior quam pro moribus gentis gubernatio ultro corruperat. Igitur missus eo Agricola ulciscendi verius quam corrigendi licentiam, ubique caussas inveniebat plurimas. Sed clades futura videbatur, quæ medicina esse debebat. Hinc factum est, ut à jure & juris rigore honestique severitate, ad temperamentum æquitatis esset descendendum. Est ergo negotium id περιστατικὸν & necessarii temporis non compositi, tractationis item non ordinariæ, sed extraordinariæ: & quam Græci δεύτερον πλοῦν vocant.

2. Quo intellecto, nunc videndum, *in quibus constiterit ea utilium honestarumq; mistura.* quæ describitur his verbis: *temperavit Agricola vim suam, ardoremq; compescuit, ne incresceret, peritus obsequi*, id est: Si Agricola delictis pænas voluisset exæquare, increvisset haud dubie suppliciorum ardor, exaggerarætque sontium culpæ, iram pariter ac vindictam exasperassent, usque ad cladis similitudinem, factumque esset, quod de Sulla Lucanus ait:

Ille, quod exiguum restabat sanguinis urbi,
Hausit, dumq; nimis jam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum: nimiumq; secuta est
Qua morbi duxere, manus.

Quæ res quam sit indecora & noxia, Gruterus ostendit in discurs. ad Tacit. Fit tamen facile, ubi ex una parte indignitas culpæ, ex altera puniendi potestas, & scelerum aversatio concurrit. Quapropter Agricola quidem hoc facto moderationis manifestus: quem & alias, ait Historicus, *non pœna semper sed sæpius pænitentia contentum fuisse.* 19, 4. & cap. 7, 5. *rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.*

3. Explicato negotii ingenio, tertia nunc consideratio, *debetur* ἐπικρίσει sive *judicio Auctoris*; qui propterea Agricolam vocat *eruditum utilia honestis miscere.* Sententia ex dictis resultat talis: Honestatis vindicta & boni moris poterat videri, si Agricola, qua morbus duxisset, medicinam porrexisset: Sed illa justitiæ sectandæ ratio incurrebat in ejusmodi difficultates, ut nec sanitatem reductura,

ctura, nec Reipublicæ profutura, nec humanarum legum memor futura videretur. Apparebatque facile ex summo jure summam, quod communi verbo dicitur, exorituram injuriam. Ergo honesti jurisque curam non omisit quidem, sed utilitatis publicæ & æquitatis respectu ita miscuit ac temperavit, ut cui tollendo semel impar esset, paulatim mitigaret, & necessaria moderatione, parcendo etiam correctionis viam inveniret. Quæ enim utilitas, imo qualis noxa in publicum fuisset, titulo & opere emendationis provinciale robur perdelesse?

4. Talia exempla, *mixta prudenter recteq́ honestatis & utilitatis* sunt apud eundem scriptorem. Præcipue 3. Ann. 52. & 53. cum Tiberius videret (sæpe enim apud se negotium pensitaverat) luxuriam civitatis coërcitione quidem indigere, sed illam coërcitionem plus damni in remp. habituram, indecorum præterea attrectare quod non obtineretur, omisit inceptum, gravique oratione ejus omissionis caussas explicuit. Ex eodem fundamento idem Princeps, voluptatum plebejarum vanitatem parum ad disciplinam facere intelligens, tamen *populum per tot annos* (sub Augusto) *molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.* Ann. 1, 54.

5. Atque hæc est illa *συγκατάβασις πολιτική*, vel, Polybiana voce *συνυπόκρισις*: cum recta via veluti obsepta, obliquamus semitam, ut cum tempore, loco, modo, ad honestatis finem nihilominus perveniamus. Unde ad propositam supra quæstionem clarius jam responderi potest; *non licet utilitates privatas honesto publico miscere: non licet utilitates penitus illicitas; non licet per neglectum honestatis; non licet alio, quam publici boni fine: licet autem necessario tempore, honestatis semper habito respectu præcipuo, ad eam cum ratione obtinendam, ea quæ possumus, iis quæ volumus miscere*; idque caute, & cum *erudita quadam contemperatione: sine versutia, nequitiis, fraude, temeritate.*

6. Hinc consequitur: 1. *non modo falsum esse illud,*

lud, sine injuria non posse, sed hoc verissimum, sine summa justitia rempublicam regi non posse. vid. Aug. 2. de C.D. 21. 2. Male usum hac mixtura honest. & util. Populum R. qui ipso teste Cicerone, *sociis defendendis* specie patrocinii *terrarum orbem potitus est.* Neque felicitas ea debet videri. *Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas: vel ut alio modo definiam, Felicitas est fortuna, adjutrix consiliorum bonorum: quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Cic. in fragm.* 3. *Ergo in perditis impiisq; consiliis quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorque meo judicio Camillus exulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.* Idem ibid. 4. Male miscetur utilitas, cum viri eminentes magnisque præditi virtutibus, securitatis dominationi parandæ caussa, honesta specie seponuntur, acciduntur, deprimuntur, contunduntur. 5. Pravi item hujus mixturæ magistri, qui nova subinde tributorum ac onerum nomina, ac speciosos titulos inveniunt. *Nunquam*, inquit Plinius noster, cap. 14, 3. *principibus defuerunt, qui fronte gravi & tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. &c.* Et quæ plurima talia consulto prætermittimus.

7. In Fine illud adjicimus: Ut receptam multorum approbatione, ita improbam & detestandam esse orationem Photini apud Lucan. l. 8. cujus inter alia hæc verba:

Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit &c.

Verissimum autem illud Ciceronis: *Fundamentum perpetuæ commendationis atq; famæ justitia est, sine qua nihil potest esse laudabile.*
2. Offic, 20.

Sív

XXV.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. VI.

De AULA.

COmmentatione ſuperiori, ipſum imperii Trajaniani caput, actuum, inquam, Principalium regulam, eandemque animam in VIRTUTE & GENEROSITATE AGENTIS conſtituimus: qui cum ab *Honeſtate* nunquam ſibi diſcedendum cogitat, eadem opera debitam ſuæ adminiſtrationi formulam imponit, ſalutis autem publicæ non vocabula inſtruit, ſed momenta omnia feliciter implet. Monebat hic locus, ut *verſantis in Republica exempla* ſectantes in opere ipſo diſcere inciperemus, quæ operis fundamentum indicaverat magis, quam exhibuerat. Verum dabimus id honori tanti Principis, ut officio ſolenni aulam ingreſſi, ibique quomodo ſe ſuosque regat, ſpeculati, comitatu deinceps ſollertiore prodeuntem ad publici boni labores deducamus.

2. Argumentum diffuſæ commentationis, multisque doctorum (quis enim in aula non ſapit?) voluminibus tractatum brevi delineatione includemus; ut *quæ Aulas Principum inſtruunt ornantq;*, illis neque parce neque male uſam eſſe TRAJANI AULAM intelligamus. Cujus diſciplinam his ferme abſolvi partibus exiſtimamus, ſi

 primo

primo *Personas*, deinde *instrumentum paratumq;*, tertio *convictionem & mores* instituamus exponere.

3. PERSONARUM titulo tum ipsa Aulæ Augusta sidera, *Principem* & *uxorem Principis*; tum *liberos*, si qui sunt, *Principales*; denique qui ministrant hisce Dominis complectimur. Ac Principis quidem officia infra juvabit noscere: quemadmodum & Augustæ. De liberis Principis non dicendum esset ἐν παρόδῳ, si vel modus hujus commentationis angustior permitteret, vel Trajani aula exemplum nobis hic suppeditaret. Caruit enim sobole, sicut notum est. Quare unum illud obiter delibamus: *Bonam educationem, filiorum quidem in omni profutura publice disciplina ac virtutibus; filiarum autem in modestia, moderatione, civilitate, fuga mollitiei, cultis intra decorum moribus; potissimum Aulæ in præsens ornamentum, in posterum subsidium esse ac firmamentum. Scaturigo felicis imperii, spes sæculi, potentia, paces, non aliunde exspectari debent. quemadmodum nec fallax inde vaticinium petitur, de prosperis adversisq;, duratione ac interitu populorum.* Res magna neglectui hodie habetur, dum nec idonei plerunque educatores, comites, rectores Principalis adolescentiæ asciscuntur: nec totius aulæ disciplina talibus exemplis instructa est, quibus imbui mature & serio ingenia gubernationi rerum destinata conducat: nec magnæ fortunæ glaucoma, acerbum teneræ ætati & semper insidians malum, vel demovetur prudenter, vel demoveri potest efficaciter, per genium ævi & φαντασίαν hominum splendentium, pompantium, comantium &c. Haud dubie nugantur, qui, quod Principum ætati moribusque formandis appositi olim viri *graves* & serii sint à quorum latere nunquam discederent; hinc Germanicum nomen pariter & dignitatem (præmii scil. loco datam) eines Graven ortum habuisse existimant: quos ob eandem caussam *Comites* latine dictos, quod in comitatu Principalis subolis assidue versarentur (quo sensu etiam bonis Auctoribus vox ea usitatur) facilius scilicet persua-

persuaserint. Sed habent ista commenta neque inutilem neque illepidam admonitionem. Nobis cum immorari non liceat huic parti, visum est & dicendorum multa lucrifieri, & præteritorum jacturam pensari quodammodo posse, adjecto uno alteroque memorabili ex historia veteri loco. Quorum suo merito primus est, qui apud *Xenophont. l.* 1. *de exped. Cyr.* extat, ubi aulica institutione Cyri inter æquales laudata addit: ἔνθα πολλὴν μὲν σωφροσύνην καταμάθοι ἄν τις, αἰσχρὸν δ' οὐδὲν οὔτε ἀκοῦσαι, οὔτ' ἰδεῖν ἐστι· θεῶνται δ' οἱ παῖδες καὶ τοὺς τιμωμένους ὑπὸ βασιλέως καὶ ἀκούουσι, καὶ ἄλλους ἀτιμαζομένους. ὡς εὐθὺς παῖδες ὄντες μανθάνουσιν ἄρχειν τε καὶ ἄρχεσθαι. ἔνθα Κῦρος εὐμαθέστατος πρὸ τῶν ἡλικιωτῶν ἐδόκει εἶναι, τοῖς τε πρεσβυτέροις καὶ τῶν ἑαυτοῦ ὑποδεεστέρων μάλιστα πείθεσθαι. *Erat*, inquit, *in aula videre ac condiscere magnam continentiam compositiq; moris observantiam; turpe autem quicquam nec auribus quisquam nec oculis usurpabat. Hic pueri cum & audirent & viderent cur hi quidem à rege extollerentur ornarenturq;, alii autem despicerentur ac negligerentur, maturè addiscebant imperandi parendiq; artes. Hic igitur cum Cyrus educaretur, indole studioq; multum supra æquales exsplenduit, majoribusq; natu tanta reverentia auscultavit, quantam neq; illi, quos humilior fortuna potius admonebat, præstitere.* Huc accedit Augusti cura circa educandum sequiorem sexum: *Filias & neptes* (inquit *Sueton.* Aug. 64.) *ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretq; loqui aut agere quidquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios* (observ. morem præclariss.) *referretur. Extraneorum quidem cœtu adeo prohibuit, ut L. Tucinio, claro decoroq; juveni scripserit quondam: parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Bajas salutatum venisset.*

4. Administri aulæ (nam de Consiliariis sequens caput aget) cernuntur præcipue in officiis Palatinis. Possumus tamen classes facere, eorum *qui functionibus aulæ præsunt*, tum *qui comitatus caussa adsunt*, quem vel *ornant*, ut generosi, nobiles; vel *instruunt*, ut pueri no-

biles & satellites. Ceteri in vilioribus operis occupantur, neque tam pars aulæ quam appendix censeri debent: ut qui culinam administrant &c. His extra ordinem accedunt: *artifices*, sicut *musici*, *poëtæ*, *viri docti*, *architecti*, aliique: & sæpius, quam optamus, *moriones*. Præter hos omnes est genus quoddam ἀνώμαλον, quod quia non valde desideramus, satis habebit per signa (nam de tantis viris signatè loquendum est) appellari. non enim amplius eos morabitur hæc dissertatio. *Hi aula utuntur, nec utuntur; aula serviunt, nec serviunt; aulam ornant, nec ornant; omnia & nihil agunt; sive potius ex nihilo omnia, ex omnibus nihil faciunt; ajunt, nec ajunt, sed quasi ajunt, quasi negant, quasi rident, quasi ludunt, quasi laudant, quasi vituperant, quasi splendent, quasi vigilant, quasi dormiunt.* in quos si Menippus aliquis incideret, vereor, ne, quæ est viri dicacitas, antiquum illud suum occineret. Βαβαὶ τοῦ παντοδαποῦ τούτου θηρίου! τί ποτ' ἄρα δεινὸν ὑμᾶς ἐργάσεται;

5. Nobis redeundum est ad aularum ministeria. in quibus præcipuum est ad bene ministrandum omen, *elegisse bonos beneq; ministraturos.* Si enim ullibi, hic certe valere debet illud *Taciti* (Agric. 19, 3.) *non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus* aliorum ministros *ascire, sed optimum quemq; fidelissimum putare &* officiis præsertim Palatinis *ac administrationibus potius non peccaturos* præficere, *quam damnare cum peccant.* Igitur AULÆ, quam exponimus, fores hac inscriptione præmunimus:

ΔΕΞΟΜΑΙ ΟΥΣ ΘΕΜΙΣ ΕΣΤΙ, ΘΥΡΑΣ
Δ' ΕΠΕΘΗΚΑ ΒΕΒΗΛΟΙΣ
ΠΑΣΙΝ ΟΜΩΣ.

Aula quibus fas est, pateo: neq; nostra profanos
Porta ullos capiet.

Ita

Ita constitutum est Nostro Principi: qui *bonos* tantum *provehit & ostentat quasi specimen & exemplar, quæ ipsi secta vita, quod hominum genus placeat.* Paneg. 45, 4. Imo, *neminem in usu habet* Trajanus, inquit rursum Plinius Noster (88, 3.) *nisi aut sibi, aut patri suo, aut optimo cuiq; Principum dilectum.* Qui locus non prætereundæ observationis admonet: *ministros à prioribus principibus jam cum judicio dilectos, fideq; diuturna spectatos non temere à successore removendos.* (vid. Tholos. de Republ. 24, 6, 15.) quod tamen crebro usu venit, obtrectatione & invidia eorum, qui veteribus istis veluti custodibus remotis, novis artibus suis faciliorem proventum sperant, aut præfidenter sibi arrogant plura, quam ii, quos aulicarum administrationum versabilis usus jam exercuit instruxitque. Pertinet huc *Cassiodori* illud 4. ep. 3. Ad ornatum Palatii credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate servientium crescit fama dominantium.

6. Officiorum vero aulicorum & ministeriorum certus & constitutus non invenitur numerus: quippe ad potentiam Principis, magnitudinem imperii, aliasque conditiones referendus. Etiam ad tempus. Sic in bello & castris accinctior paratus, domi & in pace amplior est. Persarum præ reliquis populis hac in re magnificentia apparuit, qui *arcanum* quoddam *imperii* id existimabant, si agminibus Principum, exercitu ministrorum & satellitum suum regem venerationi civium inculcarent. videndus *Auct. lib. de mund.* (quem non recte Aristoteli quidam tribuunt) c. 6. & *Brisson. de regn. Pers.* lib. 1. Romana aula sub Augusto magnifica, sub Claudio, Nerone, Domitiano potius luxuriosa, sub Trajano restaurata, posterorum inertia vitium cepit. Et licet novis subinde officiis augeretur, potius tamen speciem quandam novam & pompam induit, quam auctoritatem pristinam recepit. Fortasse autem hic quoque moderatio melior. Certe qui aluntur magno sæpe numero, magno sumtu; principi neque usui sunt ne-

que decori. quales *tineas* & *sorices palatii* vocavit Licinius. *Aurel. Vict. in Epit.* c. 41. Horatius *numerum* diceret, & *fruges consumere natos.* Interim & illud accidit, ut qui nimium paucitati hic student, frustrentur optato successu, dum uni plura, quam commode efficere potest, committunt. *Severus* apud *Lamprid.* c. 41. nominis sui hic memor videtur fuisse, cum *aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet. Purgavit*, inquit c.15. Historicus, *palatium suum comitatumq; omnem, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infamibus: nec quenquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem.* adde quæ seq. vid. & *Contzen.* 7, 16, 6.

7. In his igitur deligendis, ut cœpi dicere, tum alia non negligi, illud autem tanquam præcipuum attendi debet, ut ex artibus *prudentiam*, ex moribus *fidem*, habeant, qui majoribus rebus sunt admovendi. minoribus quoque negotiis omnique famulitio instruendo *fides* requirenda & *probitas.* quanquam hi homines non legantur ferme, sed influant sine ullo morum examine. quæ res aulam nequitiarum, & impuritatum plenam efficit. Facili contactu serpunt improbi mores: & hujus fæcis aulicæ spurcities certatim ad nobiles pueros, & hac ratione ad potissimos aulæ ministros, quorum illi pueri seminarium sunt, dimanat. Certè vertitur in eo principis existimatio, ne vel minus intellexisse videatur, quos sibi admovere debuerit; vel per dissolutionem morum ac ingenii delectari malis hominibus, aut certè non offendi. Igitur non externa ista consideranda, quam procerus corpore, decorus incessu, magnificus verbis, mirabilis gestu, qui assumitur, sed animus & bonæ mentis exploranda constantia est. Inde verus aulæ splendor & dignitas. Nam genus, ætas, cum similibus neminem admodum vel promoveant, vel impediant: satis comperto, nullam esse vel sine virtute nobilitatem, vel sine intelligentia maturitatem, vel sine

ſine candore gratiam. vid. Jo. à *Chokier. l. 5. theſ. Polit. c. 1. & 2.*

8. Peculiares notæ ſunt, e. gr. *ne facile aſſumantur, quorum parentes alienato in Principem animo fuere, aut propter ſeditionem puniti.* Eſſe enim ſeditioſorum conſiliorum & odiorum quandam quandoque hereditatem, exemplis oſtenditur, ne de aliis cauſſis dicam. Item: *externis potius delectari, quam popularibus, tyrannidis indicium nonnulli faciunt*, ex Ariſtotelis l. 5. pol. c. 10. alii *pro magno arcano amplexi ſunt peregrinas cuſtodias*, ut Auguſtus, Tiberius, Caligula, Antoninus. (Diſting. autem cuſtodiæ ab offic. & miniſt. aulic. ceteris, in quibus potius cives collocandi) Sic nonnulla miniſteria præ aliis cautionem habent; ut *cubicularii*, quos fidos, taciturnos, illæſæ & integræ famæ requirit, qui aulam non præceptis magis quam exemplo inſtruxit *Jacob. I. Ang. Rex* in Δώρ. βασιλ. l. 3. An & illi ſuſpectandi ſunt, *qui nimis cupide aulicam vitam ambiunt & ſe ingerunt?* Huc traxerim verba viri vitæ rerumque aulicarum peritiſſimi *Anton. Guevara in epiſt. famil. ad Abbat.* mont. ferr. *Mihi illud certum eſt, aulicam vitam ambitioſis & avaris tantum convenire, qui gratiam & commoda quærunt, aut adoleſcentibus, qui per ætatem incommoda nondum ſentiunt.* Fallor an hic totus cautionis in dilectu locus multum habet prudentiæ, præſertim in Chriſtiano Principe: qui cum *Davide* multa & ſeveritate & diligentia tractare hoc negotium debet, ut adjungat ſibi homines *ambulantes in rectitudine, candore, integritate mentis* בתם לבב Pſal. 101. diſpellat autem ac ſegreget illud לבב עקש cor veteratorium & perverſum: cujus indoles paſſim aulas veluti contagio obſedit.

9. Equidem ſi tu quæras, quales ſint, qui aulis hodie aptos ſe exiſtimant, forte non aberraverit à vero, qui oculos retulerit ad Salluſtii *Catilinam, loquentiæ multum, ſapientiæ parum* habentem; ad *Curionem* Velleii, *hominem ingenioſiſſime nequam*; ad *Egnatium* Taciti, *qui habitu*

habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus & subdolus, libidinem & avaritiam occultabat. Qui locus, si cui inspicere lubet, nescio quos amplius commemorat, *fraudibus involutos, flagitiis commaculatos, specie bonarum artium falsos, & amicitia fallaces.* Affines his sunt *Herodiani* κόλακας τραπέζης, καὶ τὸ εὔδαιμον γαστρὶ καὶ τοῖς αἰσχίστοις μετροῦντες, (1, 5, 2.) Irrepunt & delatores, assentatores, Alchymistæ, semperque noxium Principibus genus, astrologi: & quis omnia *dehonestamenta* recenseat. Interim *boni* & idonei *situ abstrusi & quasi sepulti.* vid. querelam Nostri panegyr. 45, 2. & adde rursus exemplum Commodi, de quo *Historicus:* καὶ σώφρων μὲν πᾶς καὶ παιδείας κἂν μετρίως μεμυημένος, τῆς αὐλῆς ὡς ἐπίβουλος ἐδιώκετο. γελωτοποιοὶ δὲ καὶ τῶν αἰσχίστων ὑποκριταὶ εἶχον αὐτὸν ὑποχείριον. *Arcebatur aula, tanquam insidiator, quisquis virtutum studio aut modicis litteris imbutus esset. Scurræ autem, rerumque turpissimarum spectacula repræsentantes, devinctum sibi deditumque Principem possederant.*

10. Luberet hoc loco inserere, pulcherrimam politissimi *Barclaii* dissertationem, nisi prolixior esset quam pro nostro instituto. Orditur ille l. 1. Argenid. sermonem *de iis, qui indole & virtutibus præstant; quam hæc rara in mortalibus gemma, quam sæpe contemta ab ingeniis, quæ ad servitutem facta, liberis tamen ut plurimum imperant:* eaque occasione de vero aularum regiarumque thesauro consilium prudentissimum suggerit. Colligendos, ait, Principi, viros qui usquam, militia, litteris, artificiis summi habeantur: hos in aula non ad splendorem modo & famam, sed ad usus certissimos ali fas esse. Has velut in uno cœlo stellas multum in præsentia, multum posteræ claritatis regi regnoque allaturas. Neque graves ærario fore cum tot ludicra, tot vilissimi homines, tam superfluo & luxurioso sumtu sueverint sustentari &c. Esset & solenne aulicorum istud vaframentum hic examinandum: *quo litteratos omnes, à regia pro*

ineptis

ineptis spernunt arcentq́;. eam rem itidem, quam modo commendavi dissertatio, exponit. firmandam insuper Trajani exemplo: qui adjunxit sibi eruditos, cum tamen ipse non adeo esset eruditus. Panegyrista laudante 47, 1. &c. conf. cap. 49. fin. *Victor. epit.* 13. Quomodo doctis usus sit Severus memoria dignum est. Sic enim Lamprid. cap. 3. *Amavit litteratos homines, vehementer etiam eos reformidans, ne quid de se asperum scriberent. Denique eos adesse jubebat: singula quaq́; qua publice privatimq́; agebat, seipso docente volebat addiscere, si forte ipsi non affuissent: eaq́; petebat, ut si vera essent, in litteras mitterent.* Sed nos ad ceteros non egredimur, quorum judicio aulæ splendorem litteræ illustrarunt (vid. *Dinothum de reb. & fact. memorab.* l. 8, 1.) De eo autem unice eruditis gratulamur: *quod qui vere eruditi sunt* (nam ceteri hac vice in argumentum dissert. nostræ non veniunt) *illi* malunt in casa & secreto lare virtutem & bonam mentem meditari, quam in aula summis perfrui honoribus.

II. Sequitur INSTRUMENTUM AULÆ paratusque circa *palatium, adificia, supellectilia, mensam, vestes.* Hæc omnia adornantur cum quodam splendore, ut specie inanium etiam valida sit regia, externisque subsidiis interiorem majestatis vim paulatim insinuet. Hoc est quod apud Cassiodorum dicitur: *remoto fastu palatii contemptibile videretur imperium.* Multitudinis sane animi nulla re magis quam fulgore isto capiuntur, & veluti affectu venerabundo consternantur. Rursum videndus *Auctor. l. d. mund.* c. 6. ubi describit Persicorum regum illud *πρόσχημα, εἰς σεμνότητα καὶ ὑπεροχῆς ὕψος μεγαλοπρεπῶς διακεκοσμημένον* regia admiranda, cujus ambitus auro, ebore, electro insignis; multis vestibulis, atriis, januis, foribus, stationibus; splendidissimis ministeriis &c. Salomonis quoque magnificentia huc in exemplum venit: cujus tamen auro eborique potius symbolica meditatione attendendum, quam obtusa contem-

platione adstupescendum esse duxerim. Alias non displicet nobis cura palatii, cujus formula apud *Cassiod.* 7, 5: ubi Rex Theodoricus, *hæc nostra*, inquit, *sunt oblectamenta, potentiæ imperii decora facies, testimonium præconiale regnorum: hæc legatis sub admiratione monstrantur, & prima fronte talis dominus esse creditur, quale ejus habitaculum comprobatur. Et ideo magna voluptas est prudentissimæ mentis pulcherrima jugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum fessum reficere dulcedine fabricarum.*

12. Trajani moderationem circa ea, quæ in usum voluptatis maximis sumtibus alii struxerant, commendat Plin. c. 50, 1. *Non*, inquit, *exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum, immensa possessione circumvenis, nec unius oculis flumina, fontes, maria deserviunt.* Sed hæc membratim juvabit inspicere. Fuit Trajanus *tam parcus in ædificando* (quæ splendori scil. & voluptati aulæ servirent) *quam diligens in tuendo.* c. 51, 1. observa hic: aularum luxum à studio novarum molitionum, ædificandi & ornandi lubidine primum profluxisse. A qua abstinere prima ad meliorem disciplinam via est. Secunda cautio talis est: *Superflua recidit, aut ad rectiores usus convertit: vendendo scilicet & publicis reditibus accensendo:* cujus laudis pars ad eorum temporum conditionem pertinet. Ad extruendos fastus palatii, rapinis in divitias alienas invasio ante facta: quæ corrigenda reddendis ablatis erat. Tertia commendatio *contractionem nimiæ familiæ & familiarium luxuriæ castigationem.* Antea enim liberti & ministri aulici clarissimarum familiarum domos habitabant: sed & scurris & fœdis hominibus aula strepebat, unde profusioni occasio & numerosæ moli. Verba Panegyristæ ex capite 50, 2. sunt ista: *Multa ex patrimonio* (Trajanus) *refert in imperium, quæ priores Principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia sedesq́; nobilium immigrant pares Domini, nec jam clarissimo-*

rissimo-

rissimorum Virorum receptacula habitatore servo teruntur &c. & mox: *circumfertur sub nomine Caesaris tabula ingens rerum venalium. quo sit detestanda avaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cum haberet supervacua tam multa.* rursum: *ipsos illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud nunquam nisi Caesaris suburbanum, licemur, emimus, implemus &c.* Et c. 51, 1. *Satis est tibi nimiumq́, cum successeris frugalissimo Principi, magis rejicere aliquid & amputare ex his, quae Princeps tanquam necessaria reliquit. Praeterea pater tuus usibus tuis detrahebat, quae fortuna imperii dederat, tu tuis quod pater.*

13. Proposita est nobis brevitas: quae non patitur insistere huic sermoni. Moneremus alias: *omne instrumentum aulicum cunctosq́ paratus illuc quidem tendere, ne vel usibus Principis quidquam, vel splendori multum desit, ut discriminetur potius fortuna imperii quam ostentetur: esse tamen illa omnia temporum, potentiae, hominum conditionibus accommodanda.* Quod si principes minores & (cum majoribus illis regibus comparati, vix dynastae) aemulentur tam potentis aulae ornatum; si aequali apparatuum tenore, locupletiorum fortunam temporum sectentur in deterioribus; si liberis gentibus jucundum credant, quod populi ad servitutem facti admirantur; perit finis & ratio totius propositi; contemptusque instrumentum existit, quod adversus contemtiones remedium quaerebatur. Sciant denique, quibus mos ad vana obhaerere, unum aulae decus esse, aulicorum virtutes, ac supellectilem omnium pulcerrimam bonos spectataeque probitatis ministros. Quae res nos commonefacit, ut ad tertiam scriptionis hujus partem veniamus, id est, ad compendium bonorum aulae, & verae occasionem gloriae. *Est enim Aula* (ut *Hattronus* inquit l. 1. scen. vit.) *cos virtutum, domus procerum, orbis schola: patientiae, fortitudinis, prudentiae, continentiae multa ibi exempla & plures caussae.*

14. Nisi fors de DISCIPLINA AULÆ & moribus commentari res superflua credi possit ac intempestiva. *In aula enim quisq; facit, quod vult, quod potest, nemo quod debet:* judicio & verbis *Guevaræ*. Verum non pauca hic Trajanus suppeditat; Cujus primo GYNÆCEUM occurrit. nam qui à se suisque orditur, cetera efficacius regit. Mos tenet à longo tempore, ut muliebres in comtu deliciæ, in vestitu mollities, in victu fastidium, in familia turba, in sumtibus profusio, in ludicris libido, magnis multisque malis qua palam qua occulte aulas vexent. Trajanus primo *in ducenda uxore* caute *egit:* deinde *in gubernanda* prudenter. *Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultius uxor assumta, aut retenta patientius, ita foris claros domestica destruebat infamia: & ne maximi cives haberentur hoc effecit, quod mariti minores erant. Tibi* (pergit Panegyr. 83, 4.) *uxor in decus & gloriam cedit. quid enim illa sanctius? quid antiquius?* Hoc initio ad ceteram Gynæcei disciplinam provectus, I. *quod uxor Trajani sese intra decora feminæ tenuerit, nec ex regni negotiis quidquam usurpaverit*, exponit. *Quam illa*, inquit, *nihil sibi ex fortuna tua nisi gaudium vindicat?* secus quam Agrippina Neronis mater, *cui cuncta parebant Romæ*, *Tac.* 12. *A.* 7, 5. quæ etiam suggestum filii ascendere cupiebat ac præsidere 13, A. 5, 3. nam de Claudii Messalina dicere pudet. Livia autem illa, nonne maritum sibi plus quam par erat etiam in publicis devinxerat? nonne privatos supra leges suo favore evexerat, quod ad dedecus temporis *Historicus* memorat. II. *quod fastu superbiaq; huic sexui solita, abstinuerit.* cujus modestiæ laudem hac denique ἐπαινείου prosequitur: *Quid enim laudabilius feminis, quam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in judiciis hominum reponunt? magnisque nominibus pares se faciant etiam dum recusant?* Utut enim sponte multa ad uxorem Principis redeat splendoris participatio, nimis tamen privilegiis oneranda non est infirmitas hujus sexus. *moderandos esse feminarum honores* pru-

prudenter est à Tib. dictum. 1. A. *Tac.* 17, 2. III. *quod obtrectatio nulla conjugem & sororem Principis commiserit. Nihil est tam pronum ad simultates quam æmulatio, in feminis præsertim. ea porro maxime nascitur ex* conjunctione, *alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus finis est odium. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in una domo parique fortuna nullum certamen, nulla contentio,* 84, 2. IV. *quod in omni cultu civilis ac moderata fuerit. Eadem quam modica cultu, quam parva comitatu, quam civilis incessu?* Talis Augustæ mores haud dubie æmulabuntur, qui circa eam. ipsa autem ut talis sit *mariti opus, qui ita imbuit, ita instruit. nam uxori sufficit obsequii gloria. Sub modestia enim Viri, quantam debet verecundiam, uxor marito, femina sibi.* 83, 8.

15. In universum autem æstimanti patebit, originem & fontem disciplinæ omnis aulicæ quærendum *in moribus Principis.* Non tam imperio hic opus est quam exemplo. *nam facere recta suos Princeps optimus faciendo docet.* Vellej. 2, 12. *Est magnificum*, inquit ad Trajanum Plinius, *quod te ab omni cogitatione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius quod tuos. Quanto enim magis arduum est alios præstare quam se; tanto laudabilius quod, cum sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.* c. 83, 2. & 3. Vivat princeps caste cum uxore, abstineat illicitis amoribus (vid. δωρ. βασιλικ. l. 2.) vivat concorditer: præterquam quod uxorem ad eadem officia invitabit, nemo aulicorum erit, qui in minoribus flagitiis libidines numeret. Præferat modestiam; quis audebit insolentiam ostentare? Quare conjunctim deinceps loquemur, de principis & aulicorum moribus. Quos *in vita castos puroség, in convictu sinceros & temperatos, in cultu civiles, in negotiis placidos, in mensa liberales & sobrios, in remissione decoros* volumus. De INNOCENTIA morum universim præter ea, quæ modo diximus, illud commendamus principi hortamentum, quod Panegyrista ait c. 83, 1. *Habet*

hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum vero non modo domus, sed cubicula intimosq; secessus recludit, omniaq; arcana noscenda fama proponit atq; explicat. Parcat igitur suæ famæ, sine qua inefficax est potentia; parcat conscientiæ, sine qua ne vita quidem vitalis. *Omne sub regno graviore regnum est*, dixit minime pagane poëta paganus. Christianis autem principibus longe majora supersunt incitamenta, quorum auspiciis utinam rediret tandem in aulas aurei seculi vena & restitutionis certissimæ pignus, *Pietas & justitia morum.* Nefarii mancipii sed non sine infelici vaticinio in tot seculorum ingenia vox erat:

-- -- -- exeat aula
Qui volet esse pius: virtus & summa potestas
Non coeunt.

Audi contra: *Sola virtus & quidem minime simulata, regno & aulis servandis idonea.* Photini autem istius & Machiavellicæ larvæ recta ad interitum ducunt. qua de re late Thom. *Bozius* de imperio virtutis.

16. Sequitur INGENUITAS & SINCERITAS dictorum factorumque, quam passim laudat Orator. Quid enim generoso animo indignius, quam dulcia verbis promere, aspera mente occultare? quam, ut cum Claudiano loquar,

-- -- -- virus in alto
Condere, quam latam speciem prætendere fraudi?

Talis Tiberius, omnium simulationum abyssus. Dio vidend. l. 57. pr. Verba principis oracula sunto: nihilque à suis moribus magis is removeat, quam fucos & simulationum vilitatem. Nam aulicorum in hac re studium pæne consumitur, ut imponant erectioribus quam ipsi sunt, quos interim simplices & stolidos, denique, quod ego magnæ laudis reor, minime aulicos objurgant. Proverbio non

non vano locum fecit illa tantopere sibi placens vanitas: *manibus & vocabulis & gestibus rem geri in aula, non fide & more majorum.* Non vacat nobis hic exequi, quo incessu, quo gestu, quibus deliciis, aulico utendum sit & salutationibus: quanquam videmus, inprimis in aula qui *vel caput decenter non aperiunt, aut venientibus tempestive non assurgunt, aut occurrentibus obviam ipsi ultro non procedunt, aut deniq; unicuiq; non qui debetur titulum tribuunt, rusticitatis vel fastus & arrogantiæ argui* (sunt verba *Guevaræ* ad quendam, qui petierat præscribi sibi quasdam elegantiores salutationum formulas) neque aulicissimos istos, ut sic dicam, ad partes nunc vocamus: *Castilioni* vicem hujus operæ imponentes, qui in *Aulico* suo valde curiosum præceptorem agit: hæc, inquam, omnia *elegantiæ, εὐκαιρίας* sive *tempestivitatis, cautionis, comitatis, modestiæ, gravitatis, leporis, generalibus* quidem vocabulis ita includimus, *ut honestatis fundamento & sinceritatis indole* consummari cupiamus. Crude enim præcipiunt, qui aulico *byssina verba, assentantes domini affectibus vultus, occultationem ingenii, captationes opportunas munerum, laudationes, jocos, dissertationes*, commendant, nec de vero omnis aulici moris instituto ac fine serio admonent, quo fit ut circa externam speciem occupatos, bonæ mentis, quæ hæc & talia adgubernare debebat, nulla imbuat rectitudo. Sed ADULATIONI, unico principalis fastigii veneno, peculiarem curam destinavimus.

17. Nec in VESTITU cultuque longius morabimur. quod enim principem attinet, repetenda sunt, quæ cap. 2. har. commentar. th. 14. diximus. Hic unum illud suggerere libet: *varietatem crebrasq; mutationes vestium, præterquam quod inconstantis animi haberi indicium solent, etiam plerumq; mali ominis esse. Curt.* de Alexandro 6, 6, 4: *Vestem Persicam sumsit, ne omen quidem veritus, quod à victoris insignibus in devicti transiret habitum.* Instar multorum sit exemplo *Carolus* ille *Magnus*. Extat vox ejus,

jus, qua ſevere objurgavit quosdam ſuorum, braccas Gallorum æmulantes; *En liberos Francos, qui eorum quos vicere veſtimenta haud bono omine & inauſpicato uſurpant.* Edicto inſuper adjecto, cavit, ne venderentur emerenturve in Germania Gallicæ veſtes. *Aventin.* 4. annal. Boj. Aulicos autem ſuos, peregrinis veſtibus & pretioſis fulgentes, quomodo deluſerit in venationem & hiemem ductos, indidem petatur. Collegit multa in hanc rem utilis *Richteri* labor in axiomat. Polit. 318. *Michaëlius* autem *Lætus* vir patrii moris amantiſſimus, quique eloquii ſimplicitatem animi judicio egregie penſat, l. 2. rer. Danic. longa diſſertatione argumentum hoc de veſtium luxu & varietate tractat, Germanoque orbi per Maximiliani primum bella infuſum id genus mali autumat. denique prætextus vanos amolitur,

-- -- -- *nihil eſt obtendere morbis*
Pharmaca falſa. Deo res judice conſtat: & uni
Peccatur, cum quod peccatur ab omnibus, uni
Detrahit ac pœnas in publica crimina reddit.

Aut ſi vetera potius delectant, legend. caſtigator publicus omnis luxuriæ *Seneca* 7. benef. 9.

18. Tempus jam eſt ad MENSAM accumbenti miniſtrare Principi. Semper fuerunt & ſunt Principes, quorum epulæ *Petronio* aliquo deſcriptore opus haberent. niſi quod noſtra quoque ætas tulit *virum*, qui luxuriæ aulicæ mores velut in tabella tam efficaciter effingeret, ut ad ejus conſpectum totus ſanior orbis cohorreſcat. Nobis Philoſophica moderatione opus eſt: aut ſi veritas non placet niſi tecta, ænigmatice agamus. Quid vult ſibi, cùm inquit *Seneca* (7. de benef. 9.) *video elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione teſtudinem, & fœdiſſimorum pigerrimorumq; animalium teſtas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipſa illa quæ placet varietas ſubditis medicamentis in ſimilitudinem verì coloratur. Video iſtic menſas & æſtimatum lignum ſenatoris cenſu, eo pretioſius, quod illud in plures nodos arboris infelicitas torſit. Video iſtic chryſtallina, quorum accendit fragilitas pretium.*

pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet periculo, crescit. Video murrhina pocula. parum scilicet luxuria magno furit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent. Quid autem indignatur Sophus & objurgat (*consol. ad Helv.* 9.) *Non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimo maris ex ignoto littore eruere. Undiq; convehunt, omnia nota fastidienti gulæ. Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt, ut edant; edunt ut vomant: & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Quantulum autem ex istis epulis,* (epist. 89.) *quæ per tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libatis? quantulum ex ista fera, periculose capta, dominus crudus ac nauseans gustat? quantulum ex tot conchyliis, tam longe advectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? infelices etiam, quod non intelligitis, vos majorem famem habere quam ventrem.* Plinius porro Noster, qualem in epistolis cœnam narrat, *ubi scurræ, cinædi, moriones mensis inerrarent?* 9, 17. Longe auspicatius est, quod ad Trajanum epulantem loquitur 49, 7. *Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum, sed suavitatem tuam jucunditatemq; miramur: quibus nulla satietas adest, quando sincera omnia & vera & ornata gravitate. Neq; enim obscœna petulantia mensis Principis oberrat; sed benigna invitatio, & liberales joci, & studiorum honor.* Addenda sunt quæ præcedunt, dissimilis scilicet & infelix convivatio sub Domitiano, & Sueton. Aug. 47. Lamprid. de Alexandro Severo c. 34. *cum inter suos convivaretur, aut Ulpianum aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas litteratas, quibus se recreari dicebat & pasci.* Esto igitur Principis mensa *frugalis cum munditie: jucunda jocis & hilaritate: comis humanitate: gravis sobrietate: utilis colloquio: vacua turpi oblectatione: plena modestis moribus.* Emanabit exempli utilitas in publicum, & quod nulla lege sumtuaria corrigi poterit, nomen Principis abolebit. Illustre exemplum annotavit

Tacit. 3. A. cap.52. usque ad 56. ubi cum nullis remediis sisti posset luxuria, *præcipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuq;. Obsequium inde in Principem & æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus.* 55, 4. Res digna observatu. nam luxuria & voluptates ad mutationes denique regnorum proficiunt. *Tholos.* 22, 4. Continentia è contrario rerum bene gerendarum grande adjumentum, quod vel exemplo Julii Cæsaris, *qui semper & somno & cibo in vitam non in voluptatem usus est,* (Vellej. 2, 41.) constare potest. quibus adde Augusti exemplum. Sueton. 76. & aliorum.

19. Vitabitur autem facilius *luxuria* in aulis, si luxuriæ fomes OTIUM vitabitur. Turpe viro principi segne otium. Quale fuit, *cum pleriq; principes* olim tempus à negotiis vacuum *in aleam, stupra, luxum conferrent: cum seriarum laxamenta curarum, vitiorum contentione supplerent.* Panegyr. 82, 10. Trajanus *si quando cum influentibus negotiis paria faciebat, instar refectionis putabat mutationem laboris* c. 81, 1. &c. Et qualibus quidem remissionibus otium interpungendum sit, *singulari capite* dispiciemus. nunc nihil aliud quam *fugam somni, pigritiæ, voluptatum* inculcamus. *Hoc enim certo statuendum est*, Deum *non condidisse regna ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, qui frivola quadam & misera jactatione solent dicere, se, quod usum litterarum non habeant, suis familiaribus & necessariis omnem actionem committere, ac deinde nulla adducta probabili ratione, cur ita loquantur, totos se dedunt voluptatibus*; quemadmodum graviter scripsit rectissimi judicii Historicus *Comineus* l. 3. *Non licentia*, inquam, *vitiorum, non voluptatum opportunitatibus æstimabis istum locum, sed certe occasionibus & facultate bene merendi de genere humano, qui est unicus finis summi loci.* Paschal. *in censura animi ingrati* cap. 19. In honestioribus porro laxamentis molestiarum, omnino Princeps operam dabit, *ut jucunditati & comitati gravitatem; remissioni speciem contentionis; jocis momenta seriorum* misceat. ita conseque-

ſequetur ſcilicet quod apud Curtium de Alexandro dicitur 3, 6, 20. *ut pariter charus & venerandus ſit.* Eadem cautio in omni *colloquio*, *in admiſſionum facilitate & benignitate* (quam commendat Plinius paneg. 47, 3. &c. amplius nobis exponendam, niſi capite comment. noſtr. 2, 15. id egiſſemus) tenenda eſt.

20. Cumprimis autem id enitendum Principi reor *ne nimium ſemet vel convictu admoveat, vel favore tradat illis aulæ miniſtris, qui nec præcipui gradu, nec veris animi bonis eximii, inſidioſi benevolentiæ Principalis captatores arbitria rerum, à quibus ſubmoveri debebant, ſpeculantur.* Tales fuerunt in aula Romana aliquoties *liberti. Plerique Principes* (inquit Paneg. 88, 1.) *cum eſſent civium Domini, libertorum erant ſervi. horum conſiliis, horum nutu regebantur, per hos audiebant, per hos loquebantur,* & quæ ſeq. *Tu libertis tuis ſummum quidem honorem, ſed tanquam libertis habes, abundeque ſufficere his credis, ſi probi & frugi exiſtimentur. Scis enim præcipuum eſſe indicium non magni Principis magnos libertos.* Cujus rei turpitudinem etiam Agricola Taciti intellexit, qui *nihil per libertos ſervosque publicæ rei* egit. cap. 19, 3. Videndum etiam quæ Cicero præcipiat fratri l. 1. epiſt. ad fratr. epiſt. 1. & 2. Horum in locum ſucceſſere hodie tum ii, qui malis artibus Principum ingenio adrepunt, tum cæteri omnes, qui cum publicæ rei nec intelligentiam nec curam habeant, Principem tamen, quo minus prudentiſſimorum conſiliis utatur, veluti faſcino quodam diſtinent. Facile intelligunt quid velim, qui frequentiſſimam aularum peſtem quotidie deplorare opus habent. Talium deinceps veteratorum nequitia omnia agi ferrique videas, cum certiſſima Principis in præſens invidia, in poſterum infamia. Credat hoc Princeps velim, *unius invidia ab omnibus peccari.* Quo magis coërcenda eſt omnis aulici gregis petulantia, injuriæ, luxuria, rapacitas, &c. Valent hic verba Cic. ad Q. fratrem l. 1. epiſt. 1. c. 3. *nequaquam ſatis eſt ipſum te habere virtutes, ſed eſt circumſpiciendum diligenter, ut in*

hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis & civibus & Reipublicæ præstare videare. De Trajano Plin. 88, 3. *quos in usu habes, ita formas, ut se non tua fortuna sed sua metiantur.*

21. Non debemus dissimulando prætervehi maculam aulæ Trajani non levem. Quicquid enim dicat Panegyrista c. 20, 2. *castus vocari in universum nequit, qui amoribus puerorum operam dedit.* quod Xiphilin. cum aliis testatur. Nam quis scelus tam detestabile excusare ulla specie audeat? Quid sæculi moribus abreptum dicis, cujus fuit omnes sæculi turpitudines ad meliora vertere? Quid obvertis magna magnorum ingeniorum vitia? nemo magnus nisi qui & bonus, nemo bonus nisi qui à scelere purus. Sed nec *ebrietatem tuam*, Trajane, posteritas absolvit, quia Historicus *innoxiam* pronuntiavit. Atqui alius perpetuo ebrius, nec tantum ebrius, sed simul cruentus est? Quasi vero laudi possit dari, si quis deterrimo minus sit deterior. Quid tergiversamur in re aperta? Ebrietas cum omnibus turpis, tum vero Principi maxime ignominiosa est. Hæc nimirum sunt, quæ etiam lacerant famam ejus Principis, quem alias consensurus cum Romana curia orbis *optimum* vocasset. insigni documento, quanta Principibus *cura famæ* esse debeat, quam in utramque partem magnam habituri sunt. neque enim certior virtutum quam vitiorum recordatio est. *Igitur nemo temere est, qui sic numeros omnes innocentiæ implerit, ut non vitium aliquod ceu nebula reliquum vitæ splendorem obscuraverit. Catone Censorio quid laudatius? At in hoc incusandum quod vinosus, quod præfractus, quod aliena etiam ætate mulierosus. Octavii Cæsaris tam multas tamque præclaras laudes, aleæ studium & adulteria contaminarunt. Titum Vespasianum alioquin optimum sævitiæ suspicio læsit. Flavio Vespasiano, nulla alioqui virtute non absoluto, fœdissima Principi, pecuniæ cupiditas maculam attulit.* &c. ex *Erasmi* panegyr. ad Philipp. hæc mutuati sumus.

22. Sed nos meta vocat. Neque enim vel *virtutum prin-*

principalium vel *omnis scenæ aulicæ* tractationem suscepimus: verum σκιαγραφίᾳ generali contenti, cetera suis locis servavimus. Usurpamusque hic *Polybianum* illud, ex lib. 6. *recte judicaturo de scribentibus non attendenda esse, quæ omittuntur: sed consideranda, quæ exponuntur, quæ si falsa sint, etiam de omissis male opinandum; sin vera, tum existimandum, omissa esse cum judicio quæ omissa sunt, non per ignorantiam.* Clausulæ loco commendo studiosis rei aulicæ, quæ tersissimus *Barclajus* in Icon. anim. c. 14. *de diversis aulicorum ingeniis, studiis, moribus, successibus, fatis &c.* perite commentatur. Tum quæ *C. Rittershus.* in spec. bon. princip. collegit, M. Antonini egregia in hanc rem monita. *Licere etiam in aula recte & absq; luxu vivere, privatoq; proximum habitum assumere. Aulam esse instar novercæ; Philosophiam matri similem. Ab illa igitur ad hanc subinde se recipere debere eum, qui in aula versetur. Aulico Philosophiam hoc præstare boni, ut & ipsi res aulicæ videantur tolerabiliores & alii ipsum facilius tolerent. Aulam unam aliarum semper fuisse similem.* Addendus istis *Lucianus* erit, *de iis qui mercede conducti serviunt*: ubi vaferrima descriptione servitutem & mores aulæ ob oculos ponit. Profuerit & Steph. *Vinand. Pigh.* qui conversationem aulicam in *Hercule Prodicio* instruit, inspicere.

CAP. VII.

De

AMICIS PRINCIPUM.

1. HOs enim, cum de præcipuis Principalis fortunæ administris ageretur, huc distulimus, tanquam eximios & favore Domini selectos. Vocantur autem hoc nomine *ii, quorum consilio & opera Princeps ad regendam summæ fortunæ molem utitur.*

2. *Consilium* dixi & *operam.* Hinc discrimen Politicorum, in *Consiliarios* & *Praefectos*, quos *Administrorum* vocabulo includit Lipsius.

3. Atque in hos utrosque diversis regni curis Princeps acquiescit. Sunt *alii*, quos ob nullam talem caussam amor Domini complexu arctiore fovet, genere, elegantia, indole, casu conciliatos. qui cum *Amici* revera sint, obtinuisse tamen animadvertimus, ut honorario *Amicitiae* titulo ii ferme gaudeant, quos diximus: quique alia voce clarius *Adjutores* à scriptoribus nominantur.

4. De quibus paulo concisius acturi (nam praecedenti capite, genere scribendi usi sumus tumultuario) 1. *de eligendorum artibus.* 2. *de electorum officio.* 3. *de florentium periculo*, nobis dicendum intelligimus.

5. *Etenim cum plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, praecipuum est Principis opus amicos parare*, ait Noster *Panegyr.* 85, 6. Igitur nulli hic negligentiae locus: quae utique Rempublicam & famam Principis pluribus, quam credi potest, periculis involveret. Nota est super hac re *Cominei* querela objurgatoria in Principes imperitos & ignavos l. 3. non longe à pr. digna quae pressius consideretur.

6. *Quales* ergo DELIGENDI, inquis? Respondet Plinius: *Amicos ex optimis legendos* 45, 3. item: *non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus* 86, 2. Instas. Quomodo inveniam *optimos? Tales crede, qualis fama cujusq; est. Huic aures, huic oculos intende, ne respexeris clandestinas existimationes, nullisq; magis quam audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus quam singulis creditur. singuli enim decipere & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* 62, 9.

7. Distinctius tecum aget Lips. 3. Polit. 4. & 10: *qui fidem prudentiam, peritiam reipublicae, aetatem, experientiam utriusq; fortunae, moderatam ingenii acrimoniam*, in consiliario: *eademq; prope, praeter genus*, in Administro spectare jubebit. Nos nec illum nec alium quenquam ex-

scri-

ſcribimus: nec diutius quam par eſt hic hæremus. Conſulendus cumprimis *Ceriolanus* de conſiliis & conſiliariis c. 2. ubi quindecim animi artes, & c. 3. ubi quinque corporis dotes requirit.

8. Niſi cui placet in tranſitu noſcere, quales Severo amicos Lampridius tribuat: (c. 39.) nimirum *ſanctos & fideles & nunquam venales.* Sed hæc ad mores. *Ingenii* autem *altum acumen, purum, aptumq; omni vitæ cuicunq; incubuerit, excultum diſciplinis, exerta fortiq; verecundia, natum omnia, nec quid nimis audere,* Barclajus deſcribit. Icon. anim. 13.

9. Eſſet ad *ſtudia* virorum ejusmodi & *artes* eundum: ſcilicet juſtæ diſſertationis opere, ac propterea ab inſtituto præſenti remoto. Interim credimus illa omnia huc pertinere, quæ Lipſius *de ſtudiis Principum* in Notis Polit. commentatus eſt. cui jungi poteſt *Kirchneri Cancellarius* l. 1. c. 7. usque ad fin. & *Ceriolanus* modo laudatus c. 2. Item *Hippolyti à Collib.* Conſiliarius.

10. Illud non poſſumus quin moneamus: *Eſſe dominationis conſilio propius quam ſcito prudentiæ, quod quidam ajunt: In legendis adjutoribus non eminentes virtutes ſed modicas ſectandas.* Cui Principi hoc ſuades? ſi Tiberio: bene. ille enim *non ſectabatur virtutes eminentes.* Tac. 1. A. 80, 4. ſi Trajano ac bono Principi; male: vid. Paneg. 44, 5. & 45, 3.

11. Quod cum dicimus, non prohibemus diſcernere ingenia *acutiora à prudentioribus; elatiora à modeſtioribus; à magnanimis excelſa, à ſplendidis conſtantia &c. Multis enim ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur uniuscujusq; natura,* inquit Cicero ad Q. fr. 1, 1, 5.

12. Hodie præcipua cautio in *Cancellarii,* quem vocant, *officio.* Ab hoc enim tractationum publicarum veluti anima pendet: hic actionum fata diſponit & conſilia; pertinetque huc Meleandri cogitatio apud ſcriptorem πολιτικώτατον: *Qui poteſtatem Præfecti Secretorum* (nam hoc offi-

2. *Consilium* dixi & *operam*. Hinc discrimen Politicorum, in *Consiliarios* & *Praefectos*, quos *Administrorum* vocabulo includit Lipsius.

3. Atque in hos utrosque diversis regni curis Princeps acquiescit. Sunt *alii*, quos ob nullam talem caussam amor Domini complexu arctiore fovet, genere, elegantia, indole, casu conciliatos. qui cum *Amici* revera sint, obtinuisse tamen animadvertimus, ut honorario *Amicitiae* titulo ii ferme gaudeant, quos diximus: quique alia voce clarius *Adjutores* à scriptoribus nominantur.

4. De quibus paulo concisius acturi (nam praecedenti capite, genere scribendi usi sumus tumultuario) 1. *de eligendorum artibus*. 2. *de electorum officio*. 3. *de florentium periculo*, nobis dicendum intelligimus.

5. *Etenim cum plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, praecipuum est Principis opus amicos parare*, ait Noster *Panegyr*. 85, 6. Igitur nulli hic negligentiae locus: quae utique Rempublicam & famam Principis pluribus, quam credi potest, periculis involveret. Nota est super hac re *Cominei* querela objurgatoria in Principes imperitos & ignavos l. 3. non longe à pr. digna quae pressius consideretur.

6. *Quales* ergo DELIGENDI, inquis? Respondet Plinius: *Amicos ex optimis legendos* 45, 3. item: *non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus* 86, 2. Instas. Quomodo inveniam *optimos*? *Tales crede, qualis fama cujusq; est. Huic aures, huic oculos intende, ne respexeris clandestinas existimationes, nullisq; magis quam audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus quam singulis creditur. singuli enim decipere & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*. 62, 9.

7. Distinctius tecum aget Lips. 3. Polit. 4. & 10: qui *fidem prudentiam, peritiam reipublicae, aetatem, experientiam utriusq; fortunae, moderatam ingenii acrimoniam*, in consiliario: *eademq; prope, praeter genus*, in Administro spectare jubebit. Nos nec illum nec alium quenquam exscri-

ſcribimus: nec diutius quam par eſt hic hæremus. Conſulendus cumprimis *Ceriolanus* de conſiliis & conſiliariis c. 2. ubi quindecim animi artes, & c. 3. ubi quinque corporis dotes requirit.

8. Niſi cui placet in tranſitu noſcere, quales Severo amicos Lampridius tribuat: (c. 59.) nimirum *ſanctos & fideles & nunquam venales.* Sed hæc ad mores. *Ingenii* autem *altum acumen, purum, aptumq; omni vitæ cuicunq; incubuerit, excultum diſciplinis, exerta fortiq; verecundia, natum omnia, nec quid nimis audere*, Barclajus deſcribit. Icon. anim. 13.

9. Eſſet ad *ſtudia* virorum ejusmodi & *artes* eundum: ſcilicet juſtæ diſſertationis opere, ac propterea ab inſtituto præſenti remoto. Interim credimus illa omnia huc pertinere, quæ Lipſius *de ſtudiis Principum* in Notis Polit. commentatus eſt. cui jungi poteſt *Kirchneri Cancellarius* l. 1. c. 7. usque ad fin. & *Ceriolanus* modo laudatus c. 2. Item *Hippolyti à Collib.* Conſiliarius.

10. Illud non poſſumus quin moneamus: *Eſſe dominationis conſilio propius quam ſcito prudentiæ, quod quidam ajunt: In legendis adjutoribus non eminentes virtutes ſed modicas ſectandas.* Cui Principi hoc ſuades? ſi Tiberio: bene. ille enim *non ſectabatur virtutes eminentes.* Tac. 1. A. 80, 4. ſi Trajano ac bono Principi; male: vid. Paneg. 44, 5. & 45, 3.

11. Quod cum dicimus, non prohibemus diſcernere ingenia *acutiora à prudentioribus*; *elatiora à modeſtioribus*; *à magnanimis excelſa, à ſplendidis conſtantia &c. Multis enim ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur uniuscujusq; natura*, inquit Cicero ad Q. fr. 1, 1, 5.

12. Hodie præcipua cautio in *Cancellarii*, quem vocant, *officio.* Ab hoc enim tractationum publicarum veluti anima pendet: hic actionum fata diſponit & conſilia; pertinetque huc Meleandri cogitatio apud ſcriptorem πολίτικώτατον: *Qui poteſtatem Præfecti Secretorum* (nam hoc offi-

officium alias coincidit cum Cancellarii munere, alias pars ejus est) *animo volvens, non sine horrore cogitabat, quantum ille acceptis legatorum litteris posset. Tanquam arbitrum rerum nihil magis, quam quod Principi placet, referre. In hac vero libertate, quas cum exteris amicitias, si velit, non obruat: aut injurias atq; fraudes praecorruptus non mulceat? Quod si perfidiam, quae argui possit, prudenti scelere vitabit; at ipsa negotia narrando torquere, verbisq; premere aut elevare omnia poterit; tanquam hoc quoq; orator mandavisset* &c. vid. *Argen.* 5.

13. Multa suggeruntur Principibus arcana adversus maximarum rerum gubernatores: sed plura illi ipsi habent in promptu adversus Principem. *unum autem idq; certissimum arcanum ad Reipublicae salutem est Principis ipsius peritia & prudentia. Cum enim Princeps totus ab aliorum arbitrio pendet, neq; quicquam ipse per se gerit, nascuntur factiones, dividitur populus, dividitur senatus & regni proceres. inde bellum nascitur, ex bello rerum penuria, quam excipiunt deinde morbi & varii generis aerumnae.* His gradibus prudentissimus *Comineus* l. 3. à Principis imperitia ad imperii occasum, non sine saltu interim, deveniri existimat.

14. *Idem* qui l. 7. fin. graviter pronuntiat: *Est nimirum Deus, à quo salus regnorum omnium & incrementum & occasus & initia dependent.* sed prout affligere gentem constituit, ita ei imperitum Principem tribuit. quod hoc ipso loco & alibi ostendit.

15. Nobis ergo hic breviter attingendum est, tum *quomodo conciliare sibi delectos amicos*, tum *quomodo iis uti Princeps queat. Conciliandi* rationes in Panegyrico nostro tres proponuntur: I. *Honores* (quibus elargiendis nonnulli ad vafritiem usque progressi sunt) *Provehis*, inquit, *amicos & ostentas* 45, 4. & *revereris* 19, 2. II. *Munera & praemia.* vid. c. 58, 7. cujus finis in illam ἐπιχρίσιν desinit: *nihil magis tuum credis quam quod per amicos habes.* adde c. 86, 5. & Mamert. in grat. act. pro Cos. c. 25.

III. *Amor*

III. *Amor & vera*, nec vocabuli solum honore nixa, *amicitia*. *Habes amicos*, inquit Paneg. 85, 2. *quia amicus ipse es.*

16. Hæc fortissima conciliatrix mentium. Igitur non oratorem magis, quam Politicum agere putandus est Plinius, cum tantopere hoc argumentum amplificat. *Etenim in Principum domo nomen tantum amicitiæ, inane scilicet irrisumq́, manet* (85,1.) quæ res multum de fide consiliariorum detraxit. nemo enim serio fidus est ei, quem non amat. porro non amat, â quo non amatur. Neque enim est ullus liberior affectus, & qui magis vices exigat. vid. tot. cap. adi *Mamert*. orat. laudata c.26. & *Pacat*. c.16.

17. Absit autem *fortuita & subita benevolentia*, quæ non virtutum æstimatione sed fervore quodam in summo pectore nata mox evanescit. Ecce quali arcano tum utantur qui ita diliguntur. *Memores scilicet inundari se altissimo æstu, sed in suum Oceanum stata mutatione redituro, quam avidissimis pectoribus de illa felicitate bibunt. Neq́ enim lassare hunc amorem flagitatis muneribus timent, qui etiam nisi tempestiva celeritate excipitur, ut vina ætatem non ferentia, inutili veterno consenescit.* Si hoc disertissimo Politicorum credimus, in *Icon*. anim.13.

18. *Quomodo utendum amicis*, Lipsius satis exposuit 3. pol. 8. Ad quæ libet annotare quæ Lampridius de Severo habet c. 16. *Fuit illi*, inquit, *consuetudo, ut si de jure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si vero de re militari, milites veteres & senes ac benemeritos, & locorum peritos ac bellorum & castrorum, & omnes litteratos: & maxime eos, qui historica norant: requirens, quid in talibus caussis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent.* Pulcre: non contigit uni facile rerum cunctarum prudentia, sed nec scientia. Quo respectu exaudiendum est prudens sane *Ceriolani* monitum, cum *Principem, qui multis provinciis ac terris dominatur, consi-*

liarios non ex una vel altera ipsarum, sed ex omnibus deligere jubet. de Consil. 4.

19. Etiam illud prudenter monuit filium, Jacobus R. A. *ut à secretiore suo consilio raro abesset.* l. 2. δωρ. βασιλικ. Atque in eo opera danda principi (hoc enim addendum est) *ne arte quadam excludatur ab intima illa rerum cognitione.* Sunt enim proceres, *qui sic cuncta ad se trahunt, ac propemodum suas faciunt altas illas & salutis omnium curas, ut non tam republica egeant, quam suis officiis deinde resp. Icon.* an. 13.

20. Sed hæc hactenus. Deveniendum nunc est ad OFFICIUM AMICORUM: quomodo suum locum cum utilitate publica suaque laude debeant tueri. Hic in universum omnibus certatim commendant prudentes; *pietatem, fidem, virtutem, modestiam, obsequium, patientiam, constantiam:* Consiliariis seorsim; *libertatem, libertatis moderationem, cautionem, tarditatem, justitiam, continentiam, vigilantiam, taciturnitatem, veritatem, amorem principis &c.* cum præcepto de vitandis contrariis, vid. *Lips.* 3. pol. 5, 6, 7. *Petr. Magn.* de consilio cap. 13. & *Hippol. à Collib.* in consiliario.

21. Nobis hæc dissertatio sub manu crevit: itaque properamus ad finem. quanquam alias quæstiones non temnendæ hic occurrunt: quarum partem corollariorum loco proponemus. Unum non possumus silentio præterire. Turbamentis, inquam, bonæ mentis, rectique in Amico Principis officii, quæ copiose à Politicis ingeruntur, addimus præcipuum. Est illud *Hodierna ratio Politica.* rem ingratam sed veram loquor: descivit nostra politica à veterum gentilium quoque puritate; ne ad officia Christiani hominis nunc provocem, quibus nihil purius est. Hujus ergo qui vestigia sequitur, *eum ego qua speciosa in præsens aut utilia possint videri, consulturum arbitror; sed fundamenta boni status ad posteros jacere, Deoq; auctore firmandi status præsidia comparare, alterius longeq; diversæ artis res est.*

22. Non

22. Non sum is, qui necessitates rerum gerendarum ad scholasticas meditationes aut contemplationes cupiam exigere: sed sunt opinor rationes in mundo, quibus ex omni *antiquitate*, *ratione*, *honestate* ἀναντιρρήτως ostendi potest, quantum impuræ fæcis trahant scripta Politicorum: nam de actionibus quis dubitat? Destinatum nostro labori argumentum, vel promemus, vel prememus, sicuti Deo visum fuerit.

23. Ultimam scriptiunculæ hujus *partem*, De fato potentiæ *aulicæ raro sempiternæ* (sicut Tacitus de Mæcenate loquitur 3. A. 30, 7.) sive *de periculo excellentium Aulicorum*, itidem nobis lucrifacere potest, diserta & accurata cumprimis *Generosissimi Enenckelii* commentatio, Sejani titulo exemploque, *primo* catalogum eorum, qui ex lubrico aulæ culmine prolapsi sunt; *deinde* causas ejus ruinæ; *deniq;* cautiones & monita adversus eam exponens. cui add. *Amirat.* dissert. in Tac. l. 3. c. 4.

24. Extat hanc in rem pictura *Luciani*, de mercede conductis, circa finem, ubi per sublime atque inauratum *Vestibulum* in aulam introducto *Opulentiam* admirationis caussa objicit, mox *Spem* itineris ducem & anteambulam addit. cui succedentes *Fallacia Servitusq;* tradunt miserum *Labori*. Hic defatigatum *Senectuti* offerre fingitur. sequitur *Contumelia*, quæ arreptum *Desperationi* mancipat: emissoq; non per aureum istud vestibulum, sed obscuro posticoque *Exitu Pœnitentia* cum lacrymis occurrens geminat dolorem. Quanquam hæc cavillatio ad casus aulicos & ejus vitæ miserias in universum pertinet.

25. Alias probe distinguenda est hoc loco *clarissimorum virorum sub malis principibus ac tyrannis fortuna* (de qua nos capite peculiari, occasione Panegyr. nostr. 44, 6. agemus) *ab istis casibus, qui sub bono etiam Principe evectos in magna fastigia non minoribus affligunt ruinis.* Sive plenius distinguere placet. *quidam* plane sua culpa cadunt; *quosdam* plane aliena vitia præcipitant; *quibusdam* sua & aliorum opera calamitas accersitur.

26. Προφυλακτικὰ adversus tam ancipitis periculi metus, cum cura nec parce tradidere ii fermè omnes, quorum in hoc capite nomina laudavimus. Verum ne hunc locum plane intactum videamur reliquisse, secunda præstabimus opinor clausula. id est verbis Viri in omni re Politica & Aulica peritissimi, *Hugonis Grotii*, qui in tragœdia Sophompan. act. 5. Josephum talibus præceptis filio Manassi disciplinam potentiæ instillantem introducit:

-- -- Si tibi quondam viro
Pars se aliqua regni credit, Ægyptus tibi
Sit patria; sic est merita: benefactis data
Remunerare: proximum numen Deo
Regem putato: prima sit legum, illius
Obsequia jussis pendere, & rebus fidem:
Tum fastus absit, mentis inflatæ tumor.
Res est potestas fragilis & regum favor.
Supermicantem ducibus in planum levis
Tulit hora, paulum sæpe ab imperio interest,
Ad supplicantum verba & alienos pedes.
Si dignitas tua læsa, si damnum datum,
Da facile veniam. Prona gens labi sumus
Homines, quod olim primus ostendit sator,
Furtiva vetita poma cum tetigit manu.
Dat ipse se facilibus exorabilem,
Suaq; lege quemq; metitur Deus.
Suprema virtus atq; virtutum omnium
Perpetua custos & triumphatrix necis,
Pietas habenda est. otium semper fuge
Vitiis amicum. Vult honos sese coli.
Nam fulgor ex quo gentibus monstrat virum
Ut magna non sit fama, vitari nequit;
Sed sit decora an turpis, hoc in te situm est.

XXVI.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. VIII.

De ADULATORIBUS AULICIS.

EGimus in superiore capite, de *Amicis Principum*: id est, de illis qui revera sunt, quod esse debent. his vicinum aliud genus, nec est, quod vult videri: nec vult videri, quod est. Amicitiæ specie hostilem animum; malitiam, obtentu honestatis occultantes: denique per dissimillima omnia sibi semper simillimi. Nomen ADULATORIBUS datum.

2. Ita vocamus *homines subdolos, qui malis artibus, blandaq; specie favorem Principis aucupantur, cupiditates ejus solicitando aut inflando: ut quantumvis periclitante publico, privatim ipsi placeant, & quibusdam commodis mactentur.*

3. De his acturi breviter, considerabimus 1. *quales sint, qui adulantur.* 2. *quales sint quibus adulantur;* 3. *quibus adulationum artibus utantur.* 4. *quibus remediis ea pestis averti debeat.*

4. Suppeditat nobis hæc capita locus Panegyristæ cap. 41. v. 3. *Nunquam Principibus defuerunt, qui fronte gravi & tristi supercilio, utilitatibus fisci contumaciter adessent: & erant Principes ipsi sua sponte avidi & rapaces & qui magistris non egerent: plura tamen semper à nobis contra nos didi-*

didicerunt. Sed ad tuas aures, cum ceteris omnibus, tum vel maxime avaris adulationibus obstructus est aditus.

5. Hinc enim discimus ante omnia, *quales sint, qui adulantur.* quod antequam ostendamus, notandum est *duplex* esse, ut in cetera vita, sic in Aulis, *adulatorum genus.* Quorum quidam *Blandi* dicuntur, (ἄρεσκοι græce) quibus placendi studium unice est propositum: quidam *assentatores* (græce κόλακες) lucri caussa turpem placendi consuetudinem sectantes. Differunt solo fine, quo & Aristoteles Ethic. 4, 6. & Theophrastus in character: περὶ κολακείας, & ἀρεσκείας, eos distinxere.

6. Prius illud genus minus turpe existimatur, quare & Aristoteles aliquando ita vocari, quos ipse πολιτικῶς φίλους (*civiliter amicos*, id est, *comiter cum omnibus versantes. veram amicitiam colentes cum nemine*, vocat, & adhuc hodie noti sunt, qui Gallis *les courtisans* dicti (quæ vox plane cum ἀρέσκῳ convenit, & Germanorum illi judicio respondet, er ist ein Hoffmann) nullam ex nomine turpitudinem subeunt, licet minimo eos ab adulatore discrimine distingui Casaubonus censeat. Videasque *plerumq; blanditiam cum adulatione conjungi*, præsertim in Aulis, ubi majus assentandi præmium ostenditur.

7. Malum & noxium utrumque genus, & iisdem pravi moris *notis* signandum. Sunt enim adulatores 1. quidem *homines ταπεινοί*, id est, *abjecti servilisq; animi.* Ταπεινοὶ γὰρ οἱ κόλακες, καὶ τὸ ἀνάπαλιν οἱ ταπεινοὶ πάντες κολακές εἰσιν, inquit Andronicus Paraphrastes Arist. ad Ethic. 4, 3. *abjecto ingenio & humili sunt adulatores, sicut, qui tali ingenio præditi sunt, vicissim adulatores existimantur.* hinc Tacit. 1. histor. 1. 4. *Adulationi fœdum crimen servitutis inesse judicat.* & Arist. 5. Pol. *Adulationis proprium* esse ait, ταπεινῶς ὁμιλεῖν. Sunt autem tales animi partim *natura*, partim *assuetudine*, quæ degeneri sensu mentem ac verba adulantium emasculat ac deterit. Ex hoc principio interpretanda sunt plurima apud Auctores loca, quibus impositam adu-

adulandi necessitatem, sive consuetudinem, *partem servitutis* memorant. quæ hic brevitatis studio omittimus.

8. Sunt 2. Adulatores *genus hominum infidum & subdolum.* Quæ enim fides in servili animo? ubi spes adulatoris imminui cœpit, aut fortuna Domini vultum mutavit, primus deserit adulator, primus prodit, primus insultat. neque hoc tantum: inter ipsa spei ac fortunæ delinimenta, non affectu, non fide ducitur, non in consilio, non in convictu, non in obsequio.

9. Sunt 3. Adulatores *privatis tantum commodis intenti*, quibus publicum decus vile, qui publicis malis securi aut læti. Intelligit hoc Plinius, cum ait: *Principes nostri à nobis contra nos plurima didicerunt:* quasi diceret, fuerunt ex nostro ordine, qui nullo nostri aut publici respectu principibus ea suggererent, quæ ipsis privatim utilia, in commune perniciosa erant. Sed &, cum de *avaris adulationibus* loquitur satis apparet, illos avaritiæ magistros non sine spe emolumenti & præmii, rapacitatis vias ostendisse.

10. His addendum intelligitur etiam quod non est additum: *bonæ menti, honestatis studio, virtutis ingenuitati nullum in adulatoribus locum esse*, sed profundas improbitatis latere, etiam cum occultantur, libidines. *Adulator omnis virtutis inimicus est*, inquit Sarisberiensis in Policratico 3, 4.

11. Igitur genus tam noxium hominum diligentissime cavendum omnibus ac evitandum erat. Sed ut sunt incauti in sua damna mortales, nemo minus excluditur convictu, amore, deliciis potentium, quam adulator. Eo magis, quod φιλαύτων & *ambitiosorum* plena sunt omnia. Hoc enim *primum genus est eorum, qui adulatoribus delectantur.* διὰ φιλαυτίαν γὰρ αὐτὸς αὑτοῦ κόλαξ ἕκαστος ὢν πρῶτος καὶ μέγιστος, οὐ χαλεπῶς προσίεται τὸ ἔξωθεν, ὃν οἴεται καὶ βούλεται μάρτυρα ἅμα αὐτῷ καὶ βεβαιωτὴν προσγινόμενον. *Cæcus amor sui facit, ut quisque sui ipsius assentator cum sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat*

tat

tat ac vult esse sibi atq; accedere testem adstipulatoremq;, inquit Plutarchus de discrim. ad. & am.

12. Vere Horatius amorem sui cœcum appellavit: plerumque enim cum *stoliditate* quadam inepta & *vanitate* ridicula conjungitur. Quo fit, ut non concupiscere modo, sed expostulare adulationum mendacia audeant. Talis fuit Constantius, qui *ut iam cælo contiguus, casibusq; imperaturus humanis magniloquentia fastuq; sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernendo projiciendoq; id genus parum callentes. ut Crœsum legimus, ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri nesciebat: & Dionysium intentasse Poëtæ Philoxeno mortem, cum eum recitantem proprios versus absurdos & inconcinnos, laudantibus cunctis solus audiret immobilis.* Usus sum verbis Ammiani Marcell. l. 15. c. 15. Cujus ut rectum in plerisque judicium, ita censura in adulatores gravis & crebra non minimam laudem meretur.

13. In tyrannis occurrit *ambitio*, *vanitas*, *ferocia*, quibus ad *odium veritatis* & amorem assentationum corrumpuntur. Cumprimis autem magna & celebris hujus rei magistra *felicitas* est: Quæ ubi animo hominis superfudit se, primam, invisæ virtutis loco, adulationem admittit. Singulis utimur exemplis, sed insignibus: Alexandrum Magnum vesana cœlestium honorum cupido ceperat. *Jovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset ac linguis. nec deerat* (addit Curtius 8, 5, 6.) *talia concupiscenti perniciosa adulatio.*

14. Sed hi quidem manifestò absurdi sunt. superest aliud genus eorum Principum, qui *nec nullam adulationem, nec omnem cupiunt.* Quorum rursum diversa considerantibus offertur indoles. Alii enim *ambitione*, *calliditate*, *suspicionibus*, *incivilitate mixti*, periculosissimam assentantibus hanc operam reddunt, unde *angusta & lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuit, adulationem odit*, inquit Tacitus de Tiberio 2. An. 87, 3. adde Dionem, libri 57.

bri 57. pr. Alii *præcipiti sævitia*, cum nec verum audire possint, nec falso delectari, non minus in adulatorem, quam in amicum cruentas manus injiciunt: sicut de Basilide Moscovitarum Rege constat. vide Guagnin. tom. 2. rer. Polon.

15. Quæ disseruimus hactenus ad characteres Ethicos sive *notas* pertinent, quibus moris adulatorii consuetudo utrinque signatur. Quod si *ad ipsam hominum conditionem* respicientes, rursum interrogemus: *Qui sunt adulatores, & quibus adulantur?* Tum sane præter *eos*, *quibus hoc nomen facilius & manifestius tribuitur*; (ut sunt κόλακες τῆς τραπέζης quos Herodianus in Commodo nominat; & tineæ ac sorices palatii, de quibus est apud Victorem) *occultissimum & ideo periculosissimum adulantium genus est*, quos minime tales credas, propter autoritatem, prudentiam, dignitatem & officium. Quotus quisque enim *consiliariorum*, *præfectorum*, *administrorum* ab hac labe purus? Vidit hoc & monuit Tacitus, *amicis* (ita enim vocat, quos diximus) *inesse adulationem*, 2. A. 12, 4. & Curtius, in *Purpuratis* (eadem notione) *solitam vanitatem*, (adulationis scilicet) indigitavit, 3, 2, 10. observavit & Comineus l. 5, 18. Qui, *omnes*, inquit, *asseclæ Principum sententiis accedunt*, *præcipue ut quisq; proximus est*, *cupitq; familiaris persistere.* Quæ verba ex Barthii versione deprompta sunt. Hujus generis etiam sunt *Fratres, qui Principum mentes tenent ex auditione confessionis. atque igitur cautissime adulantur hi ac mire semper abutuntur magnatum vanitate* &c. Extant hæc in Hutteni Aula, ubi plura vide. Utile forsan esset huc accommodari sacrorum canonum instituta, quibus cautum est: *Clericos irrefragabiliter deponendos, qui noscuntur adulationibus inservire.* Sarisber. de nugis curial. 3, 5. Sane vero *Principes*, *Reges*, *Magnates ille scopus sunt*, quo intenduntur, veluti spicula, adulatorum artes & consilia. In hos promiscue vel adulatio callidi, aliquid machinatur; vel insidiosi, aliquod venenum parat; vel pravi maculam aspergit;

Ffff f

git; vel inertis & securi, vanitatis suæ ludicrum effundit; nulla judicii, nulla veritatis cura, sed partim privatis consiliis, partim *tradito more, quemcunque Principem vel quomodocunque adulandi.* Tac. 1. hist. 32, 2.

16. Progredimur ad *tertiam* commentationis nostræ *partem*, id est, ad *artes adulatorum, quibus irrepunt & subrepunt Aulis.* nam ad has Plinianus locus nos deducit. Primo igitur *observant diligenter affectus atque cupiditates ejus, cui adulantur: ex his argumentum & fraudem sui operis moliuntur.* e. gr. *si avarus sit Princeps*, rapacitatis artes & arcana commendant. quod præsertim hic de Domitiani adulatoribus Plinius innuit. *Si sævus sit & cruentus*, sæviendi occasionem & materiem adulator tanquam igni ligna quærit. quod Tacitus vocat, *sævitiæ Principis adrepere*, 1. An. 74, 2. *Si Helluo & commessator*, statim adsunt qui talia commendent oratione aut exemplo suo. Sicut Pomponius Flaccus & Lucius Piso *cum noctem continuumq; biduum epulando potandoq; consumpsissent cum Tiberio; non tantum dignitates ea re meruerunt, sed & elogium quo jucundissimos & omnium horarum amicos* (id est, si quis ex vero interpretetur, omnibus cupiditatibus suis lenocinantes) appellavit Princeps, Sueton. in Tiber. c. 42. Lucianus, cum tale exemplum, in adulatoribus Alexandri commemorasset, vocat hanc κολακείαν πρὸς τὸ Ἀλεξάνδρου πάθος συντιθεμένην. & in præcedentibus: οἱ δὲ κόλακες τὴν μειρακιώδη ταύτην τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν ὑπολαμβάνοντες, προσετίθεσαν εὐθὺς καὶ ἀνεζωπύρουν &c. de non tem. cred. cal.

17. Et quoniam apertis adulationibus aliqui offenduntur, 2. geritur dissimulanter hoc negotium, ne videatur hoc agere quod agit adulator. Quo pertinet *affectata in verbis, in vultu, gestuq; toto gravitas, & severior asseveratio.* Plinio est: *fronte gravi & tristi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adesse.* Exempla vid. ap. Tacitum 1. An. 8, 5. ubi *speciem adulandi*, appellat, scilicet gravitatis, generosi animi libertatisque affectatione adornatam. Talia

lia exempla sunt etiam apud Plutarchum de discrim. Adulat. & amic. Quæ non exscribimus. Notavit hanc artem Barclajus in Icone animorum, c. 13. *Etiam supercilio uti & pene regnare (modica tamen nec magna contumacia) Principes haud raro accendit.* *Sunt*, inquit Sarisb. l. 3. de nugis curial. c. 5. *qui vulgares & adulationes plebejas non admittant, ut qui nolunt vili unguento, oleove corrupto, quod omnibus fœtet, inungi, cum amicorum aut convivarum expetunt gratiam. Verumtamen illa magis timenda, quia magis perniciosa sunt, quæ quodam cautelæ velamento studiosius occultantur, & quasi sub imagine increpationis, aut correctionis, alteriusve officii aut virtutis, irrepunt.*

18. Maxime autem propria est adulantium consuetudo, 3. *laudare.* Igitur Tacitus per eos, *quibus omnia Principum honesta atq; inhonesta laudare mos est*, adulatores designavit, 2. An. 38, 5. Ab his videas laudari fœminam satis deformem, *ut Semiramim extollunt Parthi, vel Cleopatras Ægyptus, aut Artemisiam Cares, vel Zenobiam Palmyreni.* quod ex Ammiano Marcellino dicere libuit. l. 28. c. 20. *Ait Ethicus:*

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis:
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Sarisb. de nugis Curial. lib. 3, 4.

Ab his *amplificantur* immenso more, quæ sunt modica aut parva, aut ridicula. Alludit eò noster Panegyrista c. 54. v. 3. *nihil ante tam vulgare, tam parvum in Senatu agebatur, ut non laudibus Principum immorarentur* &c. & mox: *cum de ampliando gladiatorum numero* & similibus *ageretur, tanquam prolatos imperii fines certamen adulantium evexit.* Cum Caligula aliquis stolidissimis simulationibus ludicræ militiæ tempora & sumptus & famam alibi terit, ac

directa acie in litore Oceani, conchas legit (vid. Sueton. in Caligul. cap. 43. 44. 45. 46. &c.) non deest qui *victoriosum Imperatorem*, *damna hostium*, *Oceani spolia*, vehementer dilaudet.

19. Accedunt 4. *honores nimii*, *absurdi*, *illiciti*, *divini* : *titulorum prodigia gestuq; venerantium quæsitissima vanitatis aut absurditatis pleni.* quibus adulatores, prout cujusque Principis fert ingenium, quotidie novis & excogitatis utuntur. Loca apud nostrum huc facientia vid. c. 52. v. 1. c. 54. v. 4. item 55. v. 3. *cum jam pridem omnis novitas adulatione consumpta sit*, *non alius erga te novus honor superest*, *quam si aliquando de te tacere audeamus.* Apud Curtium lib. 8. cap. 5. v. 10. Cleo divinitatem & *προσκύνησιν* Alexandro tribuit. Apud Sueton. quidam Principis occupationes, *sacras* vocat. in Tiber. c. 27. quod correxit aspernator tam manifestæ adulationis Princeps. idem qui apud Tacitum oblatum templi honorem deprecatur, neque vult *promiscuis adulationibus vulgari.* 4. An. 37. 5. *Divinæ aures*, *divinus ortus*, *divina expeditiones* : & in compellatione, *vestra divinitas*, possint fortasse Rhetorum & Panegyristarum figuris condonari, nisi quantum de hoc vitio inesset, satis constaret. Pertinet *huc arcanum ἀποθεώσεως* imperatoriæ, cui itidem adulatio dedit initium; vis dominationis complementum. Quam rem festive expositam vid. ab Heinsio in laude Asini.

20. Importuna humanæ ambitionis & vecordiæ comes est cupiditas. Igitur inter artes adulatorias, 5. non raro observamus *spem objectam ab adulantibus*, *qua cujusq; cupiditas vanitasq; inflaretur.* Conceperat animo & cupiditate victoriam Darius antequam vidisset hostem : igitur statim aderant *purpurati solita vanitate spem ejus inflantes*, Curt. 3, 2, 10. Talem se apud Antiochum Thoas Ætolus gessit, *qui quibus mendaciis de Rege*, *multiplicando verbis copias ejus*, *erexerat multorum in Græcia animos* ; *iisdem & Regis spem inflabat*, *omnium votis eum accersiri*, *concursum ad littora futurum*, *unde Classem Regiam prospexissent*,

xissent, memorante Liv. 35, 42. Etiam ubi periculum propinquum & manifestum est, aureos montes loqui, his in more positum est. Sic cum necessitates suas proximis confiteretur Constantius Imperator, *illi in assentationem nimiam eruditi infatuabant hominem, nihil esse ita asperum dictitantes, quod præpotens ejus virtus fortunaq; tam vicina sideribus, non superaret ex more.* Ammian. Marcell. 15, 19. Magnam in hac turba partem constituunt vaticinatores, conjectores, Astrologi, quos propterea Tacitus, *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax* (agnosce genuinas adulatorum notas) vocat. Illi *urgebant in nova consilia Othonem, dum novos motus & clarum Othoni annum observatione siderum affirmant.* 1. hist. 22, 2. Illi felicia fata *exorabili ore* præsagiunt: Illi exitus mites & fortunæ cujusque optabiles gravissima voce promittunt. *Id enim ad gratiam & lucellum esse non dubitant.* Sicut explanat Taciti mentem Barclajus in Argen. l. 2. Cæsarem *ad amplissimam spem potiundi terrarum imperii conjectores incitavere*, Sueton. Jul. c. 7. *Franciscum Saluziarum Principem, dum nimium Ariolis & divinis tribuit, à Rege Galliæ* cui fidem multis nominibus debebat, *præpostera prudentia ad Cæsarem transfugisse* Thuanus memorat l. 1. Vide ibid. *Antonii Levæ Hispani exemplum*, qui eadem vanitate belli improsperi instinctorem se præbuit. Qualia suppeditant passim, rerum gestarum memoriæ.

21. Referenda huc est etiam 6. *Amoris simulatio*: non minima scilicet ars extorquendæ benevolentiæ. Ut cum Principe tristi aut male se habente, adulator perculsus & attonitus adsistit, somno, cibo, abstinet, aliaque ejusmodi simulacra instruit. *Specimen hujus astus Barclajus habet* in Icone animorum c. 13. Geminum est, quod de Sejano Tacitus ait 4. A. 59. *Cum Tiberius in villa spelunca convivium celebraret, atq; os specus lapsis repente saxis obrueret quosdam ministros, metumq; ac fugam convivantium faceret, Sejanus genu vultuq; & manibus super Cæsarem suspensus opposuit sese incidentibus: atq; habitu tali*

 reper-

repertus est à militibus qui in subsidium venerant. Major ex eo (addit Historicus) *& quanquam exitiosa suaderet, ut sui non anxius, cum fide audiebatur.*

22. *Temporis quoque* (sit hoc 7.) *diligentissimi observatores sunt*, ne quid intempestive ingerant, sed inter prandendum aut cum vino quis exhilaratus fuerit, aut cujuscunque compos *voluptatis, ait Sarisb. l. 3, 5. Cum Bessus aliquis cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultat, tum vero pro se quisque suas vires extollunt; hostium nunc temeritatem nunc paucitatem spernunt. Atque ubi ille absurdissimum cepit consilium, conclamant, unam hanc sententiam salubrem esse, debellaturi cum ipso super mensam Alexandrum. quod si Cobares quispiam interveniat, & moderatione bonisque consiliis utatur, triste inter temulentos præmium feret. Curtius 7, 4.

23. Denique (8.) illud *triste supercilium & frons gravis*, licet de *gestu vultuq;* proprie loquatur, admonet nos tamen de *arte*, quam gestus comitatur. Cum præsertim *magistrorum* vox,' à quibus Principes contra cives suos, imò contra virtutem ipsam tot ac tanta discunt, in Pliniano loco nobis monstret, *artificium reperiendi juris, & prætextus, & magnifici nominis.* Exemplum grande proximum Panegyrici caput suppeditat, ubi Viri innocentes, divites, egregiis artibus, publice celebres, ut subverti possint, specioso *majestatis* titulo ad perniciem postulabantur. de qua re alibi. Approbe huc faciunt, quæ Comineus, haud dubie præclarus & prudentiæ veterum comparandus auctor 5, 18. solerter observavit, dicens: *quidam sæviunt sub umbra justitiæ, hujusq; præsides viros ad arbitrium paratos habent, qui de levissimo quoque, morte dignum facinus facere norunt. Hos si deficiet materies, invenient rationes quibus dissimulent audire querelas partium, assertiones testium, ut quem velint ut volunt comprehendant, condemnentq;, uti vocant, in expensas: expectantes, si qui superveniat litem ei intendens, quem jam tenent*

tenent isi, spoliatumq; cupiunt. Si hac via satis secure procedere non possunt, neq; ad cupitum finem pervenire, habent alias, & certiores. Caussantur oppido quam necessarium esse, præstari exemplum, casusq; suos ita figurant, ut inde quod velint facile conficiatur. Aliis qui beneficio quodam ipsis obligati sunt, & quoquo modo potentiores, de facto, ut loquuntur, rem decidunt, solemnibus velut his sub formulis: Tu detrectas imperium nostrum, contra juramentum mihi præstitum agis: *sic violenter bonis exsuunt quem volunt si possunt, (certe ut possint ipsi nihil non tentant) magnisq; ejus vitam perplexitatibus involvunt. Quem vicinum tantummodo, non subditum, habent, si potens & pugnax erit, sinunt eum res suas agere; si debilis aut timidus, nescit quorsum se vertat. Caussabuntur eum favisse hostibus ipsorum, aut copias in territorium ejus divertere & inde ali volent, aut litigia rediment, aliasve invenient destruendi occasiones; vel vicinum alium in ipsum concitabunt, cui auxilia præstabunt.* Semper hic subintelligemus, non tam ipsos principes ista factitare, quam ut factitent à magistris (quos Plinius notat) moneri eruditique. Quare non piguit, longiuscula verba huc apponere.

24. Quid dicam de Scriptore Hispano satis celebri, qui Tiridatis ferum illud ac barbarum apud Tacitum 15. A. 1,6. Principi instillandum monet: *sua retinere privatæ domus: de alienis certare regiam laudem esse.* l. 2. de legat. diss. 21. Quam sane vocem adulationi potius, quam incorrupto consilio tribuendam facile vident, qui nec de cetero ignorant, *adulationem cunctis flagitiosis dominationis artibus partim initium, partim fomentum suppeditasse.* Quid enim patravit unquam licentia, aut expetivit cupiditas, aut molita est ambitio Principum, cui non honestatis titulum & speciosa nomina, & rationem status, quam vocant, adulatio amicorum indueret? Cum Augustus *adulteria exercet, excusant amici* (verius, adulatores) *non libidine sed ratione commissa, quo facilius consilia adversa-*

versariorum per cujusq; mulieres exquireret. Sueton. Aug. 69. Ex eodem principio, *libertas*, *contumacia* crimine; *civilitas*, *seditiosa popularitatis*; E contra, *vis extrema, jure imperii*; *perfidia & fraudes*, *jure utilitatis publica*, quotiescunque imperantibus gratum est, ab Aulicis adulatoribus, insigniuntur. Qualia si quis conquirat, in immensum volumen amplificare queat, quintum Clapmarii lib. de Arcan. *De Romanæ sedis Gnathonibus*, qui infinitam malitiæ, injustitiæ, injuriarum, scelerum vim, religioso sanctitatis velamento, per notissimum Mangonium publice prostituunt, nihil hic dicam.

25. Non opus est nunc sermonem ordiri, *de nocumentis Adulationis Aulicæ*: Possemus alias ex hoc genere hominum dare *Pradones imperii*, *molitores rerum novarum*, *subsessores thori principalis*, *cavillatores autoritatis publicæ*, *arcanorum Proditores*, *optimorum ac innocentium eversores*, *pessimorum promotores*, *virtutis deniq; omnis exterminatores*: verum hæc, ut cœpi dicere, partim per se nota sunt, partim alibi jam pertractata. Igitur ad *quartam dissertationis hujus partem*, de *remediis adversus adulatores usurpandis*, progredimur. Sed neque hic immorabimur longius, aut ea quæ cum cura Plutarch. de discrimine adulatoris & amici, (eum librum dignum existimat Steph. Vin. Pighius in Herc. Prodic. p. 105. quem quilibet Princeps adolescens ad unguem ediscat & memoriæ mandet) Sarisber. l. 3. de nugis cur. recentiorumque aliqui philosophando, aliqui per Philocalian variorumque exemplorum & rerum huc pertinentium collectionem tradiderunt, recoquemus. Id enim scribendi genus alienissimum esse à nostro instituto sæpe jam sumus professi. Unam artem eamque potissimam & validissimam adversus omnes adulatorum artes suppeditat Plinius noster in loco quem tractamus. *Ad tuas aures*, inquit, *cum ceteris omnibus tum vel maxime avaris adulationibus obstructus est aditus, silent ergo & quiescunt, & postquam non est cui suadeatur, qui suadeant non sunt.* Hæc ergo debet esse præcipua

cautio

cautio bono prudentique Principi, ut, quoniam ex omnis ævi historia scire debet, *adulationem perpetuum fuisse malum Regum, quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit* (Curtius 8, 1, 6.) diligentissima observatione severissimaque censura advigilet, quo minimi maximi sentiant, se intelligere, quid verus honor, vera laus, vera amicitia, à fucata earundem larva distent; neque veri juris ignarum, aut malarum artium tolerantem se esse; nullum denique apud se adulantes manere præmium, præter infamiam, & multiplices pœnas. Atque ea philosophia præstaret mature imbui Principis adolescentis animum: ne inanibus & falsis & speciosis, quibus plerique suæ fortunæ felicitatem metiuntur, unquam consuesceret gaudere. Nam Principi male educato, aut in vanitatum amorem projecto frustra aliquid suaseris vel dissuaseris.

26. Priusquam finiamus, mentio facienda est *earum artium, quæ in aulis quotidie usitatæ, adulationi vicinæ* videntur, nec tamen penitus & semper evitari, etiam à cordatis possunt. Tales enumerat Barclai. Icon. an. 13. Ut, *cum quacunq; re, sive seria, sive ludicra, princeps gloriam præstantiæ & victoriæ affectat, prudens aulicus cedit, & concedit, quod Princeps sibi vult concedi.* Nam qui mirantur Principis actiones & studia, quibus ille delectatur, cum non mereantur laudes & admirationem, longius ab honesta, quam nonnulli sequi videntur, *συμπεριφορᾷ* aulica, absunt. Interim, *loquitur aliquid Princeps vino hilarior, aut affectu perturbatior, quod tu nolis à bene sobrio & advertente dictum.* quid hic ages? adversere statim, aut tristi silentio, aliave fastidii nota damnes, quod mallet forsan ipse, & alias, & solus, & suo loco damnare? *Persuadere aliis, quod vult credi Princeps, etiam si aliter se rem habere satis scias: ignorare, quod vult ignorari Princeps, etiam si non ignores: ubi major Principis cupiditas intercesserit, ei rationem & speciem & pulcritudinem circumponere.* Similia sexcenta occurrunt: quæ *tempori*, & *genio circumstantiarum*, & *rationibus prudentiæ*, & altio-

altioribus boni finis momentis, potius quam adulationi dantur.

27. Etiam *errores principis tegere*, & modicos *interpretatione in publicum lenire, artisq; & consilii honore vestire*, sæpe plurimum ab adulatione abest. Sed hæc ad prudentiam περιςαλικὴν &, ut sic dicam, extraordinariam pertinent, magnisque & multis indigent cautionibus: sine quibus, nimium quam facile degenerant. Cum Alexander, haud dubie per summum scelus, interfecisset Clitum, conscientiaque facti extreme cruciatus, mori jam destinasset, vix ægre revocatus est à suis ad vitam. *quoque minus cædis puderet, jure interfectum Clitum Macedones decernunt, sepultura quoq; prohibituri, ni rex humari jussisset.* Curt. 8, 2, 12. Quæritur, *an ea adulatio dicenda?* Fortasse enim curiosior aliquis, rationes dubitandi inveniret non plane leves. 1. Regis vita pudore facti periclitabatur: quæ, nisi demto pudore servari non posse videbatur. Porro, pudor ille ad milites & amicos pertinebat: quorum judicia metuebat Rex. quo metu ut eum liberarent, publico decreto testabantur se aliter, quam existimaret, judicare. 2. Comitati subditorum & erga regem reverentiæ convenire videbatur, infamiam ejus domi & ad exteros hoc pacto celare. 3. Quia benevolentia militum, reperiebat aliquam imaginem juris, in regiæ potestatis plenitudine, etiam ad sui vindictam extemporalem valente; in tutela majestatis, quæ contumacia Cliti, hostilis animi speciem præbente, læsa videbatur. 4. Quia publico potius, temporis, necessitatis, belli, respectu, hoc decretum fecisse videntur, quam ex assentandi studio. 5. Denique non tam censura hujus facti Macedonibus erat facilis, quam necessaria regis veneratio, &c. Quæ & similia, si quis attendenda autumat, excusationem forte aliquam, multitudinis ea promtitudo mereatur. quanquam ratio ipsa, quæ Anaxarcho tribuitur, à Plut. ad Pr. indoct. ὅτι πᾶν πραττόμενον ὑπὸ βασιλέως, θεμιτὸν δοκῇ καὶ δίκαιον, quod quæcunque rex agat, ea jus fasque sequi videan-

videantur, ineptiſſima & noxioſæ adulationis plena ſit, ex qua nihil juſti exſculpere equidem poſſim, niſi quis ad ſubditorum judicia velit hoc ſenſu reſtringere, quo Comicus dixit: *Indigna digna habenda ſunt, herus quæ facit.* Plaut. Captiv. act. 2. ſc. 1.

28. Annectendum aliquid eſſet, de neceſſariis & coactis adulationibus, quas metus tyrannidis bonis quoque extorquet, & veluti rationem ſui ſtatus, commendat: niſi in Grutero copioſe obvia eſſet hæc commentatio, ad illud Taciti, ubi dedecori Neronis adſtitiſſe dicitur, *mærens Burrhus ac laudans*, 14. A. 15, 4. Affirmare ſane Tacitus videtur, *licere* tali tempore, *inter abruptam contumaciam & deforme obſequium, pergere iter ambitione & periculis vacuum*, 4. A. 20, 4. Quod ut *de extremis evitandis*, ſalubre cenſeri conſilium debet: ita omni adulationis imagine neminem ſub tyranno liberat. Eſſet etiam locus diſcutiendæ quæſtionis, *An in aula viventi plane inevitabilis ſit adulatio?* quod ita videtur Hutteno, in Aula. Sed nobis, ad cetera properantibus, finiendum eſt.

CAP. IX.

De avaris Adulationibus & Calumniis fiſcalibus.

1. PRopoſitus eſt, antegreſſo capite, locus è Panegyriſta noſtro; qui adulationis aulicæ variis artibus & pernicioſa induſtria, animo Principis inſinuari ſolitæ, notam veluti generalem, habuit: ſeorſim autem, de certo adulationum genere, quas *Avaras* vocat, admonuit. Itaque de his aliquid nobis hac occaſione dicendum intelligimus. Intelligit autem Plinius per *avaras adulationes* nihil aliud, quam *excogitatas, ſuppeditatas, commendatas, à magiſtris rapacitatis ſive iis hominibus, qui inveniendis augendi præter fas & jus fiſci artibus celebrantur,*

rationes novas, illicitas, crudeles, iniquas; non sine prætextu specioso, & pulcris nominibus.

2. Talibus magistris gratanter utitur plerunque aula: partim quia luxuries, dum consumendi modum non facit, inopiæ & avaritiæ locum & occasiones præbet; partim, quia habendi cupido, quorundam animos sponte obsedit, quibusdam autem facile conciliatur: cum ex vitiis nulla frequentius & efficacius corrumpant homines, quam cupido honorum & opum, vetustissima malorum orbis materies & caussa. Hi, ut obtineant, quod Principis & suæ cupiditati explendæ sit, subinde novas occasiones & prætextus vectigalium, tributorum, onerum, exactionum comminiscuntur: *exquirunt novos sinus, & varia prædandi vocabula*, ut loquitur Tac.4. H.14,5. qualia commemorantem vide Lips.4. Pol.11.

3. Geruntur hæc plerunque *vel* obtentu *salutis publicæ, rationis status*, ut hodie appellant, & *quasi subsidium regno paretur* (vid. Tac. 12. An.7,5.) *vel* per *speciem exercendarum legum & administrandi juris*; vel denique *ad vim Principatus & summam potestatem referantur, quæ aliter nequeunt exornari.* Hoc colore nitescunt res turpissimæ: æquitatisque laudem ementiuntur, quæ ab omni jure plurimum sunt aliena. Noster Auctor cumprimis *de ea perversitate* loquitur, *cum opulentissimus quisque, ab harpyiis istis Principi velut in prædam monstratus, ficto majestatis crimine corripiebatur.* hoc *fiscum locupletasse*, hoc *singulare & unicum crimen eorum fuisse, qui crimine vacarent*, ait, cap.42,1.

4. Qualis ex eo fonte pernicies, sive quod incendium exarserit, cunctaque corripuerit, alibi rectius & plenius dicendi locus erit. Nunc uno alterove loco ex Historia allato contenti erimus. *satis erat objici qualecunq; factum dictumque, adversum majestatem principis.* Suet. Domit. 12. *lege majestatis dicta factaq; omnia, quibus modo delator non deesset, tenebantur.* Id. Ner. 32. Hinc statim exilium, proscriptio bonorum & confiscatio, cædes.

5. In-

5. Instrumenta hujus rei & ministri *delatores erant*, nequissimum adulantium genus. qui *calumniis* forensibus tanquam jure, invadebant quosvis & subvertebant. Alius *è tabulis veterum ærarii debitorum*, id est *vel præcipua calumniandi materia*, aliquid arripiebat. Suet. Aug. 32. Alius mendacio bona aliena vindicabat. *Confiscabantur*, inquit rursum Sueton. Domit. 12. *alienissimæ hereditates : vel existente uno, qui diceret audisse se ex defuncto, cum viveret, heredem sibi Cæsarem esse.* Alius alios titulos machinabatur, quibus aliquid commodis fisci venari & adjicere se posse speraret. Spectat huc egregius Panegyristæ locus cap. 34, 1. *Vidimus delatorum agmen inductum, quasi grassatorum, quasi latronum. non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. nulla jam testamenta secura, nullius status certus, non orbitas, non liberi proderant. Et* cap. 35, 3. *ereptum alienas pecunias ivisse*, innuit. sed de delatoribus peculiari capite agemus, quos propterea in præsens dimittimus.

6. De cetero, *Procuratores & actores* Principum etiam inter avaræ adulationis ministros aliquando habentur. Illi enim cumprimis possunt, provinciales calumniis agitare. Hinc laudat Panegyrista, quod Trajanus, æquos & continentes habuerit *Procuratores* cap. 36, 4. Etiam *Advocati fisci*, huc pertinent. Hinc est, quod Theodoricus Rex apud Cassiodor. 1, 22. admonet Advocatum Fisci : *Ita per medium justitiæ tramitem moderatus incede, ut nec calumnia innocentes graves, nec justis petitionibus retentatores exoneres.* Ipsi quoque *Judices fisci* multum momenti ad quæstuariam hanc artem conferunt : quatenus iniquitate & avaritia, ad quærendam principis gratiam, frequentissime reorum caussas premunt, neque vel in mala caussa vinci fiscum, aut in bona evadere reum patiuntur.

7. Liceat nobis ἐν παρόδῳ notare; Præcipue hic intelligi fiscum *de Camera Principis*, ut vulgo hodie dicunt, sive de bonis & reditibus, non reipublicæ & ærarii, sed Principis & patrimonii ac opum Principalium. hinc *ærarium*

rium suum, *ornamentum suum*, *fiscum suum*, Principes appellant. Et ita Plinius noster utitur ea voce, sicut ex locis postea afferendis clarius patebit. Hoc sensu & Lamprid. in Alex. Sev. 26. *jus populi & fisci* distinxit. quo tamen loco *jus fisci*, non ad redituum tantum principalium jura, sed ad omne jus summum & regalia (ut in bello indicendo, in cudenda moneta, in cognitione & appellationibus, in creatione magistratuum &c.) spectare, monet Cujacius recit. Solemn. ad tit. de jure fisci p. 1248. Ejus præfectus, *Procurator fisci*; sub hoc *Actor*, *Dispensator*, *Rationales alii*, quos tempus & usus postulavit. vid. Lips. ad 2. A. Tac. *Advocatum fisci*, primus Hadrianus constituit, Spartian. in Hadrian. 20. sequiores ætates immutarunt eas significationes & confuderunt. *Advocatos* enim *Cameræ & Imperii & fisci* dictos; item *Nuncios Cameræ*, eos qui *Procuratores fisci* apud Romanos veteres, Goldastus observat tom. 1. rer. Alaman. in Ekkehardi junioris casus c. 1. p. 180. comparatque eos cum 12. præfectis Salomonis super omnem Israël. 1. Reg. 4, 7. Denique *fiscales*, dicti promiscue omnes ministri fisci, præsertim qui sub procuratoribus. nisi quod milites præfectorum ejusmodi præsidiarii, aliquando *fiscales* vocati. Id. Gold. l. d. p. 183. Verum, ut in viam redeamus, his principis reditibus cumulandis, inveniendisque ad eos cumulandos titulis, *avara illa*, quam Noster perstringit, *adulatio* multam operam impendebat, conspirantibus in hoc certamen avaritiæ, varii generis hominibus.

8. Atque ita maximis opulentum, provincialium, privatorum quorumque, damnis commoda fisci per *calumnias rapinasq;* amplificabantur. Id intelligit Suetonius per *calumnias fiscales*, Domit. 9. quas & Aurel. Victor, urbem miserabiliter affecisse, tempore Aureliani, memorat. Cæsar 35, 6. idem Cæsar 41, 11. *fiscales molestias* vocat. In hist. miscell. 10, 17. *calumniosa fiscalium negotiorum monumenta* memorantur.

9. Ita-

9. Itaque in his, & similibus corradendarum opum consiliis illicitisque exactionibus, publico infortunio fit, ut Principes sæpissime auscultent hominibus *imperitis*, *imprudentibus*, *improbis*, *violentis*, *adulatoribus*, *qui ad placitum eorum omnia faciunt & loquuntur. Si voluerit Princeps tributum unius nummi exigere, suadebunt isti, duorum, &c.* Sic describit *avaros Plinii adulatores* Cominæus, 5, 18. p. 361. edit. Barth. Non instituo hic de jure & injuria exactionum universim disputare: occupata ea materies certatim à Politicis & JCtis; inter quos *Hermannus Latherus* in libris de censu, conformatum ab Obrechto Nostro ædificii totius exemplar, apparatu quodam & coloribus exornavit.

10. Obiter & in transitu notamus, consilia illicitarum exactionum, ipsasque exactiones peccare I. vel *ratione quantitatis*, sicut cum Octavius Cæsar à libertis τὸ ὄγδοον τῆς ὐσίας *octavam facultatum partem*; & à liberis τὸ τέταρτον τῆς ἐπετησίας προσόδου *quadrantem annui reditus* exegit, motis rei indignitate omnibus, sed metu à rebellione retentis, memorante Dione l. 50. Ubi quid Cujacius velit (recit. solemn. ad tit. de jure fisci) non video, cum dicit, *postea Octava quartam partem rescissam annui reditus, non patrimonii*, ex Dione 51. Atqui Dio contrarium habet. Ait enim l. 51. *remissam quartam pensionem, quam adhuc debebant ex pecunia sibi imperata.* Qualis autem erat imperata? libro præcedente diserte expresserat: scilicet non τῆς ἐπετησίας προσόδου (ea enim indictio liberos concernebat) sed τῆς ὐσίας, id est, *patrimonii.* Igitur quod imperatum, ejus pars deinde remissa. Clarissima sunt Dionis verba: τὴν τετάρτην αὐτοῖς ἐσφορὰν ἀφῆκεν, ἣν ἐκ τῶν προσταχθέντων σφίσι χρημάτων ἐπώφειλον. ne verbum hic de reditibus annuis, sed de *pecunia imperata*, id est, *patrimoniali*.

11. Exempla nimiarum ejusmodi coactionum nulla ætas est, quæ non suppeditet. nos parce & pauca adferimus.

An-

An. 1568. *Albanus à Belgis, exactiones centesimi nummi omnium bonorum mobilium & immobilium; præterea decimi omnium mobilium, & vigesimi omnium immobilium, quæ venderentur, nullo temporis spatio aut termino designato, audenter postulavit atque indixit.* neque abduci à proposito potuit, ostensis rationibus & exemplis incommodorum & malorum &c. vid. Meteran. Hist. Belg. univers. l. 4. pr. *Joannes Rex Angliæ (acerbissimus exactor & prædo regni sui) de Baronibus & Comitibus cepit septimam partem omnium mobilium.* apud Matth. Paris: hist. Angl. in reb. Jo. p. 201.

12. Vel II. *ratione Qualitatis*, quæ varie determinatur. ut 1. *à qualitate caussarum impellentium.* Huc referimus perversam voluntatem exigendi, Machiavellica hypothesi nixam: *quasi Principis hoc esset Privilegium, exigere à subditis pro lubitu, quæ velit.* quam egregie exagitat Cominæus l. 5, 18. ubi inter alia quærit: *Estne sub cœlo hoc Princeps aut Rex alius, qui possit ultra debitum & constitutum exigere tributum à subditis suis, nisi consentiant illi, citra violentiam & tyrannidem?* Ad quam quæstionem tum ipse respondet, tum respondendi limites à nobis infra constituentur. Sed & *avaritia* huc pertinet ac *luxuriæ studium.* Id vult Panegyrista, cum inquit: *Principes sua sponte avidos & rapaces fuisse, quiq; magistris non egerent:* loco, quem tractamus. & cap. 34. cum de delatoribus conquestus esset, addit: *Auxerat hoc malum Principum avaritia.* Talis Nero, *qui nulli delegavit officium, ut non adjiceret: scis quid mihi opus sit. &, hoc agamus, ne quis quicquam habeat.* Suet. Ner. 32. Nonne vocabimus, ejusmodi Principis fiscum, *spoliarium civium, cruentarumq; prædarum sævum receptaculum*, verbis Plinii Nostri 36, 1.

13. Aggravat hoc negotium 2. *prætextuum & titulorum falsorumq; nominum, & malarum artium* consideratio. De *crimine majestatis* supra dictum. Aliquando *religio & cœlum* his usibus servit. Ita de Hispanica inquisitione recte

recte inter ipsos Pontificios judicarunt, *qui eam non tam pietatis tuendæ caussa inventam dixere, cui alia via satis ex antiqua Ecclesiæ disciplina prospectum esset, quam ut eversis ista ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearetur.* Thuan. l. 3. Certe hac sanctitatis specie omnia pro lubitu sedulo deprædantur artifices & antesignani Gryporum Jesuitæ: totaque Romanorum Gnathonum cohors. crimine ab uno disce omnes. Matth. Paris ipse Pontificius Histor. Angl. in reb. Henr. III. p. 638. *Instabat interim vigilantissime & incessanter sæpe dictus ille Magister Martinus domini Papæ clericus, redditibus quomodolibet ad opus Papæ Papalibusq; consanguineis congregandis ac conferendis. De cujus proterva & injuriosa rapacitate honestius & tutius esse, ob reverentiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, arbitror silere, quam aures offendere audientium, & mentes fidelium talia enarrando perturbare.* ¶ Proxima, *simulatio juris* est, ut supra innuimus. Thuan. l. 12. *Eodem anno actuarii regii constituti sunt, apud quos omnium rerum contractus, qui L Franc. pretium excederent, describi jubentur. Alii item edicto scribæ creantur, apud quos acta omnia, quæ ad sacerdotia pertinent, exscribi præcipitur. Utrisq; quæsitus color, ut nimirum falsitatibus obviam iretur.* Antea, *datum id aulicorum avaritiæ*, dixerat. ¶ Frequentissima porro *à bellis* caussa petitur & *necessitatis quadam configuratione. Nobilitatem exercebunt* (ait rursum Cominæus l. d.) *tributis exigendis, sub colore bellorum absq; fine, quæ bella ut ipsis lubet suscipiunt, sine consilio & auctoritate Procerum &c.* Hic vero omnia licere plerique autumant: quod tamen malo more fit, jure autem nullo, cum bella non necessaria, injusta, intempestiva, ambitionis aut privati cujusdam affectus ergo sunt suscepta.

14. Etiam *paupertatis simulatio* inter artes est. Vide querelam Papæ, *de ære alieno & paupertate Ecclesiæ, ad emungendam à suis ingentem vim pecuniarum institutam* apud Matth. Paris: p. 642. adde Casaub. in ep. dedic. Exercit.

ercit. præfixa. it. Prolegom. in quibus vindicat fidelissimum rapinarum Papalium expositorem à Baronii suspicione, quasi editio corrupta esset. Non desunt propiora exempla: sed remotis utimur libentius. Apud Cæsarem 3. de bell. civ. qui sua compendia quærunt in provinciis, *dictitabant, se domo patriaq; expulsos, omnibus necessariis egere rebus, ut honesta præscriptione rem turpissimam tegerent.* ¶ Ibidem hanc etiam artem invenimus: *tributum exigere, colore & specie mutui. In singulos*, inquit, *conventus singulasq; civitates certa pecuniæ imperabantur: mutuasq; illas ex SC. exigi dictitabant, &c.* Tale consilium non-nemini valde infeliciter cessit. *Bononiæ* enim *Ajardus Pretus, quia auctor Consilio fuerat, ut tributum nomine mutui populo indiceretur, tumultu populari discerptus est.* Sigon. in Hist. de regn. Ital. l. 20. p. 105. ¶ Qualis ille acquirendi titulus? Si quis *cliens* Cæsaris, aut ab eo *civitate donatus*, bona ejus, ut caduca, in fiscum redibant. Probat exemplis Claudii & Caligulæ, ex Dione & Suetonio Lips. ad 2. An. Tac. ¶ Interim *imposita, aut exaggerata culpa* multos perculit. Joannes ille Anglus cum Comitibus & Baronibus VII. bonorum partem adimeret, sicut supra ex Matth. Paris. dictum est, *prætendit quod ipsum inter hostes reliquerant in partibus transmarinis, unde castella & terras suas pro eorum defectu amiserat. Rursum à viris religiosis infinitam pecuniam extorsit, occasiones prætendens, quod noluerunt eum sequi ad partes transmarinas, ut hereditatem amissam recuperaret.* Quarum calliditatum & simulationum involucra Matthæus Paris. (qui plerumque, quod prudenter intelligit & judicat, dextre eloqui non potens, ipso efficacioris expressionis conatu gratiam captat, an invenit?) intellexit, cum Henricum III. Angl. Regem *argumentose prædando suos lædere & depauperare scripsit.* p. 917. Tacito in Agric. 36, 7. est: *falsis nominibus rapere.* Si in Romanorum historiam evagari animus aut locus esset, videremus avaritiæ Romanæ ad bella & deprædationes gentium nunquam tales prætextus defuisse.

15. Sed

15. Sed quis finis aut gratia in hæc talia inquirentem manet? *Cujus modo rei nomen reperiri potest* (possunt autem à magistris, quos aliquoties diximus, reperiri plurima) *hoc satis esse ad cogendas pecunias videtur.* verbis Cæsaris utor 3, B. C. Unum adhuc exemplum adjicio, artis emunctoriæ per similem artem delusæ. *Rex Galliæ Ludovicus petit ab Innocentio IV. Pontifice, ut liceat sibi per triennium decimam ab Ecclesia Francica recipere: quo tempore expleto, Papam tantundem ab eadem exigere posse, se non repugnaturo. Accipit conditionem Pontifex, eaq; pecunia ad Fridericum Imperatorem oppugnandum sibi opus esse testatus, Regi ultro ministros offert, qui Papali nomine efficacius exigerent tributum, simul ut quantum daret triennii collectio, ipse accurate rescisceret. Expleto triennio, cum vices exigendi jam ad Papam ex pactione pertinerent, negat Rex Galliæ se passurum, exhauriri Ecclesiam suam, ad expugnandos præsertim Christianos (Frideric. Imper. intellige) quod si infidelibus essent arma inferenda, facilius toleraturum. Accedere, quod non à sacerdote, sed à laico fieri deberet, si qua patienda talis exactio. Denique si adhuc alterius triennii deprædatio sequeretur, sarciri deinceps nullo modo damnum aut reparari posse.* Sic elusus prætextus prætextu, fraus fraude &c. Adi suis verbis ista memorantem Matth. Paris: p. 771.

16. Invidiosa porro fiunt ista exactionis consilia, 3, *respectu objecti:* Tum *Personarum*, tum *Rerum*. *Personæ* alias privilegiis quibusdam exceptæ, Sacerdotes &c. si extra casum necessitatis tributis onerentur, non parum invidiæ habet. nisi quod; cum ad necessitates reipublicæ ventum est, nemini privilegium censetur concessum, *non juvanda negligendave patria.* ¶ *Pauperum tributa* plerumque lachrymis irrigantur, neque propterea valde splendida existimanda sunt. Matth. Paris. in Henr. III. p. 641. *Interea Robertus Passeleve, Domini Regis clericus, vigilanter cum suis complicibus, regiis indulgens emolumentis, substantiolas pauperum diripiens, & thesauros regios accumulans,*

mulans, puteolosq; egenorum situla cupiditatis exhauriens, ut stillis indigentium pelagus augeret abundantium, non cessabat diversas partes Angliæ, vices agens Justitiarii, peragrare &c. ¶ *Capitationem* quoque inter duriora, & , aliquando ad quæstum reperta numerat Cæsar 3. d. b. c. *Multa*, inquit, *generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur &c.* ¶ χρυσάργυρον istud vetus à mendicis & præsertim meretricibus exactum, merito detestabile habetur. *adeo ut non modo naturæ ipsi sed reipublicæ administrationi inferretur injuria. Cum enim lege constituta pensio ea tribueretur, aperte illa potestatem permissam esse cuivis, ut quæ facere vellet, & quæ facere nefas esset, clamitabat:* Judicio Nicephori Callisti l. 16. c. 40. ut nimis indulgens sit Clapmar. 4. arcan. 19.

17. Quod ad *Res* attinet, gravia sunt tributa, *si minimis aut inhonestis, turpibus, sordidis aliqua; vel maxime necessariis, nimia* imponuntur. Ecce apud Cæs. 3. d. b. c. *Columnaria, Ostiaria, præter frumentum, milites, remiges, arma, vecturas, imperata.* Aliquando *pro umbra, aere, spiritu* vectigalia exacta. vid. Clapm. arcan. 5, 4. *Urinarium vectigal* Vespasiani omnibus notum est, Suet. Vesp. 23. ut & *sacrilegia* Neronis. Id. 32. Caligula *vectigalia nova atq; inaudita exercuit nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret.* exempla vid. apud eund. in Calig. 40. Tributa *pro caudis jumentorum* imposita, item pro *redemptione Virginitatis à Domino territorii delibandæ*, & detestanda horrendaque alia, vid. apud Tholos. de Republica 3, 4, 17. 9, 1, 45. &c. adde etiam Herm. Lather. de cens. 1. 5.

18. Aggravantur 4. *tempore*; si vel *calamitosis temporibus, nimia*; vel *ante tempus rigide* exigantur. Lather 1, 1, 22. Cæs. 3. d. b. c. *publicanis insequentis anni vectigal promutuum*, imperatum refert. Sæpe plurium annorum reditus, semel & simul in antecessum exacti: hinc usuris & ære alieno obrutæ provinciæ. Hoc enim

unum

unum est ejus rei, nec leve, incommodum: *alterum* in eventus incertitudine intelligitur. potest enim fieri, ut vix dimidio tempore impleto, exactæ quidem pecuniæ deficiant, novis autem colligendis nihil supersit, nisi quis velit subditos ad incitas redigere. Ita devoravit unus annus, alimenta ceterorum: quæ aut nulla, nisi sit opulentissima provincia, aut acerbissima vix corradentur.

19. Maxima autem plerumque additur molestia, 5. *ex modo exigendi & ministris exactionis.* Dignus est locus Cæsaris, ut rursum ejus partem adferamus. *Non solum urbibus, sed pæne vicis, castellisq; singulis cum imperio præficiebantur. qui horum quid acerbissime crudelissimeq; fecerat, is & vir & civis optimus habebatur. erat plena lictorum & imperiorum provincia, differta præfectis atque exactoribus: qui præter imperatas pecunias, suo etiam privato compendio serviebant.* Quæ verba nos advertere jubent, 1. *ad multitudinem exactorum & ministrorum* (coactores, Justitiarii &c. hodie dicuntur) 2. *ad eorundem superbiam*, qua *violentiam* & *crudelitatem* complectimur. 3. *ad avaritiam eorum* & privata compendia. (nam hæc duo veluti solennia horum hominum vitia, nihilque frequentius apud historicos legitur, quam *avara* ejusmodi & *superba* imperia, (als die rechte Baurenschinderey.) 4. *ad certamen & exempla scelerum: quibus nemo altero volebat videri inferior.*

20. Et quantum ad *numerum* quidem attinet, facile intelligitur, quam sit ille gravis subjectis, præsertim cum subinde mutantur, satiataque priorum avaritia, plus in successoribus restat satiandum. Civilis apud Tacit. 4. hist. 14, 5. ad populares queritur, *tradi se præfectis & centurionibus, quos ubi spoliis & sanguine expleverint, mutari.* Ceterum sicut ex avaritia Principum oritur hoc institutum, qui novis & auctis tributis, novos etiam & plures ministros præficiunt (exemplum vide apud Suet. Calig. 40.) ita non parum detrimenti ipsis Principibus quandoque adfert illa turba. Memorabile est, quod apud Thuanum legimus

l.12. qui, cum in Gallia quatuor quæstoribus ærarii, Patrimonium regium, (Domanium vocant) curantibus, totidemque indictionum & oblationum præfectis (Generales dicebantur) in unum munus confusis adjectos octo alios esse, æquato coactoribus primariis, quorum XVI. erant, numero, commemorasset, addit: *inde ingens pecunia corrasa, nec aliud præterea operæ pretium fuit; Patefacta interim porta ad immodicum illum, qui postea crevit, & maxime omnium hodie quæsturam regni gravat, munerum publicorum numerum. Paulo post, lege lata duplicatum coactorum fiscalium numerum, scribit:* atque *ita per multiplicatos ærarii rationales sensim imminutum ipsum ærarium:* hæc enim ἐπιχείρεις sequitur.

21. De *vitiis* horum hominum & insolentia, ante nominata, plenæ sunt memoriæ rerum & experientia temporum. Peti quoque aliqua possunt ex hactenus propositis. Quibus adde geminam & germanam *Actuariorum* sive *Agentium* indolem, Victori descriptam in Cæs.33, 10, & 39,25. Quapropter inexpiabili semper multitudinis odio flagrarunt: adeo ut in cædes eorum, & hinc in ampliores turbas, ultro iretur. Apud Tacit. *rapti, qui tributo aderant & patibulo adfixi.* 4. A.72,4. Inter recentiora consulto utor Angliæ exemplis. Si enim ulla regio, certe illud regnum multa & gravia passum est semper, à rapacitate imperantium & Pontificis, unde & ab Innocentio IV. *Puteus inexhaustus*; Anglia dicta fuit: vere, sed ad illudendum publicæ calamitati, acerbe. vide *Casaub.* dedic. Exerc. Igitur *cum Rex Hardecnutus tributum inexorabile & importabile imposuisset, dum importune id per Angliam exigitur, duo infestius hoc munus exequentes à Wigorniæ civibus extincti sunt. Quapropter Rex per Comites suos urbe incensa & depopulata, fortunisq; civium abrasis, contumeliam famæ & amori suo detrimentum ingessit.* Retinui verba Willielmi Malmesburiensis è lib. 2. c.12. cui scriptori, ut erat captus illorum temporum, multa laude digno, plurimum Angli debent.

22. Hæc

22. Hæc & talia reputantem Principem, decebat aures obstruere omnibus iis, qui *avaras adulationes*, & artes deglubendi potius quam tondendi pecoris in ore habent. Cum præsertim constet, *nimia fisci amplificatione, enervari vires ceteri corporis.* *Audio sæpe* (inquit Amirat. l. 4. c. 1. diss. pol.) *ministros laudari quosdam tanquam principibus fructuosos, ideo quia Regii peculii augendi methodum aliquam excogitaverint: neq; miseri principes animadvertunt, lucra sua ab una parte unciatim crescere, ex altera libratim diminui.* Quo respectu Trajanus satis noto dicterio, lieni fiscum comparavit. vid. Alciat. Emblem. 146. & comment. Claud. Minois. *Exuitur amor in Principem, succedit odium*, quo evertuntur regna facilius, quam ulla vi externa. vid. Lips. 4. Polit. 11. Exhauriuntur & spoliantur claris viris provinciæ, qui per metum profugiunt &c. vid. Amm. Marcell. 30, 18. *Sumitur aliquando bellum, & tumultibus perturbantur imperia.* vid. Tac. 4. H. 72, 1. Amirat. lib. 4. diss. Polit. ad Tacit. c. 1. Ad futuras necessitates, & voluntas & facultas subveniendi eripitur subditis, & mille alia mala creantur. Taceo quod *Tyrannicum* sit, *cives reddere pauperes*, Τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους, τυραννικὸν, ait Aristoteles 5. Polit. 11. adde seq. verba. Super omnia autem, ad conscientiam & vindictæ divinæ gravitatem, æternæque damnationis terrorem respiciendum esse, cordate & diligenter in hoc negotio monet, Politicorum πανδαίδαλος Cominæus, 5, 18.

23. *Exempla* etiam & *voces* magnorum Principum ad moderationem vocant. Mali Principis, sed adhuc sub imagine Boni latentis, ista vox est: cum *Præsidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit*, Boni Pastoris est tondere pecus non deglubere. Sueton. Tib. 32. Dio 57. Trajanus *ad suas aures aditum obstruxit avaris adulationibus* & adulatoribus: *eosq; ad silentium & quietem redegit.* Paneg. 41, 3. Augustus ut calumnias ejusmodi litium interverteret, *veterum ærarii debitorum exussit tabulas.* Suet. Aug. 32. Quod exemplum certatim æmulati

sunt

sunt posteriores Principes. De *Aureliano*, Victor in Cæs. 35, 6. *deleta fiscales & quadruplatorum calumnia, consumtis igni tabulis, monumentisq; hujuscemodi negotiorum.* Gratianus *actiones fisci comburi jussit*, sicut meminit Ausonius, ad quem Scaliger. vid. Anastasius χρυσάργυρον sustulit, *conjectis in ignem exactionis ejus libris.* Niceph. 16, 40. quanquam laudari non meretur, quem postea laudabilis facti pœnitudo cepit. De Valentiniano Marcellin. 30, 30. *tributorum semper mollivit sarcinas.* Id. l. 31, 40. de Valente: *Provinciarum æquissimus tutor: quarum singulas ut propriam domum custodiebat indemnes, tributorum onera studio quodam molliens singulari, nulla vectigalium admittens augmenta, in adærandis reliquorum debitis non molestus.* [observa laudabilem consuetudinem Romanorum Principum, qui reliquias debitorum & functionis tributariæ, vel remittebant plane, vel modico pretio taxabant. vid. Henr. Vales. ad h. l.]

24. Prorsus magnifica & generosa est rescriptio Theodorici apud Cassiod. 4, 38. *Incrementa fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio: quia servientium imminutio, est hujus illationis accessio, quantumq; illa pars proficit, tantum se hæc firmitate subducit. Sed a nobis, qui fisci utilitatem, stabili volumus diuturnitate consistere, excludenda est dispendiosa semper enormitas* (adde 11, 7.) ¶ Præsertim cum *avaritia tali sorte punita sit, ut cum multa rapiat, semper egeat*, ut habet ejusd. Reg. epist. seq. *Nam quid* aliud *caussa est, cur Principibus cum omnia raperent, & rapta retinerent, ut si nil rapuissent, nil detinuissent, defuerint omnia.* ex Paneg. 41, 2. consule Herm. Lather. de cens. 1, 1. it: Claud. Sesellii aureum libellum de rep. Gall. l. 1. p. 35. & 36.

25. Præter ista, singularis est provisio Trajani: qui ne liceret aliquid *calumniis fiscalibus, rationalium avaritiæ, advocatorum artibus, judicum studiis, liberam disceptandi cum fisco & fiscalibus suis facultatem reliquit omnibus. Dicitur actori atq; etiam procuratori tuo, in jus veni, sequere*

ad

ad tribunal. Tribunal quoq; excogitatum est par ceteris &c. Sunt verba Panegyristæ 36, 3. quibus paulo post addit: *Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cujus mala caussa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Quem locum sensu & imitatione verborum expressit Theodoricus apud Cassiod. dum ad Fisci advocatum scribit: *Non quoties superes, sed quemadmodum vincas inquiramus.* & mox: *Laudabilius à parte fisci perditur, cum justitia non habetur. Nam si dominus vincat, oppressionis invidia est: æquitas vero creditur, si supplicem superare contingat. Non ergo parvo periculo caussas dicimus: quando tunc fama nostra proficit, cum se commoditas injusta subducit. Quapropter fit interdum caussa mala Fisci, ut bonus Princeps esse videatur.* 1. Var. 22. [Observabo paucis ad locum Paneg. *Livineii* opinionem, *qui de privato tribunali, primum à Trajano constituto* conjicit. Verum nil opus videtur ea cogitatione, cum res ipsa longe sit vetustior. Dio expresse, sub finem lib. 57. tradit: *Jam Tiberii tempore nihil quicquam licuisse iis, qui Principales pecunias tractabant, præter definitorum redituum exactionem, & controversiarum in foro disceptationem, ἐξ ἴσου τοῖς ἰδιώταις, privatorum ritu.* Ergo jam tum *eodem foro utebantur Principatus & libertas,* quod ait Paneg. 36, 3.]

26. Conclusionis loco ponemus quasdam *cautiones, quibus judicium, circa argumenti varietatem & profunditatem, ad mediam quandam & planiorem viam dirigi possit.* ¶ Ante omnia, contra vim dominationis, quam Statistæ crepant, opponemus illud Amm. Marcell. 30, 27. *Regenti imperium, omnia nimia, velut prærupti scopuli sunt devitanda.* Et cap. 28. *Sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiamsi licet.* ¶ Deinde, etiamsi ab invitis etiam subditis tributum exigi posse, in universum & penitus negari non possit, tamen *laudabilior & prudentior via est, à volentibus impetrare.* Comin. 5, 18. exemplo promtitudinis Gallorum narrato, subjungit: *Nonne coram DEO & hominibus æquum justumq; sit, potius hac ratione pecuniam accipere,*

quam violenter, aut malis artibus. ¶ Hic *consensus etiam magnitudinem tributi minus invidiosam faciet.* Præsertim, *ubi caussa urgentior, necessitas major, talia postulat, quæ nova & dura videntur.* Tum enim nec recusandi, subditis, nec criminandi occasio supererit. Comin. 6, 7. de Caroli VII. exactionibus: *Tum quidem caussæ suberant ingentes & capitales, tam tuendis occupatis provinciis, quam impediendis solvendisq́; conspirationibus, quibus regnum concipilabatur: itaq́; assensum ei præbuerunt proceres. &c.* Grande & durum, nisi à volentibus & necessitatem agnoscentibus impetrasset, videretur Joannis Regis Daniæ Christiani I. F. tributum, cum pro unoquoque vomere binos aureos cepit. Meurs. hist. Dan. l. 1. p. 22. in rebus Jo. Modo ne fingantur hæc, sicut exemplum Aureliani Marcell. 30, 28. annotavit. & difficulter creditur, quod de Vespasiano nonnulli jactarunt apud Suet. Vesp. 16. ¶ Sunt & alia, *ob quæ tributi quantitas non statim suspecta esse debet:* ut, *opes regionis*; *facilitas reparationis*, *spes magna & præsens* (absit modo temeritas) *in cujus elaborationem magni sumtus sed cum fœnore redituri requiruntur*, *consuetudines avitæ* (caute id volo capi) *& similia.* ¶ *Ipsa* etiam *Regnorum jura diligenter discernenda sunt.* Sic Cominæus longe arctius adstringit Reges Galliæ, quam ut ad omnium regnorum potestatem ejus assertio valere possit. *Illa jura augentur aliquando adventitiis rationibus*; ut, si quid victis, ex conditione belli & pro ratione securitatis imponitur: qualia ad certam rationem redigi non possunt. Adi *Grotium* de jure B. & P. 3, 15, 16.

27. Jam, *quod ad objectum attinet*, haud dubie crassius agunt, *qui pro frumento, rebusq́; maxime necessariis nihil exigendum* disputant. vid. Lather. d. C. 1, 6, 23. Taceo *consuetudinem* (ob quam tamen §. 25. Latherus mox corrigere sententiam opus habuit) quid si inde potius sumere, *aliorum remediorum defectus*, *ingenium regionis*, *res nata*, *aliave caussa* jubeant? quid si *non invitis subditis*, quibus aliis in rebus parcitur, fiat? *Non possunt sane iidem ex*

rebus

rebus, diversis in locis, diverso statu, diversis hominum studiis, colligi tributa. ¶ Imo, *est hæc tota quæstio penitus* περιστατικὴ, *neq; temere de consilio Imperantium in sequiorem partem pronuntiandum est, Non spectanda sunt hæc* ἁπλῶς, *simpliciter; sed examinanda* πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πολιτείας καὶ συμπτώματα χρόνου, *ad statum civitatis & temporum.* ¶ Itaque *nihil minus quam facile judicium est de tributis, eorumq; institutione, excogitatione, titulis: propter varietatem status, caussarum, circumstantiarum &c.* Fitque etiam inde difficilior & anceps magis hæc censura, *Quoniam aliquando cohæret res tributaria cum arcanis imperii. quæ, nec propalare consultum; nec inquirere licitum aut decorum est.* Quomodo igitur statim, audito nomine *centesimæ, vigesimæ, decimæ*, possum de iniquitate aut nimia exactione suspicari? ¶ *Aliqua tributorum nomina, infamat sola peregrinitas.* Mirabile videtur huic genti, quod alteri familiare est: sicut vicissim quæ nobis plane non sunt insolentia, aliis mira viderentur. ¶ Denique cum, *à priori*, sit *una tributorum mensura in publicis necessitatibus quærenda*; ampliusque *justitia eorum ex administratione & dispensatione, à posteriori, judicari debeat* (vid. orat. Mæcen. apud Dion. 52.) *igitur ubi ad horum cognitionem perveniendi facultas aut jus est, sententiam ferre in proclivi erit: quod si autem involuta sunt hæc & abdita, decuerit haud dubie prudentem, vetus illa, & ex foro in omnem vitam transferenda formula:* Non liquet. ¶ Cetera *Conscientiæ eorum, qui illa tractant, relinquenda:* quam metu pœnarum & inferni obstringit Cominæus 5,18. Idem qui, cum tot dubia in hoc negotio concurrentia animadverteret, verissima denique præcisione (quæ & nobis clausulam præbebit) se expedivit:

Exacte inquirentibus nullibi perfectum quid in rebus humanis invenietur.

XXVII.

COMMENTATIONUM PLINIANARUM

CAP. X.

Continens Historiam Legis Majestatis à condita Urbe usq; ad Regifugium.

PRiusquam de *Delatoribus*, præcipuo dominationis instrumento, agamus (id enim commentatione superiori promisimus) exponenda est præcipua *Delationum* occasio & materies, quam in *Crimine Majestatis* tyranni reponebant. Quo plerique insontes etiam peribant. Hinc Panegyristæ nostro *Majestatis singulare & unicum crimen eorum dicitur, qui crimine vacarent*, *cap*. 42.

2. Quod ut rectius possit intelligi, *ipsa hujus legis & Criminis historia*, paulo altius repetenda videtur, cum præsertim alicubi dubia sit & involuta ea disputatio, nec abusus ullius rei liquido perspici possit, antequam usum probe cognoveris. Est autem argumenti hujus tanta amplitudo, quæ per omnia orbis humani imperia, per omnia imperiorum sæcula patet. Igitur nos, instituti memores, *Romanæ tantummodo Majestatis sanctitatem & inviolabile fastigium, ab V. C. usque ad Trajani nostri Principatum considerabimus: quidque vel Imperio profuerit Lex Majestatis, vel imperandi artibus servierit, vel dominandi flagitiis inquinata publico nocuerit* breviter & ἐν διηγήσεως τύπῳ commemorabimus.

3. Ante

3. Ante omnia, *quid sit Majestas, quid per Crimen, & L. Majestatis* intelligendum veniat, prænotare nos oportet. Est ergo h. l. *Majestas, ea summorum Imperiorum potestas, ac tam in re quam in personis dignitas, qua ad venerationem, obsequia, subjectionem, fidem, benevolentiam*, animi parentium ac privatorum sancto æternoq; vinculo obstringuntur.* Adeoque ad hanc mentem *Lex Majestatis talem sanctionem notat, qua reverentia Majestatis, & debita ei fidelitas præcipitur, quæq; irreverenter, maligne, seditiose adversus eandem fieri possunt, notantur ac gravissimarum comminatione pœnarum coërcentur.* Sicut *Crimen Majestatis violatam malitiosè Reipublicæ summæq; Potestatis dignitatem aut salutem* notat [Consulto hic *dignitatem potestati, reverentiam subjectioni conjungimus*, non tantum exemplo *Ciceronis* & prudentissimi cujusque; sed quod omnino ista duo, tam mutua cognatione intimam rei naturam complectuntur, ut distingui aliquando, separari nunquam possint aut debeant.]

4. Majestas, sicut Jure gentium est inviolabilis, & sancta, ita etiamsi nulla lex disertim, de non violanda, lata esset, tamen *æterna*, ut sic dicam, & *tacita lex* audaciam hominum debebat coërcere, nisi quod casus emergentes declarationem capitum tali lege notandorum suasserunt. Interim *Crimen Majestatis & Judicia Majestatis* rectè & ex natura rei agnoscimus etiam ibi, ubi nondum *lex Majestatis* certa sanctione proposita, certisque capitibus comprehensa erat. Ut enim sancta sit Majestas, non ex lege, sed ex se ipsa habet. nam de gentium consensu jam innuimus.

5. Verum nobis ad antiquitatem totam, aut aliarum historias gentium egredi, hac quidem vice, non est animus. In Romana Historia manentibus primum exemplum hujus criminis offert nobis *Clapmarius* 3. arcan. 7. in *Remo* Romuli fratre, qui transiliendo muros fratris, hostilem animum,

mum, & fratris imperio insidiantem prodiderit, adeoque Majestatis crimen & judicium incurrerit. nam ita eum sentire, vel allegata Poëtæ auctoritas ostendit:

-- -- -- *audentem talia dede neci.*

Sed hic color parricidio non est quærendus; quod nimirum non tam facile excusari, quam fieri potest. Fortasse & aliàs melius fecisset doctissimus arcanorum Revelator, si nonnunquam, *vestire facta consilio, & Juris semitas extra viam quærere* distulisset.

6. Quod si interim curiosus aliquis perseveret quærere: *an Remus transilitione murorum majestatem violarit?* Respondemus, *ex historia liquido probari non posse, hostili animo & rapiendi regni consilio id Remum fecisse.* quod qui sumunt pro explorato, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνουσι. Quinimo non leves conjecturæ sunt, quibus longe levius id factum nobis apparere potest. Nam quod de contentione super principatu apud *Dionys. Halic.* l. 1. refertur, ad *circumstantias & tempus transilitionis* nihil pertinet. Objicis *regiam Romuli de sanctitate Mœnium legem?* Resp. Ordo hujus historiæ adeo est incertus & varius, ut non possit aliquis firmum inde argumentum petere, aut in *Aurel. Vict.* auctoritate, qui ita seriem rei gestæ exhibet *in Proca*, tuto acquiescere, contra tot aliorum fidem. Sed nos omissa ea disputatione dicimus porro: *quæstionem non de alio quam Majestatis Crimine esse.* Quod ex aliis criminibus in occasionem Tyrannidis aut vindictæ minime est captandum. Urges, *violatam esse nihilominus dignitatem novi Regni & Regis?* Resp. *præterquam quod dignitatis læsio cum cautione in hoc argumento interpretanda est, non sufficit ad C. M. violasse dignitatem status, nisi probetur dolus malus, ac seditiosum pravumq; consilium, quod in omni specie hujus criminis præsupponitur.* Hoc fundamento etiam videtur niti M. Fabius cujus filium Papirius in discrimen capitis rapiebat; *temeritatem & inscitiam Ducum, amissis exer-*

exercitibus, *nunquam vindicatam esse*, scilicet si abfuisset malitia, & scelestum propositum. *Liv.* 8, 33. qui locus si recte accipiatur, non pugnabit cum eo, quod apud *Tacitum* dicitur. 1. A. 72, 3.

7. Porro an illud recte censeat *Sigon.* 2. *de judic.* 29. *De Majestate primum tulisse legem Romulum*, *cum scilicet*, *de Proditione legem tulit*, *cujus Dionysius meminit lib.* 2. p. 84. non sine ratione dubitaverit aliquis. Cum enim Historicus *de Jure clientum & patronorum* tantummodo loquatur, ejusque ex utravis parte violatorem ἔνοχον τῷ νόμῳ τῆς προδοσίας faciat, videtur privatæ potius proditionis species aliqua notari, quam illa *publica proditio* quæ criminibus majestatis accensetur. Fortasse peperit hanc opinionem, horribilis illa execratio & pœna, hac lege irrogata: de qua *ibid.* At vero subfuerunt aliæ rationes, quæ patrocinia & clientelas in arcanum Reipublicæ firmamentum inviolabilia præstare debebant. de quo in præsens nihil attingimus. Interim *Romulum munivisse certa lege Majestatem imperii*, neque *aut ipsum*, *aut ceteros*, *qui consecuti sunt Reges ulli rei prius consuluisse*, *verisimile est*, *quam ei*, *quæ regiam ipsam rationem*, *& totius populi ac Reipublicæ contineret.* ut hoc jam cum *Sigonio* dicamus. cum præsertim Romulus, dum omnia Majestatis insignia & apparatum regni ad invidiam usque exaggerat amplificatque (vid. *Plut. in Romul.* & *Zonar.* tom. 2. p. 8.) vim ipsam regiam & solidum Majestatis munimentum non insuper habuisse credendus sit. Quo & illud facit: quod sicut Majestatis splendor non alibi quam in Monarchia eminet illustrior, ita nec tutela ejusdem alibi præsumitur accuratior. Pertinet huc suo modo, quod *Ovid.* lib. 5. fast. de *majestate* scripsit:

Venit & in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa: mox alii, tempore quisq; suo.

8. Hoc

8. Hoc loco removenda est dubitatio, quam suppeditat locus *Taciti, 3.A.26,5.* qui nullas omnino Romuli leges videtur agnoscere, dum *in oppositione legum* scribit: *Nobis Romulus, ut libitum imperitaverat: dein Numa religionibus & divino jure populum devinxerat.* Jam quid *Dionysio* faciemus, qui toties τὸ νομοθετεῖν & τοὺς νόμους Romulo tribuit? & quasdam etiam hujus Regis leges operi suo inserit? Ne de aliis nunc dicamus. *Distinctione* igitur hic utendum duplici. *Primo* enim *leges certis formulis compositæ & promulgatæ* distinguendæ sunt ab *iis, quæ præjudiciis & arbitrio imperantium tantum constant.* Deinde *scriptæ leges, à non scriptis* discernendæ veniunt. Ne longe eamus, utriusque rei auctoritatem ille ipse *Halicarnasseus* commodabit. *Lib. 2. p. 49.* dicitur Romulus νόμους καλοὺς καὶ συμφέροντας, ἀγράφους μὲν τοὺς πλείους, ἔστι δ' οὓς καὶ ἐν γράμμασι κειμένους καταστήσασθαι, *leges tulisse honestas & utiles: quarum pars maxima scripto comprehensa non sit, pars autem perscripta litteris.* Et pag. 97. ait: τοῦτον τὸν νόμον ἐφύλαττον ἐν ἀρχαῖς μὲν οἱ βασιλεῖς εἴτε γεγραμμένον εἴτε ἄγραφον. *Hanc legem primi illi Reges observabant, incertum scriptam an sine scripto proditam.* Habemus unam differentiam, *scriptæ* & *sine scripto proditæ legis.* addenda est altera quam eadem perspicuitate proponit Historicus *lib. 10. pr.* Ait, ante XII. Tabulas non fuisse, ἐν γραφαῖς ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα, *in tabulas relata jura omnia.* ἀλλὰ τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐπέταττον τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων, τοῦτο νόμος ἦν. *Antiquitus reges lites dirimebant, & quod illi justum judicassent, id pro lege erat.* Addantur & sequentia.

9. Tacitus ergo 1. *compositas certo ordine & in tabulis ordinatas leges*, 2. *perfectas & justa copia in finem æqui juris*, ut ipse loquitur, *adornatas* intellexit, cum primis Regibus eas ademit. Nam alias, ut modo dictum est, & *Pomponius de orig. jur.* amplius testatur, *Romulus leges quasdam curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes*

quentes Reges. quas postea conscripsit, & *sine ordine latas in unum composuit* Papirius, sub Tarqu. Superbo. *Aurelius* autem *Victor* haud dubie de νόμῳ ἀγράφῳ accipiendus est, cum *in Proca* de Romulo scribit: *ut Romam prius legibus, quam mœnibus muniret, edixit &c.* *Regiæ leges*, inquit *Sigon. de antiq. jur. civ. R.* lib.1. c.5. *quæ curiatæ fuerunt, à Romulo & reliquis deinceps Regibus partim ad imperium stabiliendum, partim ad religionem constituendam & omnino universam fundandam Rempublicam comitiis curiatis perlatæ sunt.* *Verum an scripta fuerit* (ut in viam redeamus) *sub Rom. & ceteris L. Majestatis, an sine scripto exercita*, non liquet satis: dummodo sciamus, exercitam esse. Igitur quatenus capita aut verba ejus annotata non habemus (nisi quod in L. Jul. Majest. more collectoribus Juris & auctoribus ll. recepto, fortasse tradita ab antiquis fragmenta latere suspicari possis) rei ipsius exemplis, tanquam vestigiis, insistendum erit, ut ex judiciis & criminibus majestatis manifestis paulatim de lege cognoscatur.

10. Hic, ut ordine progrediamur ex loco *Dionysii*, lib.2. p.87. ubi ait, *Romulum, minoribus delictis ad senatores remissis*, τὰ μέγιστα τῶν ἀδικημάτων, *gravissima facinora, ipsum judicasse*, conjicimus: *Majestatis quoque judicium ab initio penes Regem fuisse.* Firmat hanc conjecturam, *primum*, quod sub Romulo occurrit, *exemplum.* De majestatis enim judicio accipio illud *Plutarchi in Romulo* p.28. ubi cum Tarpejæ filiæ, hostili proditionis præmio necatæ meminisset, addit de Patre: ἑάλω δὲ καὶ Ταρπήϊος προδοσίας ὑπὸ Ῥωμύλου διωχθεὶς, ὡς Ἰόβας φησὶ Γάλβαν Σουλπίκιον ἱστορεῖν. *Damnatus est etiam proditionis à Romulo Tarpeius, sicut Jobas testatur à Galba Sulpicio annotatum esse.* Licet enim filia, absente patre, proditionem esset molita (vid. *Dionys. l.2. & Suid. in voc.* Tatius) tamen ad patrem videbatur pertinere societas sceleris. Non omiserim hoc loco annotare *indicium quoddam pœnæ in crimine majestatis usurpari solitæ ipsis Romuli temporibus.* Disputat *Hali-*

carnasseus libro, quem prædiximus, *an Tarpeia proditionis, cujus ab Auctoribus insimulatur, vere rea fuerit?* Negat, inter alia hoc argumento: *quod honorifice sepulta sit. imo*, inquit, *si occubuisset patria prodita, ossium ejus quæ superfuissent reliquiæ, refossæ tandem ac disjectæ fuissent.* Eadem severitate Athenis proditores sepultura privatos, ex *Xenoph.* l. 1. *hist. Græc.* *Cornel. Nep. Themist.* & *Phocion.* discimus.

11. Priusquam à Romuli temporibus discedamus, annotandum est aliquid circa interitum Romuli, quod ad illud L. M. membrum illustrandum faciat, quo *notatur is, cujus opera, dolo malo consilium initum erit, quo obsides injussu Principis intercciderent.* Hæc particula, inquam, quam sit vetusta, & ex vetustate (sicut supra de pluribus membris augurari cæpi) huc translata, inde licet conjecturam capere, *quod Romuli interemti hanc caussam prodit Dionysius* lib. 2. τὴν ἄφεσιν τῶν ὁμήρων, οὓς παρὰ Οὐεϊεντανῶν ἔλαβεν, ἄνευ κοινῆς γνώμης γενομένην παρὰ τὸ εἰωθὸς: *dimissionem obsidum à Veientibus acceptorum, inconsulta civitate, sive absq; publico decreto, præter consuetum factam.* Quod enim dicitur ἄνευ κοινῆς γνώμης, *absq; decreto publico*, & παρὰ τὸ εἰωθὸς, *præter morem*, satis evincit, *antea non licuisse obsides dimittere, nisi de consilii publici sententia.* Porro sicut κοινὴ γνώμη in limitato isto regno, quale Romuli fuisse *Historicus* alibi tradit, ad Majestatis rationem pertinet: ita *Principis arbitrium* in absolutiore Monarchia successit in locum κοινῆς γνώμης, ut quod ibi erat ἄνευ γνώμης κοινῆς: hic sit, *inconsulto Principe*, sive *injussu Principis.* Ergo ad publica crimina jam tum pertinuisse, ejusmodi *dimissionem obsidum in præjudicium publicæ securitatis factam*, *satis* liquet: sed & illud intelligimus, *intentatam ob id Romulo tyrannidis culpam.* Cetera, & præsertim illam quæstionem, *an ipse Romulus hac ratione crimen majestatis potuerit incurrere*, vel propterea omittimus, quod nullo ista res judicio legitime disceptata, sed parricidio nefarie finita est.

12. In

12. In *Numa secundi Rom. Regis historia*, frustra aliquis exempla hujus criminis & judicii requisiverit οὔτε γὰρ πόλεμος, οὔτε στάσις, οὔτε νεωτερισμὸς περὶ πολιτείαν ἱστόρηται, Νουμᾶ βασιλεύοντος, inquit *Plutarchus in Num. Nullum enim, regnante Numa, bellum, aut seditio, aut res nova in republ. annotata leguntur.* addit amplius: οὐ μὴν οὐδὲ ἐπ' αὐτὸν ἐκεῖνον ἔχθρα τις, ἢ φθόνος, ἢ δι' ἔρωτα βασιλείας ἐπιβουλὴ καὶ σύστασις ἀνδρῶν. *Sed neque adversus ipsum Numam odium ullum aut invidia, aut ex regni affectatione insidiæ & conspiratio hominum legitur.* Nihil in regnum, nihil in regem turbulentum aut factiosum extitisse ait: id est, quid aliud, quam, *nullum crimen majestatis patratum detectumve esse?* Rara & magna felicitas: boni & firmi imperii non exiguum argumentum. Sicut enim nullibi frequentius nova consilia & molitiones accidunt, quam ubi Principes ipsi tyrannice se gerunt, aut qui rebus administrandis adhibentur, indigni sunt vel scelesti: ita Justitiæ & Virtutis, tantopere in Numæ regno celebratæ certissimus fructus & testis est illa parentium tranquillitas & fides.

13. Sequitur *Tertius Rom. Rex Tullus Hostilius.* In hujus principatu an vestigia judicii majestatis occurrant, mox videbimus, si prius tyrones monuerimus, de errore FREIGII: qui cum *in not. ad orat. Cic. pro C. Rabir. perduellionem definiisset, summum imminutæ majestatis crimen,* addit: *de quo duumviri à populo creati quærere solebant, quod vetus lex apud Livium lib.* 1. *(c.* 29.*) ostendit.* Quasi vero eo tempore, id est, sub Tullo Hostilio, in caussa Horatii perduellio, quatenus ad majestatem pertinet, judicata sit. Sane *duumviri perduellionem judicasse* ibi dicuntur. Sed nomen *perduellionis* hic non crimen, sed pœnam significat: scil. mortis, supplicium ultimum, capitale. *Nomen perduellionis*, inquit *Sigonius* lib. 3. *de jud.* c. 3. *& crimen & pœnam significavit. Si crimen, quod erat gravissimum inter crimina, nempe imminutæ majestatis: si*

pœnam, qua erat acerbissima, nempe mortis, ut in P. Horatio &c.

14. Nobilissimum veræ perduellionis exemplum Tullii tempora in *Metio Fufetio* Albanorum Duce habuerunt. Albani non in societatem modo Romanorum, sed ex pacto publico, religioneque & juramentis interpositis sub imperium Romanorum venerant, victis Curiatiis suis, qua de re vid. *Dionys.* 3. convenerat enim, *ibi imperium fore, unde victoria fuerit, Liv.* 1, 24. Fidenates coloniam Romanorum jam Romulus fecerat, *Dionys.* 2. Hos *ad defectionem solicitat* Metius, referente *Dionys.* 3. *p.*161. Liv. 1, 27. (*nota unum crimen majestatis, & casum lege notatum*) & illos, Albanos suos, *á fœdere obsequii & fide abducit, ac in ipsa pugna, per speciem auxilii ferendi, proditionem desertionemq; molitur* (*notetur alterum C.M. lege signatum*) adeoque *capitali supplicio afficitur, & quidem valde miserabili.* Albani quoque, proditionis & defectionis convicti, amissa patria, Romam translati: & à consciis consueta pœna exacta, quem casum postea quoque lex complexa est, sive potius retinuit. Consulatur de totius judicii ratione & ordine *Dionys.* l. 3.

15. Mirari, aliquis possit, cur plerique omiserint hoc exemplum in conquirendis criminibus & judiciis Majestatis, nisi fors aliqui Albanos ut socios modo non ut ὑποχειρίους & in ditionem Romanorum servitutemque redactos considerarunt, de quo tamen tot Historiæ loca, neminem dubitare sinunt. Certe tum alia in omni forma judicii apprime congruunt, tum disertim nominata *lex desertoribus & proditoribus*, τῶν λειποτακτούντων καὶ προδοτῶν νόμος, *secundum quam socii & conscii Metiani sceleris* judicati memorantur à *Dionys.* 3. *p.*172. Qui locus simul illud suggerit: *certas ejusmodi proditoribus & desertoribus pœnas constitutas fuisse.* Si quæras, *quænam eæ fuerint?* Non patietur id nos ignorare diligentissimus Scriptor: qui *primo* notat, *non fuisse unius generis, sed pro modo graduq; facinoris, diversas.* Id enim volunt verba *Tulli*, recitantis

tantis quæ senatus decreverat : μέτιον δὲ καὶ τοὺς σὺν τούτῳ βουλευσαμένους τὴν προδοσίαν δίκας ὑπέχειν, ἃς ἡμεῖς τάξομεν δικασταὶ περὶ ἑκάστου τῶν ὑπαιτίων καθιζόμενοι. οὐδένα γὰρ ἀποστερήσομεν κρίσεως οὐδὲ λόγου. Decretum est ait, *ut Metius cum iis quos proditionis ac novorum consiliorum socios habuit, pœnas luat, quas nos ad singulorum reorum causæ cognitionem constituti judices, statuemus pro cujusq; delicto. Nemini enim caussæ dictionem negabimus.* Constat ergo ut sceleris ita pœnarum gradibus locum fuisse. *Deinde & speciem pœnæ* expressam habemus : *Occisi* enim ex lege dicuntur rei. Sicut & modus pœnæ irrogandæ consiliumque non debet inobservatum prætermitti. Ex quibus omnibus patebit, *ante hac tempora, nihil omnino, tanta perspicuitate & expositionis* ἀκριβείᾳ *in hoc argumento memoratum reperiri.*

16. Qui *ut de fœdere* & *societate* nuda loquuntur, non attendunt, *tale id fuisse fedus, cujus effectus directe & per se Romanis imperium, Albanis obsequium & subjectionem plenissimam attulerit. Zonar. tom. 2. p. 11.* οἱ δὲ Ἀλβανοὶ τότε μὲν ὑπήκοοι τῶν Ῥωμαίων ἐγένοντο. *Albani autem tunc Romanorum subditi sunt facti.* & mox : ὡς ὑπήκοοι πρὸς συμμαχίαν κληθέντες, *ut subditi in commilitium & societatem belli vocati* dicuntur. Sicut nil *adversum jus majestatis & hujus judicii exemplum* faciet, si quis, quæ *Augustin. 3. de C. D. 14.* adversus Romanorum in Albanos molitiones, *vere sed ex aliis principiis primoque nexu caussarum disputat* : nobis enim, *qui proximas caussas hic attendimus, & imperium Romanorum à volentibus & sponte ac religiose pacifcentibus Albanis receptum fundamenti loco nostræ opinioni substernimus*, talia nihil officere possunt.

17. Progredimur ad *Anci Marcii*, Quarti Rom. Regis tempora, quæ nobis offerunt *defectionem Fidenatium*, & quidem *iteratam* : quos Romanorum imperio jam adjecerat, coloniamque effecerat Romulus. Ergo *Ancus* capta denuo urbe defectrice, conjuratos cives armis spolia-

vit, *paucos defectionis auctores virgis cæsos occidi jussit.* apud Halicarnass. *l* 3. Habemus crimen, criminisque pœnam definitam, cujus & supra mentio. ut nil dubitandum sit, *lege majestatis jam tum capitale in defectores supplicium constitutum fuisse.* Rursum neminem movere debet, quod interdum, *Fidenates* ut socios, ut amicos Rom. etiam hoc tempore scriptores memorant. Intelligitur enim hic *societas*, *pactio*, *amicitia obsequii & subjectionis*, *non paritatis aut conjunctionis.* Facti enim jam *Fidenatium* domini erant Romani. vid. *Hug. Grot. de jur. belli & pacis* 2, 8.

18. *L. Tarquinius Priscus*, Quintus R. Rex, *judicium majestatis* Crustumerii reddidisse legitur. Venerat hæc quoque civitas sub Rom. ditionem, regnante Romulo. defecit sub initia *Tarq. Prisci.* postea metu armorum regiorum, pœnitentia ac deditione vim prævenire ac deprecari instituit. Tarquinius itaque ceteris pepercit, *defectionis auctores perpetuo multavit exilio* (si quidem φυγὰς ἀϊδίας emendanti *Sylburgio* accedimus) *atq; ne quid in posterum novarent*, *colonos illis imposuit.* describente historiam *Dionysio l.* 3. *antiq. p.* 187. qui solus scilicet Rom. Regum gesta accuratius & plenius executus est. Observari hic inter *pœnas majestatis*, *perpetuum exilium* debet. de quo mox aliud exemplum, *eodem lib.* habet *Dionysius.*

19. Cum enim Etruscis adversum Romanos bellantibus quidam *Fidenas* per proditionem dedidissent, Tarquinius captis Fidenis, ex Fidenatibus *eos*, *qui defectionis auctores fuisse videbantur*, *partim virgis cæsos publice securi percussit*, *partim misit in perpetuum exilium.* Præter species pœnæ, etiam supra nominatas, illud quoque additur: *bona damnatorum præsidiariis sorte distributa esse. Ibid.*

20. Hactenus exempla criminis Majestatis indubia & pœnas crimini irrogatas ex Regum Historia eruimus: nunc propius ad totius judicii formam, adeoque ad clariores de *lege majest.* conjecturas deducunt nos *Servii Tullii*, Sexti Rom. Regis, initia. Qui, non sine arcano Majestatis

ſtatis ſingulari, *regnum à judicio majeſtatis auſpicatus eſt.* Conſilium ſagaciſſima ſocrus dederat: *ut interfectores regis Tarquinii τὺς βυλἔυσαντας ἀποκτεῖναι ἀυτὸν in judicium populi vocaret, & jus in eos ſtringeret, omnesq; ſi comparerent, capite plecteret: ſin cauſſam deſererent, perpetuo exilio & bonorum publicatione eos puniret.* Fecit ad hunc modum Servius: *citatosq; per præconem in judicium, cum non parerent, exilio perpetuo multavit, bonis eorum fiſco adjudicatis. Dionyſ. l. 4.* Miniſtros quoque inſidiarum & executores flagitii, quia ſtatim comprehenſi ſunt, ſupplicio affectos non eſt quod dubitemus.

21. Fuit hoc *judicium populi*, id enim *κατὰ ῥητὸν* in Hiſtoria habemus. Fuit *judicium publicum*, quod ex ingenio cauſſæ totoq; ordine judicii ſatis conſtat. Jam vero *maleficia ad populi judicium adducta potiſſimum duo fuerunt*, inquit *Sigonius de judic. 3, 2. majeſtas & peculatus.* Hæc igitur cognitio, *cui tandem apud populum in publico judicio agi ſolitæ, niſi Majeſtatis cauſſæ poterit tribui?* nam ut de *cæde ſimplici* ſuſpicemur nulla ratio ſinit. Attendantur jam cetera: citatio reorum per præconem, cauſſæ deſertio, pœnæ irrogatio. de quibus *Sigon. 3. de judic. 8.* Quæris hic iterum, *cur viri docti longe ſerius & à Coriolano demum incipiant commemorare, exempla publicorum populi judiciorum?* Ne de illis dicam, quibus labor inquirendi abfuit, quique quidvis ſtatim arripiunt, ab aliis proditum: Viros cum laude & induſtria hic verſatos non aliam hujus inſtituti habuiſſe rationem crediderim, *quam quod exemplis per omnes circumſtantias clariſſimis & pleniſſima teſtatione proditis operam dabant, cetera aliis perveſtiganda & conferenda relinquebant.* Id quod per exempla doceri poſſet in *commentariis Sigonianis*, aliisque, ſi id jam ageretur. Accedit, quod nemo inficiari poteſt, *Solennitates & formulas judiciorum poſt Reges exactos longe & perſcriptas plenius & cuſtoditas diligentius eſſe.* Unde factum eſt, ut ſicut in aliis rebus, ita hic poſterior ordinatio

natio prioris memoriam obliteraret, & *restaurata pro originalibus haberentur.*

22. Dignissimum est notatu quod *Dionys. l.* 3. observat de *tabulis Anci Marcii, quas tempus & vetustas prorsus abolevit. Nondum enim*, inquit, *in usu erant columnæ æreæ: sed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quam sacrorum ritus.* Ecce *leges regias absumsit tempus.* non sane in universum ratione argumenti ac notitiæ, sed ratione scripturæ, solennisque affixionis, adeoque interdum ordinariæ usurpationis. Quæ observatio sicut *ex una parte*, de certitudine legum sub regibus non repertarum modo sed perscriptarum abunde restatur: ita *ex altera parte* duos pervulgatos errores egregie refutat. dum aliqui *deficiente, quas dixi de caussis, scriptura legis, legem non fuisse* autumant; aliqui *ea, quæ postea demum perscripta ordinataq; sunt, pro inventis & primum repertis habent, quorum pleraq; instaurata & repetita & aucta putare debebant.* Cujus opinationis hæc firmissima sequela est: *Si ejus judicii, quod posterioribus temporibus ex lege majestatis & in caussa majestatis factum consensu creditur, exempla & formam in antiquiori ævo invenio: quid obstabit, quo minus credam, jam tum eandem legem & idem ex lege judicium in usu fuisse.*

23. Atque hæc est illa ἐπάνοδος ἱστορικοπολιτικὴ, ut sic dicam, qua jam supra innui, ex recentioribus vetera venanda, & ex veteribus recentiora statuta velut ab origine deducenda esse. Quod si quis hunc laborem temporibus regum modo scrutandis sumere vellet, næ is, inter regias ipsas ll. plurimas inveniet, quæ hodie longe serius existimantur & dicuntur ortæ. dum legislatores Romani antiquitatis instituta religiose instaurare constituerunt. Sic post Reges exactos, abolitis quæ præcise ad dominationem regiam firmandam spectabant (vid. *Sigon. de antiq. jur. C. R.* 1, 5.) aliæ in publicum usum revocatæ sunt, teste *Dionys.* 3. *p.* 178. & *lib.* 4. *p.* 216. ubi Servius *Romuli & Nu-*

& Numa neglectas vetustate leges in usum revocat. Sic in XII. tab. multa ex patriis consuetudinibus repetita, memorante *Eod. l.* 10. *p.* 681. Scilicet non *Servio* tantum *Tullio*, sed *plerisq. ll. Rom. conditoribus*, convenit τὸ συγγράψαι νόμους ἐκ τῶν ἀρχαίων καὶ παρημελημένων ἀνανεωμένους, ut est apud Historicum: *conscribere leges ex vetustis & jam neglectis renovatas.*

24. Ut redeamus ad L. M. quia *Servius Tullius* plurimarum ll. perfectæque in republica ordinationis auctor celebratur (vid. *Dionys. l.* 4.) dubium nullum est, *etiam de criminibus Majestatis eum aut prius reperta revocasse, aut quædam addidisse.* Argumenta diximus partim, partim dicemus. Nam, *quod jam antea extiterint ejusmodi sanctiones* ex hactenus dictis satis cognoscitur: sicut & illud, *revocasse Tullium priorum instituta regum.* Quod autem adjecerit aliquid, colligas ex loco *Taciti* 3. A. 26, 5. *præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam Reges obtemperarent.* De quibus verbis multa tamen interpretum dubitatio occurrit. Dicam breviter, quid sentiam. *Leges quibus etiam Reges obtemperarent, partim* illud spectabant, *ne justitiæ terminos transcendere Regibus aut tyrannico more imperare liceret*, unde *Dionys.* 4. *p.* 215. νόμους κωλυτὰς τῆς βίας καὶ φύλακας δικαιοσύνης nominat: voluit enim Servius imperium regum ad civilem quandam æquabilitatem attemperare, quod indidem apparet. adde p. 239. *partim* enim ideo quoque legibus astricti Reges à Tullio memorantur, quod is τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν ἐμείωσεν *imperium potestatemq. regiam imminuit*, terminosque ei definivit. *l.* 4. *p.* 228. Accedit tertio loco conjectura ad nostrum institutum proprie pertinens de L. M. eaque duplex: *Si enim, existente jam ante lege majest. Tullius regibus tulit leges, cujus rei potius credemus eum rationem habuisse, quam formæ reipublicæ à se ordinatæ, quam securitatis & salutis publicæ? à cujus violatione, non ceteros tantum, sed amplificata haud du-*

 bie

hie sanctione, ipsos reges videtur absterrere voluisse.. Certe ex ejusmodi fundamento Tarquinius postea Superbus ejectus & *à Publicola tertium consule subinde in jus vocatus, ut improbitate ejus declarata, vel Persona judice* (qui eum asserebat manu) *justissimo exilio multatus existimaretur*, notante *Zonara t. 2. pag. 19.* *Alterum conjecturæ membrum* priori nititur. *Si enim Reges quoque à violanda Reipublicæ salute legibus deterriti sunt, quanto magis ceteris metum intendisse credendus est Servius, patriciis præsertim, quibus & ipsis potestatem imminuerat.* Sed de his, quod volet, quisque judicium sequatur.

25. Superest in *Servii* historia aliud *exemplum violatæ & vindicatæ majestatis.* Cum enim morte *Tarquinii* abusæ in occasionem sceleris civitates Etruscæ rebellassent, post victoriam Servius supplicibus pepercit quidem, sed tres populos, qui primi defecerant ceterosq; in defectionis societatem pertraxerant, scilicet Cæretanos, Tarquinios, Vejentes *parte agri multavit. Dionys. l. 4.*



26. *Ultimus Rom. Rex Tarquinius Superbus* sicut ipse haud dubie securitatem publicam atrocissime violavit, dum parricidiali ausu, nullis legibus ritibusque patriis observatis, regnum invasit: ita *Legem Majestatis primus corrupit & fœdißime omnium calumniæ exposuit.* Non enim sub Tiberiis demum & Domitianis, de quibus est apud *Tacitum* & *Panegyristam* Nostrum, flagitiis dominationis seu tyrannidis accommodata est sanctitas supremæ legis: sed *Tarquinius* iste, perfectissimum tyrannidis exemplar, jam tum, quos auctoritate, potentia, opibus, virtute invisos habuit, specie hujus criminis vita ac bonis expulit: circummissis passim delatoribus & calumniatoribus: teste *Dionys. l. 4.* *Imaginarii* ergo *ejusmodi judicii Majestatis, & intentati per calumniam criminis* exemplum in *Turno* præcipue *Herdonio* idem scriptor, libro eodem & *Livius* 1, c. 50. &c. annotavere. Erat Turnus ille

ille nobilis, potens, armis & eloquentia promtus; iisque artibus tyranni cujusvis odium mereri idoneus. Sed Tarquinium illud quoque asperavit, quod tyrannidem suam ab hoc homine argui, imperium in Latinos impediri cerneret. Ergo, cum libertatem verborum vita plecti non posse animadverteret, exitium scelere & inevitabili dolo struxit: intentato majestatis crimine; *quasi occidere nobilissimum quemque Latinorum ac imperium invadere Turnus destinasset.* Ut verum appareret, quod falsissimum erat, inventus inter sarcinas Turni gladiorum numerus, quos machinator doli Tarquinius corruptis Turni servis illic abdendos dederat, effecit. Ergo præventus specie commenti & indignatione tumultuantium Turnus, *in voraginem quandam projectus vivusq; terra est obrutus*: sive, ut Livius habet, *dejectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne injecta, saxisq; congestis, mersus est.*

27. *Novum genus lethi* Livio id vocatur; & quidem indicta caussa properatum. Sed nimirum *nota ejusmodi criminis pœna*, id est, *capitalis*, non videbatur consultationem requirere: *modum pœnæ* orta ex specioso fraudis velamento, convictoque, ut arbitrabantur, ipsis rerum testimoniis facinore, invidia asperavit. *Cur ergo*, inquis, *si insons periit Turnus*, à *Livio* 1, 50. vocatur *seditiosus facinorosusq; homo?* Respondemus: præterquam quod *Dionysius* aliter de eo judicat, Liviana isthæc verba *non hujus criminis, de quo quæritur, ei culpam imponunt, sed ingenium ejus ceteramq; vitam perstringunt.* Itaque *cap. seq.* de præsenti negotio & remoto velo: *Tarquinius*, ait, *confestim Turno necem machinatur: ut eundem terrorem quo civium animos domi oppresserat* (nota flagitiosum dominationis arcanum) *Latinis injiceret. Et quia pro imperio palam interfici non poterat, oblato* FALSO CRIMINE INSONTEM *oppressit.*

28. Geminum paterno adversus Turnum facinori, molitus est adversus *Antistium Petronem* Gabiis, eodem consilio *Sextus* Tarquinii filius: proditionisque intentato crimine ignarum & insontem perculit. Ab irritata enim multitudine, itidem indicta caussa, *lapidibus est obrutus.* vid. *Halicarnass.* 4. Qua occasione *lapidationis supplicium* in crimine majestatis observari debet, quod & Macedonibus in usu apud Curt. 6, 11, 10. & 38. Sicut enim aliquando ad impetum potius intemperantis turbæ referenda est lapidatio: ita ex more suppliciorum & generibus universim minime est expungenda.

29. Atque ita per Historiam VII. Regum Rom. indubiis majestatis violatæ vindicatæque exemplis collectis, conjecturæ de L. M. ipsa viam aperuimus. Quam si quis posterioribus tantum temporibus propriam facit (exceptis quibusdam casibus & criminibus plasticis sequiori ævo adjectis) is de vetustate & omni πολιτείᾳ vetustatis parum aut nihil videtur cogitasse. Cetera proxime pertexemus, usque ad eum quem ab initio hujus dissertationis præfiniebamus, terminum, adeoque ad propiorem Panegyrici Nostri interpretationem.

DE



XXVIII.

DE DOMINIO EMINENTE

DISQUISITIO POLITICA.

DOminium eminens sive supereminens inter Majestatis jura enumeravit Grotius, atque ita descripsit, ut mentem ejus satis queamus perspicere; quanquam loquendi ad hunc modum auctoritatem fecisse potius quam à veteribus accepisse censendus est. *De I. B. & P. 1, 3, 5.*

Quem quidem facilius excusare debent, qui nunquam dubitarunt, pleraque civilis scientiæ argumenta repertis nuper vocabulis, aut aliter quam antiqui solebant usurpatis eloqui.

An autem fingi hoc à Grotio, existimet Clarissimus Feldenus, tum apparebit, si exquisiverimus, sit ne Dominum eminens peculiare Jus Majestatis à cæteris distinctum, an sub alio summæ potestatis jure contineatur, idemve cum eo aut ejus pars sit.

Ad solam enim summam potestatem referri neque dubitaverit quispiam, & descriptio Grotii satis ostendit.

Cui Dominium eminens est, *quod Civitas habet in Cives, & res Civium ad usum publicum.* exercendum scil. utilitatis publicæ causa, ut jam dictum est; & ut Compensatio fiat ei, cui ex hac causa aliquid abest, ex communi; si fieri potest, sicuti alibi supplet. In Regno igitur Regis, in Aristocratia Optimatium, in populari Republica, Populi, in mixto statu pro mixtionis formula, apud summam semper & ubique potestatem; quam vel unus vel plures divisim habent, hoc jus residebit. *1, 3, 6.*

Ad ea autem jura, quæ unam Reipubl. partem spectant, in quo genere sunt, bellum, fœdera, judicia, Magistratus & similia, non posse referri Eminens Dominium, res ipsa docet in materia latius patente. Quod si ad ferendarum legum potestatem oculos retuleris, qua multa Veteres præsertim complecti & concludere solent, quæque ex sua indole per totum Reipublicæ corpus latè pertinet, non absurda sane figura utetur, qui dixerit: Supremam potestatem tali in casu, singulorum bonis Civium legem dicere; ut exempli ergo ita loquamur; accurate tamen loquendo hic actus non occupabitur in ferenda lege civili, sed exercebit jus ipsi potestati nomotheticæ æquævum, & ab ipsa natura imperio constituendo attributum.

Suffraganturque hactenus *Grotio*, qui inter Jura Majestatis, seorsum, *potestatem in possessiones & bona privatorum*, numerant. quod & *Arnisæus* in opere hujus argumenti fecit. Ea enim potestate, parum accurate plerumque explicatâ, sicut *dominium eminens* non expleri, ita partem ejus indubie constitui, arbitratur *Grotius*.

De I. Majest. lib. 3. c. 1.

Quem forte rectius aliquis opinetur facturum fuisse, si dominium eminens ad possessiones & bona tantum civium retulisset: gloriam nihilominus rei explanatius traditæ mériturus. Verum. ut ad personas quoque, & alia jura civium produceret, magna eum ratio permovere potuit: cum videret, quædam hujus generis aliis summi Imperii juribus, neque recte neque subtiliter tribui posse; & minus Philosopho dignum judicaret, imperii voce communiter defungi, ubi de partibus Imperii in proprias appellationes discretis quæstio est. Sicut factitasse alios haud profectò paucos satis constat. A quibus si tu quæras, quo jure dicant ista fieri, quæ Grotius jure eminentis dominii definit; respondebunt utique jure & vigore summi Imperii. Neque cum omnia conquireret, aliud, quod diceret, habuit Clariss. *Feldenus*, quam hoc: *civem omnia Reipublicæ debentem etiam adigi à Magistratu* (ita cum vulgo de summa potestate, sive Imperio loquitur) *tempore necessitatis posse, ut suum officium faciat; nec propter-*

Ad Grot. I. B. 2. 14. 7. & 8.

propterea necesse esse, aliquod dominium supereminens fingere. At vero Rex, sæpe legem invitis fert; milites sæpe invitos conscribit; Magistratus sæpe invitos constituit; tributa invitis sæpe indicit, atque in his omnibus, ut officium civitati debitum faciant, cives adigit; idque non necessitatis tantum tempore, quæ seorsum suo jure censetur, sed in perpetua & ordinaria administratione Reipublicæ (Platonis enim Rempublicam manet illa felicitas, ubi plerique sponte, ac suopte ingenio officium facient) neque tamen propterea quod summa potestas hoc facit, nihil opus est exprimere, quæ pars summæ potestatis, de constituentibus eam, in illo vel isto genere versetur.

Res tota interim è cubilibus suis in hunc modum evolvenda est. Summa potestas civitatem, & in ea, personas, res ac jura, actiones, moderatur, eo ordine ac dispositione, quam natura ipsa ad finem publicæ felicitatis obtinendum luculente prræscripsit. In quo ordine id vel maxime est naturale in onerosis, ne qua pars ultra modum partis oneretur, sed civium quisque pro virili toleret, quæ civitatis usus postulat. Verum, ut est varia rerum civilium & sæpe anceps conditio, si summæ potestatis provisio ad finem illum superiorem via ordinaria explicari morali æstimatione nequit, tum natura ipsa non repugnat, quin fines inferiores superiori, quem summa potestas omittere non potest, obtemperent concedantque, non in infinitum tamen. Atque ita personis, rebus, actionibus civium sic contingit uti summam potestatem, intra certos tamen limites, sicut iis uti, alias, nec moris nec juris socialis ac æquabilis esset. Sive quis hoc velit *δίκαιόν τι πολιτικὸν* sive *τὸ ἐπιεικὲς* imitatione Philosophi, appellare. Quod sicut in aliis rebus, ita in summæ potestatis jure explicando, natura in subsidium sui operis commenta videtur. Cujus & hæc industria est, ut in viam reducere, quicquid aliunde petitum est, & sarcire ac instaurare ordinem semel decretum contendat. id quod in civili & morum genere, non minus quam in cetera rerum universitate, apparet; quodque alibi vis insita & innata, hoc in sociali vita recta

recta ratio, perpetuo naturalis ordinis conservandi studio, machinatur.

Hinc probe intelligitur, *utilitatem publicam*, quæ subsidiaria ope Dominii eminentis explicatur, non illud significare, quod ad pleraque omnia civilia instituta pertinet: quid enim est, vel jure vel more civili introductum, quin utilitati publicæ servire & dicatur & putetur? sed exquisitiori loquendi genere, ad necessitatis imperiosas rationes adstringi, sicut necessitas morali definitione ad finem consequendum, citra fucum & cavillationem, dirigitur. Multi erroris & infiniti flagitii fons est in Republica architectonicis istis, ut sic vocemus, appellationibus, res vel parvas vel pravas præscribere. At Dominii eminentis usum, magna & clara voce invocabit publicæ salutis expediendæ ratio: neque ultra quam opus est, producendum; & correctione ac compensatione, totius civitatis viribus faciendâ temperandum.

v. Arnisæum de I. Majest. 3. 1. 2. &c.

Igitur ad jus Dominii eminentis explicandum, non opus est jura fisci adhibere, aut de patrimonio imperantium disserere. Habent suum illa in Republica ordinem, sed loco distincto: qui cum hac materia confundi non debet. Atque si licet in transitu hæc annotare, naturaliter debentur Imperantibus, ut exempli gratia, Regibus stipendia: unde, Reipublicæ regendæ intenti suam fortunam honeste sustineant. Quæ nisi cives sponte conferant, exigi ab iis posse nemo dubitaverit; non quidem jure eminentis dominii, sed alio summi Imperii nomine, quod ad tributa & exactiones merito reducitur. Ea origo prima patrimonio & fisco Principis.

Neque huc pertinet, ut à nonnullis quidem adhibetur, illa disputatio: an omnia sint Imperatoris? Quasi vero vel eadem sit in hunc diem Imperatorum omnium potestas, eadem Imperii forma, vel ad angustias unius exempli, nec bene plerumque explicati, ipsa Philosophia de juribus majestatis redigi debeat; quæ omni civitati perfectæ, sive Reipublicæ, & semper competunt. Itaque & Eminens Dominium, si ulli, omni utique Reipublicæ convenit.

In

In Imperio autem nostro Germanico, non nisi toti Imperio, id est, Imperatori & Ordinibus tribui posse, illustri exemplo postea noscitare licebit.

Dominium quidem Universitatis, non esse hujus loci, per se intelligi existimo. In eminente enim Dominio quæritur, non, quid summæ potestati liceat, in ea, quæ sunt universitatis; sed in ea, quæ in universitate singulis, ut singulis partibus universitatis debentur vel assignantur. Nisi quod distinctius licet ista proponere. Universitas vel totam civitatem notat; & tum penes quem, aut penes quos est summa potestas, refert aut referunt quasi personam universitatis; atque ita jam non quæritur, quid per Eminens Dominium, civitati sive universitati, in se, ut est totum, liceat: vel intelliguntur *universitatis* voce, collegia, societates, corpora alia, quæ sunt civitatis & majoris universitatis partes; ubi universitates ejusmodi, quantum ad quæstionem dominii eminentis, singulorum rationem induunt; neque ingrediuntur amplius disputationem de dominio universitatis, quomodo huc afferebatur.

Non contendemus cum illis, qui ad hunc locum explicandum, *Dominium Jurisdictionis* protulerunt; & copiosius conjunctis *protectionis*, *jurisdictionis*, *administrationis* vocabulis interpretati sunt. Si tamen in quæstionibus arduis fas est cum Philosopho ἀκριβολογεῖν, *protectio* ut bonorum, sic hominum, *defensione* civitatis continetur: quæ defensio adversus quasvis injurias aut vim, vel jurisdictione, id est, via juris & judiciorum in civitate; vel ubi judiciis locus non est, sive in civitate, sive adversus externos, armis seu tutela armata perficitur. Atque hæc sunt distincta summæ potestatis capita: nec idem notant, quod eminens dominium. *Administrationis* vox adeo late patet, ut in omnibus majestatis juribus illi locus esse possit: inprimis autem non demonstrat nobis illud singulare, quod hic quæritur, sed potius abscondit. Et quomodo acciperent hoc loquendi genus, qui Regi nihil præter *administrationem* Reipublicæ ita relinquunt, ut omni potentiori Im-

Vid. Arnis. de I. M. 2. 1. 4. &c.

perio Dominioque interim eum arceant? Quo sensu & alii sæpe, quæ alieno nomine aguntur, non proprio, *administrari*; curatoresque rei commissæ mandatæve, actores denique non auctores, *administratores* appellant.

Solent, qui in hac re declaranda versantur, *Senecam* auctorem laudare ejus distinctionis, qua Imperium à Dominio discernitur. Quam ille quidem verbosius explanat, certatim hactenus descriptam, ex VII. *de Benefic.* cap. 4. 5. 6. *Jure civili* (id est, ratione imperii, sive summæ potestatis, civilem societatem continentis) *omnia Regis sunt* (hoc enim exemplo utitur) *& tamen illa, quorum ad Regem pertinet universa possessio* (qui & personam Universitatis seu totius civitatis refert) *in singulos dominos descripta sunt, & unaquaque res habet possessorem suum. Ad Reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas.* Et postea: *Omnia Rex imperio possidet, singuli dominio.* Et: *Cæsar omnia habet, fiscus tantum privata & sua: & universa in Imperio ejus sunt; in patrimonio propria.* Attulerat exempli loco: *Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt, & totus ager hujus aut illius Reipublicæ est: pars deinde suo domino quoque censetur.*

Facunde expressit, quomodo summa civilis potestas, ut in personas & actiones civium, ita in bona & possessiones agere possit, salva proprietate singulis dominis constituta, & ad ordinem civilem relata. Sed hæc facultas latius explicatur circa bona & possessiones privatorum, quibus & onera quædam imponere, & leges ponere potest: etiam extra usum Eminentis Dominii, sicut à Grotio id descriptum est. A cujus mente, citra causam, longe abierit, quicunque omne illud superius & architectonicum potestatis civilis jus, natasque inde varias ad finem civitatis & utilitatis publicæ conservationem dispositiones, supereminentis Dominii usu instituerit terminare. Simul illud intelligi datur, in jure supereminentis Dominii, non quamvis & communem ordinationem summæ potestatis animadverti; sed exerceri actus verissimo dominio debitos. Quod quia duplicari non debet, consentaneum rationi

tioni videtur, dicere: civium dominium (non enim aliter, quam in ſocietate civili conſiderare hic fas eſt) intelligi cum exceptione dominii Eminentis, quam exceptionem, in ordine ad finem civitatis, certo rerum ſtatu omnibus in partem civitatis venientibus, publica & ſumma ratio dictat. Neque ita metuendum eſt, ne privata Dominia ſupereminente Dominio prorſus abſorbeantur. quæ ſatis ſubſiſtunt ſcilicet, ſuumque jus tuentur, etiamſi juri ſupremo, aliquando certos intra limites cedere jubeantur.

De ipſa voce *Dominii*, cum, præter bona & poſſeſſiones, à *Grotio* ad alia producitur, non veremur, ne quis liticulam moveat. Satis enim auctoritatis eſt in exemplis veterum, dominos & dominia latius appellantium: neque juniores tam reſtricte ſemper loqui videmus, ut novitatem hic quisquam ſuſpectare aut extimeſcere debeat.

Ex iis, quæ vitandæ confuſionis in ipſo limine hactenus annotata ſunt, abunde perſpicitur: nihil minus, quam de eminente dominio loqui, qui, *Principem cum alterius detrimento, ſine juſta cauſa locupletiorem fieri ſuo jure poſſe, Cæſarem & Papam bona privatorum ſuo jure diripere poſſe*; impudentius an indoctius ſcribere auſi, merito à *Bodino* incuſantur. *De Rep. 1, 8.* Rapinis enim tyrannicis, nihil cum ſalubri publice ratione eminentis dominii eſſe commercii, jurisque appellationem non niſi per injuriam ſummam, talibus obduci facinoribus, in aperto eſt. Nec omiſit *Grotius*: *De I.B 3.19.7.* dominii eminentis uſum *in regimine non dominico, ſed civili, & regio unice* ſpectari.

Enimvero exemplis, ad Philoſophiæ regulam explicatis, res tota illuſtrabitur. Incipiemus à perſonis. ubi ardua quæſtio, an deditio innocentis, unquam jure ſupereminentis dominii defendi poſſit? Quam quæſtionem ſi quis potius ad aliud genus ſummi Imperii, & ad judicia ac pœnas referendum exiſtimet, illi cogitandum erit, eſſe locum huic dubitationi, ubi nec ex parte dedentium, nec ex parte expoſcentium, de pœna agitur. Ponitur caſus illuſtris apud *Libanium*: *Tyrannus ex urbe propinqua poſtulavit* *Tom. 1. declamat. 27.*

vit formosum adolescentem, adjectis de bello inferendo, nisi traderetur, minis. Civitas bellum maluit tolerare, quam adolescentem tradere. Cum jam gravi obsidione eam premeret Tyrannus, pater adolescentis, interfectum filium de mœnibus projecit: cædis mox, soluta obsidione, accusatus.

Plura hic partitim quæri possunt: primum, an civitati vitandi belli causa dedere tyranni libidini hunc adolescentem licuisset? deinde, an procedente periculo, non jam belli, sed excidii vitandi causa id facere ea potuisset? Tertio: an civitati idem licuisset in adolescentem facere, quod pater fecit? Quarto: an pater rectius dedidisset eum, quam interfecisset? Porro, an posita patris in filii, filii in suam vitam, potestate, adigi vel ad mortem, vel ad deditionem peragendam alteruter aut uterque potuisset? Denique an civitati vel tali vel ullo casu jus sit, probro & ludibrio unius aut plurium civium, salutem publicam redimere?

Nam patris quidem, filii carissimi & volentis cæde, patriam liberaturi, defensio tota in locis æquitatis versatur: neque ut absolvat factum judex, sed ut ignoscat proposito auctoris, contendit. In qua multa præclare Orator posuit. Civitatem enim, quo minus dedendum adolescentem putaret, reverentia deorum, sortisque humanæ & naturalis honestatis, retentam pronuntiat. Sed ne tum quidem, cum excidium in oculis esset, probro & infamia cariturum fuisse, si quod factum esset de dedendo adolescente decretum, ostendit: ut in re communi hominum judicio damnata. Huc enim pertinet, quod concionem reclamaturam tali decreto inducit: ὡς οὐκ ἔννομα ταῦτα, οὐδὲ εἰωθότα, nec jure, nec more talia fieri. Civitatem adeo non honeste facturam, quod ipse fecit, præveniendumque tali facto civitatis pudorem fuisse, disputat. Hæc valde honesta haberi par est: quæque eadem opera declarent, quam solicite, caute, honeste versari in ejusmodi necessitate expedienda civitatem deceat.

Non tamen nihil in alteram partem dicitur de jure civitatis, quod Orator, ex præscripto artis, maluit di-

stioni

ctioni causæ privatim contribuere, cum nullibi fortius publica causa agatur. Quasi civilius ex ore miseri patris audiretur, quod civitas fortiter pro se vindicare solet: δεῖ γὰρ ἐπεύχεσθαι μὲν μὴ προσπεσεῖν ταύτας ἀνάγκας. ἐπειδὰν δ' ἔλθωσιν, μηδὲν αἰρετώτερον τῆς πόλεως νομίζειν. *Optare quidem oportet, ne ejusmodi necessitates incidant: si tamen inciderent, primam civitatis rationem haberi par est.* Cujus hoc jus, mox sanctius adstruitur. Diis enim auctoribus tribuit jus illud σῶμα ἓν ὑπὲρ πόλεως ἀπιέναι: *unum hominem pro civitate interire:* illustratque exemplo oraculi Pythii, quo responsum est, non desituram Athenis famem, donec civium aliquis prolem suam exitio offerret. Quod Leus fecit oblatis filiabus: quibus honoris caussa Λεωκόρειον templum extructum est. Sed videre hic quoque licet, quam caute philosophentur Antiqui. Nam offertur à privatis, non exigitur à civitate, quod civitati debitum, divina auctoritas addita, ut ethnicorum captus erat, demonstrabat. Atque hoc est illud in hac quæstione difficilimum sane: an, quia privati tenentur, salutem publicam suæ præponere, ad hoc faciendum, & quousque adigi queant? Coget summa potestas civem quemvis vi legislatoria, ad faciendum quicquid officium aut virtus aliqua jubet. Sed hic aliud quæritur. An enim coget quoque summa potestas civem, ut faciat, quæ æterna honestatis ratio damnat? ut pudicitiam alienæ libidini exponat? ut ad nefaria ministeria se addicat? itaque ad hoc, nec dedere potuit civitas adolescentem, nec deditionem ipsi patrique imperare. An ergo mortem potuit sponte sumendam præcipere vel filio, vel patri? Atqui & tyrannorum leges, quos pœnæ titulo sublatos cupiunt, iis indulgere solent aliquando voluntariam mortem, non imperare. Patrem vero ad occidendum filium adigere, omnis humanitatis limites excedit. Quid? quod in vitam suam nemo tam plenum jus accepit, ut violentas ipse sibi manus afferre queat.

Et in pudicitiam quidem ac honestatem civium civitas

nullum jus, nisi ad tuendum habet. Ut hæc salva cuique sint, civitates institutæ sunt. Itaque vel ad unius civis pudicitiam tuendam, bella pia & justa geri, nulla ætas dubitavit. Sicut nec singulis civibus licet honestati suæ vim facere. *Ad quædam enim nulla debet necessitas compellere*, ut recte *Varius Geminus* apud *M. Senecam* disputat. Cujus rei tantus est in animis recte institutis sensus, ut vitam potius projicerent, quam eripi sibi pudorem multæ præclaræ fœminæ paterentur, quanquam potuisset aliquando locum habere illud apud *Livium*: *Unde consilium absfuerit, culpam abesse.* Sed metu tanti dedecoris, ad remedium ab homicidio in se, id est, à delicto petendum properantibus, *quis humanus affectus*, inquit *Augustinus*, *nolit ignoscere?* Magnarum consternationum hæc est indoles, ut non patiantur ad aliud hominem respicere, quam quod tanta circumstantia animum occupavit, præsertim ubi urgentius malum est, quam quod mitti in consilium cogitationes sinat. Quo fit, ut fugiendo periculum, quod terret; ruatur in periculum, quod præ terrore præsentiori, quale sit, non æstimatur.

Controv. 3. 17.

1, 58.

De C. D. 1, 16.

In vitam civium, quod sit jus civitatis seu summæ potestatis, non vage declarandum est. Esse igitur civitatem dominam vitæ necisque civium, ut veteres loquuntur, ex vi jurisdictionis sive potestatis judiciorum, controversia caret. Atque hoc jus nititur merito, & obligatione ad pœnam, neque aliter animo concipi potest. Alteram partem, jure belli contineri dixeris: quo videtur, ut civis vitam suam debere civitati propugnandæ, ita civitas, vitâ civium multorum uti posse, ad servandum totum corpus. Sed hoc jus belli, in se & ex se apprime temperatur. Hic enim non eligitur vita, sed opera civium ad finem, quem dixi: & cum exitus, fortuna moderante, undique incertus sit, non minus ad spem, quam ad metum via patet. id quod tot admirabiles & inopinati certaminum eventus abunde docent. Quod si quis dixerit; hunc numerum civium tradamus hosti ad cædem, ut reliqui vivant: nec pie nec honeste loqueretur. At enim hoc

hoc in bello fieri videmus? Videmus: sed aliquando malè; nunquam autem licite, nisi sub illa destinatione & lege operæ ac spei, de qua mentionem intulimus.

Atque ista quidem, unde fluant, ipsis vocabulis demonstratur. Quod vero ex jure supereminentis Dominii distinctius appellato, civitas vitam civium innocentium, utilitatis publicæ caussa, destinato proposito queat perdere, id vero nec divinis nec humanis literis firmatur. Tractatus est hic locus in fabulis, modum philosophiæ caute custodientibus, quando de Iphigenia mactanda comminiscuntur. Primo enim, à numine arcessitur, ultra scilicet humanæ potestatis limites positum negotium. Et certe, si quod tale jus civitati unquam posset competere, vix est, ut humanam sapientiam liquido examine, momenta & rationes & tempora ejus ratiocinaturam credamus. In quo genere dubitationis, morali judicio, jus statuere quis potest? Deinde, à læso numine repetitur origo rei, & facinus patris mactatione filiæ ulturo: ut origo quæstionis ex vindicta & pœna surgere, & tum demum illuc pertinere intelligatur, si pro communi totius populi salute unum caput innocens recte immoletur. Sic quoque supereminens jus civitatis seu populi refuga manu tractatur: dum & omnis rei expediendæ ratio ad voluntatem & electionem virginis, mortem pro civibus gloriosam optantis, apud *Euripidem* transfertur; & patronus ei datur è principibus viris, Achilles, qui eam cædem verbis primo coarguit, mox manu impedit. sicut historia habet. Nam Poëtæ ἀπὸ μηχανῆς solvunt negotium, & Dianam advocant, ad liberandam victimam, quæ ipsi destinata erat. Quibus ambagibus, potiorem tali jure clementiam etiam divino suffragio, non obscure signare videntur. Neque alio pertinet, quod infinitam malorum seriem, ab Iphigeniæ decreta cæde, tanquam ex fonte deducunt.

Iphigen. in Aul.

Apud Dictyn. Cretens. lib. 1.

Ex his, ni fallor, suppleri possunt, quæ de quæstione hujus generis *Grotius* disputat. qui, cum deseri posse unum civem quamvis innocentem, ab hoste expostulatum, si civitas longe impar sit hostium viribus, pronuntiasset: postea

De I. B. 2. 25. 3.

postea etiam illuc pervenit, an tradi in manus hostium civis innocens possit, ut vitetur imminens alioqui civitatis excidium. Non enim nihil pro *Vasquio* hactenus annotatum est. Quæ *Clarissimus Feldenus* affert, ideo civem innocentem tradi non posse hosti postulanti, quia servile sit partem suam teneri, sine causa ad ludibrium alteri præbere, cum libertas vita carior esse debeat, adeoque satius sit omnes mori, quam in ludibrium aliis servire: non pertingunt eo, quo conantur; sed nec sine figura stare possunt. Neque enim vera & accurata æstimatione libertas vitæ statim præponitur, sicut oratoria sententia fieri solet: neque civitati toti unius civis ludibrio servitus contracta censetur. Quis enim ferret ita loquentem in quæstione: utrum libertas civitatis an vita unius civis præferri debeat?

Facile etiam apparet, quid de Mauregati Hispaniæ Regis pudenda pactione judicandum sit, cum quinquaginta nobiles puellas, & totidem plebejas, Arabum libidini, veluti tributum annuum concessit: memorantibus Scriptoribus *Hispanicis, qui, in Carolo Magno, nominantur.*

Pag. 33. & 34.

Deduxit nos hic locus ad pactiones bellicas, in quibus quædam non jure belli, sed hoc, quo de loquimur, jure supereminente videmus expediri. Quid enim aliud præstare potest, ut loco & caussa totius civitatis, pauci aliqui, iique inviti obsides dentur? Nam de volentibus minus difficultatis apparet. Obsidum autem primo quidem libertatem, deinde vitam, nunquam sola bona aut jura obligari, nisi disertis verbis aliud dictum fuerit, citra ambages intelligi potest. Illud enim in obligatione sumendum est, quod in manu ejus est positum, aut quod consequi potest is, cui obligari volumus. Bona autem & jura alterius, plerumque societate civili dissoluta, adipisci non licet. Vitam porro obsidum valide obligari, etiam cum nihil aliud dictum est, quam illud; *hi sunto fidei pactæ obsides*, non credo ullos apud populos dubitatum. Neque opus est, ut arcessamus hanc disputationem, ab eo

eo jure, quod quisque in vitam suam habeat, aut non habeat; & quomodo id à singulis ad civitatem traductum sit, ostendamus. Sola est, quæ rem conficit, ipsa actionis formula. Id enim actum censetur: *Nisi servaverimus, quæ convenere, tum violatæ fidei pœnam ab obsidibus, quos dedimus, tanquam carissimam civitatis nostræ partem, expetere vobis jus fasque sit.* Atque ita accurate distingui debent ista: an civitas se, aut partem sui ad pœnam vel quasi obligare possit? & an obligatio ad pœnam ex culpa totius civitatis, in paucos, & partem civitatis transferri possit? in qua posteriore quæstione præsertim illud animadvertendum est: quod obsides, delinquente civitate, non possunt non innocentes haberi. Hic ergo forte omnia rimantibus, nihil occurrerit rectius, quod dicatur, quam hoc: Civitati obsides danti, propter firmum fidei servandæ propositum, illum eventum, quo obsides violari possent, morali æstimatione pro nullo esse; qui si certus esset, aut probabili conjectura secuturus putaretur, dubium nullum est, quin talis obligatio obsidum innocentium pro culpa civitatis nocentis, illicita haberi deberet. Ita de obsidibus, sponte utriusque partis, & in pactione æquali datis acceptisque loquimur. Aliter judicandum est, cum is, qui bello superior est, aut victor, inter cæteras pacis aut deditionis leges, certum numerum obsidum imperat. Vel enim tum imminutio imperii facta est, ut jam nullus dominio eminenti locus sit; vel manente imperio necessitati paret civitas, non alio tamen proposito, quam quod modo explicavimus. Idque eo magis procedit, quo honestius tractantur obsides, quamdiu fides dantium non vacillat. Nulla enim fere gens est, quin in favorem obsidum, constante civitatis, unde traditi sunt, fide, aliqua vel more vel lege induxerit. Antiqua exempla nota sunt. In *lege Frisionum* honoratissimis personis æquiparantur. *Qui obsidem occiderit, novies eum componat.* Sicut nimirum cædes, legati Regis, aut Ducis, aut loco sancto facta, expiari solebat.

Confer cum tit.20, tit.17.

De traditione & cessione totarum provinciarum, regio-

gionum, urbium, una cum incolis, per pactiones, postea agetur. De incolis & civibus hoc tantum annotabimus: Partem civium invitam alienare, extra necessitatem, incivile & iniquum. Qui autem pactione bellica, haud sane lubens, sed necessitati obsecutus, suo jure in civium partem cedit, quatenus sine pacto alienationis id fieri nequit, dominii eminentis usu defendi potest, etiam adversum invitos. In qua tamen re gentibus plerisque placuisse videmus temperamentum liberæ demigrationis, quantum ad homines, peti fere & concedi solitum. Id quod præsertim, ubi mutandæ religionis periculum subest, neque negligi, neque negari sine injuria potest. Quod autem hac occasione apud *Grotium* disputatur, & à *Clarissimo Feldeno* impugnatur; *partem civitatis plus habere juris ad alienationem sui, in summa necessitate, sine consensu civitatis; quam civitas habet ad alienationem partis non consentientis*, id neque recipere sine commoda interpretatione licet, ut ex jam dictis animadverti potest,& declarari subtilius debet. Quando, exempli gratia, urbs aliqua ab hoste obsessa aut impugnata, ad extremum deditur in alienam fidem atque potestatem, atque adeo suo facto alienatur, sive desinit esse pars suæ civitatis, fitque pars alterius: non dubitandum est, quin obligata fuerit suæ civitatis corpori, ad resistendum hosti, & vitandum alienationem, donec ulla spes conservandi se suaque repugnando, superesset. Sed hæc obligatio habet naturaliter terminum, quem dixi; inestque ei exceptio interitus sive excidii. ut enim interitum potius, quam alienum imperium eligeret, illa obligatione nemo dixerit contineri. procederet enim eo, quo procedi in ordine civili non debet. Itaque tali necessitati data alienatio, non ignoscenda tantum, ut quidam putat; sed justa reputanda est, quod *Grotius* voluit. Sic civitas, quæ non est in patrimonio imperantium, obligata videtur singulis partibus, ne quam invitam alienet, sed cum exceptione necessitatis ac dominii eminentis, quod absque necessitatis respectu hic non consideratur. Quæ exceptiones tacitæ pars illius ipsius juris sunt, de quo loquimur.

I. B. 2, 6, 4. & 3, 20, 3.

mur. Addenda ſunt his, quæ de captivis redimendis aut deſerendis dubitantur. 3, 21, 24.

Manere conſtituimus intra limites argumenti, atque adeo, quæ circa conſtitutionem ac deſtitutionem magiſtratuum, munerum, officiorum, curationum; circa honores & privilegia, vel ut varia diſpenſatione dantur, vel ut eripiuntur; circa alia ejusmodi perſonarum jura, aut munia, altiore videntur proviſu, aut manu potentiore expediri; ſuis locis concludenda, neque in alienos dominii eminentis fines cogenda arbitramur. Tali enim commixtione, civili philoſophiæ, quæ via & ratione compoſitâ excoli deſiderat, parum conſuli videmus: inprimis autem partitam probe de juribus majeſtatis diſciplinam denuo intricandam, & prætextu dominii eminentis involvendam neutiquam judicamus.

Perſonis proxima ſunt jura perſonarum & actiones inde enatæ. Ita liberum eſt cuique civi promittere, contrahere, jurare, quatenus nulla lex civilis poſita, modum aut impedimentum conſtituit. Videmus tamen, exigente publica utilitate (abſque ea enim neceſſitate, ſervari talia in commune prodeſt) his, quæ ita acta ſunt, effectum adimi ex vi ſupereminentis dominii, ſicut *Grotius* monuit. Idem qui alibi quærit; an fides privata in bello propter vim eminentis dominii poſſit convaleſcere? In reſponſione locum non ſemper habet, quod ait: pacta, quæ majus malum evitant, publice utilia haberi oportere. Eſto autem, ut hoc, æquitatis amore concedamus ſemper obſervandum (quanquam aliqua, quibus privati majus malum evitant, publice admodum noxia eſſe poſſunt) ipſa comparatio utilitatis non minimum in alteram partem momenti habebit. Fatebitur aliquis, promiſſa ſervari, publicæ utilitatis intereſſe, ordinario loquendi ſentiendique more. At vero extraordinaria utilitas publica, eaque neceſſitatis telis armata ſuadebit, ne ſumma poteſtas permittat fieri, quod privatim dictum, abſque publico intertrimento effici nequit. Quod de legiſlatoria

I. B. 2, 13, 20.
3, 23, 5.

poteſtate, & obligatione legum additur, commode cauteque accipiendum eſt, ſicut alibi oſtenditur.

Et jura quidem, quæ in pœnam auferuntur perſonis, non attingimus: ſunt enim alterius generis, cum hic tantum ſermo ſit de jure quæſito auferendo, publica neceſſitate expoſtulante, vi dominii eminentis. Atque huc referri ſolet, revocatio beneficiorum Principalium etiam quæ vim perfectæ donationis habent: ſi publica ſalus exigat. Quanquam non parum plerumque dubitationis ſubeſt. Conſiderari enim ante omnia debet: an Princeps beneficiorum largitor, jura habeat vere Regia, ſive an vere præditus ſit ſumma poteſtate. cujus ſolius actio hic ſpectatur. Deinde, de fiſco ne ſuo largitus ſit, an de Regni bonis. Ubi & illud ſatis apparet: ſi fiſcus Principis per calumniarum omne genus & rapinarum ditatus fuerit, amitti favorem, donationis tanquam de proprio factæ. Amplius attenditur, vitio ne animi prodigi, an ſuffragationibus ſubdolis hominum, quibus facilitas Principum in quæſtu eſt, tales donationes factæ ſint; rationem habeant, an ratione careant. Porrò: fiatne revocatio, per eundem, qui dedit (quod rarius eſt, & cum aliqua labe conjunctum, ſi ſuam ipſe manum, ſuum ſigillum refutarit) an per ſucceſſorem, qui adverſus Rempublicam tali deceſſorum facto obligari non videtur potuiſſe. Solet & temperamentum quæri non ſimplex. Nam in quibuſdam plane circumventus Princeps, tanquam meritis & merentibus donavit, quorum nulla prorſus ſunt merita. His ergo quo minus eripiantur, reique publicæ reddantur, quæ per obreptionem adepti ſunt, non longa videtur diſputatio. niſi quod vel numero, vel propinquitatibus talium hominum, effectu arduum fieri poteſt negotium. Tum vero uſitatius eſt, ut pars aliqua liberalitatis penes poſſeſſores relinquatur. Exempla ſunt nobilia in Principatu Galbæ & Baſilii Macedonis. quorum ille, cum Nero bis & vicies millies ſeſtertium (ſive LV. milliones, ut hodie loquuntur) *donationibus prodigis effudiſſet, appellari ſingulos juſſit, decuma parte liberalitatis apud quemque eo-*

Grot. 2. 14. 7.

2, 14, 13.

Tac. 1. H, 20.

rum

rum relicta; atque hoc, *cuncta scrutantibus justissimum visum esse*, Historicus ait, *inde repeti pecuniam, ubi inopia caussa erat:* hic vacuatum profusionibus Michaëlis decessoris ærarium ita supplendum statuit; *ut ab iis, qui nulla probabili de caussa accepissent, reposceretur pecunia, vel summæ dimidium saltem.* Ita quidem Zonaras. Sed *Constantinus Imperator in vita Basilii* refert: *Consiliarios una omnes voce suasisse, αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς κακῶς ταῦτα λαβόντας ἀντιστρέψαι πρὸς τὸ δημόσιον, Ut illi ipsi qui male ista ceperant, ærario redderent. Basilium autem ultra dimidium nihil exigere voluisse.* In Gallia sub initia Caroli IX. cum deliberaretur de ære alieno sub prioribus Regibus contracto, dissolvendo, *non recusabat Rex, & circa eum Proceres, quin, si comperiatur nimiis donationibus & immensis largitionibus exhaustum ærarium, ad earum restitutionem, qui acceperunt, compellerentur,* sicut ex *Thuano* petas licet.

Zonar. tom. 3. cap. 23.

lib. 28. p. 32.

Sed & in beneficiis ac privilegiis probabili ratione impetratis concessisque jus singulis quæsitum, sæpe interrumpi, nec nunquam tolli dominio eminente potest, non tantum ab auctore privilegiorum, sed & à successoribus. In qua re explicanda, non sine temeritate versatus est *Bodinus*: illuc tantum respiciens, quousque Princeps majorum aut suis legibus, sive etiam jurejurando suo obligari possit. Ac de jurejurando quidem summarum potestatum, cujus sanctissima est obligatio, dolendum, quod neque nostra ætate desint homines, qui dilutius, quam viros graves; & improbius, quam Christianos decet, scriptitare non dubitarunt. Verum ista non sunt hujus loci. Privilegia cujuscunque generis concedere, operis nomothetici esse sciunt, qui veterum Philosophiam sequuntur. Temporaria illa sint, an perpetua; præjudicent successoribus nec ne; partim ex materia, partim ex conceptis verbis sive formula æstimandum. Sic nobilitatem familiæ, vel unius hominis insigni merito concessam, perennem esse, magna & publica ratio postulat. Neque unquam potest incidere tempus, quo nobilitate abrogata Reipublicæ opus sit. nisi quod in pœnam summorum criminum quibusdam adimi potest. Sed, quæ nobilitatis honorem

1. de Repub. 8.

comitari solet, immunitas vectigalium, onerumve aliorum, auctoritatem dominii eminentis agnoscat oportet: quæ legis opera vel interquiescere jubeat, vel mutationem subire aliquam, cum temperamento scilicet, quod naturæ dominii eminentis inesse, amplius postea apparebit.

Liceat hic obiter attingere illam quæstionem. Si Rex aliquis creet Comitem, Baronem, eique vi Comitatus aut Baronatus, tribuat jurisdictionem in subditos, aliaque jura cum hac clausula, *salvo jure superioritatis*, quomodo id accipiendum interpretandumque sit? Non dubitaverim, ut nova voce *superioritatis* hodie utuntur, Comitem illum, sive Baronem, *Landsassium*, sicut itidem nova appellatio obtinet, Regis designari; quem auctorem sui honoris & juris agnoscit. Eoque ipso simul stabilitur Regi, qui non tantum nomine, sed jure regio est, etiam Dominium eminens, non minus in Comitatu, aut Baronatu tali, si Reipublicæ necessitates huc vocent, quam alios apud cives exercendum.

I. B. 3, 1, 15. Ponit *Grotius* in exemplis dominii eminentis, veritatem ad subditos occultatam: auctoritate *Platonis* usus, qui hac mente concesserit imperantibus falsum dicere; tum *Josephi commento* erga fratres, ubi & *Theodoretus* προσωπεῖον ἀρχικὸν in eo agnoscit, & *Salomonis judicio* inter mulieres. Et fatendum est sane, *Grotium* in disquirenda doli ac mendacii natura incomparabilem quandam industriam adhibuisse: atque hoc ipsum apposite ad suam disputationem animadvertisse, non esse pro dolo & mendacio habendam tam utilem publice ac privatim aut certe innoxiam veritatis dissimulationem. Sed qui illam Philosophiam de dolo bono, ut nunc ita loquamur, tractant, ad ea & eos porrigunt sententiæ suæ explicationem, ubi ab ultima dominii eminentis ratione nullum quæritur auxilium. Neque ego profecto unquam suasor cuiquam extiterim, ut non strenuum magis, quam subsidiarium, & sancta religione septum conclusumque hoc remedium ad alia producat, quam necesse est. Videndum ergo, an satis vere recteque ita dicam: summa potestate civitatem regentes omni-

personam imperatoriam.

omnibus & ſingulis civibus ita obligati ſunt, ad veritatem ſuorum conſiliorum, propoſitorum, actionum, in Republica adminiſtranda, nude ac ſimpliciter, ubique & ſemper enuntiandam, ut de his aliquid occultare aut tegere, niſi neceſſitas publica imperet, neutiquam illis liceat. Quicquid dubitabitur in hac oratione, id ſententiam Grotii non patietur in vado eſſe. Niſi quod in populari regimine, res expedita eſt. Cum enim ibi ſumma poteſtas penes ipſum totum populum ſit, ratio ſeparandi juris, quod actiones publicas ſpectat, quæcunque ponetur, commentitia erit. Etiam ſi populus, adminiſtrationem non jus ſummæ poteſtatis cuidam parti civitatis committeret, niſi diſertis verbis conceſſum eſſet, celare quædam populum, nullus jam locus eſſet dominio eminenti, quod totius civitatis eſt in partes, non partis in civitatem.

Agunt quidem, ut hoc ſemel hac occaſione annotemus, etiam minores poteſtates & magiſtratus interdum quædam, quæ dominio eminenti tribuimus, & tribuemus. Verumenimvero niſi mandatis eorum id contineatur, merito audient: neque imperatum tibi hoc eſt, & rationem facti apud ſummam poteſtatem reddes. Finge, & abſolvi tale factum, nullo merito cauſſam defenderis, ſed judicis æquitatem commemoraveris. Raro tamen ejusmodi dubitationibus locus relinquitur in accurata Reipublicæ tractandæ conſuetudine. Tam diſertis enim verbis, tanto futuri proviſu, tam excogitatis formulis iſta præſcribi ſolent præpoſitis rebus gerendis, ut, nec hærendum habeant, ubi uſus venerit, neque timere poſſint, qui præter imperata & præſcripta nihil fecerunt.

Progrediendum eſt ad ea, quæ in hoc argumento, ut ſola, pluribus innotuerunt: Bona ſcilicet civium. Quanquam & miſceri ſive concurrere bona & jura ſæpe videmus. imo nullus de bonis civium ſermo incipi poteſt, quin de jure circa bona illa aliquo ſingulorum civium, in quod ſumma poteſtas, ex uſus publici neceſſitate ſuccedit, agendum ſit. Diſtinctioni tamen locus eſt, quia non in vicem commeant iſta; juraque etiam alia, quam bonis accommoda-

1. Reg. 21. Epit. Phil. moral. p. 248.

modata, noscuntur. Non abs re fuerit, si ordiamur ab historia vineæ Nabothi: ubi *Philippus Melanchthon* hanc format quæstionem: *Recte ne fecit Naboth, quod non cessit vineam Regi petenti, cum Reges etiam dicantur Domini privatarum facultatum?* Respondet: *Distinctio dominiorum seu proprietas est juris gentium, vel, ut Philosophi loquuntur, juris naturalis. Hanc ergo conturbare, & aliena sine justa caussa rapere, non licuit Achabo.* Addit: *Nabothum nullo suo facto meruisse amittere libertatem, & cum ea, dominium rerum suarum. Quod enim alibi in jure Regio ponatur*; Agros vestros & vineas tollet, *id accipiendum de stipendiis, & sumtibus in administratione Reipublicæ, ad communem necessitatem faciendis: non quod prætextu Imperii Reges sint Domini omnium privatarum facultatum, quanquam alibi laxior, alibi adstrictior, pro diversis regnorum formis, comperiatur libertas.* Transferre porro licebit hanc historiam ad rem nostram. si fuisset in vinea Nabothi adversus imminentem hostem propugnaculum excitandum, si castra locanda; jure, de quo nunc agimus, ad hos usus vineam potuisset postulare Rex, inita ratione repensandi damni, de qua mox amplius. Nunc voluptati tantum & commoditati privatæ servientem, nullum jus tuetur. Et in Nabotho, nihil aliud quam rusticitatem accusare, apud *Josephum* audet Achabus. Uxoris quoque Jezabelis fatale scelus, ipso molimine exitii in innocentem structi, ostendit: non potuisse vivo honeste eripi optimo jure possessa.

1. Sam. 8, 14.

lib. 8. Antiq. c. 7.

Cornel. Nep. in Themist.

Ponemus exempla insigniora. Sit urbs aliqua munienda, ut olim Athenæ; & breve quidem intra temporis spatium. desit autem materia & lapides. Sumi poterunt ex hortis aut prætoriis singulorum, sub conditione compensationis. Idem fieri poterit, ut horti, agri, ædificia singulorum, munimentis occupentur; aut durante obsidione, ædes privatorum dejiciantur, ut ratio belli dictat. Sit in obsessa urbe fames: recludi poterit singulorum annona & describi; &, vel invitis dominis distributio æqualis fieri in omnes, venditio item imperari nolentibus.

Sit

Sit urbs aliqua confusis ædificiis, nulla platearum amplitudine, aut distinctione: sicut requirebat commoditatis importandarum & exportandarum rerum, aut defensionis ratio adversum incendia & vim hostilem. dirui videmus quasdam domos, ne ordini & dispositioni obstent: non sine compensatione tamen. Quam neque Nero, utut prodigus jam famæ ac pudoris plane neglexit: quando post incendium (valde id quidem suspectum) melius & ordinatius extructæ domus sunt, dimensis vicorum ordinibus, latis viarum spatiis, cohibita ædificiorum altitudine, patefactis areis, additis porticibus, quæ frontem insularum protegerent. *Eas* enim *porticus Nero sua pecunia extructurum, purgatasque areas dominis traditurum pollicitus est. Addidit præmia pro cujusque ordine, & rei familiaris copiis: finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis, adipiscerentur.* Tac. 15. A. 43.

Vias publicas sternentibus, aut munientibus, sicut usus civitatis postulat, occurrunt agri, prata, prædia privatorum. Hæc quoque vigor eminentis dominii pervadit. redditis alibi, aut pensatis, quæ in publicum versa sunt.

Augusto Romæ *fori exstruendi caussa fuit, hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere:* sed *fecit* hoc *forum angustius, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.* id quod civilitatis nomine *Historicus* commendat. Quid ni laudabimus hanc Augusti sententiam, cum ultra id, quod necesse erat, progredi noluit? Habent quidem isthæc talia suam latitudinem, neque in puncto semper finiri queunt. Optime autem utetur tam fortibus præsidiis, qui minimum sibi ignosci cupiet. Sueton. Aug. 29. Id. c. 56.

Vix huc videtur pertinere illud ædificiorum & operum genus, quod *dignitas civitatis, & nitor seculi postulat*, ut *Plinius* describit. supereminentis enim dominii præsidio, incolumitas potius & conservatio civitatis sustentatur, quam amplitudo & splendor exornatur. Si tamen, ut iterum *Plinius* loquitur, *quantum pulchritudinis, tantum utilitatis habitura* sunt ejusmodi opera, neque ratio publica nulla est, Ep. 10. 34. Ep. 10. 50.

Tac. 1. A. 9. urbes quasdam principes esse *magnifico ornatu*: non erit nullus plane locus dominio eminenti, adversum κακοήθειαν refractariorum quorundam civium. Sed ne fortius, quam par est, id juris usurpetur, vel fortuna, vel virtus imperantium providere solet. Modo enim genius seculi & affluentia, ultro talibus propositis conciliat civium animos: modo juncta compensationi humanitas ac persuasio demit, quicquid amari inesse potuit negotio. De cetero compescenda interdum est cupiditas animi in magna & sumtuosa proni.

Veniemus ad exemplum domesticum, quando pactione Osnabrugensi, difficilima deliberatio incidit, quomodo Regibus paciscentibus, Sueco, Galloque, locorum jure belli possessorum restituendorum nomine, satisfieret. Prima, quæ de cedendis quibusdam provinciis ac ditionibus ferebatur, vox, necessitatis publicæ jure, voluit exaudiri: Neque tamen extra invidiam, & contradictionem fuit, inter illa sedulo tum disceptata: Quis auctorem se hujus rei facit, & quo jure? Qui, & quot subscribere tali sententiæ audent? Et quænam, de rebus ullius ex Ordinibus inviti, pactio esse potest? Donec multis ultro citroque dictis, tandem *Cæsarea Majestas de consensu Electorum, Principum & Statuum imperii, cumprimis Interessatorum, S.R.M. Regnoque Sueciæ concessit certas ditiones, pleno jure in perpetuum & immediatum Imperii feudum*; illis autem, qui jure suo in has ditiones cesserant, Principibus, *pro æquivalente recompensatione* (retinemus enim verba sanctionis pragmaticæ) pari modo & formula, tradidit alias ditiones; qui ita sibi satisfactum declararunt. Eadem ratione Gallia *ab Imperatore & Imperio & Domo Austriaca*, alia, nexu feudali plane libera recepit. Qui rebus tractandis interfuerunt, sciunt, istâ consultatione supereminentis dominii rationes probe excussas esse. in quantum scilicet Imperium Romanum, ut unam Rempublicam consideramus, in qua hoc jus Majestatis non nisi ab Imperatore & Imperio, sive Ordinibus simul exerceri potuit. Ad quæstiones autem consilii, magnas illas quidem & profundas, quæ tum in argumen-

Instrum. Pacis Cæs. Suec. art. 10.

Instrum. Pac. Cæs. Gall.

gumentum disputationis venerunt, circa negotium unis caussis, conditione diversa terminatum, nihil attinet sermonem proferre.

An & exterorum bona ac jura supereminenti dominio subjici fas est? Negat *Grotius.* nisi quod supplendam censemus hanc sententiam, ex doctrina de subditis temporariis, quos appellitant. Nihil enim verius videtur hoc dicto: Qui ex causa temporaria agnoscere tenetur summam potestatem hujus aut illius civitatis, sive subditus temporarius factus est, ille non potest in tantum detrectare aut defugere auctoritatem dominii eminentis. *I,B.2,14,8.*

Nec alio videntur fundamento niti Principes, qui bona exterorum in portubus suis deprehensa, necessitatibus Reipublicæ suæ accommodare, sub obligatione mutui, non sunt veriti. Anno superioris sæculi LXVIII. magna vis pecuniæ mercatorum Genuensium, aliorumque Italorum, ex Hispania in portus Anglicos, persequentibus Gallis, delata erat. Quam cum Albanus, tanquam Hispanicam, falso vindicaret, Regina Elisabetha statuit fiduciaria cautione interposita, à mercatoribus mutuo sumere: *quod Principes de bonis in ipsorum portubus deprehensis assolent; & Hispanus ipse nuper factitarat.* Ita *Camdenus.* Cui *Meursium* addas licet in rebus *Belgicis.* Non dissimile est, quod *Camdenus* memorat de *pensitatione* Oresuntica (Lastgelt) *qua tricesima pars omnium mercium mutui nomine, ardente inter Suecum & Danum bello, exacta fuit, cum promisso, ut bello finito refunderetur.* Quin & privilegia exteris concessa, non obstare salutis publicæ vindiciis Regina Elisabetha judicavit; cum Hanseaticis privilegia obtendentibus responderet, de Holcadibus interceptis: *aliter se facere non potuisse, nisi perniciem sibi & suo populo sponte attrahere maluisset. Privilegia, quæ sunt leges privatæ, contra publicam salutem, quæ Lex suprema, non asserenda.* Verum hic magnopere cavendum, ne avaritiæ & injuriis obtentui sint, publica juris nomina, probeque conscientiam suam excutere debent Principes eorumque Amici, quo animo, qua necessitatis ratiocinatione

part. 1. sub fin. ann. 1568.

part. 3. anno 1582.

Camden. part. 4. ann. 1589.

tione, quo justitiæ proposito, ad ea veniatur, quæ nemo facile sponte eligat, ubi vitare licet.

Hinc pleno laudatur ore Imperator Constantinus, sive potius Antoninus, quod adversus fiscum suum, cujus utilitatibus animose alii velificantur, naufragos tueri statuit, voce humanitatis plenissima usus: *Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Non enim alias deerat maritimis civitatibus & insulis *νόμος θαλάσσης* sive lex quædam nautica, quæ naufragorum bona fisco per publicos servos vindicabat, sicut discimus *ex l. Ἀξίωσις seu deprecatio 9. ff. de l. Rhod. de jactu.* Quam quidem Antoninus, cum fiscum suum ipse severius regeret, illis tamen adimere noluit, ex caussis, quas conjicit *Jacobus Gothofredus nobili commentario ad illam legem.* Carolus autem V. Imp. & alii Principes, egregio temperamento jus dominii eminentis circa naufragia moderati sunt: constituto certo tempore, exempli gratia, annuo, intra quod mercatores & domini, sua, probato dominio repetere possint; Nemine autem comparente tum demum fisco cedant. Et quia periculum aliquando est, ne merces corrumpantur, sub hasta venditarum pretium asservatur, vel domino, si compareat, vel fisco, post exactum tempus, sicut amplius refert *Antonius Perezius.*

l. si quando 1. Cod de naufr. XI, 5.

Vid Jac. Gothofr. ad h. l. ὑπόμνημα cap præsertim 11.

Ad Cod. lib. 11, tit V. §. 29.

Mutuantur ex ratione dominii eminentis suam constitutionem Legumlatores, *qui naves à piratis captas, eorum faciunt, qui eas eripiunt piratis.* quales apud Hispanos & Venetos leges memorat *Grotius*; & defendit: *neque enim iniquum est*, inquit, *ut privata res publicæ utilitati cedat, præsertim in tanta recuperandi difficultate.*

I. B. 3. 9, 17. & not.

Compensationem dominio eminenti naturalem, ut sic loquar, & intrinsecam haberi oportere, ex ante dictis intelligi potest. Sicut enim dominos rerum, quarum jactu navis levata est, æquissimum est, partem recuperare ab aliis, quorum res jactu servatæ sunt: ita qui onere omnibus civibus debito onerati sunt, merito sublevantur à reliquis, quos in societatem ut effectus fructusque, ita oneris, ratio civilis ordinis vocat. Debetque hæc compensatio fieri usque

usque ad partem, quam pro virili debebat contribuere in publicum nomen, qui totum onus sustinuit. In qua re fides civitatis ita sancte versari debet, ut, si hoc tempore forsitan impar huic præstationi civitas videbitur, in futurum obligata ad compensationem maneat. *Quandocunque* enim *copia suppetet, exseret sese quasi sopita obligatio*, ut recte *Grotius* animadvertit. Ita in obsidibus quoque, *civitas aut ejus rector tenebitur illud incommodum, ei qui patitur, aut proximis repensare*. eodem annotante. I.B.3,20,7. 3,20,52.

Est tamen, ubi compensatio, per rei naturam locum non habet. ut in cessis hosti provinciis. Ita caute *Grotius* 2,14,7. in explicando Dominio eminente, compensationem requisivit ex communi faciendam ei, qui suum amisit, *si fieri potest*.

Temperamento Dominii eminentis intrinseco, de quo egimus, accedunt & alia; quæ regulis officii, æquitatis, prudentiæ, modestiæ debentur; quando vel exercetur hoc jus, vel de eo exercendo consultatur. Conscientia enim est, præsertim Christiano more erudita, quæ rectores civitatum eorumque consiliarios interpellat; ne abuti tam sancto salutis publicæ expediendæ remedio in animum inducant; ne præpropere, ne temere aut avide in hoc negotio versentur: ut cavillationibus eorum, qui ubique ad extraordinaria & subsidiaria, nec ordine, nec jure viam affectant, aures occludant: ut, quæ tractatu dura, à tractabilioribus probe distinguant: ut à dominationis herilis, de qua hic nihil agitur, propositis animum deflectant. Quanquam ne herili quidem imperio intentos ratio deficiet, quæ ad moderationem ducat. Prudentia autem, etiam ubi jus fundatum est, considerabit tempora, animos, fata; adeoque quid factum infectumque velit, eliget: nec in præsens modo rem conficere, sed in longinquum disponere cupiet. Modestiæ denique pulcherrimum opus in eo versabitur, si persuasisse magis quam imperasse civibus, quæ dura sunt, videberis: si non verborum modo comitate, sed constanti fide civilem ac

æquabilem animum iis, qui publico nomine jacturam faciunt, approbaveris.

Omnino enim bona fide summa potestas, vel compensationem civibus, si non statim repræsentari potest, vel pactionem exteris, ad quam dominii eminentis ope profectum est, præstabit. neque necessitatis imperio, cujus ad salutem expediendam valuit auctoritas, ad cavillanda, quæ acta sunt, utetur. Verissime enim hic locum habebit illud prisci Oratoris: *Non est vis, ubi aliquid expediendæ rei caussa patiendum est, sed ratio.* Redemerit aliquis bellum internecinum, pace, quæ partem ditionum tradiderit. idem scilicet fecerit, quod faciunt, qui partem corporis sui abscindunt, ut reliquum corpus servetur. Nec poterit causari vim sibi adhibitam à paciscente. *Non est* enim, inquit iterum Orator, *admovere vim, aliquid cum certa conditione promittere.* quam nimirum eligis, ut rebus tuis utilem ac necessariam. Quæ præsidia publicæ fidei nisi summo studio conserventur, nulla poterit, procedente in infinitum calumnia, societas consistere.

Apud M. Sen. contr. IV, 26.

Grot. I, B. 2, 24, 6.

In compensatione illud non frustra dictum est, totius civitatis viribus faciendam esse. id quod in natura negotii inesse, satis intelligitur. Si enim vicinorum tantum, aut paucorum civium damno, ceteris non appellatis, resarciretur, quod in usos publicos Dominium eminens insumsit, querelis non injustis locus daretur. Unde ad æquabilitatem in hoc toto negotio conservandam, ubi res patitur, & tam in hunc quam in illum dominii eminentis vigor incumbere potest, sors adhibenda videtur. Atque id temperamentum in obsidibus suadet *Grotius: Si plures sint, quorum quis obses eat, Reipublicæ nihil intersit, danda opera videtur, ut sorte res dirimatur.* Sicut autem, ubi non hujus potius quam illius opera aut res, Reipublicæ necessaria est, merito ita quæritur dominio eminenti materia, ut æqualitas juris inter cives præcipue attendatur: ita quando compensandum est, in communi ad onus obligatione, non hic potius quam ille onerandus est. Itaque civitas sæpe bonis universitatis, aut ærario publico uti-

I, B. 3, 20, 52.

tur

tur ad compensandum: nisi nova exactione aut distributione res plane opus habeat. Qua occasione notanda est ratio eorum, qui genus tributi (ἐπιβολὴν vocabant) in Orientali Imperio iniquitatis accusabant. Describunt hoc tributum *Simeon Metaphrastes*, & *Cyrillus Scythopolitanus*, à *Nicolao Alemanno* laudati ad *Procopii* ἀνέκδοτα, qui & ipse exagitat, non tamen, ut Justiniani demum tempore repertum, quod *Suidas* verba ejus de cetero exscribens, existimavit. *Quando pestis & fames, domos & familias hominibus, pagos & villas cultoribus passim vacuaverant; tum ne res aerarii deterior fieret in annuis reditibus, decretum est, ut à vicinis exigerentur tributa eorum, qui interissent. Obtinebat ergo in universo Imperio, ut vicinorum quisque, vicini cujusque pendere tributa cogeretur, sive illos pestis & inopia absumpsisset, sive necessitas sedibus suis emovisset, aut solvendis tributis impares fecisset.* Patiebatur hic jacturam ærarium, morte & inopia eorum, qui tributa pendebant: quæritur, unde sarciendum? certe viribus omnium eorum, qui ærario ad usus publicos obligantur, id est, omnium civium. Nemo mihi hic dicat, Dominii eminentis arbitrio (cujus rationes alias sibi accommodare res tributaria solet) in vicinorum prædiorum possessores hoc onus inclinari posse. Fac enim, hanc regionem peste fameque vastatam, alias intactas esse in eodem imperio. Cur afflictæ illi regioni onus imponendum est supplendi ærarii, præteritis florentibus? Ita quidem de hoc genere tributi, (ἐπιβολῆς) scriptores ante nominati loquuntur, cujus repertor Marinus quidam Syrus putatur, quodque apud Justinum Imperatorem, Sabam, apud Justinianum, Eusebium Presbyterum, deprecatos memorant, ne ecclesiæ pendere cogerentur. Ex *Novellis* autem facile mitiora colligas, de ἐπιβολῆ, quantum ad ὁμόδουλα καὶ ὁμόκηνσα *conserva & contributaria prædia*, ut reddunt, attinet. Considerari interim meretur, quod *superindicti* nomen (quo non hæc ipsa ἐπιβολὴ, quæ Græcis describitur, sed laxius adeoque minus definita invidia, extraordinaria indictio notabatur) quasi tyrannidis quandam speciem haberet, Imperatores Honor. & Theod. sustulerant. sed hæc in

p. 100. & 101.
Voc. ἐπιβολὴ.
Novell. 128. & c. 7. & 8.
l. 1. *C. de indict.* X. 17.

in transitu. Quanquam alias, ut ante cœpimus dicere, in materia vectigalium & tributorum, haud raro sit respiciendum ad dominium eminens, ut quando de pecuniis, quas etiam ab invitis civibus opulentioribus mutuas exigi, necessitas Reipublicæ suadet, agitur: itemque de usuris eo nomine solvendis aut non solvendis: quæque alia sunt ejus generis.

Etiam cum de oppignoranda aut vendenda parte civitatis quæritur, ut ærario subveniatur, aut necessitates Reipublicæ expediantur, ab hac philosophia aliquod præsidium peti videmus. Concurrunt plura in historia Boreali, de Scania, Hallandia, Bleckingia, Lystris & Huena, quas primum Dani, angustis domi rebus, Johanni Holsatiæ Comiti pignori obligaverant. Postea cum extremo *Holsatorum* jugo fatigatæ illæ provinciæ, ad libertatem aspirarent, Regisque Sueciæ Magni opem respicerent,
1332. *Comes Johannes videns se tanto adversario haudquaquam parem*
Histor. Dan. lib. 7. p. 455. *futurum* (refero verba *Isacii Pontani*) *extemplo, quod dicitur, necessitatem in virtutem vertens, quicquid è Scania, Hallandia, Bleckingia & Lystris sibi obæratum habebat, id venditione cum Sueonibus habita, acceptis 70000. argenti puri marcis, Magno in totum transtulit, postquam summa cum vi & violentia triennium circiter id ipsum tenuisset.* Duplex hic titulus occurrit: primum, quo pars civitatis à corpore discedit necessitate compulsa, dum aliter servari non potest; deinde vendi-
Grot. 2, 6, 5. tio. Priori majorem auctoritatem videtur tribuere *Historicus*,
Pontan. lib. 7 cum de utroque subjicit: *Varie exinde super ea disceptatum venditione, quæsitumque, an ei, qui tantum oppignoratam regionem teneret, ejus abalienandæ potestas esset: quamvis Sueci non ea tantum cum Holsato transactione, sed etiam literis indigenarum niterentur.* quas & postea agnoscit Historicus. Hactenus alio pertinebit, quod & se in fidem Suecorum illæ provinciæ dediderunt, & Comes Holsatiæ suum, quod habuit, jus Suecis vendidit. Accessit Regis Regnique Daniæ auctoritas, confirmatis, quantâ fieri potuit solennitate, quæ acta erant. Id quod conventio Regum Regnorumq; Sueciæ & Daniæ abunde testatur, literis publicis quas

quas refert Historicus Danus in rebus Woldemari III. illis verbis: *Item volumus, & firmiter statuimus, ut omnes ac singulæ placitationes & literæ, per dictum Dominum Regem* (Woldemarum) *& quoscunque alios, nobis datæ aut nobiscum habitæ, super terris Scania, Hallandia, Bleckingia, Lyster & insula Huan, in suo pleno vigore & robore, per hanc nostram placitationem & finalem concordiam, in nullo penitus diminutæ vel debilitatæ, sed potius redintegratæ & de novo roboratæ ac firmæ sint, ac in perpetuum stare debeant & durare.* Hic nova juris præscriptio observatur, quando Dania, necessario suo tempore, oppignoratis primo provinciis, subinde in solidum cessit, repetitisque pactis, Suecorum possessionem & jus firmavit. Secuta sunt tempora, quibus Regno Sueciæ, per vitia Regis, in factiones scisso, ad periculosa auxilia conversus Magnus ille, Waldemari blandimentis, quibus & minæ miscebantur, in Scania pellectus, inconsultis pactorum superiorum, qui constituti erant, custodibus, reddidit Danis provincias illas, una cum literis pactionum superiorum. In qua re notanda, miretur aliquis, verbosius agere solitum Historicum, tam festinanter pergere. *Recepit* Woldemarus (inquit) *haud multo post volente atque assentiente Rege Suecorum Magno, quæ intacta adhuc supererant, Scaniæ, Bleckingiæque munitiones ac castra: similiter & literas idem Magnus Woldemaro traditas assignavit, quibus Johannes Holsatiæ Comes Scaniam sibi oppignoratam Suecis vendiderat, tum & eas, quibus Scaniæ Proceres Regem Suecorum, ut Principem suum inaugurarunt.* Cur hic omisit literas Danicas ipsius Woldemari & Senatorum, itidem redditas Woldemaro? nisi velit, contra suam ipse Historiam, in dubio relinquere consensum Daniæ. Sinceriora sunt, quæ sequuntur: *Sueci hoc nomine Magnum detestati eum cognomento Sneek per convitium vocitarunt, quod se deliniri & blandis persuasionibus ad iniquas & turpes conditiones induci permisisset.* Et quidem in re minime jam suæ potestatis. Finge enim Magnum voluisse, obtentui sumere, necessitudinem Reipublicæ & præsidium à Dominio eminenti petitum: Frustra. hoc enim jus abdicaverat, aut certe commune sibi fecerat cum fidejussoribus & compromissoribus,

Is. Pontan. lib. 8. pag. 468. & seqq. a. 1343.

Vid. Eric. Upsalens.

Pontan. lib. 8. p. 490.

tribus, in superiori pactione: *Pontano* quoque verbo tenus relata. Quid? quod in tanta Reipubl. perturbatione, Danis, contra consuetudinem paciscendi illis gentibus usitatam, partium in Suecia contendentium una, jus firmum dare non potuit? Unde *postea de hac alienatione inter Suecones & Danos armis scriptisque varie disceptatum est. illis jus sibi integrum reservantibus; his quocunque acquisitionis titulo, & tandem longava possessione nitentibus.* Adi Clariss. Virum *Joh. Loccenium*, cujus hæc verba sunt, qui amplius de jure hujus traditionis disputat. Quam disputationem nunc quidem nostram non facimus.

Histor. Suec. lib. 3. in ann. 1360.

Quare ut aliquid dominii eminentis auctoritate interposita ad alios valide transferatur, cautionibus variis locum dari videmus In quibus *securitatis præstatio* non omissa in *Instrumento pacis.* Illa securitas in mixto Reipublicæ statu, rectissime ad partes corporis ita refertur, ut, si Statuum unus aut plures, quicunque denique Imperii consors, discesserit à pactione, à ceteris coërceatur. In simplici autem Republica, neque consultum est ita statuere, ut, si in Aristocratia vera, Optimates non servent conventa, à populo coërceantur: neque Regiam formulam in Regno sapit, si dictum est; quandocunque Rex aut ejus successores contravenerint iis, quæ acta sunt, tum Senatores aut ordines hostiliter se iis opponere possint ac debeant. Quam formulam alicubi obtinuisse scimus. Est & alius modus securitatis præstandæ, quando arbitri adhibiti, aut tanquam executores, paciscentium consensu adsciti exteri, adversum violatores conventorum, parti læsæ auxilium & arma spondent.

Art. 10. §. Exsolvit denique.

Pertinere quodammodo huc videtur & illa quæstio de certamine singulari, non tamen omni: sed quando summa potestas præcipit uni aut paucis, ut controversiam publicam armis discernant. Armis enim tueri civitatem & civitatis lites, quæ judicio terminari nequeunt, ad omnes pertinet. Hinc dubitari potest, quo jure in unum aut paucos transferatur, quod est omnium. Nihil ergo dicunt, qui putant nihil interesse, unius paucorumve, an multo-

Vid. Bodin. de Repub. 4. 7.

multorum opera civitas utatur, ubi de summa belli agitur. Quæ omnino temere in paucorum manus resignatur. Neque tantam vim, quantam speciem habet, quod vulgo fertur; de parsimonia humani sanguinis, & mittendis in compendium belli calamitatibus. Quis enim non videt, satius esse, vel multorum interitu & calamitatibus redimi libertatem civitatis, quæ talibus duellis simul & semel perdi potest: cum ex diverso, post plures etiam clades, reparari fortuna queat? Temperari ergo solent ejusmodi historiæ, in quibus non est nulla suspecta: vel quod deposcunt certamen potius, quam jubentur, pugnatores; vel quod ad mores temporum magis quam ad certam juris rationem referantur pugnæ. Sic in certamine inter Turnum & Æneam destinato, deliberatur quidem, an Turno imperari debeat singularis dimicatio cum Ænea, qui summus ipse Dux obtulerat arbitrium pugnæ: sed Rex Latinus dissuadet Turno discrimen, nulla justæ caussæ fiducia ineundum. Atque ita abest summæ potestatis auctoritas. Non ex vero itaque, sed figura adjuvat suam causam Turnus, cum inquit apud Poëtam: *Grot.2.20.10.*

— Vobis animam hanc, soceroque Latino
Devoveo. *Virgil.Æn.11.*

Qui autem partes Turni tuentur, iniquam conditionem arguunt:

Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? *Æneid. 12.*

Quod si utraque pars litigans civitati subest, tum vero nullo modo decuerit, hæc sacra regni (talia enim sunt omnia jura majestatis) in privatas manus tradere: officioque judicandi, quod publicum Deus esse voluit, privata per arbitria defungi. Notum est gravissimum judicium *Thuani* de Henrico II. Gall. R. qui certamen singulare Vido Cabotio Jarnaco & Francisco Vivono Castaneo, civibus suis, permissum, magno theatro spectaverat. Sed hoc genus duellorum alterius est loci: neque hic nisi ex occasione tangi potuit. Quin &, si prius illud genus, alio referre maluerit quispiam, non habebit nos adversarios. *lib 3. hist. p. 95. adde totam seriem rei in Theatro Honoris, descriptam Gallice.*


De Clericis non opus fuit nobis seorsum agere. Quæ enim de civibus & partibus civitatis diximus de necessitate publica, non patiuntur restringi dominium eminens. Quæ autem sunt privilegia & jura certis hominibus & ordinibus concessa lege civili, ne contra necessitates Reipub. valeant, legislatoris potestas ultro præstat: dum vel tacite summam legem publicæ salutis & necessitatis ubique exceptam vult intelligi; vel interpretatione aperta expedit, quæ obstant. Neque repetenda sunt, quæ alii de subjectione & emtione clericorum inquisiverunt. Nisi quod in quæstione consilii, quotiens à jure distinguitur, libenter & sedulo eliguntur, quæ ad favorem ordinis, & moderationem faciunt.

In toto quippe hoc argumento, sicut antea monuimus, nihil est negligendum, quod officii, caritatis, boni moris observantia dictat. Ut de durioribus, aut odiosis, quam fieri potest, minimum sumatur. In judicando etiam & scribendo plurimum interest, ignoscas aliquid imperantibus, & necessitatis publicæ sensu humanius ducaris; an directa, ut sic dicam, juris nomina imponas consiliis factisque, ut primum sibi dominii eminentis vocabulum præscripserunt. Fallor, an & illud proderit, si discreveris non obiter, quo naturalis ratio vocet aut ducat; quid in hoc genere gentibus placuerit; quomodo denique legislatio civilis suas cum dominio eminente rationes interdum conferat.

Designata videri jam possit, quamvis rudiori Minerva, hujus loci philosophia, nam & abusus rei tam sanctæ, quæsitaque inde obliquis aut malis artibus ac vaframentis politicis speciosa vocabula, facile ex iis, quæ dicta sunt, dignoveris. unicam adjiciemus annotationem, de voce *Necessitatis*; qua obscure, ambigue, licenter uti, multis inter artes est. Et *necessitati* quidem *simplici ac absolutæ* quam vocant, nullum in hoc civili genere locum esse, notius est, quam ut repeti debeat. *Necessitas* autem *cum adjunctione*, ut *Cicero* appellat, adeoque & *necessitas finis*, quæ hic attenditur, habet utique suos gradus. neque

que enim *ultimus* semper *articulus necessitatis* sumendus est, cum vocabulum hoc auditur. Sed nec inusitatum est, necessaria dicere, *quibus tutius certiusque finis obtinetur*, in comparatione scilicet, ubi ex adverso constituuntur, quæ finis obtinendi spem objecta periculorum specie infirmant & minuunt. Pertinet porro huc, quod *Plinius* exquisita sententia extulit: *Summa ratio, sapientibus pro necessitate est.* Epist. 1, 12. Summa ratio, exempli gratia, quam salus populi postulat, vel ex magna honestate, vel ex magna utilitate. Quanquam enim alias distinguuntur *Utilitas* & *Necessitas*, utilitas tamen excellens & publica, in rationem necessitatis assumitur, sive utilitati ea æstimatio accedere potest, ut necessaria habenda sit. Præclare Cicero: *Summa quidem necessitudo videtur esse honestatis. huic proxima incolumitatis: tertia ac levissima commoditatis: quæ cum his nunquam poterit duabus contendere.* 2. de invent. 58. Sequitur subinde: *Qua re fieri poterit, ut, cum incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum, virtute aliquando & industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: cum autem id non poterit, honestatis. Ita in ejusmodi quoque re, cum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, vel in præsentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit.* Addit: *In commoditatis vero ratione, illud attendatur, dignane caussa videatur ea, quæ ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia aut de honestate quiddam derogetur.* Neque comparationem omittit: *Atque in hoc loco mihi caput illud videtur esse, ut quæramus, quid sit illud, quod si adipisci aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria: hoc est, quæ sit adjunctio, ut proinde, uti quæque res erit, laboremus, & gravissimam quamque caussam, vehementissime necessariam judicemus.* Vide etiam, quæ de affectione honestatis & utilitatis addit: unde quædam res ex tempore & ex consilio, non ex natura sua consideratæ, non tales habendæ videntur, quales ante habitæ sunt, aut plerumque haberi solent.

ſolent. Accurate diſtinguit *utilitatem* in re civili: quatenus vel ad *incolumitatem*, vel ad *reliquam commoditatem*, gradu non æquali pertinet: & poſſe tamen fieri oſtendit, ut neceſſitas in utroque genere locum habeat, vel ex natura rei, vel ex temporis & conſilii ratione. Sicut autem in noſtra materia, levia & minora, & aliunde ad præcipuum finem reflectenda, merito excluduntur; ita ad tantas anguſtias redigi non debet ſumma poteſtas, ut dominio eminente uti nequeat, niſi in vehementiſſima neceſſitate, quæ vim refert. Si enim ne privatorum quidem actus, uno eo ſoloque neceſſitatis gradu metiri legislatores & judices ſolent: quæ ratio ſummo imperio tam rigidam legem dici patietur? Ne tamen in alteram partem licentius evagetur hæc philoſophia, facile præſtabunt, quas ante indicavimus, moderaminis ac temperamenti regulas.



XXIX.

De

ACTIS CIVITATIS.

DE eo, quod Civitas egit, quæſitum omni tempore eſſe, *Philoſophus* teſtatur; neque deducta in hunc diem ignorare nos experientia ſinit. *Acta Civitatis* non minus licebit dicere, quàm *acta Principis*, *acta Sylla*, *Cæſaris*, aliorum; qui poteſtate ſibi debitâ, aut ſumtâ, auctores actoresque fuerunt rerum, de quibus hoc loquendi genus exaudiendum eſt. Nam, quod *Actorum* vocabulo commentarios indicare ſolent, ubi *acta Senatus*, *acta populi*, *acta diurna*, *acta judiciorum* ſignantur, noſtram ad rem nihil nunc attinet. *Lipſ. Excurſ. ad 5. A. Tac.*

Intricavit haud parum nobiliſſimam diſputationem, latè diffuſus error, quo plerique, quicquid *Ariſtoteles* in civili doctrina attingit, non ultra, quàm ipſe diſſerit, ſibi requirendum exiſtimant: quaſi vel abſolutæ eſſent, atque pertractatæ omnes ejuſmodi diſquiſitiones; vel non amplius, quàm exempla fortè aſſumta ſignificant, tota argumenti ratio pateret. Quod ſummo equidem illi viro, qui ſpecimen civilis doctrinæ non corpus, & id ipſum non explanata, ſed obtecta ratione voluit exhibere, in mentem nunquam veniſſe, arbitrari fas eſt.

Bis proponit hanc dubitationem *Philoſophus*: *νῦν γὰρ ἀμφισβητοῦσιν, οἱ μὲν φάσκοντες τὴν πόλιν πεπραχέναι τὴν πρᾶξιν. οἱ δ' οὐ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν ὀλιγαρχίαν, ἢ τὸν τύραννον.* *Nunc enim de hâc re diſputant: aliis quidem, civitatem hoc egiſſe; aliis, non civitatem, ſed paucos aut tyrannum egiſſe dicentibus.* Et poſtea, *ἀποροῦσι γάρ τινες, πόθ' ἡ πόλις ἔπραξε, καὶ πότε οὐχ ἡ πόλις. οἷον ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία. τότε γὰρ οὔτε τὰ συμβόλαια ἔνιοι βούλονται διαλύειν, ὡς οὐ τῆς πόλεως, ἀλλὰ* *3. Polit. c. 2. & 2. al. ed. 1, 2, 3.*

τοῦ

τοῦ τυράννου λαβόντος. ἔτ' ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων, ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας, ἀλλὰ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. Qui locus non ſimplicem habet difficultatem: neque ſincerus videtur, quod jam non nemini notatum video. Mireris tamen, quàm ſecurè, & interpretes & commentariorum ſcriptores, inoffenſo ſcil. pede transcurrant. Certè non hærent poſtrema prioribus. Omiſſum ergo aliquid fuerit, aut legendum, ſi eruditis placeat, mutato numero: ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσης, ἀλλὰ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. Uno oſtendit exemplo, cùm multa ſint, & ſubtiliter exequenda, ut poſtea apparebit, quando huic quæſtioni locus ſit: ubi nimirum populare imperium paucorum dominationi, aut unius tyrannidi ſucceſſit. quæri enim tum, an pacta conventa ab uno illo aut paucis inita, etiam mutato ſtatu, teneant civitatem ſive populum? Atque hic quidem rationem dubitandi adducit. poſtea autem, in alium locum differt rem totam: Εἰ δὲ δίκαιον διαλύειν, ὅταν εἰς ἑτέραν μεταβάλλῃ πολιτείαν ἡ πόλις, λόγος ἕτερος. Ita enim acceperim hunc locum, ut in alia hujus generis diſputatione paulò ante: εἰς ἄλλον καιρὸν χρήσιμος ἡ σκέψις. quando nimirum de ejusmodi mutationibus, & quæ inde conſequantur, agendum erit. Aliter *Grotius*: contra quem non levia ſunt, quæ afferri poſſunt.

de I.B. 2, 9, 8. Cl. Felden. in Analyſ. Pol. Ariſt. l. 27. ff. de reb. cred.

Sicut nec illos audire hic poſſumus, qui ad ſolas res creditas exemplum Ariſtotelis trahunt, & auctoritate *Ulpiani* utuntur, in quantum civitas mutui datione obligari poſſit. Res enim clamat ipſa, per omne argumenti civilis genus, hanc diſputationem non modo poſſe, ſed ſolere produci. Neque fruſtra adjecerat Philoſophus: ἔτ' ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων.

Ut taceam, Civitatis appellationem accuratius hic ab Ariſtotele accipi, de ſocietate perfectâ, & ſui juris, rebus ad benè vivendum neceſſariis inſtructâ, ordineque imperandi & parendi diſtinctâ. *Non enim verum eſt, quod multi ſcribunt, civitatem eſſe materiæ inſtar, cui reſpublica ſit pro anima. Civitas enim ſignificat totum quid: ſicut animal ſignificat integram ſubſtantiam animatam.* Libenter utor verbis doctiſſimi

ſimi *Conringii*: quorum veritas, tum ex infinitis Ariſtotelis locis, tum ex hac ipſa diſputatione, quæ primam libri tertii partem conſtituit, demonſtrari poteſt. Eodem pleno ſignificandi genere, *Reſpublica* veteribus dicitur: Nos utroutro hic utemur, nihil in partes diſſectum, aut aliunde ſuſpenſum, ſed perfectam, libertatisque & imperii compotem ſocietatem civium intelligemus. *Introduct. in Polit. Ariſtot. c. 4. p. 597.*

Interim præclare eſt ab *Ariſtotele* notatum; pendere hanc, de actis à civitate, quæſtionem, ab altera illa; *quando civitas eadem, aut alia, ſit dicenda?* Ἔοικε δ' οἰκεῖος ὁ λόγος εἶναι τῆς ἀπορίας ταύτης, πῶς ποτε χρὴ λέγειν τὴν πόλιν εἶναι τὴν αὐτὴν, ἢ μὴ τὴν αὐτὴν, ἀλλ' ἑτέραν. Verum, quemadmodum iſta ſe invicem juvent illuſtrentque, in ipſa ſuſcepti argumenti deſignatione cognoſcetur: ad quam, præmiſſis, quæ videbantur viam patefactura, contendendum eſt.

Quoniam ergo, uti dictum eſt, Civitatem nunquam hic de multitudine, quæ nihil aliud, quàm multitudo eſt, ſine ordine & ſpiritu illo, unde perfectio ſocietatis hujus unicè repetenda intelligitur, accipimus; ſatis apparet, id demum Civitatem egiſſe, quod à conſtituto ſemel ſtatu, tanquam à cauſſa, proficiſcitur: ſicut in ſingulari imperio, is qui jure regio eſt; in Ariſtocratia, optimates; in populari imperio, populus; in mixto ſtatu, pro ratione & portione ſummæ poteſtatis participandæ, qui conſortes ſunt Imperii, civitatis jure & vi agere dicuntur. Etiam tùm, cum per legatos & curatores, tanquam publici hujus juris miniſtros, in quantum ejus rei idonea eſt ſignificatio facta, res geritur.

Valente igitur, ut inſtitutus eſt, ſtatu, vix locus eſſe videatur huic dubitationi, an Civitas egerit: nec eſſet forte, ſi æqualius ſe res humanæ & conſtantius haberent; aut doctrina civilis decretis potius ſapientiæ, quàm opinione hominum ac libidine, ſemper vigeret. Verùm, quàm non ſint levis momenti, quæ hîc quoque diſputantur, poſtea cognoſcetur.

Conſpectiora interim ſunt, quæ mutato ſtatu dubitantur.

tantur. Quare & *Aristoteles*, tantâ necessitudine, nostræ quæstioni, illam alteram devinxit: *quando sit eadem civitas dicenda, aut alia?* Obsequimur hactenus Philosopho, ut mutationes, quæ civitatibus eveniunt, paulo subtilius persequamur, & ad singulas partes, exempla susceptæ disputationis subjiciamus.

Mutationes autem accidunt, *aliæ* quidem civitate manente eadem: *aliis* efficitur, ut civitas non sit eadem: rursum *aliis*, ut non sit civitas, sive ut desinat esse civitas.

In *primo genere* mutationum, occurrit dubitatio Aristotelica; *an mutatâ reipublicæ formâ, eadem sit dicenda civitas?* si regnum migrâsset in Aristocratiam; hæc in popularem statum, & sic per omnes, quæ fieri possunt ad hunc

3. polit. 2. modum, mutationes. Responsionem *Aristotelis, quod mutatâ Reip. formâ, non eadem sed alia sit dicenda civitas*, securè arripiunt adornantque Interpretes: obliti, ut arbitror, formas, de quibus Philosophus loquitur, *accidentales* esse; civitatem autem, ut eadem sit, non debere Monarchiæ, Aristocratiæ, & sic deinceps; sed essentiali formæ, i. e. ordini imperandi & parendi, sive imperio, sive Majestati (eodem enim hæc recidunt) nondum ita consideratæ, ut in uno aut pluribus existit. Quod discrimen neglectum, omnem hunc locum tricis implevit. Contra Aristotelem

G. B. 2. 9. 8. *Hugo Grotius* rectè quidem pronuntiavit, *eandem esse civitatem Romanam sub regibus, Consulibus, Imperatoribus; neque referre* ad hanc quæstionem, *quomodo gubernetur civitas, regione, an plurium, an multitudinis imperio:* Sed distinctio, quæ subjicitur, vel idem dicit, quod paulo ante diximus; atque tum omnino clarius debuisset proponi: vel difficultatem difficultate sanare instituit; sicut in sequentibus, *de diversa Jureconsulti & Politici consideratione*, non immeritò conqueritur *Cl. Feldenus*.

Locus fuit huic deliberationi, cum expulsis Roma Regibus, forma civitatis mutata esset. Ibi enim quidam populi pacem & fœdera cum Romanis, adhuc sub regno agentibus, facta, non servari oportere censebant iisdem in libertate constitutis. Quæ res cum in Sabinis etiam agitaretur,

retur, repertus est Claudius prudentiæ & fidei laude præstantissimus vir, qui tam importuna censentes coarguit, idemque fœdus ac cum iisdem factum vim suam merito obtinere ostendit, ut auctor est *Dionysius Halicarnasseus.* *lib. 5.*

Aristotelis exemplum hoc est: *Si civitas ex tyrannide, aut oligarchia, in libertatem & populare imperium pervenerit, an tum* συμβόλαια *pacta conventa, sed & alia tyranni, aut paucorum dominantium acta, servare oporteat civitatem liberam?* qui negabant, his rationibus utebantur: primo, *quæ tyrannus, aut pauci illi egerunt; non egit civitas, quæ tantum ex facto suo obligatur*: Quod si quis hîc respondisset, etiam tali statu, ubi unius aut paucorum dominatio obtineret, esse civitatem, neque nisi ejus nomine censeri acta ejuscemodi oportere: hoc illi negatum ibant, & *civitatis rationem hoc fine terminabant, si ad communem omnium utilitatem omnia referrentur: ubi aliter fit, non jus, non nomen reipublicæ, sed vim solam & potestatem superesse*, contendentes. Quæ interpretatio Aristotelici loci, præsertim exemplo Tyrannidis & Oligarchiæ convenit, quam adeò & timebant & despiciebant Græci, ut reipublicæ aut civitatis nomine, statum talem non dignarentur. Libertatis enim, & popularis imperii studiosæ nationi, non aliunde, quàm ab isto duplici genere periculum videbatur imminere. Nam quod doctissimus *Piccartus* putat, hoc eos velle, *quasi in tali civitate respublicæ geminæ viderentur, una quæ proprium spectaret commodum & suum, sc. Tyranni & Oligarchicorum; altera quæ commune commodum haberet, popularis videlicet; hujusque tantum, non illius acta pro ratis habenda*: stare non potest, aut verbis Philosophi, non distortis, convenire. Et de prima quidem illa ratione, quàm non sentiat magnificè Philosophus, ex multis *Politicorum* locis abunde demonstratur. Altera igitur ratio, qua nitebantur illi disputatores, hæc videtur esse: *Etiamsi concederetur civitatem id egisse, quod in Tyrannide aut Oligarchia actum est, à Democratia tamen, quæ successit, exigi non potest, ut servetur. alia enim jam est civitas: à qua reposci non debet, quod alia egit.* Non rejicit prorsus & statim *Aristoteles*, quod de alia civitate allatum erat: sed quomodo *in Commentar. Polit. Aristot. 3.3.*

 illa

illa ratio ſoleat ac poſſit declarari, amplius oſtendit. Id tamen non obſcurè declarat, neutra ratione obtineri, quod illi velint. Primæ enim rationi facilè opponi, quod repugnet, exemplum poſſe: *Non eſt civitas, aut non egit civitas, ubi non referuntur omnia ad communem utilitatem. Annon enim in Democratia quoque hoc accidere poteſt? Si ergò Democratia τῷ κρατεῖν ἐστι, ἀλλ' ὁ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον, aliquid egerit, an negabunt, civitatem egiſſe? quod utique optimates, aut quicunque ſucceſſerint, in tali cauſſa, ambabus manibus apprehenderint.* In altera ratione, etiamſi largiretur aliquis, non eſſe eandem civitatem, ab hac mutatione (quod tamen accuratè loquentes nunquam dederint, ut ante dictum eſt) conventiones tamen ſervandas eſſe, de quibus hic quæritur, alibi & aliunde oſtendi poſſe, non obſcurè Philoſophus indicat. Quærunt itaque Interpretes: unde hoc demonſtrari queat? Et alii quidem alia afferunt; exemplisque utuntur interdum, parum huc pertinentibus. Liceat & mihi expromere, quod ſentio. Omnino hîc diſtinguere oportet, quæ cum alia civitate Tyrannus aut pauci egerint, & quæ in ſua civitate conſtituerint. In hæc enim civitati plus juris eſſe, quam in illa, dubio carere, arbitror. Pactum conventum erat τῶν τριάκοντα ſive eorum, qui oligarchiam Athenis gerebant, cum Lacedæmoniis, de pecuniis creditis. Nam triginta illi, in quorum manu respublica erat, pecunias publico nomine ſumſerant à Lacedæmoniorum civitate mutuas. Interim accidit mutatio, qualem *Ariſtoteles* ponit: ut à paucorum poteſtate ad populum recideret respublica. Repoſcebant Lacedæmonii per legatos pecuniam, jure merito. obtendere poterant Athenienſes mutationem civitatis, facinora triginta virorum, & expetendas ab ipſis pœnas. id quod in ἄρχῃ ἀμνηστίας exceptum & reſervatum erat. neque adeo defuerunt, qui dicerent, à triginta viris, qui his pecuniis contra cives in Piræeo uſi erant, repetendum hoc nomen. Alii autem de communi civitatis exſolvi, æquum cenſebant. atque horum valuit ſententia apud Athenienſes. Judicarunt

runt enim, hæc pacta conventa, non civili lege aut formulis tantùm tuenda, sed ipso naturæ dictatu, ad immobiles magnæ illius & infinitæ societatis humani generis leges exigenda esse. Fidem enim fundamentum universæ justitiæ, non tam in hoc aut illo cœtu, quàm in civitate humani generis, habendum. Neque aliud in animo *Demosthenes* habuit, cum hoc factum laudat: φασὶ τὸν δῆμον ἑλέσθαι συνεισενεγκεῖν αὐτὸν καὶ μετασχεῖν τῆς δαπάνης, ὥστε μὴ λῦσαι τῶν ὡμολογημένων μηδέν. *Ferunt, populum maluisse per se conferre impensas, quàm de pactis conventis quicquam non impleri.* Et mox Athenienses alloquens: τότε μὲν τοῖς ἠδικηκόσιν ὑμᾶς ὑπὲρ τοῦ μὴ ψεύσασθαι τὰ χρήματα ταῦτα εἰσφέρειν ἠθελήσατε. *Et tum quidem etiam illis, qui injurii in vos fuerunt, pecunias illas conferre voluistis, ne quid de rerum conventarum fide deperiret.*

orat. contra Leptinem.

Atque hæc ratio valeret, etiamsi revera alia facta esset civitas: quoad externos. Fingamus enim, civitatem aliquam redactam esse in formam provinciæ, i.e. non mansisse eandem civitatem, sed factam esse partem alterius. Illam autem, cum adhuc libera esset, mutuas accepisse aliunde pecunias. An propterea ad novas tabulas confugiet, quia jam non est eadem, quæ fuit, civitas; imo ne civitas quidem, sed pars alterius civitatis? Nunquam dixero. Fides enim rerum creditarum non jam civili, sed humano jure nititur: neque civili consociatione tolli potest id, quo efficitur, ut civile & sociale sit, quicquid hoc nomine censetur.

Ita in altero exemplo Aristotelico, egerit Tyrannus cum externa civitate de auxiliis adversus communem hostem, æqua ex parte conferendis; dederit ei partem agri ex hostibus capti, præmium fidei & operæ; aut vendiderit: nullo jure populus libertati, excussâ tyrannide, restitutus hæc ad irritum cadere concupiscet. Præterquam enim, quod aliter agendi cum civitate nulla facultas erat, civitatis semper, præsertim à tyrannide liberatæ, ea voluntas esse debet, ne alii sua caussa careant ullo jure debito. Quid, si spolia civibus oppressis per injuriam erepta

Tyrannus externæ civitati venum dederit? Tum verò, si scientes emerunt, suam in eo culpam agnoscant fas est, æquoque animo careant illis, quæ nec vendi nec emi sine injuria possunt. Etiam, si imprudenter emerunt. valeatque hic, latius quàm ibi dicitur pertinens, Æmilii Lepidi Consulis sententia: *Illa quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto, jure; dominis tamen restituo: neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse.* Quod *jure* se mercatum ait, ad consuetudinem & opinionem temporis, qua tum res agitabantur, spectat. Nam vero jure, quod non pro statu & temporibus civitatis alicujus, quomodocunque decernitur, sed eo, quod justum est, definitur, nec emi nec vendi talia posse, jam diximus. Pertinetque huc locus memorabilis apud *Tacitum*, ubi lacerato tyrannide imperio, *stultissimus quisque pecunia mercabatur. apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salva rep poterant.* Quam æquitatem, si nolit emptor rei alienæ sponte amplecti; quin repeti injuste translata queant, nihil obstare videtur, nisi quod cum eo, qui bona fide in hoc negotio versatus est, summo jure agere, durum fuerit. inde varia videmus bene moratis populis temperamenta placuisse.

Ap. Sall. Fragm. lib. I. Hist.

3. H. 55.

In hac de actis Tyrannorum quæstione, etiam illud probe considerandum est, egeritne Tyrannus suo unius arbitrio, neminis requisito consilio, neminis auctoritate adhibita; an senatus populusque, suis quibusdam propositis, privatam sæpius quam publicam rem spectantibus, ultro, quod unus ille voluit, decreverit, sciveritque. Tum enim externis fraudi ille error esse non debet. Jam ipsa Tyranni conditio non est uniusmodi. Longe aliter enim se habent illa, quæ facit, sola vi pro jure utens, & in republica pro lubitu grassans; &, quæ facit confirmata jam, utcunque adeptâ, potestate, ac interpositis totius civitatis decretis, pactisque. Quod qui in caussa Julii Cæsaris insuper habuerunt, non unis involuti sunt difficultatibus. Sed præmittemus exemplum Sullæ. De cujus actis notabile est *Flori* judicium: *Cupidus rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri* (Syllæ) *rescindere parabat*: *nec*

Lib. 3. c. 23.

nec immeritò, si tamen posset sine magna clade reipublicæ. Nam cum jure belli Sylla dictator proscripsisset inimicos; qui supererant, revocante Lepido, quid aliud quàm ad bellum vocabantur; cumque damnatorum civium bona, addicente Sylla, quamvis male capta, jure tamen, repetitio eorum procul dubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergò quasi ægræ sauciaque reipublicæ requiescere quomodocunque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. Quod de *jure belli* hîc dicitur, ex vulgi opinione, & ita capiendum est: quando res semel ad arma deducta est, tùm victis patienda sunt, quæcunque victori collibitum est facere, id enim jus victoriæ, & belli statuitur. Quo sensu *Sallustius*: *L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi à Sulpitio hostium partes muniri intelligebat; tamen paucis interfectis, ceteros beneficio, quàm metu retinere maluit.* *orat. 2. de rep. ordin.* Accuratiori judicio, hoc jus belli, sine temperamentis æquitatis, summa injuria habetur: præsertim in bello civili, ubi

Quemque suæ rapiunt scelerata in prælia caussæ.

Hinc Cicero vere de Sulla: *quod honestam caussam secuta sit non honesta victoria*; quod summa ejus *in cives crudelitas* fuerit: quod *Sullæ pecuniarum translatio à justis dominis ad alienos*, injusta fuerit. *2. de offic. 8.* *1. de offic. 14. 2, 28.* *Vellejus immodicæ crudelitatis licentiæ* usum testatur, multasque indignitates proscriptionis & victoriæ recenset. Similia apud *Plutarchum* legas, & alios. *in Syll.* Quare *Florus*, meritò rescindi potuisse, judicat, acta Syllæ: nisi quod consultum id minime fuerit, & turbide à Lepido tentatum. Quo pacto à quæstione consilii, ad juris rationem reducitur negotium, quatenus injustum censetur, etiam cum clade & exitio patriæ, jus persequi. Temporis enim tanta vis est, ut commutare interdum officii regulas videatur.

In Julii Cæsaris exemplo eodem genere philosophandi utuntur: distinguentes insuper acta rationi consentanea, & reipublicæ utilia, à præcipitibus & pravis. Quanquam enim *Ciceroni* perabsurdum primo videbatur, τὰ τυραννοκτόνους *Ep. ad Attic. 14. 6. & 9. & 15.*

νοκτόνους in cœlo esse, tyranni facta defendi; & esse, *qui, dum se pacem velle simulant, acta nefaria defenderent*: aliter tamen
Phil. 1,7. in Senatu loquitur. *Acta*, inquit, *Cæsaris servanda censeo: non quo probem (quis enim id quidem potest?) Sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis & otii.* Inter acta subinde, *leges* quasdam ejus laudat: *Chirographa* autem quædam, & *memoriæ caussa in libellum relata*, in actis numeranda non esse ostendit.
Phil. 1,9. Cumque iterum de legibus locutus esset, *quæ quidem ego*, inquit, *qui illa nunquam probavi, ita conservanda concordiæ caussa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem; sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas, & fixas videtis.* subjecta iterum suspicione de auctoritate unius viri, qui varia obtentu hujus nominis domo afferret. Et clarius:
Phil. 2,39. *Acta Cæsaris pacis caussa confirmata sunt à Senatu: quæ quidem Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dixisset Antonius.* Sed in hac re præteritur à *Cicerone*, quod huc maxime facit. Non enim poterant hic acta Cæsaris, ut tyranni, actis a civitate opponi. Tyrannidis enim æstimatio à Senatu Populoque Romano sublata erat, tot honorificis decretis, quæ Cæsaris partam quomodocunque potestatem ex tyrannica justam redigerent: cùm præsertim hoc quoque inter ea statuissent, *τὰ πραχθησόμενα αὐτῷ κύρια ἕξειν*, *quæcunque acturus esset, rata fore*, i. e. ejus acta pro actis civitatis
lib. 44. habitum iri, apud *Dionem*. Cujus verbi quanta vis sit, quanta sententia, vel indè constat, quod *in acta Principum jurare*, nihil aliud esset, quam singularis Imperii nota & pignus. mansitque veneratio nominis Juliani, unde monarchiæ Cæsarea initium traxit, ut etiam insecutis temporibus solenne esset, *in acta divi Augusti, & divi Julii*
16. A. 22. *jurare*, sicut ex *Tacito* discimus. Frustra hic exceperis: illa omnia Cæsari tributa partim adulatione, partim calliditate, ut invidiæ objiceretur, denique vel necessitate. Hæc enim omnia accusant eos, qui fecerunt, non excusant: neque sacramentis, ut talis, licet ludere: &, si qua necessitas suberat, eam ipsi ultro sibi acciverunt, qui postea de illa questi sunt. Imposuerunt uni civitatis personam

ſonam, quocunque animo, publicæ profecto fidei pignoribus; illudque ſuum judicium, neceſſitudine fortè reipublicæ, confirmarunt. pœnituit hujus judicii non alios, quam æmulos & altiora ſpirantes, ſibique ad eadem, quæ in Cæſare damnabant, viam molientes. Hæc pœnitenda pœnitentia paucorum, efficere utique non potuit, ut acta civitatis non eſſent habenda, quæ civitas tota, cum ſe unius arbitrio permitteret, agnovit prædicavitque.

Neque hic *Ciceronis* auctoritate ad eorum ſententiam ſtabiliendam utendum eſt, qui putant fidem quoque tyrannis datam, & pactiones interpoſitas, violari ſine injuria poſſe. Quos merito *Grotius* refellit. *Cicero* autem ipſe, quod alibi monuimus, incautius Græcorum adverſus tyrannos opiniones ſubinde jactitat: à quibus tamen ſe Romani, etiam in exercitationibus oratoriis, removerunt. Illuſtris locus eſt *Marci Senecæ Rhetoris*: *Græcorum improbam quæſtionem ſatis erit in ejusmodi controverſiis ſemel aut iterum annotaſſe; An in tyrannicidam uti pater hac lege poſſit, quaſi enim ſacras & publicas (tyrannicidæ) manus eſſe: in quas ne piratæ quidem licere quicquam putant. Noſtri hoc genus quæſtionis ſubmoverunt.* Cujus improbitatis ſpecimen etiam alter tyrannicida adulter edit: *non putavi adulterium, uxorem tyranni polluere.* Et hic quidem fortuitum, occaſione deprehenſi adulterii tyrannicidium occurrit. Alibi adulterium tyrannicidii cauſſa patratum, in jus vocandum negatur: *τὸν γὰρ τυράννου γυναῖκα διαφθείραντα καὶ διὰ τὴν τοιαύτην μοιχείαν δυνηθέντα ἀνελεῖν τὸν τύραννον, καὶ ἐλευθερώσαντα τὴν πόλιν ἕλκειν εἰς εὐθύνας, πῶς οὐκ ἄν τις διημαρτημένον δίκαιον εἴποι;* Qui error non debuit admitti à *Michaele Epheſio*; hoc obtentu; quaſi legiſlator, ſi caſum talem prævidiſſet, cum hac adjectione ſcripturus fuerit legem: *δεῖ πάσης ἀλλοτρίας γυναικὸς ἀπέχεσθαι πλὴν τῆς τοῦ τυράννου. εἰ μέλλει διὰ τῆς τοιαύτης μίξεως ἡ πόλις ἐλευθεροῦσθαι.* Non enim ita ſcripturus unquam fuerit legem bonus legiſlator, cujus gravitas longe differt à cauſſidici inſtituto, qui in confeſſo facinore rei, aliquando opponit *ἕτερόν τι εὐεργέτημα μεῖζον δι᾽ αὐτοῦ τοῦ ἀδικήματος πεπραγμένον.*

1. offic. 6. — *I. B. 1, 19, 21 & ſeq. confer. 2, 13, 13.* — *Controv. lib. 1, c. 7.* — *M. Sen. excerpt. controv. IV, 7.* — *in lib. 5. Eth. Ariſt.* — *Hermogen. περὶ στάσ.*

Sed & legibus de tyrannicidio latis, impedimentum

afferunt subsecutæ pactiones civitatis cum tyranno. Nam & lex civitatis, & pactio civitatis, est ab una voluntate. quæ contraria sibi esse nec debet, nec creditur. quo fit, ut posterior significatio voluntatis tollat & minuat priorem. Neque hic potest objici: Civitatis à tyranno oppressæ non esse liberam & integram voluntatem. Præterquam enim quod vis adhibita, non verbo, sed rebus demonstranda est; & quidem tempore pactionis: exempla pleraque, ubi huic quæstioni locus est, consensum haud obscurum aut per ambages ostendunt. Potest & simili deliberatione res declarari, quando agitatur: *Libertas an pax placeat*? Et spectetur sanè, quod multis placuit, tyrannus, ut hostis reipublicæ. consequatur ergò eadem jura, quæ hostis. cum hoste diremta censentur humanæ sortis commercia. At, ubi primum cum eo incipimus agere aut pacisci, jam redimus ad integranda in tantum socialia jura: & diremtus de cetero, pactione conjunctus nobis intelligitur. Quæ verissima & prima origo est temperandi ad æquitatem juris bellici, rei crudæ, nisi scienter tractetur.

Tac. 4. H. 67. Grot. I. B. 2. 24. 6.

In caussa fœderis, quod Romani cum Nabide tyranno fecerunt, parum accurate versatur *Grotius*. Nos omissa repetitione alienæ expositionis, rem ad suas origines, & nostram quæstionem revocabimus. Et alias quidem belli adversus Lacedæmonios caussas nihil attinet excutere. Unum videbatur obstare, fœdus cum Lacedæmoniis factum. Quod impedimentum ut removeret *T. Quintius*, ita apud *Livium* respondet: *Amicitia & societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope Rege Lacedæmoniorum justo & legitimo facta est. Cujus jus tyranni quoque, qui postea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium (quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupaverant) usurparunt; sicut tu quoque hoc Macedonico bello fecisti.* Hæc verbis adornata in speciem, nullum argumenti pondus habent. Florentibus adhuc Lacedæmoniorum rebus, ad pugnam Leuctricam usque, non poterat cum Rege fœdus fieri, ut cum civitate factum reputaretur; nisi quatenus civitas suam potestatem, Regis, ut legati aut curatoris, nomine exercere destinaverat.

I. B. 2. 16. 18. & 3. 19. 3. Liv. 34. c. 32.

Erant

Erant enim Spartæ, nomine non poteſtate Reges. Poſtquam autem revera nomini poteſtas, per varias mutationes acceſſit, non detrectat Quintius legitimi regis jura: Sed in regno jam juſto, ſucceſſores nullo jure nixos, & per vim tenentes imperium ac exercentes repudiat. quaſi diceret: quod cum juſto & legitimo rege, adeoque cum civitate actum eſt, non obtinet vim ſuam, ſi regno tyrannis ſucceſſit. ſicut ex converſo ante dicebant apud Ariſtotelem, non ſervanda in populi imperio, quæ tyrannus egiſſet, quia ex mutatione illa alia eſſet facta civitas. niſi quod plus mutationis ibi, quam hic occurrit. ibi enim forma una in alteram; hic una, recta ſcilicet in declinatam mutatur. Atque ſi hæc dicerentur de invaſore regni, antequam firmata ei eſt conſenſu & pactione poteſtas, non poſſent rejici. Niſi quod Quintium infirmius juvarent, cui Nabis valide oggeſſerat: *De nomine hoc reſpondere poſſum: me, qualiscunque ſum, eundem eſſe, qui fui, cum tu ipſe mecum, T. Quinti, ſocietatem pepigiſti. Tum me regem appellari à vobis memini: nunc tyrannum vocari video.* Unde & aſtutia Quintii intelligitur, qui diſſimulata propiori pactione, vetuſtiorem tantum attulerat. Quid? quod continuata in tyrannos ſucceſſio, quam agnoſcit Quintius, non leve parit argumentum adverſus eos, qui non contradixerunt, in quantum ſua intereſſet. Conflictatam enim Spartam, ex eo, quod dixi, tempore, acerbiſſima ſervitute, usque ad Nabidem, *Polybius* locuples auctor eſt: Idem, qui ipſius Nabidis infandam crudelitatem deſcribit. Sed hinc alius adverſus tyrannum titulus juris naſci poterat: à cujus ſcilicet ſævitia vindicari oppreſſos, fas & jura ſinunt. Quanquam neque hujus rei gloriam ſibi trahere Romani poſſunt, reſtitutis Argis, *ſerva Lacedæmone relicta*, cum pacem Nabidi petenti darent. Cum quo & Quintius, in illa pactione pacis, & poſtea Senatus Romanus egit, ut cum civitate Lacedæmoniorum: ultro everſo diſcrimine juſti regis & tyranni, quod antea allatum erat. Libuit hæc paulo explicatius evolvere, ut meminiſſe velint, qui hiſtorias legunt: vera rerum mo-

Liv. 34. 31.

lib. 4.

lib. 13.

Liv. 34. 40.

momenta, ab illis, quæ tempori & caussæ serviunt, inventis, probe discernenda esse.

Non attingam nostri temporis exempla, ad ludibrium aut opprobrium magnorum nominum valitura, si omnia acta ab eo & cum eo, qui neque parasse, neque habuisse per bonas artes imperium, plerisque visus est, non haberentur pro actis à civitate & cum civitate.

Quanquam, ut supra innuebam, aliqua agi à tyranno, etiam jus adepto, nec jam tyranno, possunt, quæ pro actis à civitate, ex natura rei, neutiquam sunt habenda. Ut, si quis faceret, quod Dux Atheniensis, Florentinorum cervicibus incubans fecit, *cum mercatoribus, qui Lucensis belli tempore, rempublicam pecunia juverant, syngraphas tabulasque eripuit*, teste *Machiavello*. Rerum enim creditarum fides sanctior est, quam ut ullius potestate hominis convelli queat. neque obtentui, eminens dominium hic esse potuit. Sicut igitur bello, privatorum jura inter se & commercia suspendi contingit ac cessare; pace autem, quæ ad naturalem statum omnia reducere instituit, vim pristinam exserunt, (naturalem enim æquitatem sequitur formula pacis Antiocho à Romanis datæ, Rhodiis cavens: *εἴ τι χρῆμα ὀφείλετ' ἀυτοῖς, ὁμοίως ἔσαι πράξιμον. καὶ εἴ τι ἀπελήφθη ἀπ' ἀυτῶν, ἀναζητηθὲν ἀποδοθήτω.*) ita tyrannis intercidere potest jura naturæ, non efficere, quin obstaculo amoto statim valeant vigeantque.

Histor. Florent. lib. 2. an. 1342.

Excerpt. Legat. Polyb. 35.

Mutata de cetero forma civitatis, quædam per se concidant necesse est: non quod alia jam sit civitas; sed quia quædam acta erant, ut à tali civitate, aut cum tali civitate. Sic instituta Aristocratica, sive quæ remp. ut *ἀριστοκρατουμένην* spectabant, succedente alio statu intereunt: quemadmodum quæ singularis imperii propria sunt, in plurium regimine locum non habent. Idque & domi & foris valet.

Quia verò mutationes ejuscemodi non quidem semper, sed plerumque accidunt, intercedente *παρεκβάσει*, sive declinatione status recti in vitiosum, ut singularis imperii in tyrannidem, aristocratiæ in oligarchiam, popularis

Polyb. lib. 6.

laris reipublicæ in licentiam multitudinis: sæpius redit illa quæstio de actis tyrannorum; an servari oporteat in constituta jam rectâ formâ, quod actum est in degeneri? De qua tamen re satis jam est dictum. Nisi quod hoc adjiciendum videtur: illas παρεκβάσεις vel annos ac ætatem ferre; vel brevi & controverso semper statu, rationem obtinere transitus ad rectam novamve formam. In quo posteriori genere plus disp-tationis solet occurrere.

Est & illud non prætereundum genus occultarum mutationum. Apertas enim & vulgus videt novitque. At cum τὸ κρύφα πολίτευμα in republica induci cœpit, prudentium tantum oculis pervia sunt fata civitatis vicesque. Non aliis autem civitatibus, ab hoc genere majus est periculum, quàm ubi Democratia, aut mixta forma obtinet. *Popularis potestas*, inquit *Bodinus*, *sæpius nullo pæne sentiente convertitur ad optimates* --- & mox: *Ejusmodi fuit earum quas dixi civitatum conversio à populo ad optimates: qualis etiam contigit Venetis, Lucensibus, Rhagusianis; quorum imperia, cum olim popularia fuissent, temporis diuturnitate, Aristocratica, nullo pæne id sentiente, evaserunt.* Eodem modo in mixto statu, fieri solet, ut per varias artes una pars sibi vindicet, & quasi suo jure agat, quod non nisi juncta vis partium agere debebat. quæ labes increscit, ubi corrupti mores, nihil in reip. administratione incorruptum patiuntur esse. Quo tempore etiam hebetes, fatali caligine, ad perspiciendum oculi; inertes ad sentiendum animi deprehenduntur. neque vulgi tantum is error est: sed magnorum aliquando virorum ingenia fatigat hæc observatio. Nam subinde *signa conturbantur, quibus voluntas à simulatione distingui possit*, quæ *Ciceronis* querela est In Romana Rep. ex eo tempore, quo mixta esse debuit, sæpius factum est, ut patres plus pollerent, quàm jus reipublicæ postulabat; tribunis plebis ista parum sentientibus, & varie ad alia aversis. Populus quoque, dum post hæc undique libertatem suam amplificare, aut libidini suæ obsequi tendit, non animadvertit, se ultro viam ster-

de rep. 4, 2.

Ep. ad Att. 8, 9.

ſternere ad paucorum potentiam, quæ in tyrannidem desitura erat.

Et illud quidem genus occultæ mutationis, quod ſine omni motu & ſtrepitu, quaſi tacita voluntatum conſenſione perficitur ac abſolvitur, vix capit hanc diſceptationem de actis civitatis. Sed in illis occultationibus, quæ in republica corrupta utramque paginam faciunt, perpetua hæc animos angit dubitatio. Mutationis enim vocabulo corruptiones quoque reip. varias comprehendimus: quotiens à fine civitati propoſito, formæque legibus deſcriptæ ac moribus firmatæ rationibus, agendi adminiſtrandique ratio deflectit, aut vincula inſtituti contextus infirmat, ſolvit, rumpit. Quæ dum agitantur, occaſiones potius & cauſſas, omina item ac principia mutationis, quam mutationem habere videntur. Quicquid enim mutationis conſummatæ ſpeciem prodere poteſt, abſtruditur interim, ac diſſimillima per vocabula obtegitur. Defenſio etiam & conſervatio reipublicæ vocatur, quod
Cic. ad Attic. 7. 8. ad σύγχυσιν τῆς πολιτείας interim tendit. Quæ confuſio longas moras trahere, & infinitas per ambages circumduci poteſt. Non eſt majus exemplum ab hominum memoriâ, Romanâ civitate: ubi à Gracchanis temporibus, usque ad conſtitutum ab Auguſto ſingulare imperium, centum circiter annis, per factiones, tumultus, certamina, dominationes modo paucorum, modo unius, bella civilia; mutationes mutationibus tam irrequieto motu ſunt continuatæ, ut ad terminum illum fatalem vix tandem viderentur ſubſtituræ. Cujus rei ſeriem compendio
c. 41. & 42. ſignat *Salluſtius*, nobili digreſſione *in bello Jugurthino: Ceterum mos popularium partium, & Senatus factionum, ac deinde malarum artium paucis ante annis Romæ ortus eſt. namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quisque ducere, trahere, rapere: ita omnia in duas partes abſtracta ſunt: reſp. quæ media fuerat, dilacerata.* Sequitur deſcriptio oligarchicorum facinorum: quæ cum patefacere, plebemque in libertatem vindicare inſtituerent Gracchi, *quibus* tamen *cupidine victoriæ haud ſatis animus modera-*

deratus fuit, moveri civitas, & dissensio civilis, quasi permixtio terræ oriri cœpit. Et alio loco: *Postquam remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones, & ad postremum bella civilia orta sunt: dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellati, non ob merita in remp. omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus, & injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur.* Tam perturbato rerum statu, eadem quidem mansit civitas, quamvis corrupta & immensis concussionibus agitata: sed quicquid præpollenti factioni aut paucis præpotentibus placuit, civitatis nomine præscribebatur. *Ciceronis* epistolæ, præsertim ad Atticum, commentariorum vicem præstant, frequentibus querelis, perpetuis judiciis, de administratione reipublicæ. *Audio*, inquit, *constitutum esse Pompejo & ejus consilio, in Siciliam me mittere, quod imperium habeam. id est Ἀβδηριτικόν. nec enim senatus decrevit, nec populus jussit, me imperium in Sicilia habere.* Civitatis equidem erat, imperia mandare, i. e. Senatus populique. Sed cum respublica valeret. nunc unum aliquem aut paucos, omnia posse, non ἀβδηριτικὸν, sed ῥωμαϊκὸν erat. nonne enim jam pridem, Cicero, vidisti priorem Cæsaris consulatum. *at tum imbecillus plus*, inquis, *valuit, quàm tota Respublica.* Neque, his moribus, opus est illâ deliberatione de præpotente & victore: *quid autem sit acturus, aut quo modo, nescio, sine senatu, sine magistratu. ne simulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς.* Non deerunt speciosa vocabula, ne verere. quamquam senatus populusque suis moribus & κακοπολιτείᾳ jamdudum effecerant, ne doctâ simulatione opus haberet, qui ambitionem & libidinem animi in consilio habet.

Fragm. lib. 1. Hist.

Ep. ad Attic. 7. 7.

7. 9.

7. 13.

Erant sane bonis viris, illisque qui optimates vere haberi vellent, in ore & animo, auctoritas reipublicæ, odium dominationis paucorum, & tyrannidis; neque alio volebant frequentius charactere notari, quàm illo poëtæ:

non

6, 3. & *non contemnere se, & reges odisse superbos.*
2, 8. Solenne tum carmen factum: *hoc vero regnum est, & ferri*
2, 11. *nullo pacto potest.* sero: *ex quo intellectum est* τετραχειοπαγίτας *ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique*
4, 17. *remp. flocci non facere.* ex quo, *qua invidiosa fuit Senatus po-*
2, 9. *tentia, non ad populum, sed ad tres immoderatos homines reda-cta est.* Quin & plebis animi, quod sibi suo jumento acciverant malum, nequaquam tacitè dolebant: Verùm querelis non tollitur, sed irritatur tyrannis. Licet ergo vere
Ep. ad Attic. 2, 19. adde 2, 21. scripserit de illis temporibus Cicero: *nihil unquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peraque omnibus generibus, ordinibus, atatibus offensum, quàm illum statum, qui tunc erat: cùm populares illi, etiam modestos homines sibilare docuerunt:* Nihilo tamen minus, verissimè id quoque scriptum est: *hic status,*
2, 18. *qui una voce omnium gemitur, neque verbo cujusquam sublevatur.*
2, 19. *Populi sensus* quidem *maxime theatro & spectaculis* (ubi non sanatur, sed deluditur respublica) *perspectus est. Diphilus tragœdus in Pompejum petulanter invectus est:* Nostra Miseria tu es magnus, *millies coactus est dicere.* Eandem virtutem istam, veniet tempus, cum graviter gemes, *totius theatri clamore dixit, itemque cetera.* ------ Si neque leges, neque mores cogunt, *& cetera magno cum fremitu & clamore sunt dicta.* Sed quid valeret jam, quamvis *una vox omnium, magis odio firmata, quàm præsidio?* Nullus hic clamorum
2, 21. popularium fructus: nullum jam *Archilochia Bibuli edicta* remedium promittunt: imbelle & fragile adversus armatas opes telum. Neque medicinam reipublicæ vulneribus facit invictus quidem, sed seram magis pœnam ab auctoribus cladium repetiturus, quàm intercessurus cladibus,
2, 6. calamus ejus, qui scripsit: *'Ανέκδοτα, Theopompino genere, aut etiam asperiore multo pangentur. neque aliud jam quicquam* πολιτεύομαι, *nisi odisse improbos, & id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate.* Prætermissum erat tempus, quo nascentibus malis facilia & celeria proponebantur remedia: & ad multos reipublicæ morbos, nexamq; tot vulnerum continuatione seriem pertinet, quod de uno,
7, 7. qui se in possessione reip. collocaverat, exulit *Tullius:*
horum

horum omnium (malorum) *fons unus est : Imbecillo resistendum fuit : & id erat facile.*

Adversus rempublicam, ne ulla vis valeat, in tempore providendum est. ne humanæ ambitioni aut cupiditati locus sit, legum esse intemerata auctoritas debet. In plurium Imperio, quicquid de legibus detrahitur, personis adjicitur; corruptioni & mutationibus variis ansam præbet. Ne gliſceret paucorum poteſtas, nihil ex juribus reipublicæ laxandum, remittendum, minuendum erat. Fecerunt Romæ magnos, qui factos jactantius dolebant. Ceperunt te quoque, M. Tulli, præpotentium illecebræ: neque dissimulâsti gaudium ex favore eorum. 4,15.
Illud quidem, inquis, *sumus adepti, quod multis & magnis indiciis possumus judicare, nos Cæsari & carissimos & jucundissimos esse.* Et rursus: *alterum complectebar, quia de me erat optime* 7,1.
meritus; alterum, quia tantum valebat. feci igitur, itaque feci omni obsequio, ut neutri illorum, quisquam esset me carior. Deceptus quidem est candor tuus sæpius (quod fere optimo cuique inter ambitiosos & dominandi cupidos evenire solet,) neque dubitas fateri tuum errorem: *Pompejus amat* 2,20.
nos, carosque habet. credis? inquies, credo: prorsus mihi persuadet. Sed quia, ut video, pragmatici homines omnibus historicis præceptis, versibus denique cavere jubent, & vetant credere: alterum facio, ut credam: alterum, ut non credam, facere non possum. Sequebatur ergò ut lamentareris: *Utinam mihi tam* 3,13.
in periculo mens integra fuisset, cum ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum: qui, ut me paululum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere & perfidiâ abuterentur ad exitium meum. Et: *Vides me omnibus amplissimis, carissimis, jucundissimisque re-* 3,19.
bus perfidia hominum spoliatum; vides me à meis consiliariis proditum & projectum. Jam in Pompejum favor, aliquid excusationis habere potuit, dum credidisti, eum pro republica niti. excussa tibi est rebus manifestis ea opinio. fateris enim: *Cnæus noster, cum antea unquam, in hac caussa* 8,11.
minime cogitavit, ut civitas beata esset. *Dominatio quæsita ab utroque est, non id actum, beata & honesta civitas ut esset.*

— *genus illud Sullani regni pridem appetitur; multis, qui una sunt, cupientibus.* — *neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus;*
9, 7. *uterque regnare vult.* Et iterum: *Mirandum in modum Cnaeus noster Sullani regni similitudinem concupivit. εἰδώς σοι λέγω. nihil ille minus unquam obscurè tulit. cum hocne igitur*, inquies, *esse vis? beneficium sequor, mihi crede, non caussam, ut in Milone; ut in. sed hactenus.* Responderat tibi abunde Atticus tuus. Sed anxia deliberatio tua, desiit tandem in perpetuam fluctuationem, unde nec te nec rempublicam expedire potuisti.

Non egisse his temporibus civitas dicenda est, quae paucorum per arbitria jactabantur. Et si mature advigilasset senatus populusque, in quibus unis nominibus auctoritas Civitatis erat, impediri pleraque debuissent, & rescindi potuissent. Sed prodita, quibus dictum est modis, auctoritate publica, relicta est misera consultatio; an bello & immissis percussoribus, actis tyrannorum, in tantum corroboratis, etiam cum periculo & pernicie civi-
9, 4. tatis, intercedere fas esset: cujus generis *θέσεις politicas & temporum suorum*, *Cicero* commentatus est: dum παλιγγενεσίαν suam & virorum bonorum frustra expectat. Tyrannis enim nemini infestior est, quàm viris cordatis, & patriae amantibus, quorum voce oppressa, consiliis à republica submotis, facilius in turbido piscantur & securius illi tyranniones.

Et hactenus quidem de mutata reipublicae forma, & tentamentis, conatis, serie contextuq; talium mutationum, exemplorum satis. Fiunt autem, & affectantur aliae quoque
Aristot. 5. polit. 1. mutationes manente formâ: cum *alii homines, dejectis, qui rerum potiebantur, succedunt, non alii civitatis mores*; aut *unius status disciplina intenditur, vel remittitur*; aut *novus magistratus instituitur in republica, aut abrogatur.* Quae *Philosophi* annotatio ita accipienda est, ut in rectis & deerrantibus formis locum habere meminerimus; imo in aberrantibus saepius. Quid enim frequentius, quàm tyranno dejecto, non tolli tyrannidem, sed succedere alium tyrannum? paucis impotenter dominantibus, substitui in eodem statu, alios pari potestate armatos? Jam intendi & remitti tyrannidem

dem unius vel paucorum, pro ingenio dominantium, aut temporibus, adeo notum est, ut annotatu non indigeat. Illa difficilior inspectio, quando in singulari unius imperio, ex civiliore formula, paulatim adductius regnatur, & ad herile imperium pervenitur. Hic enim quidam omne addictius regimen damnant, & herilem omnem dominatum tyrannidis crimine infamant: violentius scilicet philosophati. Neque enim civitatem egisse negaveris, quod gliscente ejusdem status formula, & intensiore jam Principatu gestum est. Nisi quod in mixto statu, vix unius partis jura intendi possunt, quin alterius partis jura imminuantur. de qua re infra aliquid dicendum erit.

De magistratu novo, exemplis non accurate utuntur Interpretes Aristotelis. *Tribunorum* namque *plebis* institutio Romæ spectavit ad ipsum statum; sive ad partem democraticam in mixto illo statu firmandam. Quanquam enim statim ab initio libertatis, res ad mixtam formam cœpit vergere; tamen parti populari tum demum suum jus in republica est firmatum. Quare & postea, qui diminuere aggressi sunt potestatem tribunitiam, quod de Sulla & Pompejo referunt, *κατάλυσιν μέρους δημοκρατικοῦ*, sive dissolutionem juris popularis sibi propositam habuerunt. Fuerit igitur *Tribunatus* ex eo genere magistratuum, de quo, ex *Aristotele*, *Cicero* dixit: *magistratibus, iisque, qui præsint, contineri rempublicam, & ex eorum compositione, quod cujusque reipublicæ genus sit, intelligi.* 3. de L. 5.

Veriora exempla sunt extraordinariorum magistratuum ac imperiorum. *Dictatura* hujus generis est: quæ nihil aliud erat, quàm magistratus extraordinarius, cui respublica commisit imperium ad certa negotia conficienda, bellum gerendum, comitia habenda, seditionem sedandam, aliaque. Neque est, quod temporarium inde regnum *Grotius* faciat: contra quem potius audiendus est I.B. 1, 3, 8. & 11. *Bodinus*, nostræ sententiæ assertor. Itaque, quamquam ab initio Civitas, per dictatorem actura, tantam ei committeret potestatem, ut *provocatio non esset*: tamen, cum 1. de rep. 8. postea provocatum esset, severissimus dictator Papirius Liv. 2, 18. & 3, 20. agno-

agnovit populi esse, quicquid in dictura esset juris, neque
Liv. 8, 33. &c. suum, *sed populi Romani imperium, disciplinam militarem, solennem & sacratam militiam*, in ore habuit: firmatumque tum periculo Fabii *imperium militare*, *Historicus* judicavit. Possetque hoc exemplum optime cum eo comparari, ubi
Liv. 4, 42. affirmatur, *de omnibus summam populi Romani potestatem esse.* Quare & ad Senatum de agendis dictator retulit, & Senatus decrevit: addita sane interdum illa clausula libero-
Liv. 22, 11. rum quidem, sed mandatorum: *cetera omnia ageret faceretque, ut è rep. duceret.* Est & factum Fabii dictatoris in permutandis captivis, *dubium* habitum, *quia non expecta-*
22, 23. *ta in eo Senatus auctoritas erat.* Quid, quod tribunus pl. *legem se laturum fuisse de abrogando dictatori imperio minatur, si*
22, 25. *antiquus animus plebi Romanæ esset?* Quid, quod jussu populi
ibid. per Senatus consultum *æquatum est magistri equitum & dictatoris imperium?* Eodem nimirum spectabat Dictatori permis-
Liv. 3, 4. & 6, 19. sa potestas, quo *forma SCti ultima semper necessitatis habita, ut videant consules aut magistratus*, ne quid respublica *detri-*
Catil. 29. *menti caperet.* Quæ potestas (explicante *Sallustio*) *per senatum more Romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives; domi militiaque imperium atque judicium summum habere. aliter sine populi jussu, nulli earum rerum consuli jus erat.* Sicut autem, quamvis major, quàm dictaturæ, & rarius longè, permissa magistratibus potestas, formam reip. non mutavit: ita nec dictatore creato, talis mutatio statui debet. Sed nec *Decemviri scribendis legibus* mutarunt formam civitatis: nisi quod magistratum in tyrannidem vertere, & fiduciarium jus ut proprium vindicare postea aggressi sunt. quo tempore, quantum ad jus magistratus attinet, meri-
Liv. 3, 30. & 41. & 49. & 51. to *privati* censebantur. Videtur quidem *Historicus* mutatione Reipublicæ hunc Magistratum metiri, quando in-
Liv. 3, 33. quit: *Anno 302. quàm condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab Coss. ad Decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad Coss. venerat, translato imperio.* Sed de hoc loquendi genere alibi actum est: neque magis hic magistratus, certam ad rem, certum in tempus constitutus, statum

tum civitatis, ſi accurate hunc ſignamus, mutavit, quàm *Tribunatus militum conſulari poteſtate*.

Mutationes circa locum, non efficere, ut ſit alia civitas, recte *Ariſtoteles* notavit; ſi recte explicetur. Poteſt 3. *Pol.* 2.
fieri: ut civitas eadem contrahatur, aut amplificetur locis, aut disjungatur intervallis. Hiſpanica hodie eſt civitas, noſtro loquendi genere, quicquid diſtantibus longe lateque locis, Hiſpanici juris eſt. Quod autem civitas pluribus nationibus, urbibus, pagis conſtans locum tota ſuo auſpicio arbitrioque mutaverit, exemplis nunquam affirmatur. niſi quantum potior pars interdum attenditur, & ſedes imperii pro tota civitate nominatur; ſicut Athenarum civitas in claſſe, non in tectis & ædificiis urbis, tempore Themiſtoclis, verſari dicebatur. Afferunt & Romani decreti formulam, qua licet promiſſum eſſet Carthaginenſibus, πόλιν αὐτόνομον ἔσεσθαι καὶ ἐλευθέραν, *ſui juris & liberam fore civitatem*, ut eſt apud *Appianum*; Carthago *Libyc.*
tamen dirui poſtea juſſa eſt, ut alia ædificaretur loco à mari LXXX. ſtadiis remoto. cumque fides promiſſorum exigeretur, obtendebant Romani, Carthaginem non in loco & muris, ſed in civibus eſſe. Καρχηδόνα γὰρ ὑμᾶς, οὐ τὸ ἔδαφος ἡγούμεθα, inquiebat Romanus. In qua re *Arniſæus*, inſultans Carthaginienſibus, quaſi non recte urbem à civitate diſtinxiſſent, incautiſſime abſolvit Romanos, quorum cavillationem merito incuſat *Grotius*. Sive enim ita egerunt, ſicut *Appianus* narravit, ſive *Diodori Siculi* narrationem ſequi placet, qui Romanos, ait, in hac actione *nunquam* πόλιν τὴν Καρχηδόνα *nominaſſe, ac verbis expreſſiſſe, ſed ipſis* (Carthaginienſibus) *ſi obſides darent, promiſiſſe libertatem & cetera, eo quod humanitate formulæ duriora conſilia vellent abſtrudere*: ita certe cum Carthaginenſibus actum eſt: ut cum civitate & de civitate, non de urbe actum cenſeri debeat.

Appian. Libyc.
Relect. polit. lib. 1. *c.* 5. *ſect.* 2. §. 2.
l. B. 2, 16, 15.
Eclog. Legat. 27.

De Urbe imperii ſede, multa ſunt, quæ de cetero dubitantur. Sicut autem tranſlata alio ſedes imperii non ſtatim mutat civitatem, ita non omen modo, ſed via hæc eſſe poteſt ad ulteriorem mutationem.

Hominibus mutatis non mutari civitatem, ostendit Aristoteles exemplo fluminis, aquarum decursu assiduo non mutati: quod, post alios illustrat *Jo. Gryphiander de Insulis.* *Grotius* autem locum *Taciti* affert, ubi contra Athenienses male ratiocinatus sit Piso, quasi post tot clades extinctis veteribus civibus, & substituta colluvie nationum, non essent jam Athenienses. Recte, si Athenienses spectamus, ut civitatem non subditam Romanis, sed sociam. Sed adempto imperio, non idem dicendum erit, sicut ipse *Grotius* ostendit. At quod vulgo *Lucani* illud tantopere jactant,

—— non ordo perdidit unquam
Mutato sua jura solo;

parum huc pertinet. Confusa enim tumultu civili republica, nec nomina, nec jura pristina, id sunt, quod esse debent. Haud ita proclive est ostendere, id Senatum fuisse, quod hoc nomine præscribebatur. Et, si fuisse, vinceretur, nondum probatum est, id rempublicam esse: quæ non Senatus, sed senatus populique imperio constabat.

c. 14. extr. *I. B. 2. 9. 3.* *2. A. 55.* *I. B. 2. 9. 6.*

Incidit hic quæstio, de unitis civitatibus: an una civitas alteri unita, maneat eadem? Non amitti jura, sed communicari, dixit *Grotius*, & exemplo Sabinorum, & Albanorum usus est. quæ rem non expediunt. *Accepit T. Tacitum* Sabinorum Regem *in regni societatem Romulus*: nempe, quando interventu mulierum uterque populus *non pacem modo, sed & civitatem unam ex duabus fecerunt, regnum consociarunt, imperium omne contulerunt Romam.* Quæ verba *Livii* satis ostendunt, Sabinos ita accessisse Romanis, ut una esset civitas, Romana scilicet: Sabinis in communionem juris Romani ascitis, quod amplius *Dionysius* exponit; & imperio duumvirali ad tempus instituto, manente nomine regio. Quinimo non per ambages *Historicus* ostendit, rem ipsam & vera jura Sabinorum, in civitatem Romanam cessisse, inania quædam simulacra, de nomine Sabinorum usurpata esse: *ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites à Curibus appellati.* *Geminata urbs*, est

I. B. 2. 9. 9. *Liv. 4. 3.* *Liv. 1. 13.* *Lib. 2.* *Liv. 1. 13.*

est accessione alterius populi amplificata; quo genere figuræ etiam Poëta:

Occiderat Tatius, populique æquata duobus, Ovid. metam. 14. 19.
Romule, jura dabas.

Non enim duo jam populi, sed unus erat, additis Sabinis auctus. Expirante ergo temporario duumviratu, morte Tatii, non creatus est ex numero Sabinorum alius collega, (sicut fieri æquum erat, si mansura societas imperii etiam in una civitate instituta esset,) sed ab unius nutu omnia pendebant. Certum igitur mihi fuerit, hac consociatione civitatem Sabinorum factam esse partem civitatis Romanæ, i. e. non mansisse civitatem, quicquid simulacri caussa obtenderetur: nisi quis velit, civitatem in civitate statuere, quod est omni rationi adversum. V. Bodin. de rep. 2, 2.

In Albanorum casu, etiam clarius res apparet, quando Tullus decrevit: *Populum omnem Albanum Romam traducere; civitatem dare plebi, primores in patres legere, unam urbem, unam rempublicam facere.* Facta decretis junguntur: *Roma crescit Albæ ruinis. duplicatur civium numerus. principes Albanorum in patres, ut ea quoque pars reip. cresceret,* Tullus *legit. & ut omnium ordinum viribus aliquid ex novo populo adjiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit. Legiones & veteres eodem supplemento explevit, & novas scripsit.* Omnis autem argumenti instar in eo est, quod Albani jam ante sub imperio Romanorum erant, ex pactione duelli: *ut cujuscunque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret;* quod *Livius*, & uberius *Dionysius* exequitur. Romani ergo, civitatem jam sibi subditam, urbis primariæ excidio multabant, hominibus Romam translatis. Unionis & communionis dulcia vocabula, severo supplicio obtendi solent. quod licet oratorum more *Florus* in animo haberet, non potuit non verum admiscere: *Albam ipsam quamvis parentem, æmulam tamen diruit, cum prius omnes opes urbis, ipsumq; populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non periisse, sed in corpus suum rediisse rursus videretur.* Ejusdem generis delinimenta sunt, quæ Romanus Cos. apud *Appianum*, de utilitate Albanis quæsitâ, disserit.

Liv. 1, 28. 1, 30. Liv. 1, 24. Dion. lib. 3. lib. 1. c. 3. in Libyc.

Sed,

Sed, ut ad *unionis* usitata hodie nomina redeamus; non est moris nostri compilare scrinia aliorum, qui abunde ad materias Utriusque Juris de ea re consignaverunt. Quin potius tritam philosophorum vestigiis semitam secuti, breviter & partite adferemus, quibus hæc disputatio nititur. *Uniri civitates diversæ, ut maneat quaque, quod fuit, non possunt, nisi per modum arctioris fœderis; quod imitatur quidem naturam civitatis, civitas tamen, ut accuratè nunc vocabulo utimur, non est.* cujus rei celebria exempla Politici agnoscunt in *concilio Amphictyonico*, & *Achaorum societate*, quam & ob similitudinem, & τὸ συμπολίτευμα *Achaorum remp.* appellitant.

Bodin. 1. de rep. 7.
Polyb. lib. 2.

In recentioribus Belgico-Germaniæ exemplum huc accommodat *Grotius.* Sed & hæc *Respublica Belgica* dicitur ob similitudinem. Quando enim cum hoc corpore agitur, ita agi solet, tanquam cum uno populo, & cum una civitate. Ita in *Induciis*, tanquam *cum libero populo*, Hispani pacti sunt. ne de infinitis exemplis dicam. Atque hoc solum ac unicum genus unionis est, quam vulgo describunt, quod fiat salva cujusque rei natura & conditione. In reliquis generibus, favor ejusdem vocabuli quæritur: cum res ipsa discrepet, fiatque, *ut in dignioris accessionem veniat, quod minus dignum est*; & *pars unita majori, illius appendix fiat*, ut in aliis exemplis loquuntur. Arcanis aliquando politicis hoc continetur, ut dissimuletur, aut diversa specie obducatur hoc negotium; sicut *Unio Magnæ Britanniæ* hoc sæculo ostendit, ubi non sine ratione augurabantur Angli apud Historicum: *novi regni institutione, alterius antiquioris memoriam dissolvi & extingui.* Sub uno jure erant, quæ sub unum nomen redacta sunt. Neque quenquam hîc decipiat *pristini moris*, *pristini juris* mentio. non enim semper, plenam αὐτονομίαν capere debes, cum hoc audis. Potest provincia aliqua, sive pars civitatis, privilegia quædam habere; non tamen propterea minus agnoscit imperium civitatis. Victoris inter artes est, de pristino more eorum, quos vicit, nihil mutare: neque ideo victi statim seorsum civitatem constituunt; aut manent prioris civi-

In Apologet. c. 1.
Baud. induc. bell. Belg. lib. 1.
Thuan. lib. 131. pag. 1100.

civitatis pars. *Relicta igitur fuerit aliqua civitas de cetero suis legibus, sed agnoscere tamen jubeatur imperium alterius civitatis*, jam non manebit ipsa civitas, sed erit pars ejus, cujus suprema potestate continetur. Fac etiam, *populum aliquem, qui civitatem per se constituebat, asciri unione in aliam civitatem, quæ ex pluribus ordinibus, tanquam optimatibus constet, ut eodem jure sit, quo sint reliqui ordines, id est, particeps imperii*: tum ergo neque seorsum eatenus civitas erit, neque αὐτονομίαν veram habebit; sed ut pars corporis censebitur: sicut singuli optimates per se nihil juris publici habent, sed vi collegii, personam civitatis referunt. *Quid, si etiam mixto in statu, quæ seorsum fuit civitas, veniret in partem mixtionis, & quædam jura majestatis possideret*? neque sic aliter, quam pars hujus mixtæ civitatis æstimari potest. Mixta enim civitas, non nisi una civitas intelligitur. *Quando* autem *civitas, populus, regnum, sui vere juris, ratione soli aut territorii, jus partis in alia civitate nanciscitur*; id sicut statum civitatis ipsius seorsum existentis non spectat; ita cum modis uniendi, quos hactenus attingimus, confundi non debet.

Transimus jam ad eas mutationes, *quibus efficitur, ut civitas non sit eadem*. Quo etiam *coloniarum* aliquæ pertinent. Illæ quidem coloniæ, vel militares ob usus, vel alias ob caussas ita deductæ, ut maneant pars civitatis matris, sive majoris patriæ, alterius generis sunt. Sic Hispanorum, Anglorum, Belgarum, Gallorum coloniæ in Americanis insulis, ditione suæ quæque civitatis continentur. Sunt autem aliæ *coloniæ* (significat enim vox, quamvis ex alia civitate natam urbem vel civitatem) quæ seorsum civitatem constituunt, neque partes sunt originis suæ. Sic olim, cum in *ver sacrum* dimitteretur manus, factura non urbem modo, sed civitatem singularem, quantum ad jura majoris patriæ attinet. Quemadmodum autem hi sacri exules erant; ita aliorum exulum eadem fortuna esse potuit, & sæpe fuit, ut novæ civitatis auctores existerent. Didonis fuga peperit Carthaginem. Et hæ quidem coloniæ αὐτόνομοι, sicut seorsum civitatem constituebant, ita majorem patriam cultu quidem ac honore, &

Cl. Bernegger. ad Justin. 24, 4, 1.

quadam quasi in parentes pietate afficiebant, quæ γίγα diligenter colligit doctissimus *Henricus Valesius*; imperium tamen majoris patriæ non agnoscebant. Unde male ratiocinantem Metium, ab honore ad jus imperii, *quasi æquum esset coloniam Romam civitati matri Albanis parere*; graviter coarguit Tullus; *quod nec jure, nec more hoc postuletur*; exemplisque ostendit, *nihil esse usitatius, quam coloniam metropoli imperare*, apud *Dionysium Halicarnasseum*. Illæ quoque coloniæ, quæ ex Trojani excidii cineribus passim sunt disseminatæ, non partes Trojanæ civitatis, quæ interierat; neque translatio civitatis ejusdem fuerunt; sed vel accesserunt, ut partes, aliis civitatibus; vel ex reliquiis illis Trojanorum civium, novo ortu novæ civitates extiterunt.

ad Excerpt. Peiresc. p. 6. & 7.

lib. 3.

Grot l. B. 2, 9, 10.

In hoc genere mutationum, quo efficitur, ut non eadem sit civitas, duo incomparabilia exempla habet omnis ævi historia: *divisionem Græci imperii post Alexandri mortem*; & *Romani Imperii solutum, ac in partes dissilientem contextum.* Utrumque tetigit *Grotius*: & judicium de priori, ut arbitror, sumsit ex *Bodino*. Verum est: ex una illa civitate, i. e. imperio Alexandri, extiterunt diversæ civitates complures: sed paulatim. Nam ab obitu Alexandri, quantum ad formam actorum publice attinet, mansit una civitas, Alexandri potestate in Aridæum, cui Philippo nomen indiderunt, translata; cui mox natum ex Roxane filium adjunxerunt collegam. Hæc palam, & aperte. Ut divisio illa imperii, Perdiccæ primum, subinde Antipatri arbitrio facta; non nisi præfectos & curatores provinciarum sive partium unius civitatis, i.e. imperii Alexandrini destinaret. Sed, quantum ad arcana proposita horum præfectorum attinet, verissime pronuntiavit *Curtius*, ipsos *specie imperii alieni procurandi singulos ingentia invasisse regna.* id quod postea scilicet, & ex eventu patuit: opportunitate oblatâ ex imbellia & infirmitate Aridæi: qui ne modici quidem fati idoneus hæres, tanto imperio sustinendo prorsus impar erat. De altero exemplo Romani imperii, ubi *Grotius* non videtur sui nominis memor fuisse, præstat silere, quam

l. B. 2, 9, 10 & 11.

4, de rep. 1.

Arrian. apud Photium cod. 92. ubi Andr. Schotti not.

lib. 10. c. 10.

quam paucis agere. Erit locus accuratiori de ea re sermoni alio tempore.

Mutationes quibus efficitur, ut civitas desinat esse civitas, feliciter exequitur *Grotius*. Cumque vi vel majore, vel humana illæ fere constent, non potest esse res obscura, quæ se ipsa demonstrat & oculis ingerit. *I. B. 2, 9, 4. & 5. & 6.*

Redeundum ergo est ad illam quæstionem nostram, *quando civitas egerit, non modo eadem, sed ejusdem formæ ac status?* Occurrunt hic acta à magistratibus, curatoribus, legatis, ministris civitatis. Cujus generis sunt sponsiones, sicut in exemplo Caudinæ sponsionis fuse disputatur apud *Livium*; & explicatur apud *Grotium*. Quin tamen seriis & gravibus argumentis, inania quædam accesserint, non negaverit, qui illud ludibrium considerat, cum *Posthumus* deditus genu fecialis Romani magna vi percussit, inquiens, *se Samnitem civem esse, illum legatum, fecialem à se contra jus gentium violatum; eo justius bellum gesturos.* de qua πανουργίᾳ merito queritur Pontius Samnis, & increpat: *Ita dii credent, Samnitem civem Postumium non civem Romanum esse*, (fuisset sane civis Samnis, si deditio accepta esset, non tamen inde conficeretur, quod sequitur) *& à Samnite legatum Romanum violatum. eo vobis justum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere, in lucem proferre, & vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere?* Sed de illis quidem, qui præter terminos mandati agunt aliquid, dictum est alibi. Nonnunquam autem de formula & significatione mandati dubitatur. Putat *Grotius*, Julium Cæsarem nomine civitatis non bellâsse adversus Ariovistum: auctoritatem Catonis in hoc sequens, qui id factum improbabat. Sed Cæsar tuetur se Senatusconsulto, quo *M. Mesalla, M. Pisone Coss. senatus censuerat, uti quicunque Galliam provinciam obtineret, quod commodo Reipublicæ facere posset, Æduos ceterosque amicos populi Rom. defenderet. Hædui* autem *de incursionibus Germanorum querebantur*: quam *Florus* justissimam bellandi caussam existimat. Videri meretur *Ciceronis* sententia, quid ex similis Senatus consulti formula sibi licere putaverit, *in Epistolis*. Quin ipsam extraordinarii imperii

lib. 9. cap. 8. & seqq. *I. B. 2, 15, 3. & 16.* *Liv. 9, 10.* *Differt. de religione mandati.* *I. B. 1, 3, 5. & 3, 3, 10.* *Cæs. bell. Gall. 1, 35.* *Flor. 3, 10, 10.* *lib. 15. ep. 2.*

potestatem ita sibi oblatam à Senatu populoque Cæsar differit, apud *Dionem*, ut liberum ipsi judicium relinqueretur, quibus esset bellum inferendum. Speciose hunc locum ibi tractari, videas, quanquam non tacet *Historicus* cupiditatem bellandi in Cæsare, & quæsitas studiosius occasiones. Quo rerum animorumque habitu, iterum quæri solet: an actum à civitate haberi debeat, cujus agendi potestatem acceperat quidem actor, sed præpropere & animosius exercuit? Quales errores, cum non possint in actionibus humanis ad liquidum redigi, aut minutatim demonstrari; humanius videtur omitti disputationem in ambages & tricas ituram.

lib. 39.

Sine controversia autem transgressus est mandata suæ civitatis Callicrates apud *Polybium* Achæorum legatus; imò mandatis contraria in Senatu Romano disseruit. quod ut posset audere, contrariæ domi factiones efficiebant. Reliquorum interim legatorum silentium nullo modo excusandum est: qui cum Callicratis proditionem minime probarent, non sunt ausi tamen contra hiscere. Quæ res monere potest civitates, in quibus præsertim non omnes eadem de republica sentiunt, ut videant, quos suæ voluntatis interpretes legant, aut colligant. Achæis certe hoc initium mutatæ in deterius reipublicæ, *Historicus*, fuisse ostendit. Romani enim, licet satis scirent, civitatis mentem longe aliam esse, quàm ex legato proditore audierant, hanc occasionem suam esse rati, libertati Achæorum imminebant.

Excerpt. legat. 58.

Servabimus ordinem quæstionum per varias rerumpubl. formas. In Regnis, vere talibus, acta Regis sunt acta civitatis. Etiam cum præter voluntatem Senatus aliquid fit. Pro ingenio & indole Regum (semper de vero regno loquimur, non de mixto statu) major minorve solet esse Conciliorum & Senatus auctoritas. Ea occasio & materia disputationis: quæ non alio in regno, majore libertate ac eloquentia mota sæpius est, quàm in Gallia: ubi Curia jus admonendi Regis de edictis conditis, habet, quousque? an etiam in publicis negotiis reliquis? Senatoriæ

toriæ auctoritatis patroni extendunt: Regis, ut Herculis, partes, non patiuntur sibi clavam è manibus extorqueri; vincuntque: acta civitatis esse, quæ Regi placuerunt, etiamsi curiæ displiceant. Disputatum est acriter hac de re in Curia Parisiensi anno hujus sæculi vicesimo, Verduno Senatus Præside, auctoritatem ordinis vindicante; Væræo Regiam majestatem in omnibus summam & irrefragabilem demonstrante & evincente, sicut uberius refert *Bartholomaus Gramondus*. Jus regium non segniter passim tuetur, qui *de ministeriis Cardinalis Richelii* scripsit. *Permissam*, inquit, *à Regibus Senatui admonitionem, quotiens modeste usurpatur, nec ut proprium jus vindicatur, magna auctoritatis esse: neque tamen obligari Reges, ut sententiam Senatus exquirant, aut eam omninò sequantur: Licet enim alibi certis sub legibus suscipiatur regnum, aut ab ordinibus pendeat, Gallorum tamen Reges indefinita & libera potestate imperare.* Similia de Anglorum Regibus legas: quod licet maximam Senatus auctoritatem agnoverint, regio tamen juri intercedere eam noluerint; & prudentiæ quidem caussa sæpius ad curiam retulerint, quæ sui juris esse de cetero non dubitaverint. De Henrico VII. summatim *Baconus*: *Monetarum regimen, & belli ac pacis tractatus & consilia, & rei militaris administrationem, (quæ omnino absoluti juris sunt) sæpenumero ad Comitiorum regni deliberationes & suffragia referebat.* Neque Elisabetha dubitavit subinde Curiam, modestiæ admonere, & reverentiam juris Regii ordinibus commendare, imo plenis comitiis denuntiare; *caverent Principis patientiam lædere.* Cujus generis sententiæ male accommodantur adulantium artificio iis Principibus, qui adstrictam lege & partitam cum Ordinibus potestatem obtinent: ut paulo post dicetur.

lib. 5. histor.

Hist. ministeri Cardin. Richel. lib. 6. c. 5. adde lib. 8. cap. 28.

Histor. Henri. VII.

Camden. part. 1. an. 1566.

Quid? si in regno accurate sit dicto Seianus aliquis, Principem suis præstigiis huc illuc agitat, & debitam privato arbitrio potestatem sibi vindicat, an, quæ egit, Regis, id est, civitatis acta videbuntur? Dicet sententiam contra, Rex, ut primum somno excussus, alienorum peccatorum pudorem non feret, & dicet regie; ut omnes intelligant, non impune attrectari jura uni debita, cui Deus

 dedit.

in Epistol. ad 95. dedit. Recte monuit *Antonius Perezius Ducem Lermæ: Cum S. Joannes ad pedes Angeli cujusdam, illum adoraturus, abjicere se vellet, Angelus intercessit his verbis: cave feceris; conservus enim tuus sum. sibi dictum hoc putet Aulicus, & quanto demissiore cultu adorari se à gentibus videt, tanto magis illos sibi nocituros honores repellat, & non magis alios, quàm se Principis ministrum esse cogitet. Moderetur itaque fortunæ suæ, dicatque: vide ne feceris; etenim conservus tuus sum. ---- ----* Tandem enim in Principe *subsilit & excitatur naturalis ille Zelus, affectus amore multo potentior, qui æqualem ferre nequit, sed omnes scire vult, quanta inter Dominum & servum sit differentia.* Fit hoc, ubi intra tyrannidis facinora, sola ambitione peccatum est. quid, si Regii nominis obtentu minister tyrannus grassetur? *Gramond. lib. 2. hist. de Ancrae.* *Dura necessitas hominibus liberis, qua tyranno parere coguntur sub bono Principe;* inquit ille, qui persuadet Regi, ut publica usurpantem, ultimo supplicio privatæ sortis admoneat. Quod cum factum esset, *placuit in mortuum lege agi, quo traducta ad posteros viri memoria, qualis vixerat, amoveret suspicionem injustæ cædis: tyrannidis usurpatæ, amotæ pecuniæ publicæ, populi oppressi postulatio in ipsum instituitur, actore Advocato fisci.*

In *Aristocratia*, consideraturis diligentius hanc quæstionem, opus est ad diversa hujus reipublicæ genera attendere. Est enim Aristocratia alia simplicior, & uno collegio, nec nominibus, nec jure distincto comprehensa: alia autem pluribus collegiis distinguitur, lateque diffunditur. In utroque genere, non tàm arbitria hominum, quàm leges valere debent, ut valeat publica civitatis auctoritas. Sed in priori genere, ut minus periculi, ita rarior in hac quæstione dubitatio. nisi quis eadem in oculis habeat, quæ modo de regno dicta sunt. Nam si in Aristocratia fiat, ut ceteri ejusdem juris participes, paucis aliquibus concedant, eorumque de sententia omnia decerni, agique patiantur, plerumque bona cum pace & gratia res *lib. VI. c. 6. & lib. III. cap. 70.* transigitur, sicut exemplis *Livianis* constat: neque disputatur de auctoritate reipublicæ. Si autem obliquas per artes, & ceteris ægre ferentibus, pauci aliqui omnia ad se tra-

trahant; tum, si mature auctoritas legum opponatur, facile impediri potest, ne res in oligarchian degeneret. At ubi Aristocratica vis collegiis laxius distributa est, non minimi momenti dubitationes, & nisi præcidantur, contentiones de republica oriri possunt. Finge; *Collegio cuidam, i. e. certo numero de optimatibus commissam esse administrationem solennem & statam magni, & ad rempubl. spectantis negotii: sed nomine & jure omnis optimatium ordinis exercendam. illud collegium autem, paulatim proprio nomine, & ut sui juris negotium id tractare.* Potest enim fieri, ut ab initio satis clara res sit, adeoque formulis scripturæ, quas solicitudo & cautio futuri gignit, non perscribatur: progressu autem temporis non æque in obvia luce constituatur. parata jam erit quæstio: an, quia non cautum est disertis literarum verbis, rerum primordia non satis argumenti habeant? tum inprimis (ut ad auctoritatem publice actorum revertamur) an non reliquo ordini optimatium, cujus nomine angustior numerus tractandum accepit negotium, jus fasque sit intercedere, agendi modum definire, sententiam suam interponere? an commissum quidem, sed ordinarium, solenne, hæreditarium munus omnem censuram & examen & participationem respuat? an ipsa committendi ratio, auctoritatem committentium integram æternamque præstet? Finge amplius: *Collegia quædam, dignitatis & conditionis suæ ratione distincta, pari jure ad certum negotium concurrere: prærogativam autem ordinis & loci liberalius de prærogativa juris explicari: aut par jus, ad disparem exercendi rationem ablegari.* Quæstiones, inquam, possunt hic oriri, quarum exempla nemo lubenter disceptat.

In *Democratia* validam, de auctoritate publica actorum & agendorum, quæstionem movet *Lysias*, quando ad Athenienses mirabundus inquit: *ὑμῶν δὲ ἄξιον θαυμάζειν, ὅτι οἴεσθε μὲν δημοκρατίαν εἶναι, γίγνεται δ' ὅ τι ἂν οὗτοι βούλωνται.* *Merito vos miretur aliquis, quod putatis Democratiam sive populare imperium esse, & fit tamen quodcunque isti volunt.* Demagogos intelligit: quos & graphice describit: sicut & *Demosthenes* & *Isocrates* passim. Sed quotiens populus evigilat.

Orat. 24. περὶ τοῦ δήμου καταλύσεως.

lat, & se deceptum intelligit, exitium sibi hi tales inveniunt. Id quod evenire etiam solet in magistratuum actis, præter legum præscripta, & mentem populi actis. Sed, quæ alias hîc dubitantur, ex iis, quæ dicta sunt, & dicenda, dijudicari poterunt.

Crebrior enim disputatio est *in mixto statu reipublicæ*, quid civitas egerit. Non est alibi plus opportunitatis, ambitiosis & novis consiliis. Prima fraudis in hoc genere origo, ex ipsa descriptione mixti status: quotiens à *mixtura*, *temperamentum* non distinguitur. Illa enim vox unice ad formam civitatis; hæc ad modum administrandi, haud raro à forma nonnihil discrepantem, referenda est, si accurate velimus loqui. non, quasi non permutari illas contingat; sed quod philosophari volentibus omnis confusio vitanda est. Notum est, non dari fere hodie Democratias, nisi Aristocratice, non mixtas (aliud enim id est) sed temperatas. qualem Athenis omni ope consilioque optabat *Isocrates*, adeò, ut non aliud sibi in republica negotium potius dari arbitraretur. Si temperamentum istud Aristocraticum, de mixtura interpretaberis, jam data est via quæstioni, de qua agitur. Sub *temperamentis*, *simulacra* etiam continentur, quæ pro veris rerum momentis, & pro jure reipublicæ venditare, inter artes politicas, variis de caussis, adhibetur. *Contarem* calamo ita describitur, ex proposito quodam secreto, Venetorum respublica, quasi ex Monarchia, Aristocratia, Democratia mixtus esset status, cum nihil aliud quàm Aristocratia sit: neq; ex aliis formis quicquam trahat præter temperamenta & simulacra. *de rep. Venet.*

Sicut autem ex temperatione ad rationem agendi pertinente, facere mixturam, quæ participatione jurium majestatis definitur, multis solenne est: ita mixturam pro temperamento interpretatur vel ignorantia philosophiæ civilis, vel adulatio, & sua cuique utilitas. præsertim in *statu ex Monarchia & Aristocratia mixto*. Ibi enim Principem, quotiens primus esse debet, solum volunt aspectare, qui aulam patriæ, domum reipublicæ præferunt. Quantum est rerum, quæ civitatis & reipublicæ nomine præscribebantur;

tur; plerisque imperii consortibus ignorantibus, aut contradicentibus gesta! Loquuntur *Acta publica*, quæ vocant, ubi homines tacent. Igitur hac vice nihil adjiciemus: cum præsertim alibi dixerimus de perniciosa & impotenti sophistarum consuetudine, quæ ex consortibus imperii, consiliarios; ex imperantibus, magistratus; ex domesticis, peregrina; ex novis, vetera redigere, artificio plusquam Colchico potest.

Ceterum in hac quæstione tractanda prorsus ferri non possunt, illa *Arnisæi*: *Ubi distinguit inter contractus, qui ineuntur à sola majestate; & qui ineuntur ab omnibus civibus.* Nihil enim certius apud Philosophos hac sententia: quicquid majestas agit, sive, quicquid habentes majestatem agunt, id à civitate, atque adeo ab omnibus civibus actum censeri debet. Neque quicquam absurdius dici potest, quàm summam potestatem civitatis, civitati opponere. in quemcunque enim vel quoscunque, civitas summam potestatem contulit, ille vel illi referunt personam civitatis. Si ergo omnium civium potestas superior erit majestate; duo summa in eodem ordine statues; & uni corpori duo capita impones, id est, monstrum facies. Frustra excipit *Arnisæus*: *neque enim majestas ubique repræsentat totam rempublicam: inprimis in rebuspubl corruptis.* Vaga hæc sunt & nullo scientiæ fundo concepta. nisi enim argutari velis in vocabulo majestatis, summa potestas ubique est unica caussa actorum à civitate aut agendorum. sicut autem civitas, etiam iniqua agens, non statim desinit esse civitas: ita ubi summa potestate abutuntur, qui ea præditi sunt, non statim solutus intelligitur ille ordo quo civitas est civitas. quod *Aristoteles* sæpe inculcat, & exemplo Democratiæ vitiosæ ostendit. quod si considerasset *Arnisæus*, non subjecisset prioribus ista: *In omni enim prolapsa republica agitur contra bonum totius civitatis; & proinde contractus nequeunt toti reipublicæ imputari; sed manent penes eos, qui in fraudem reipublicæ contraxerunt.* Abunde enim hæc profligantur exemplo Aristotelico Democratiæ vitiosæ. in qua si tota multitudo contra bonum suæ civitatis egit, penes quos manebit culpa male

Relect. polit. lib 1. c. 5. sect 4. §. 4. &c.

actorum, à civitate ſcilicet, ut vult Arniſæus, removenda? Illud quoque poſtea crude adjicitur: *Quin & ipſo jure nulla ſunt, quæ contra utilitatem publicam contracta ſunt, ſive ab injuſto reipublicæ poſſeſſore contrahantur, ſive à juſto.* Latet fraus in præſcriptione *utilitatis publicæ*: quæ nec in una rep. uno modo æſtimatur: adeoque non niſi expreſſis exemplis intelligitur. Dicent aliqui, utilitatem publicam eſſe, quæ omnium omnino civium commoda ſpectat. Atqui ſunt civitates, nec ſtatim tyrannidis damnandæ, ubi omnia præcipue ad unius commodum referuntur. Quid oppones illius contractibus, qui civitatem in patrimonio habet, etiamſi cives non exiſtiment ad ſuam utilitatem iſtos pertinere? Sed hæc hactenus.

Qui interim à civitate agenda, ſibi vindicant, illi profanas rebus ſacris manus admovent, id eſt, ut clarius dicam, læſæ majeſtatis rei ſunt. Apud *M. Senecam* annotatur: *Is lædit populi Romani majeſtatem, qui aliquid publico nomine facit: tanquam ſi legatus falſa mandata affert, ſic audiuntur tanquam populus Romanus illa dederit. Imperator fœdus percuſſit, videtur populus Rom. percuſſiſſe, & continetur inito fœdere.* Et præceſſerat quod repetitur *in Excerptis: In eo quod ſub prætextu publicæ majeſtatis agitur, quicquid peccatur, majeſtatis actione vindicandum eſt.* De *fœdere* ſic accipe, ut à ſponſione diſtinguas: nempe, ſi Imperator, cum non niſi ſpondere poſſet, fœderis faciendi poteſtatem, quaſi à civitate ſibi permiſſam, vindicaſſet, ac civitatem ignaram, invitamque obligare voluiſſet. Accurate enim omnia hîc capienda ſunt; neque illuc deſcendendum (quod ap. *Senec.* diſputatur) ut, quicquid magiſtratus, obtentu publici officii, peccat, hoc crimine cenſendum ſit. Si enim ita accipias illa verba: *in eo, quod ſub prætextu p. m.* explicatione opus habebunt.

Lib. 4. controverſ. 2.

Lib. 9. declam. 2.

Annotatum eſt antea, civitatem, quæ æs alienum contraxerit, cum libera eſſet, non ſolvi debito, ſi in formam provinciæ redigatur, & fiat pars alterius civitatis. Verum hoc eſſe putamus, etiamſi bello facta ſit hæc mutatio; cum hac tamen exceptione, niſi hoſtibus victoris debeatur

beatur ea pecunia. Jus enim belli non modo in bona & corpora hostium, sed etiam in jura eorum porrigitur. Si autem debeatur non-hostibus, tum victor, si laudem justitiæ amat, non debet intercedere juri, quod natura dictat. nisi quod, necessarias ob caussas differri tempus solutionis posse, fatendum est. Quid? si hostibus tuis alii debent pecuniam: poterisne debitoribus hoc nomen remittere? Manente bello, frustra & sine effectu hoc tentaveris. Sed subacta civitate creditrice, & firmata possessione, si hoc feceris, jam de tuo liberalis esse poteris. Videatur *Grotii* demonstratio. *I. B. 3, 8, 4.*

De civitatibus iniqua agentibus, aut ex iniquorum cœtu conflatis, etiam recte putamus *Grotium* definivisse. *I. B. 3, 3, 2. & 3.* Ubi etiam de corruptis civitatibus aliquid annotatur. In quibus haud facile est pronuntiare, nisi postquam corruptissima respublica ad alium aut meliorem statum emerserit. Figuras quoque non oportet accipere, ut proprie dicta. Quid usitatius, quàm magnam aliquam corruptionem, aut conversionem, ut eversionem & destructionem exaggerare? κακοπολιτείαν pro ἀναρχίᾳ interpretari? concussionem pro interitu? Quæ in hac quæstione probe discernenda sunt. Qui πονηρόπολιν Philippi Macedonis adferunt, cum de civitate describenda agitur, non satis attendunt quid dicant. *Arnisa. Rel. lect. polit. lib. 2. c. 1. sect. 2. §. 16.* Non fuit illa civitas, ut hîc accipitur; sed in magna civitate, loco seposito, quædam quasi custodia, continendis seorsum, qui cives ceteros inquinaturi erant suo convictu. Sicut ex *Theopompo Suidas* tradit. *Voce πονηροπ.*

Corollarii vice adjecta.

I.

Differentia inter Regem & Regnum, non recte traditur in Franco-Gallia cap. 19.

II.


Regnum Gothicum in Italia, nova civitas fuit. ut & regnum Longobardicum, & in Neustria Normannicum.

III.

Roma, quotiens exteris subjecta est, eadem urbs, non eadem civitas fuit.

IV.

Arduum, sed Heroicum opus est, quod Anonymus Rhetoric. Aristotel. Scholiastes (*quidam* Alexandrum Aphrodis. *putant*) ad 3. Rhetor. p. 66. notat: *τὰς πόλεις ἀνωμαλίσαι· ὅταν τὴν ἐν τῇ πόλει θεωρουμένην ἀνισότητα (ἐν τῷ τοὺς μὲν εἶναι πλουσίους, τοὺς δὲ πένητας, καὶ τοὺς μὲν δυνάστας, τοὺς δὲ ἀδικουμένους) πειρᾶταί τις ἐξισῶσαι.* Civitates ad æqualitatem redigere: quando quis inæqualitatem, quæ in civitate spectatur, inter divites & pauperes, præpotentes ac iniquos, & oppressos ac iniqua patientes, ad æqualitatem reducere studeat.



XXIX. De

XXIX.

De MENSURA PRETII.

AD ſocietatem civilem colendam, quam ipſa natura hominibus commendat, non parum facit indigentia mutui auxilii, quo diverſarum rerum, actionum, operarum commercio atque communicatione obtineatur id, quod ad vitam felicem omnium & ſingulorum ſufficere videtur. Quotiens autem diverſi generis res commercio quodam permutari debent, comparatione & exæquatione earum opus eſt, ne alter plus habeat, alter minus: quòd à juſtitia, virtute vere civili, & ſocietati tuendæ deſtinata, alienum eſt. Quomodo iſta exæquatio fieri debeat, non perfunctorie diſputat Ariſtoteles in Nicomachicis, & ſummam in id confert; ut natura quidem & re vera, indigentia ſit illa menſura, quæ res diverſiſſimas comparat æquatque; in locum autem indigentiæ ex inſtituto ſuccedat nummus, στοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς, ut alibi vocatur, elementum & terminus ſive inſtrumentum commutationis rerum. Verba ſunt: δεῖ ἄρα ἑνί τινι πάντα μετρεῖσθαι —— τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τῇ μὲν ἀληθείᾳ ἡ χρεία, ἣ πάντα συνέχει. εἰ γὰρ μηδὲν δέοιντο, ἢ μὴ ὁμοίως, ἢ οὐκ ἔσται ἀλλαγή, ἢ οὐχ ἡ αὐτή. οἷον δ᾽ ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην. *Oportet igitur unum quid eſſe, quo omnia* (quæ commutantur inter ſe) *metiamur. Id autem re vera quidem eſt indigentia, quæ cuncta continet. niſi enim indigerent aliqui, aut non pariter, vel nihil mutaretur contrahereturve, vel non eodem modo. In vicem autem indigentiæ ad res commutandas ſucceſſit nummus ex inſtituto.* Contextum philoſophiæ Ariſtotelicæ eleganter exhibet in iis quæ præceſſere, *Michaël Epheſius*: ἡ κοινωνία ἐστὶ διότι ἀλλάσσομεν, ἀλλάσσομεν δὲ διὰ τὴν ἰσότητα. ἴσα δὲ γίνεται, διὰ τὴν συμμετρείαν. συμμετρεία δὲ διὰ τὸ νόμισμα. ὥστε μὴ ὄντος νομίσματος συμμετρεία οὐκ ἔσται. συμμετρείας δὲ μὴ οὔσης, οὐδ᾽ ἀλλαγή. τῆς δ᾽ ἀλλαγῆς οἰχομένης, οἴχεται καὶ ἡ κοινωνία. Com-

lib. 5. cap. 5.

munitas inde est, quod contrahimus res & commutamus. Commutamus autem propter æqualitatem. æqualia fiunt per convenientiam, sive eandem mensuram. Convenientia est per nummum. Nummo enim sublato, non erit convenientia ejusdem mensuræ, sive comparatio ad eandem mensuram. Sublata tali convenientia, non contrahetur commutatio. Sublata commutatione, intercidit communicatio sive communio. Quod ait, *sublato nummo, non fore aliquam rationem reperiendæ æqualitatis*, ita accipi debet, ut absque nummo interdum difficulter eam reperiri dicamus. Ante nummum inventum, non fuit nulla ratio reperiendæ æqualitatis, sed interdum difficilior, in permutandis rebus. Cetera jam melius & clarius *Andronicus Rhodius* exequitur: *ἡ μὲν οὖν χρεία φύσει καὶ ἀληθείᾳ μέτρον ἐστὶ τῶν πραγμάτων. αὕτη γὰρ πάντας εἰς ἓν συνάγει. νόμῳ δὲ καὶ κατὰ συνθήκην τὸ νόμισμα. Indigentia ergo natura & revera mensura est rerum; illa enim omnes ad communionem adducit, sive in unum omnes cogit: ex instituto autem, nummus.* qui scilicet est *ὑπάλλαγμα τῆς χρείας*, sive in locum indigentiæ succedit. *διὰ τούτων τοίνυν τῶν μέτρων γνωσθείσης ἑκάστου τῆς ἀξίας τῶν ἔργων, ἀλλαγὴ ἰσόῤῥοπος ἔσαι καὶ κατὰ τὸ ἀνάλογον. Cognito ergo per has mensuras uniuscujusque rei pretio; commutatio pro portione & æqualitatis momento fieri poterit.* Ex quibus apparet, aliter indigentiam, aliter nummum ad res metiendas adhiberi: & indigentiam quidem naturaliter non modo ad contrahendum impellere, sed aliquando etiam pretium ipsum metiri sive definire; nummum vero, accurate loquendo non definire pretium, sed esse pretium: neque adeo tam mensuram rerum commutandarum quàm instrumentum commutationis ex constituto præstare. Propositis enim exemplis Aristotelicis reperiendæ æqualitatis rerum interveniente nummo, semper adhuc quærendum erit, unde & quomodo æstimatio rerum taxatioque debeat fieri, ut mensura pretii definiatur.

Pretium in hac quæstione nobis est non pecunia tantum, sed in permutatione etiam rerum, is à quo contractus incipit, sive qui pro sua re aliquid sibi dari postulat, alteri eam, ut pretium pro re invicem accipienda tradere intelligitur.

gitur. Neque minus emtio habenda est, quæ ita contrahitur. Recte enim *Plinius* in laudanda permutationis consuetudine, Homeri auctoritate usus, *Ita enim*, inquit, *ut opinor commercia victus gratia inventa: alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus emtitasse tradit.* Quid? quod accidere tot post inventum nummum sæculis potuit, ut penuria pecuniæ ad permutandi consuetudinem rediretur. id quod de Flandris annotavit in Annalibus ejus gentis *Meierus.* Sive igitur pretium nummo constet, sive re alia, quæ datur pro iis quibus indigemus, sive partim nummo, partim re alia: requirendum utique erit, si æqualitatem, ipsam commutationis animam, amamus, quis debeat esse pretii modus, sive ad quam oporteat mensuram exigi, quanti unaquæque res valeat. Sic Homerus, *æstimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutasse Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum.* ut verbis *Plinii* dicamus. Et cum res geritur pecunia, quantum nummorum peti darive æquum sit pro re, quam velis comparare, prima & maxima disceptatio est. Hæc erit nobis *Mensura pretii.*

hist. natur. 33, 1.

ad ann. Chr. 958. lib. 2. Anal. Flandr.

l. d.

In qua reperienda minus difficultatis & dubitationis proponeretur, si Lex omnibus rebus pretium statuere semper posset. Sed quoniam ingens est varietas rerum temporumque, neque uno diu modo singula æstimari possunt, majori visa est indigere libertate commutatio rerum, permissumque, ut contrahentes ipsi rei suæ legem dicere possent, tum in quantum vellent alienare nollentve, tum ne alio quam vellent pretio alienarent. cum præsertim in ipso dominio rerum naturaliter hæc libertas inesset: exercenda tamen in vita sociali, quatenus justitiæ societatem continentis, & communis utilitatis civilis, ad quam societas in partibus tendit, rationes ferunt. Et quamquam libertas alienantium temperari videbatur æqua libertate ementium sive alterius partis contrahentium, quæ non magis cogeretur scilicet majori quàm vellet pretio sibi rem comparare, quàm alii, minore quàm vellent distrahere: indigentia tamen & necessitas sæpe emptori, ut in celebriore exemplo maneamus, extorquere potuit, ut iniquæ venditoris volun-

tati

tati consentiret, dum pudoris & justitiæ, ubi metus abest, postrema fere apud vulgus ratio habetur. Quo fit, ut ad summæ potestatis civilis officium in hoc negotio redeatur: quæ inæqualitatem, fori pestem, vinculis legum coërcet, magistratuum auctoritate moderatur, judiciis emendat. Ita constituuntur leges, quæ & certas ob caussas & necessario tempore cogunt vendere nolentes, & rebus vendendis certa definiunt pretia. Sed & magistratus creantur foro rerum venalium præfuturi: adduntur & curatores, quibus eadem cura non eadem potestas; ut Aristoteles diligenter distinguit.

6. Polit. 8. adde 4. 15. qui & ἀγορανόμον describit ἀρχὴν ἐφορῶσαν περὶ τὰ συμβόλαια, καὶ τὴν εὐκοσμίαν, *magistratum qui videat ne quid iniqui circa contractus & commercia rerum, tum ne quid indecori circa bonos mores fiat.* *Suida* ἀγορανόμοι sunt οἱ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες *magistratus, qui res in foro venales administrant.* *Scholiastes Aristophanis,* *in Acharn. p. 29.* λογιστὰς eosdem vocari ait, quod interpretatur Franciscus Portus; *qui res venales æstimant, & pretium earum statuunt, & ideo æstimatores appellantur, ut ratiocinatores, quod rerum rationes ineant.* Quamquam aliud genus λογιστῶν sive εὐθύνων Athenis fuit, de quibus *Suidas* *v. λογισταί.* ex *Dinarcho* & *Andocide.* Agoranomos autem omnibus rebus venalibus præpositos, excepto frumento quod σιτοφύλακες curabant, *orat. 21. contra frumentar.* *Lysias* docet. *Hesychio* ἀγορανόμος est δικαστής, ὁ ἐν τῇ ἀγορᾷ νέμων τὸ δίκαιον. *Plautus* agoranomos cum Ædilium munere comparat in illis:

Captiv. act 4. Sc. 2. v. 43.
—— edictiones ædilitias hic habet quidem:
Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Ætoli agoranomum.

Non tantum igitur per magistratus ordinarios obviam itur fraudibus, sed læsi etiam extra ordinem officio & arbitrio judicis sublevantur. Si summatim dicendum est, pretii mensura inquiritur, & æstimatis rebus in commutatione æqualitas definito pretio statuitur vel à contrahentibus, vel à summa civili potestate. Contrahentes vel suo arbitrio consensuque rem conficiunt: vel arbitrio alieno æstimationem delegant, staturi eo, nisi à viri boni æquitate plurimum recesserit. Summa potestas vel lege definit rerum pretia; vel per magistratus & curatores æqualitatem in con-

contractibus constituit; vel judicio, quod deerratum est, corrigit. Neque aliud dicunt, qui aliter partiuntur.

Quicquid autem in hoc genere vel justitiæ studio vel prudentiæ ope, publice privatimque laboratur, eo potissimum fine stat, ut vera pretium justum mensura metiantur, qui rerum commutationi consultum volunt. Quænam illa sit, quæritur. Sententia Aristotelis, quam ante tetigimus, *indigentiam* nobis forte commonstraret, hoc sensu: *Quo magis aliqua re indigemus, eo majus ei pretium statuere debemus.* Sive, ut clarius & rectius dicamus: Quo quis magis re aliqua indiget aut indigere se putat, eo liberalius metitur pretium ejus rei, eo majore judicat pretio sibi eam rem comparandam. Crescit ergo & decrescit pretium pro majore aut minore indigentia. Sed *indigentia* hæc recte explicanda est. Non enim idem est, quod utilitas maxima aut necessaria in vita communi. Exemplis agendum est. Frumentis quidem vita communis indiget, ut vix ulla re magis. At nondum hæc est indigentia quæ pretium in ubere proventu attollit: sed tum demum, quando penuria frumenti illis aut illi, pro rerum præsentium statu, reddit rem arduam; eisque persuadet, ut pro pauco frumento multam pecuniam reddant, id est pecuniam in tali comparatione in vilioribus habeant; quam alio tempore, cum non eadem premit indigentia, pretiosius æstimarent, & minore modo contra frumentum, exæquarent. Quod subtiliter exposuit *Michaël Ephesius.* Potest accidere in bello, & extra bellum, ut ad perficienda cœpta opus habeas aliqua merce, quam velis comparare ab eo, qui nec abundat ea, & tua pecunia tantopere non eget, ut carere nequeat. certe major illa indigentia tua coget te descendere ad conditiones venditoris, modumque pretii ex modo necessitatis definiet. Extremæ necessitatis exempla, quæ nostra vidit ætas, non attingam: in quibus non inhumanum minus fuit accipere quædam., quàm miserum offerre. Sunt interim multi necessitatis gradus, qui ad pariendam naturaliter querelam iniquæ æstimationis non valent.

De *indigentia* nescio an idem voluerint dicere, idem certe non dixerunt, qui fundamentum pretii maxime naturale posuerunt, *utilitatem rei & necessitatem*, sive aptitudinem ad exhibendum usum aliquem in vita communi. Utilitas enim sive usus rei necessarius citra illam adjunctionem, de qua dixi, non est indigentia Aristotelica. Unde etiam si ista sumas, ut afferuntur, nihil minus verum est. Quicquid enim est, quo vita carere non potest, frumenta, vina, vellera, vestes, juvenci, sal, ferrum, non majore veneunt pretio, ob usum quem habent maximum atque necessarium, sed viliore pretio, quàm eorum pleraque, quæ minorem usum præstant, comparantur. Imo ad singularia Divinæ Providentiæ humanis necessitatibus prospicientis munera hoc referendum est, quod pretio non magno, res omnium utilissimæ & maxime necessariæ parantur. *Augustinus* quidem posuit illum *pro suo cujusque usu æstimationis modum*: Sed ad mensuram pretii reperiendam parum dixit, quando inutilia cum utilibus comparavit, mures cum pane, pulices cum nummis; & quæstionem mutavit, in conferendis equi & servi, gemmæ & famulæ pretiis, quæ non utilitatis ratione, quam ostendere decreverat, sed ex alia caussa discrepant. Nihil enim hic quæritur simpliciter, sed comparate. Non est tamen nulla utilitatis æstimatio in faciendo pretio. Pone duas domos in agro paribus exædificatas sumtibus, & cetera vix inæquales, nisi quod una adversus impetum & incursiones munita, altera contra vim parum tuta sit. Non dubitem, quin utilitas munitæ majus pretium mereri videatur apud emptorem non imperitum. Ita redituum modus, id est, utilitas bonorum, ædificiorum, prædiorum, notam pretii constituit, sive metitur pretium: ut quo majores sunt reditus, eo pluris esse credatur, quod æstimationi subjicitur. quod & Imperatores in subhastatione decreverunt. Nam etsi ea quæ plus sumtuum quàm fructuum habent, aliter æstimationem subeant, nemo tamen negaverit, redituum modum in pretio prædiorum metiendo rationem maxime naturalem suppeditare, reliqua plerumque opinio-

de C. D. 11. 16.

l. si quot 16. C. de rescind. vend.

nionibus regi. Sed frequentius accidit, ut nequeamus dicere: hæc res utilior est, ergo etiam majore pretio venditur. Quare *Seneca*, objicienti, *Quædam pluris sunt quàm veneunt*, respondet: *etiamsi pluris ista sunt, non tamen ullum istic tuum munus est, ut non ex usu effectuve, sed ex consuetudine & annona æstimetur.* *de benefic. 6. 15.*

Monet hic ipse locus *Senecæ*, ut de *natura* quoque *rei* cujusque aliquid dicamus. Nam & hæc videatur merito & jure, definiendo pretio adhiberi. *Plinius* certe auro pretium ex naturali nobilitate petit, *quia rerum uni nil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisque durante materia, quinimo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem*; deinde *quàm minimum usu deteritur, cum argento, ære, plumbo lineæ producantur, manusque sordescant decidua materia*: tertio, *nec aliud laxius dilatatur aut numerosius dividitur, utpote cujus unciæ in septingenas & quinquagenas pluresque bracteas, quaternum utrobique digitorum spargantur*: quarto, *non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem minuatve pondus*: quinta pretii majoris caussa est, *contra salis & aceti succos, domitores rerum, constantia*: sexto: *netur & texitur lana modo, & sine lana.* Quæ omnia sunt ex naturali bonitate petita pretia. quæ quo est perfectior, eo etiam pretiosius censetur aurum, sicut ex probatione ad obrussam, & ex auro fiscali in massis obryzæ inferendo apparet, neque aliud magis spectasse videntur, qui proportionem auri ad argentum primo quæsiverunt. *In ære* quoque *naturalis nobilitas* ab ea distinguitur, *quæ artificio constat.* Et in metallis plura hujus generis occurrunt. In universum tamen æstimantibus vere dixisse videbitur *Seneca*: *res plerumque venire non suo, sed emtoris pretio.* *Hist. nat. lib. 33. c. 3.* *Gronov. de Sestert. lib. 4. c. 14.* *Plin. 34. 3.* *6. de benef.*

Et quamquam *Feldenus*, *indigentiam* unicam esse mensuram pretii in commutandis rebus statuat, neque incommode explicet, quando definit indigentiam, quod sit necessitas quædam obtinendi medii, quod abest, ad consequendum finem; ad quem alii recte judicantes de bono, alii speciem boni pro re amplectentes contendunt: vix tamen à communi & magis usitata loquendi consuetudine recedendum putaverim, quo minus Grotium audiamus, qui non uni- *de I. B. 2. 12. 14.*

unicam hanc mensuram statuit, sed plura, quæ ab æstimantibus rei pretium spectantur, enumerat.

l. 62. & 63. ad l. Falcid. l. 33. ad l. Aquil. l. 8. § 3. de act. emt. l. 8. C. de resc. Vend.

Præcipuum in iis haud dubie est *communis opinio & consuetudo*, de rei pretio. Quam & jura civilia in dubio sequi jubent: prout temporibus & locis variat. Quoniam enim communi quasi judicio multitudinis ista probantur, nemo justam conquerendi caussam habet in eo, quod omnibus aut plerisque videtur saltem ad tempus & cum aliqua latitudine placuisse. *Plinius* multarum rerum usitata & certa pretia passim consignavit, memorabili tamen cautione adjecta *fine libri* XXXIII: *Pretia rerum, quæ usquam posuimus, non ignoramus alia in aliis locis esse, & omnibus pene annis mutari, prout navigationes constiterint, aut ut quisque mercatus sit, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet, non oblitis, Demetrium à tota seplasia Neronis Principatu accusatum apud consules; poni tamen necessarium fuit, quæ plerumque erant Romæ, ut exprimeretur autoritas rerum.* Est autem tanta in ipsa consuetudine definiendi pretia varietas, ut *prodigio simile* in malobathro, & oleo inde expresso referat idem *Plinius à singulis ad trecentas libras, oleum in 60. libras pervenisse.*

Lib. 12. cap. 26.

Variandi autem pretii, sive varie æstimandi plures solent esse caussæ, nunc justæ prorsum & necessariæ, nunc probabiles: est &, ubi iniquæ, parum probabiles, fictæ. Justissima caussa est ex *negotiationis ratione, pluribus paucioribusve impendiis constantis.* Qui enim in re importanda plus damni fecit aut sumtuum, haud immerito carius vendere poterit, quàm ubi minore impensa rem geri contigerit. Potest imo evenire, ut præmiis ultro invitandi sint, qui istas difficultates superare velint. Hinc Claudius, Princeps parum sane sapiens, sed alieno, & temporis præsertim ingenio eruditus, *negotiationibus certa lucra proposuit suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset; & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituit.* Sumtibus proxima sunt *pericula, discrimina, labores,* augendo pretio. Quæ æstimatio vix unquam equidem in civili commercio ad liquidum deducitur. *Quod tu pretium ponis,* inquit *Seneca, trajicienti maria, & per medios fluctus, cum è terra conspectu recessit, certam secanti viam*

Sueton. Claud. 18.

de benefic. 6, 16.

viam, & prospicienti futuras tempestates, & securis omnibus jubenti subito vela stringi, armamenta demitti, parato ad incursum procellæ, & repentinum impetum stare? huic tamen tantæ rei præmium vectura (naul m) *persolvit.* Adde plura hujus generis, quæ sequuntur. Habent ista in tantum rationem, in quantum usum: si sint res, quibus carere vita hominum commode nequit. Sed quis huc comparet luxuriosorum judicia? quando *ex tota rerum natura damnosissimum mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus; quibus pretia capientium periculo fiunt.* Sed *parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur: adeo per totum corpus, anima hominis quæsita maxime placent.* Luxuriosi, ut cœpi dicere, primam labem contraxerunt, tanti eas res taxando, quibus abstineri poterat. nec mirum est, pauperes & diurno victu intentos accepisse conditionem primo necessitatis depellendæ; subinde quæstu invalescente, & ipsos, quo majore periculo viderentur parare magno vendenda, fabulis confictis & *commentis auxisse rerum pretia.*

Plin. hist. nat. 9, 34.
Id. 9, 35.
Plin. hist. nat. 12, 19.

In *frumento æstimato*, proponit exemplum Cicero *Verrina tertia*, quatenus ex difficultate vecturæ pretium intendi frumento possit & debeat. *Licebat magistratibus* in provinciis ex S. C. & legibus *in usus suos* (in cellam) *frumentum accipere si vellent, aut pro frumento pretium: quæ æstimatio dicebatur: in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando.* Quæ *Asconii Pediani* verba sunt. Utebantur tamen prætextu quodam & artificio, ne exitu & ratione defensionis avaritia careret. *Instituerunt*, ut habet Cicero, *semper ad ultima ac difficilima loca ad portandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate, ad quam vellent æstimationem pervenirent.* Ita si cui frumentum Philomelio Ephesum fuisset portandum, *Video, quid inter annonam interesse soleat: video quot dierum via sit: video Philomeliensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum tantum dare potius in Phrygia, quàm Ephesum portare, aut ad emendum frumentum Ephesum pecunias & legatos mittere.* Hinc etiam pretium unius rei in diversis provinciæ locis intenditur & remittitur, prout facilius, aut ægrius colitur ager, facilius aut difficilius adferuntur res venales, instruitur

cap. 81. &c.
c. 82.
c. 83.

forum. Quæ res ipsa ad quæstum æstimationis opportuna fuit magistratibus, ibi frumentum accipere æstimatum volentibus, ubi erat carissimum. Vatere ista ratio poterat *in Hispania, in iis provinciis, in quibus unum pretium frumento esse non solet.* At in Sicilia, pari ad comparandum & portandum laboris & operis facultate; nulla hujus æstimationis ratio iniri, nullus coauctionis modus excogitari poterat.

Plurimum potest etiam in augendo minuendoque pretio, sive in metiendo pretio, *copia & inopia rerum.* Quod exemplo frugum & annonæ ostendit *Plinius.* Et *Cicero, copiam frumenti, & annonæ vilitatem*, ut eodem pertinentia velut ἐπεξηγητικῶς conjungit. Hinc consilia eorum, qui rempublicam administrant, ut magna copia inferantur, aut venum exponantur, forum denique omni abundantia rerum ad vitam utilium exuberet. Quibus plurimum adversantur cupiditates privatorum in monopolia intentæ, quæ efficiunt, ut pretia haud raro intendantur, etiamsi nulla rerum inopia subsit: quando scilicet

omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearii.

Quorum improbitatem leges propterea coërcere debent.

Lib. 18. cap. 3. orat prodom. c. 7.

Pecuniæ quoque *copia aut penuria* plurimum valet in commutandis rerum pretiis. Ubi enim pecuniæ multum est, ibi pleraque carius venire videmus. In penuria pecuniæ, pretia rerum necessitas imminuit. Quamquam, si cum Michaële Ephesio velimus loqui, aut æstimationem aliter facere, abundantia pecuniæ vilius ejus pretium facit, penuria carius. neque minus videtur dare, qui in penuria pecuniæ, dimidium pendit, quàm qui in copia ejusdem, totum. Id quod accipiendum est de copia & penuria pecuniæ in universum in aliqua civitate, non de singulorum hominum copia aut inopia. Scilicet, quamquam pecunia, non tam facile ut res aliæ, quæ æstimantur, mutationem subeat, ideoque ut instrumentum commutationis placuerit: fit tamen interdum, ut pro copia aut raritate aliter atque aliter æstimetur. Ad *Grotii* locum, ubi hoc notatur, *Graswinckelius* non vane monet, magnam pecuniæ factam commutationem, ex quo superiore sæculo rex Hispaniarum

I. B. 2. 12. 17.

ex

ex Americanis insulis tantum auri argentique invexerit; adeo, ut abundante per Europam Asiamque pecunia, pondus ejus non simplici portione auctum sit. *Crescente,* inquit amplius, *pecunia in quantitate, decrevit in pretio. Hinc est, quod pretia rerum aucta sunt, & per totam Europam quater tanti ematur, quanti prius:* quadruplo creverint pretia. *Itaque illud indubium est, pretium pecuniæ imminui, si ex fodinis plus auri & argenti hauriatur.* Nisi quod lege publica pretium pecuniæ à mutatione crebra vindicari potest & solet. Illud interim manet; quod in publica copia pecuniæ homines carius fere emunt, in penuria, minuunt rebus pretium: ibi non sentientes, propter copiam; hic ægre se expedientes ob penuriam.

Multum etiam potest ad augendum pretium, *raritas rei,* quam ab inopia seu paucitate & indigentia distinguimus: ut rarum sit, quod vel nemo alius, vel pauci habent, quomodo argumentum præstantiæ *Aristoteles* inde petit *Rhetoricorum primo,* & *Interpres anonymus* exemplo τοῦ λίθου τοῦ πολυτιμήτου gemmæ singulariter pretiosæ ostendit. Sic Cleopatra *gerebat auribus cum maxime singulare illud, & vere naturæ unicum opus,* duos uniones, quorum alterum aceto dissolvit, alter dissectus Veneri in Pantheo dicatus est, teste *Plinio.* *hist. nat. lib. 9. c. 35.* Inæstimabilis illi quidem pretii censebantur ob raritatem. Et adhuc hodie margaritarii, in unionibus magnæ taxationis, sciunt, quantum valeat, quod rarissime reperitur. Requiri possunt quædam hujus generis, ab *Anselmo Boot, in libr. de gemmis & lapidibus.* Principum φιλοκάλων istud studium, *Sueton. Aug. 72.* inter visenda monstrare res *raritate notabiles.* Quanti taxaretur ab illis numus Othonis æreus (nam aurei reperiuntur) si posset undecunque erui? id quod desperarunt pridem peritiores, illosque, qui circumferuntur, pro genuinis non habendos sciverunt. *V. Chifflet. de Othonibus æreis.* Apud *Plinium* legimus, corrupta moneta, artem denarii probandi inductam effecisse, *lib. 33. c. 9.* ut ad raritatem redacto illo genere, *falsi denarii spectaretur exemplar, pluribusque veris denariis, adulterinus emeretur.*

Raritati propinqua est, & aliquando congruit *Ars. Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur: & tamen ars*

pretio-

lib. 34. c. 2. lib. 33. c. 1. lib. 33. c. 11. Eclog. 3. V. lib. 33. c. 12. & lib 34. c. 7. & 8. & de pictoribus plastisq; lib. 35. c. 8. usq; ad 13. de aliis 36, 5. & 37, 1. 35, 10.

pretiosior erat. inquit *Plinius.* Et: *Alibi ars, alibi materia est in pretio.* ut validius scilicet materia esset *manupretium.* Apud *Poëtam, divini opus Alcimedontis* celebratur: & *Plinius* nomina artificum sæpe ut argumentum pretii aut pretiosi operis memorat: interdum & indicaturas addit. Nota & hodie res illis, qui signa & tabulas pictas aliave opera emunt venduntque. In ipsa æstimatione artis facienda, primam & præcipuam rationem haberi par est *perfectionis atque absolutionis*, quæ ex profectu operum gradatim in majus evectorum intelligitur. Sicut Parrhasii exemplo ostendit *Plinius.* Atque hujus perfectionis ipsa indicia & lineamenta in pretio sunt, *quod in iis ipsæ cogitationes artificum spectantur,*

Id. 35, 11.

& *manus, cum id agerent extinctæ, desiderantur.* Accedit quod *tempore & cura* opus est, in artificiosis operibus elaborandis: & quod gnari artis ingentem inde voluptatem capiunt; denique quod fama & honor quidam in eos, qui opera insignia artificum amant ac possident, redundat.

Nam hæc *opinio de rebus eximiis decori & gloriæ futuris habenti*, aliquod etiam pretium facit augetve rebus. In

1. Rhetor.

quo genere enumerat *Aristoteles τὰ περιττὰ, quæ ad splendorem quendam pertinent*: id est; secundum *Interpretem Anonymum*, *κομψὰ καὶ ποικίλα ἔργα, opera singularis elegantiæ & varietatis: sicut opus aliquod ex auro argentove, magnitudine & pulcritudine præclarum; aut coloribus quidem pictum sed exactissima & insuperabili arte, qualia antiquorum quædam pictorum memorantur; aut domus magna & multo splendore adornata. τιμὴ γὰρ τὰ τοιαῦτα τῶν ἐχόντων. hæc enim, habentibus honori sunt.*

Cupiditas porro *rem habendi*, augere pretium sive efficere potest, ut carius ematur vendaturque. Quo fit, ut nimis inhiantes mercibus emtores, male fere emere cogantur. Annæum Senecam, magnum inter Philosophos no-

lib. 14. c. 4.

men, refert *Plinius, tanto prædii cujusdam amore captum, ut non puderet inviso alias & ostentaturo tradere palmam eam* (in melius scilicet evecti prædii) *emtis magno pretio vineis.* Huc referri debet, si non habens animum vendendi, emtoris cupiditati, cum conditione amplioris pretii obsequitur. Competitorum inprimis concertatio cupiditatem faciet mani-

manifestiorem, & pretii intendendi occasionem venditori subministrabit. Qua de re *Ciceronis* dictum celebratur, qui ajebat: *prudentis & cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, emturum sese negare, propter competitores emtionis.* Consuetudo licitandi adversus alterum, ad fraudes etiam deducta est, de quibus *Ciceronis* illud *in Officiis*: *Non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emptor opponet.* Cujus generis multa hodie in auctionibus accidere solent. Ex diverso, si quis urgetur vendere sua, decedet cupiditas emptori: adeo, ut gratificari videatur, si bene emit. Optare equidem fas est in hoc genere emtores Scævolas, ex *Cicerone*: *Q. enim Scævola P. filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emtor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare: addidit centum millia.* Sed ut id fiat, cum aliquis debito, aut sumtibus necessariis urgentibus sua distrahit, ex moribus sæculi nulla spes est.

Gellius lib.12.

adde Cic. Verr. 3, 42.

3. offic. 15.

Temporis non simplex habetur ratio in æstimandis rebus: non tantum, prout variant pretia, sicut ante dictum est; unde in æstimando pretio justo, tempus contractus attendi solet: sed etiam, prout tempore res fit melior aut deterior. Quod fieri potest vel nulla accedente ope humana, sicut vina quædam meliora fiunt ætate, quædam non diu placere possunt, quæ ob id *minoris famæ*, *Plinius* refert: vel industria hominum proficiente pretio. Sicut *eodem auctore* discimus, opera & cultura Acilii Sthenelii vineas notæ utilitatis, *intra octavum annum ad vix credibile miraculum perductas, ut* CCCC *nummum adderentur pendente vindemia.* Inprimis autem in repræsentata aut dilata solutione, tempus eo valet, ut minus solvisse videatur, qui tardius; plus qui citius solvit pretium. Certe melius plerumque emit, qui præsente pecunia, quàm qui in diem emit. Quare & in addictione in diem, *solutio maturior*, non minus conditionis melioris æstimationem subit, quàm si pretio sit aliquid additum: & si dies longior solvendi pretii data fuerit, quæri solet, quantum ex usura ejus temporis capi potuerit, nec iniquæ existimantur usuræ pretii. Quæ omnia naturali æquitati con-

l. 3. §. 3. de act. emt. l. 8. C. de resc. vend.

lib. 14. c. 7.

14. 4.

l. 8. §. 6. de in di. addict.

l. 15. §. 1. eod. l. 13. §. 20. de act. emt.

lib. 5. tit. 4. l. 5. consentanea, etiam juris civilis conditoribus placuerunt. *Lex Wisigothorum : si emtor ad placitum tempus non exhibuerit pretii reliquam portionem, pro pretii parte quam debet, solvat usuras : nisi hoc forte convenerit, ut res emta venditori debeat reformari.*

Casus fortuiti augere pretia non raro solent. Erant merces in cursu : venit tempestas, castigavit classem naufragio : aut in terra intercepit miles prædator, augentur rerum pretia, subita commutatione commerciorum. *lib. 12, c. 19.* Cinnami *dimidia parte auctum pretium* memorat *Plinius, incensis silvis*, forte an ira aliorum, incertum. Aromatum pretia etiam hodie per easdem fortunæ vices, diminuentis augentisve, jactantur. *l. 18, c. 2. Ind. Occid.* Vide quæ *Joh. de Laet* de exhausta unionum captura in insulis Cubagna & Coche narrat. Quæ vel tempori vel copiæ inopiæve deputantur.

Concurrunt ex iis, quæ diximus, interdum aliqua, ut indigentia ementis & mercis rara copia. *M. Seneca* ponit *Controv. IV. 26.* exemplum : *Non possum domum habere nisi hanc emero. hanc occasionem videt venditor & premit.* neque sine ratione speciosa, quæ subjicitur : *an aliter invenire non poteras? ergo tibi plus præstiti.* Nimirum *quanti quanti bene emitur quod necesse est*, *Epist. ad Attic. XII, 23.* ut ait *Cicero*. Hic scilicet modus pretii est in voluntate venditoris eximia quadam ratione : sicut in monopoliis quoque apparet. *lib. 12, c. 19.* *Jus Cinnami*, inquit *Plinius*, *à Gebanitarum rege solo proficiscitur. is edicto mercatu vendit.* Ad quem modum lignum *Brasilianum, quod maxima copia infertur Europæ, Regis Lusitaniæ* quondam *esse solebat, aut eorum qui à rege redimebant* : memorante *Jo. de Laet*. *Ind. Occid. lib. 15. c. 24.*

Plin. 33, in proœm. Sed *heu prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretia rerum?* Omnia scilicet, *ingeniosa contra se luxuriæ redegit ad pretium.* *Senec. quæst. nat. lib. 4. c. 13.* *adeo nil potest illi placere, nisi carum.* Comminiscitur semper aliquid, & præter rationem sollers est. *Plin. 13, 15.* *Mensam, latifundii taxatione* æstimat : pluris facit *unius arboris reditum annuum, quàm erat apud antiquos prædiorum.* *Id. 17, 1.* Quid rationem *Id. 9, 40.* dico? *juvat ludere impendio, & lusus geminare* varie. Nondum satis dicit, qui illudere rebus pretiisque luxuriam dicit. *Senec. consol. ad Helv. c. 9.* ad monstra proficit & prodigia. *C. Cæsar, ut centies sester-*

sestertio cœnaret uno die, omnium adjutus est ingenio. Neque ingeniosis illis luxuriæ magistris *pretiosos* faciebat *cibos eximius sapor & aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi.* En *exquisita ingenia cœnarum*! quæ tibi *Latinus Pacatus* amplius describet. Quid enim per historias luxuriæ non Principalis modo, sed privatorum in victu, in veste, in omni cultu, incedendo, chartæ illudemus? Legibus adversus luxuriam, non jurgio contendendum est. *Ibid.* *Plin. panegyr. 49. panegyr. Theodos. c. 14.*

Enumeravimus hactenus, quæ & quomodo æstimandis rebus adhiberi non sine ratione possunt solentve. Sed quàm pronum sit, mensuram pretii cavillari, eadem opera declaratum est. Cum præsertim *in tali libertate judicandi plurimum distet ratio considerantis à necessitate indigentis, seu voluptate cupientis; cum ista quid per seipsum in rerum gradibus pendat, necessitas autem quid propter quid expetat cogitet; & ista quid verum luci mentis appareat, voluptas vero quid jucundum corporis sensibus blandiatur, exquirat.* Quomodo autem ad æqualitatis rationes revocanda sint omnia & exigenda, mox constabit, cum de discrimine æqui iniquique pretii, & bonæ fidei in pretio metiendo præsidiis plura adferentur. *Augustin. de C. D. XI, 16.*

Locum autem de vero justo æquoque, & iniquo pretio non parum impeditum facit libertas illa contrahentium, quæ & naturaliter videtur iis competere, in quantum reipublicæ ratio patitur, ut supra dictum est, & lege plerumque tribuitur. *Quid interest*, inquit *Seneca*, *quanti sint, cum de pretio inter ementem & vendentem convenerit? Deinde non veniit illud suo pretio, sed tuo. Pluris est, inquis, quàm veniit. Sed pluris venire non potuit: pretium autem cujusque rei pro tempore est. Cum bene ista laudaveris, tanti sunt, quanto pluris venire non possunt. præterea nihil venditori debet qui bene emit.* Interea utriusque & venditoris & emtoris votum est unum, lucrari: quod iterum *Seneca* ostendit. Et Imperatores emtionis atque venditionis hanc esse conditionem dicunt, ut *emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore* *l. 71. D. de contrah. emt. de benefic. VI. 15.* *de benef. VI. 38.* *l. 8 C. de resc. vend.*

autem huic quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium. In voto lucrandi facile potest inesse vitium. Verum est enim illud *P. Syri*:

Lucrum sine damno alterius fieri non potest.

cap. 27. v. 2. Qua de re grave extat judicium *Syracidæ*: Ἀνὰ μέσον ἁρμῶν λιθίνων παγήσεται πάσσαλος, ϗ ἀνὰ μέσον πράσεως ϗ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία. Justum ergo verumque pretium rei est, quod pro tempore locoque vulgo usitatum & cum ratione receptum habetur, aut ex rei æstimandæ conditione vel eventu peculiari, viri boni ac prudentis judicio e. g. Principis aut magistratus aut arbitri, definitur, ita ut neutra pars plus minusve habere, quoad ejus fieri potest, videatur. Iniquum vero pretium dixeris, quod majore minoreve mensura, quàm conditio rei, loci, temporis postulat, taxatur, & eo tendit, ut alter plus æquo alter minus habeat. In qua re dijudicanda aliter Philosophi, aliter Jureconsulti incedunt, qüod jam olim *Cicero* monuit: sive aliter naturalis æquitas, aliter leges hujus aut illius civitatis decernunt. Naturalis æquitas, quæ conscientiam Deo per se obligare idonea est, venditorem & emtorem sive partes contrahentes una lege tenet, ne alter plus, quàm justi pretii ratio poscit, accipere, alter minus dare velit: &, si in alterutram partem manifesto peccatum est, læso promiscue, id est, emtori non minus quàm venditori succurrit. Quod munus summæ potestati, etiamsi aliter lex civilis statuisset, semper integrum ac illibatum servatur. Legum civilium conditoribus maxima rei difficultas facile persuasit, ut ad evitandam litium multitudinem, ne *calumnia in infinitum excederet*, ut *Seneca* loquitur, cum præsentim animorum secreta in contrahentibus perspici nequeant, salva interim, ut semper, summi judicis ope extraordinaria, non quamvis inæqualitatem, sed enormem læsionem, *si nec dimidia pars veri pretii soluta esset*, corrigerent. Quod non minus ad emtorem sublevandum, quàm ad venditorem, pertinere (quamvis in contrarium disserat *Cujacius*) humanius est credere. Certe apud *M. Senecam* loco supra laudato emtor petit sublevari non venditor. Sed hæc ex sequentibus clariora fient.

l. 2. C. de resc. vend. Observ. XVI, 18. & XXIII, 32. Perez. ad h. d. §. 7.

XXXI.

XXXI.

QUomodo pretii æquitas, & iniquitas intelligi debeat ac investigari, rationem & viam indicavimus. Nunc quomodo iniquitas obscura deprehendi, ac deprehensa corrigi possit debeatve, ostendendum est, si prius de emtionibus venditionibus fisci sive ærarii, id est summæ potestatis civilis, aliquid annotaverimus: subjecturi deinde nonnihil de pretio extra emtionem venditionem in aliis contractibus spectato; deque ipsa pecunia.

Emtio, & venditio, nomine civitatis facta, multum favoris habet, ob necessitatem erogationum publicarum, & subsidiorum reipublicæ parandorum, quibus nulla quæstuum ratio, nisi aperta vi aut fraude, aut dedecore constet, deneganda videtur. L. Metellus ex administratione Siciliensi Romam scribit apud Ciceronem in III. *cap. 55.* Verrina: *summa vi data est opera à me, ut quamplurimo decumas venderem.* Ostenditque amplius Cicero, *vendidisse alios* *cap. 63.* *magno decumas agri Leontini, ceterorumque agrorum*; Verremque coarguit, vane gloriantem, *magno se decumas vendidisse, plebi Romanæ consuluisse, annonæ prospexisse*, cum tamen *pluris* *cap. 64.* *aliquanto potuisset vendere, si voluisset his addicere, qui contra Apronium* prædarum socium *licerentur*, & *licentia decumanorum decimas aratoribus nullas reliquas fecerit.* Sed Metelli quidem venditio lege Hieronica facta erat, in qua, ut apparet, gradus constituti erant intendendi pretii: intra modum tamen, cui ratio æquitatis non videretur adversari. De cetero non est infrequens, ut publico civitatis nomine, veluti monopolio quodam, res aliqua vendatur, ad eamque emendam cives teneantur, majore pretio, quàm ab aliis aliunde emi posset. Habet & hoc rationes graves & publicas. A quibus plurimum discrepant auctiones tyrannicæ Caligulæ apud Suetonium. Nec Vespasianus *Sueton. Calig. 38. & 39.* citra avaritiæ infamiam *negotiationes vel privato pudendas propalam exercuit, coëmendo quædam, tantum ut pluris postea distraheret?* *Id. Vesp. 16.*

beret? nec candidatis honores, reisve tam innoxiis quam nocentibus absolutiones venditare cunctatus est.

Jam quando summa potestas per magistratus aut curatores alios vendit bona privatorum, quæ ob pensitationes publicas semper fisco tacite censentur obligata, laudanda maxime est Gordiani, & aliorum Imperatorum æquitas, qui rebus debitoris minus justo aut nimis exiguo pretio, interveniente emtoris fraude aut gratia, venditis, rescindi hujusmodi venditionem, & domino res suas vindicanti restitui jusserunt, ubi fisco satisfecerit. Sed quæ legum diligentia fraudibus in hoc negotio versantibus, satis obviam iverit? Contendendum est tamen ad id, quod æquissimum est, quantum fieri potest. Etiam, ubi ob mulctam solvendam, & titulo pœnali res privatorum

orat. 17. distrahuntur. Videndus est *Lysias* in Epilogo actionis de publicatione bonorum Niciæ fratris, ubi etiam illa querela τὰ πολλῦ ἄξια ὄντα ὀλίγου πιπράσκεσθαι *ea quæ magni pretii erant, parvo vendi.*

Et in corrigenda quidem inæqualitate contractus, judicia & consuetudines fori, dolum tantum attendunt.

part. 16. cap. 244. Sicut ex ante dictis intelligi potest. In *Decreto Ivonis* legas: *Cum inter ementem atque vendentem fuerit res definito pretio comparata, quamvis plus valeat, quàm ad præsens venditur, hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit ille qui comparasse probatur: & si voluerit revocare qui vendidit, nullatenus permittatur.* Nec tamen eo minus, non tantum apud Theologos, qui conscientiam erudiunt, sed etiam apud Philosophos, qui officiorum regulam explanant, quæri potest & solet: an qui judicio non teneretur resarcire in-

l. B. 2. 10. 5. æqualitatem, ex officio viri boni teneatur? Ita *Grotius: ex contractu sine dolo initio, cui inest inæqualitas, jure gentium nascitur facultas quædam cogendi eum qui contraxit, ad implenda pacta: nec eo tamen minus, qui plus æquo stipulatus est, rem ad æqualitatem reducere, ex probi & pii hominis officio tenetur.* In contractu eorum, qui suo sumtu militant, aut naves instruunt, cum sua civitate, quibus vice mercedis concedi solet, ut capta sua faciant, aliud exemplum ponit: *Justum,*

Justum, inquit, *justitia interna id erit, si contractui æqualitas insit, hoc est, si sumtus aut pericula tanti sint, quanti præda alea. nam si hæc spes multo pluris valeat, reddendum erit civitati quod superêrit, perinde ac si quis nimium vili pretio jactum incertum quidem, sed tamen facilem & magnæ spei emisset.* Puto, quamdiu de spe sermo est, non posse ad liquidum perduci quæstionem. Spes enim illa, si conferatur cum incertissimis periculis, non habet unde ad æqualitatem æstimando reducatur. Præterea æqualitas conditionis inter contrahentes aliter videtur & sic ratiocinanda: Sicut qui sumtu suo militat aut naves instruit, spe prædæ & rerum capiendarum, loco mercedis obtinendarum, in periculo versatur carendi omni mercede, perdendique sumtus & labores, contentusque esse vi contractus cogitur, etiam si prorsus nil ceperit: ita civitas, etiamsi ille longe plus ceperit, quàm sumtuum laborumque impendit, caussam non habet exigendi partem lucri, cum præsertim elegerit, ejusmodi spe allicere homines, ad sumtuosam operam; cujus etiam ipsius æstimatio sæpe ad summam belli, solet magni esse. In quo genere contractus certe potior videtur esse conditio civitatis. Et si immodice ac supra omnem spem ditentur ex tali contractu homines, civitas alio titulo inde lucrari potest, vel augendo tributa, vel in necessitate publica per rationes eminentis dominii in se trahendo usum abundantis opulentiæ. L. B. 3. 18. 2.

Sicut autem, quæ manifesto contra bonam fidem fiunt circa pretium in contrahendo, nemo defendat: ita hoc ipsum, an contra bonam fidem facta sint quædam, de quibus quæritur, dubitationem habet. *Video*, inquit *Cicero*, *propter depravationem consuetudinis, neque more turpe* aliquid *haberi, neque aut lege sanciri aut jure civili: tamen natura lege sancitum est.* Qua scilicet naturæ lege, ut ante ostenderat, *tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium.* Hanc secuti sunt *Jurisconsulti*, *qui, cum ex XII. tabulis satis esset ea præstari vitia, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret*, ipsi *etiam reticentiæ pœnam constitue-* 3. offic. 17. c. 15. c. 16.

offic. 2. 10. *stituerunt.* Laudantibus *Ambrosio*, & *Lactantio.* Proponit
Inst. 5. idem Cicero elegantia quæstionum exempla. Quorum primum est de mercatore Alexandria frumentum vehente
3. offic. 12. Rhodum, ubi frumenti penuria sit, & sciente plures naves in cursu esse, magnam frumenti copiam eodem afferentes, & huic merci mox vilitatem facturas. ubi quærebatur inter Diogenem Babylonium & Antipatrum philosophos Stoicos, facturusne pro viro bono fuerit mercator, si de adventu navium aliarum reticens, suam mercem quàm plurimo vendere instituisset? Diogenes non imminuebat laudem viri boni hoc facto, tantumq; mercatori concedebat, quantum jure civili non esset interdictum: Antipater autem viri boni putabat, semper ad id contendere, quod natura æquius, melius, humanius dictat. In qua disputatione
3. offic. 13. Antipatri sententiam *Cicero* laudat. Alii hodie Diogenem ita defendunt, ut Antipatri sententiam accusare non au-
Grot. I. B. 2. 12. 9. deant: eo quod etiam naturæ lege non invalidus possit dici talis contractus; etiamsi ex aliarum virtutum regulis
Pufend. Elem. I. V. lib. 1. def. 12 §. 55. potuisset agi laudabilius. Comparant huc exemplum mercatoris mercem vendentis, cujus usum mox interdicendum novit. De quo, cum diversæ possint occurrere facti rationes, non semper eodem modo judicandum arbitror. Multo minus eadem facilitate absolverim eum, qui alicui solvit numos, quorum pretium mox minuendum novit, altero ignorante.

Eadem agitabatur contentio inter Diogenem & Antipatrum, quando ædium venditor vitium celaverit, quod pestilentes, serpentibus infestæ, male materiatæ, ruinosæ
Cic. 3. offic. 13. essent. Quod sine vitio facturum fuisse venditorem Dio-
c. 13. & 17. c. 16. genes disputat, contradicente Antipatro, quem *Cicero* probat: & res ipsa tuetur. De domo vendita aliud exemplum affertur: cum T. Cl. Centumalus ædes, quas in Cælio monte habebat, demoliri jussus ab auguribus augurium acturis, P. Calpurnio Lanario vendidit, qui cum mox eadem necessitate demoliendarum ædium obligaretur, M. Cato arbiter captus *quicquid* emtori venditorem *dare, facere ex fide bona oporteret*, ita pronuntiavit: *cum in venumdando rem eam scisset,*

&

& non pronuntiasset, emtori damnum præstari oportere. Quam sententiam *Valerius Maximus*, *summæ æquitatis* nomine laudans, *quia*, inquit, *bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet.* Athenis domus phantasmatum & spectrorum apparitione infamata, *proscribebatur tamen*, narrante *Plinio*, *seu quis emere, seu quis conducere, tanti mali ignarus vellet.* Proscribebatur, sed vili pretio, & quod vitium quasi ultro indicaret. Imo in re omnibus nota, vix est, ut decipi emtor conductorve potuerit. Itaque philosophus Athenodorus, cum Athenas venisset, *legit titulum, auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur, imo tanto magis conducit.* Sicut adhuc hodie reperiuntur homines, qui talia nec perpetua credunt, neque valde exhorrent. Igitur in illo Atheniensi facto vix est, ut fraus suspectari possit. Clarior etiam est caussa M. Marii Gratidiani, qui Sergio Oratæ ædes vendiderat, non quidem expressa in mancipio servitute ædium, sed emtori satis nota, quippe quas ab eodem paucis ante annis Gratidianus emerat. Re in judicium adducta, pro Orata Crassus *jus urgebat: quod vitii venditor non dixisset sciens, id præstari oportere. Antonius* Gratidiani patronus *æquitatem: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret.* Non est dubitandum, quin Antonii ratio ad mentem legis respiciens adversus cavillationem verborum valere debeat. Nec in alia fuisse sententia videtur *Theodoricus Rex* in *edicto cap.* 141. *Quicunque fugere solitum vendiderit ignoranti, si emtorem quoque fugerit, & pretium venditor reddat, & damna sarciat, quæ per eundem contigerint fugitivum. Ignoranti*, inquit. ergo *Scienti* non idem debebitur. Verum ne ignorari ista possint, formulis contractuum jam olim cavebatur. Apud *Marculfum* extat *venditio de servo aut ancilla: Constat me vobis vendidisse, & ita vendidi, servum juris mei, aut ancillam nomine illam, non furem, non fugitivum, neque cadivum* (i. e. improbum) *sed mente & omni corpore sanum.* Ex his si quid aliter se haberet, præstari emtori damnum, æquum erat.

8, 2, 1.

lib. 7. epist. 27.

Cic. 3. offic 16.

lib. 2. form. 22.

In hac disputatione, ut inter homines definiendi peritos

quæsitum est, quid esset *celare*. Ubi ex sententia Diogenis,
Cic. 3. offic. 12. *aliud est celare, aliud tacere: —— neque, quicquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est.* Certe, non semper necesse est, quando inter nos de illa re, quæ celatur, nihil agitur. Itaque non cum Antipatro statim ad naturalem hominum inter se societatem confugies, nisi ita explicetur: quod illa hominem homini obliget ad bonam fidem & æquitatem in omni commercio & contractu servandam. Tum enim profecto mihi dicere est necesse, quod tibi utile est audire, si tecum paciscor aut contraho, ne contractui inæqualitas insit, & ne ego plus, tu minus habeamus. quod cum natura justitiæ in contrahendarum rerum fide positæ pugnat. Be-
3. offic. 13. ne igitur *Cicero* partem quæstionis concedit, partem supplet ac definit: *Neque enim id est celare, quicquid reticeas; sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui caussa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, & cujus hominis, quis non videt? certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni.* Satis autem clara sunt verba Ciceronis, & ultro se explicant, neque opus forte habent cautione
I. B. 2, 12, 9. Grotiana, quasi ad restringendum laxiorem sensum necessario adjecta.

Si autem celasse crimen est, multo magis ementiendo merces extulisse, & sermonis vanitate amplificasse. Quod
3. offic. 14. ostendit *Cicero* exemplo Pythii, argentarii Syracusani, qui C. Canio equiti Romano hortos cum omni instructu, per vanitatem demonstratos, vendiderat, postea inanes & prorsum monstratis dissimiles tradiderat. Quanquam autem, ut ibidem declarat, Aquilii de dolo malo formulæ nondum erant prolatæ, quibus damnabatur *cum esset aliud simulatum, aliud actum*: ipsa tamen naturæ lex judicem mo-
3. offic. 15. nebat, ut posset decepto opem ferre, si imploraret. *Ita nec ut emat, nec ut vendat, quidquam simulabit aut dissimulabit vir bonus. —— Tollendum igitur est rebus contrahendis omne mendacium.* Quæ ne quis disputationis magis quàm veri-
in Leptin. tatis caussa dici existimet à Cicerone, non sinit nos *Demosthenes* ignorare, apud Athenienses in legem ivisse, *ut mendacio forum vacaret*, κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν νόμον γεγράφθαι.

Quod

Quod autem addit, *ἐφ' οἷς οὐδέν ἐςὶ δημοσίᾳ βλάβος, εἴ τις ψεύσεται, in quibus, si quis mentitus fuerit, nihil inde respublica detrimenti capiat:* non nisi ad comparationem majoris damni, ex more oratoris, referendum est. Ut enim fraus exulet foro, & privatorum contractibus, vel maxime reipublicæ interest. Quod Cicero sæpe testatur.

Hinc illa legislatorum aliorum quoque diligentia, circa res emendas vendendasque, cujus specimina ex *Theophrasto*, *Stobæus* commemorat. Quidam enim venditiones, non nisi adhibito præcone celebrari volebant, facta pluribus ante diebus denuntiatione. Alii apud magistratus, aut imperantes fieri decreverunt: sicut Pittacus, apud Reges, & Prytanem. Alii apud magistratum quendam proscribebant venditionem sexaginta minimum diebus, ante quàm fieret & ab emtore centesimam exigebant: ut & justi pretii hinc cognosci modus posset, & disceptandi ac contradicendi volentibus copia fieret. quod Attici instituti fertur. Alibi quinque dies interponuntur contractui confirmando, præcone per singulos dies denuntiante, si quis intercedere, aut vindicare domum remve aliam vendendam vellet. Quod in majoribus scilicet rebus locum habere intelligitur. Ut & in pignoribus, apud Cyzicenos. Sed recte notat Philosophus, illum proscribendi & pronuntiandi morem inde oriri, quod legibus non descripta sint bona, & possessiones. ut scilicet hæc sit lex, defectum legis alterius supplens. Nam ubi singula descripta sunt, statim ex tabulis publicis cognosci potest, quæ bona sint ἐλεύθερα καὶ ἀνέπαφα, libera, & à nemine attrectanda. Ita facile justa poterit venditio fieri, cum præsertim magistratus emtorem inscribat tabulis. Etiam loco illius προσαγγελίας, quæ in usu erat, sive potius in abusu, jurisjurandi religio instituta est: Si quis enim domum emeret, sacra facere ad Apollinis Epicomæi; aut si prædium, in vico quem incolit; & jurare conceptis verbis apud magistratum, adscriptis trium in vico virorum nominibus; lex eum jubebat: quod juste, sine ulla machinatione doli, sine arte & fraude emeret. Eodem pacto venditor omnem dolum ejurabat. Quod si

Serm. 14. p. 4. 458. &c.

V. Budæi comment. Gr. L. p. 488.

si quis extra urbem Athenarum habitaret, pauciore sacrificii apparatu ad Jovis Agoræi sive forensis ædem, jurisjurandi religionem implebat. Absque qua neque nomen contrahentium neque contractus in literas referebatur. Luculenta hæc sunt testimonia, quàm fuerint de bona fide in contractibus accurate exigenda soliciti antiqui Legislatores: quam & jurisjurandi sanctimonia muniendam statuerunt.

Vide Leg. Longobard. tit. 18.

Quæ & alibi in subsidium juniore ævo vocata est. In *Consulatu Maris*, ubi consuetudines maritimæ legum vigorem obtinentes complures memorantur, nobile exemplum ponitur. Si exercitor navis, quam cum sociis communem habet, eam vendiderit absque consensu, & inscientibus sociis, tum equidem, ubi major pars sociorum venditionem approbarit, non tenebitur, nisi unicuique pro rata portione pretii. Si autem, postquam id placuit, ipse implere neglexerit, & propterea qui ante convenerant, ad eorum partem transierint, qui dissenserant, non tenebitur tantum unicuique pro rata parte pretii ex vendita nave quæsiti, sed insuper ad omne id lucri exsolvendum, quod socii jurejurando interposito confirmare poterunt, nave illa vendita interea acquiri potuisse. Adduntur plura & severa, de vindicanda nave, non venditâ à quibus & sicut oportebat, quæ ibi legas licet.

cap. 253. pag. 125.

Apud *Stobæum loco laudato*, amplius additur, quàm studiose veteres caverint, ne quid bonæ fidei rationes in contrahendo interverterentur aut impedirentur. Ut nimirum tum demum recte facta videretur emtio & venditio. *εἰ μὴ παρὰ μεθύοντος, μηδ' ἐξ ὀργῆς, μηδὲ φιλονεικίας, μηδὲ παρανομοῦντος, ἀλλὰ φρονοῦντος, τὸ ὅλον δικαίως. si contrahentium neuter vel ex ebrietate, vel per iram, vel pertinacia contentionis, in fraudem legis, sed uterque consulto consilio, denique juste contraxerit.* Adduntur, quæ diversas apud gentes de translatione dominii, de arrhæ modo & jure, de traditione, non uno modo, ad excludendas fraudes constituta sunt.

Monet hic locus, ut de *interpretio* aliquid annotemus. *Glossæ Philoxeni, interpretium* interpretantur *παράλληλον*. supplet

Henricus

Henricus Valesius, *τίμημα*, *quod interpretium dici non possit, nisi habita ratione ad alterum pretium.* Vere. Sed propius ad rem facit explicatio *Hesychii*, apud quem τὸ παράλληλον, inter alia significat, τὸ μεταξὺ ὄν. *quod interjectum est.* ita enim indubie legendum videtur: ἀκόλουθον, ὅμοιον, τὸ μεταξὺ ὄν. ubi vulgo, cum præcedente ὅμοιον copulare volentes legunt τῷ μεταξὺ ὄν. Interpretium notat illam differentiam, quæ est inter prius pretium & posterius, sive inter pretium, & incrementa pretii. *Valesius* definit, *pretium inter emtum ac venditum*; & à *Cujacio* nimis obscure *pretium pretii* vocari ait. quod in *Observatione* quam nominat, non invenio. De cetero recte notant ad Ammianum, *Lindenbrogius* & *Valesius*, interpretium & de lucro & de damno dici: ut, quanto pluris aut minoris vendideris rem quàm emeras, id quod priori pretio accessit aut decessit, *interpretium* sit. Nobile exemplum est in *Ammiano Marcellino*, ubi Hymetius pro consule Africam regens Carthaginensibus inopia laborantibus ex horreis Romano populo destinatis frumenti denos modios singulis Solidis vendidit. Proxima messe, in ubere frumentorum proventu, illa pecunia emit frumenta, sed Solidis singulis tricenos modios. de quibus, cum horreis populi Romani quantum inde acceperat, fideliter restituisset, *interpretii compendium ad Principis ærarium misit*, sive ad arcam Præfecturæ Prætorianæ. Hic *interpretium* erat, xx. modii in solidum. Atque hoc quidem clarum apertumque est.

ad Ammian. Marcellin. lib. 28. c. 5.

lib. 16. obs. 4.

lib. 28. c. 5.

Apud *Cassiodorum* Rex Theodoricus præcipit: *ut* (ob) *frumenta, quæ per negotiatores publico comparantur, non iterum ab eisdem interpretii nomine Solidorum quantitas exigatur.* Res ita se habebat. Negotiatoribus vulgo dabatur negotium coëmendi frumenti Reipublicæ necessarii: cujus si parte hic aut illic non indigeret respublica, compellebantur negotiatores ab his, qui eam rem curabant, ut frumentum Reipublicæ emtum, sibi haberent, & pretio, quo emerant, adderent certam solidorum quantitatem, interpretii nomine, id est, cogebantur emere à republica carius, quod reipublicæ emerant vilius. *Iniquum* autem existimat Theodoricus

lib. 2. Var. ep. 26.

ricus *ut ille patiatur dispendium, qui imperium fecit alienum.* Constituit ergo, ut, si coëmto frumento non indigeat Respublica, vendatur ab officio Præfecturæ Prætorianæ, eventuque, quem sors datura est, ratio fiscalis contenta sit: *ne genus hominum quod vivit lucris, ad necem possit pervenire dispendiis.* Hoc quoque obscuritatem nullam habet.

At non æque expediveris in *Lege Saxonum cap. 2. de occisionibus l. 1. Qui nobilem occiderit,* ICCCCXL *Sol. componat. Ruoda quod dicitur apud Saxones* CXX *Sol. & interpremium* CXX *Sol.* Interpretium hic legenti *Lindenbrogio*, nemo discrepabit, opinor. In ceteris dicam quid mihi videatur, libenter cessurus meliora docentibus. Illud *Ruoda*, quod de cruce explicant glossæ, huic loco non convenire, arbitror: substituerim *Freda*, sive *Vreda*. Delicta apud Germanicas nationes certa pecuniæ summa æstimabantur: cujus pars ut in homicidio, propinquis occisi, pars fisco solvebatur. Antiquissimum morem *Tacitus* memorat: *pars multa regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ejus exsolvitur.* Sequiore ævo *compositio*, quæ propinquis præstabatur luendi homicidii aut alterius criminis caussa, *Weregildus, Weregeld, Wargilda* dicebatur. Quod fisco ex tali caussa cedebat, *Fredum* vocabatur. Legis ergo sensum hunc existimo: *Qui nobilem occiderit,* IↃCCCXL *sol. componat:* tot solidos scilicet (de numero enim disquirendum est) tanquam Wirgildum solvat, occisi propinquis: *Freda quod dicitur apud Saxones* CXX *Sol.* Freda autem quæ nominantur apud Saxones, fisco scilicet inferenda mulcta, CXX solidis dependatur: *& interpretium* CXX *sol.* Quid *interpretium* hic? capio augmentum mulctæ ex mora, sive accessionem & geminationem fredi ob dilatam solutionem sive tergiversationem damnati. Ne somniare videar, commodum ad meas manus venit missu Illustrissimi cujusdam viri Scheda sive *Capitulare Caroli M. ex antiquissimo MSC. bibliotheca Vaticana* non ita pridem à doctissimo *Holstenio* editum, factum in Comitiis Aquensibus A. Christi DCCXCVII, ubi geminatio ista clare adstruitur

Germ. 12.

v. Hieron. Bignon ad Marculf. lib. 1. p. 444. & 491.

cap. IV.

cap. IV. dum Wargilda pagensibus conceditur, si caussa infra patriam fuerit pacificata. *Si autem* (ita sequitur) *in præsentia missorum regalium caussæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda suprascriptos sol.* XII *ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios* XII *sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa caussa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi* XII *id est pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi* XXIV. *Nam si fuerit aliquis, qui in patria, juxta quod sui convicini judicaverint, seque pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei caussa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quod justum judicium judicassent, in prima vice, ut supra dictum est, sol.* XXIV. *ad partem regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare & justitiam facere renuerit, & iterum pro ista caussa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis* XXIV *solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.* Interpretium igitur in Lege Saxonum, fuerit accessio sive geminatio mulctæ fisco pendendæ, id est, fredi, ob tergiversationem & contumaciam partis condemnatæ: translata similitudine à rebus, quæ in commercio versantur emunturque & venduntur, ad rationes pœnæ ac mulctæ: ut solenne istis temporibus fuit inflectere vocabula, & licenter significationem ad alia transferre.

Ceterum de interpretio, priore illo significatu, hujus loci sunt istæ quæstiones: interpretii compendium omnino justitiæ non adversari, cum tota mercatura id est res tàm necessaria reipublicæ hoc fundamento nitatur, nec male R. Theodoricus describat mercatores, *genus hominum quod lucris vivit:* justis nimirum. Sed modum interpretii, quippe non una semper æstimatione taxandum, non nisi arbitrio viri boni ac prudentis definiri. Quæ res in mercatura sæpe exitum vix reperire potest, ut teneatur medium iter: nec vel licentia interpretii, vel restrictio & adæquatio, mercaturæ in summam, aut civitati, aut singulis noceat. Et quoniam aliquan-

quando dispendia interpretii nulla diligentia vitari possunt, fieri non nequit, ut tali casu, inæqualitas in contractu sit, & minus habeat venditor absque culpa emtoris. An vero, in certo præsertim genere mercium, ob frequentia & pæne necessaria dispendia interpretii, sicut apud pharmacopolas, liberalius, & quousque, indulgeri par sit, altioris est disquisitionis.

Agrar. 1, 3. Vere est à *Cicerone* dictum: *nihil est quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor.* Et ex diverso dicere possis: nihil est, quod non vendi possit, si tantum remittas, quantum velit emtor. Potest tamen tanta esse venditoris avaritia & tam manifesta iniquitas, ut non tam vendidisse suam rem alteri, quàm emunxisse alterum argento, dici queat. Sicut Theodoricus Rex apud *Cassiodorum, non tam comparasse, quàm surripuisse* emtorem dicit id, quod à *venditore prodiga voluntate lascivo*, & *pupillo* emerat vili pretio. Verum has voluntates ad regulam concinnare, sicut nulla umquam lex satis potuit, ita naturalis æquitatis, & conscientiæ, & caritatis Christianæ supplementum accedat necesse est, si negotium cotidiani & necessarii usus ad civilis felicitatis modum quo humana omnis prudentia tendit, exigi & accommodari velimus. Adeo est præclare ab *Aristotele* observatum, non solis legibus, sed bonis moribus (quibus formandis destinantur educatio civium publica & privata, tum Theologorum vigilantia & auctoritas) finem civitatis obtineri. *Var. lib. 1. epist. 7.*

In ponendis aliarum rerum pretiis, proxime ad rationes emendi vendendique accedunt, quæ locantur & conducuntur. Consuetudo enim & tempus & locus, non minus hic ad æquitatem aut iniquitatem ostendendam faciunt, quàm in illo primore contractu. De laborum pretio definiendo, res aliquando difficilior est & impeditior. Rerum necessariarum mercede, perpetuas operas servorum etiam redimi, ratio semper fuit. Necessaria autem alimentis & vestibus metiebantur. Qua de re *Grotius* abunde annotavit. Addi debet, ut etiam servo prospici debeat de victu & necessitatibus, cum operas prestare non potest morbo seniove infirmus. *I. B. 3, 14, 6. & in Annot.*

Et

Et sublata quidem hodie servitute, famulis perpetuis consensu fere gentium humaniorum, præter alimenta & vestes aliquid indulgendum creditur, unde quasi peculium quoddam conficere queant. Milites, etiam ubi de tenuitate stipendii queruntur, aliquid præter necessaria, sibi superesse ostendunt, unde vacationes redimere & centuriones demulcere possunt, apud *Tacitum*. Et Alexander Seve- *1. A. 17.* rus de militari disciplina : *miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus & satur, & habens aliquid in Zonula.* cum ex *Lamprid.* diverso *mendicitas ad omnem desperationem vocet armatos.* *c. 52.*

Atque si Theodoricus Rex histrionem tanquam *lætitiæ publicæ ministrum, mendicitate tristissima non debere ingravari* existimat, quanto magis honestiores & liberaliores *apud Cassiodor. lib. 2. ep. 9.* labores iis rependi præmiis æquum est, quæ ab inopia vindicent e. g. patronos caussarum, medicos, magistratus, doctores variarum scientiarum. Convenit enim,ut magnarum rerum magna merces sit. ὁ μισθὸς, ὡς ἐπὶ μεγάλων μέγας, apud *Libanium*. *Mercedis* enim nomen neque Latini, neque Græci veteres abhorruerunt, in iis, quæ postea alii stipendia, salaria, honoraria, præmia, & Græce *συντάξεις* maluerunt dicere. Apud *Tacitum*, qui foro dabant operam, be- *11. A. 7.* ne disserunt : *eloquentiam non gratuito contingere : omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam. nihil à quoquam expeti, nisi cujus fructus ante providerit.* Quod ex *Livio* Tacitus, ut *lib. 4. c. 35.* multa, sumserat, qui in re alia, sententiam eam ita extulit : *eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur.* Videmus hic quoque ad necessitates vitæ rationem mercedis exigi : scilicet honeste degendæ, ut se suosque honeste possit sustinere, qui stipendia officii aut muneris operisque honesti meret. Medicorum caussam *Seneca* agit. Doctorum & præceptorum labores mercede *6. de benef. 15. & 16.* dignissimos tuetur facundissime *Libanius*. Quamquam au- *Orat. 2. tom. 2. pro Rhetoribus.* tem res ipsa pretio nummario æstimari in talibus nequeat, labor tamen cuique suus fructuosus esse debet. *Itaque his non pretium rei*, ut bene *Seneca* distinguit, *sed opera solvitur: — mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt.* Magistra-

 tibus

tibus mercedem constituendam Mæcenas Augusto suasit apud *Dionem Cassium*: μισθόν γε τινὰ φερέτωσαν, καὶ τῆς ἀσχολίας ἕνεκα, καὶ τῆς ἀξιώσεως. *Merces iis aut præmium aliquod detur, cum occupationum, tum dignitatis nomine.* Quasi diceret: occupationes eorum ita remunerandas, ut non modo necessaria suppetant, sicut ante dictum est; sed dignitatem quoque suam quisque & honorem muneris tueri queat. Nam de liberalitate singulari magnorum Principum, operas eximiorum ministrorum animose æstimantium, nihil attinet dicere. *lib. 52.*

De variis fraudibus, & subdolis artibus, quibus pretia rerum augentur minuunturve, nolumus verbosi esse. In subobscuris, aut ambiguis laborandum est: dolus apertus suopte arguitur indicio. Ut cum *gemmæ vitreæ pro veris venduntur* apud *Trebellium Pollionem*: aut alia gemmarum adulteria subornantur. De cujus generis fraude deprehensa, puniendâ nemo dubitat. Apud *Plinium* balsami vitiandi consuetudo annotatur: *nec manifestior alibi fraus: quippe millibus denarium Sextarii emti vendente fisco trecenis denariis veneunt: in tantum expedit augere liquorem.* Sicut Oenopolas rariora & peregrina vina, aliis liquoribus in tantum augere compertum est, ut ex uno dolio cadove facile numerosior proventus ingeminetur. *in Gallien. c. 12.* *lib. 12. c. 25.*

Potius est, ut de ipsa *pecunia* aliquid subjiciamus. Est hæc plerumque ipsum pretium, sicut ante ostendimus. Sed usu tamen venire constat, ut interdum merces fiat; tum etiam certam ob formam ac conditionem, pretio æstimando aliquid adjiciat aut detrahat. *Plinius* de Victoriatis: *Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est. antea enim hic nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur.* Atque hinc est collybus, proprie sic dictus: ex permutatione pecuniæ. *Pollux*: ἀργυρίου ἀλλαγὴ, ὁ καλούμενος κόλλυβος. Et collybistæ, qui sciebant, *quid asper utile nummus haberet.* Quæ *aspratura* ostendit, caute accipiendum illud Poëtæ: *lib. 33. c. 3.* *3, 9.* *Persius Satyr. 3.*

unum ubi nummorum genus est, ibi collybus haud est.

Collybo enim non permutantur tantum nummi disparis metalli, formæ, pretii, sed etiam unius formæ, atque adeo unius

unius generis, ut denarii detriti cum asperis. Ab hac permutatione, licet sine quodam quasi interpretio, sæpe etiam sine fraude non fiat, diversa est collybistarum sive potius numulariorum negotiatio, quam in fœnerandis pecuniis exercent. Illa enim ex tempore, in loco, inter præsentes usurpatur: hæc in mutuanda, & trajicienda pecunia potissimum versatur. Quamquam vox *cambii*, qua hodie utuntur, etiam permutationem significet. Totus autem ille contractus iisdem prorsus rationibus regitur & defenditur, quibus pacta, quæ ad usuræ speciem accedere videntur apud *Grotium*. *Asconius in Divinationem, quadrupli damnari solitos*, ait: *qui convicti erant pecuniæ gravioribus usuris fœnerata, quam pro consuetudine.* Legibus quoque repressas fœnebris mali fraudes, *miras per artes rursum oriri*, *Tacitus* queritur, & experientia omnis ævi demonstrat. Anno superioris sæculi nonagesimo sexto Albertus Archidux, rebus Hispanis in Belgio moderandis impositus, maxima rei pecuniariæ difficultate premebatur, ex tali causa. cum enim à mercatoribus magnam vim nummorum accepisset, in Hispania cum lucro illis reddendam, syngraphas quæstuosæ pecuniæ in Hispaniam missas rex conspicatus, & immodica mercatorum cupiditate commotus (pro singulis namque nummum centenis, septuaginta lucri nomine pacti erant) eas concerpsit, atque intolerabilem usuram decreto notavit. Sed cum absque opera eorum bellum geri non posset, ad novum pactum descendendum fuit in posterum: ut singuli ducati in Belgio ad 53. stuferos computarentur. Ita lucrum de centum erat 47.

l. B. 2, 12, 21. c. 22.

6. A. 16.

Harai Annal. tom. 3. p. 522.

Quantum in mutando pretio nummorum ad lucrum & damnum momenti sit, dici non potest. Civitas aliquando talibus inventis sua damna levavit. *Libræ pondus æris*, referente *Plinio*, *imminutum bello Punico primo, cum impensis respublica non sufficeret, constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur: ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum:* —— *Postea Annibale urgente, Q. Fabio Max. Dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis; ita respublica dimidium*

l. 33. c. 3.

lucrata est. Non sine temperamento tamen: *nam in militari stipendio semper denarius pro* X. *assibus datus.* Vide, quod *Procopius* refert in ἀνεκδότοις, de statere aureo. Valde autem opera danda est, ne quid hæc res domi forisque in commercia detrimenti, & perturbationis inferat. cujus generis inauditas calamitates hoc ipso sæculo Germania nostra experta est. Inter alias, *caussa malorum*, inquit doctissimus *Lampadius*, *quod ex mensura fecimus mensuratum, id est, Joachimicos & id genus probata genera ad minutam eamque adulteratam monetam exegimus, eatenus Joachimicos sui valore augeri ac excrescere judicantes, quatenus fex illa moneta deficiebat in dies facta minor: cum potius ad ipsam quantitatem argenti quamlibet moneta speciem æstimari oporteret. Joachimici ne ipsi quidem vera moneta mensura sunt, sed argenti quantitas pondere definita. Attamen minus hallucinaremur, si, prout adulterantur minuti nummi, ita non continuo judicaremus, Joachimicos augeri minuive.*

pag. 111. *Edit. Nicol. Alem.*

differt. de nat. nummi.

Memorabilis inprimis est consultatio, quæ anno hujus sæculi secundo Aulam & Curiam Galliæ exercuit, de mutatione in re monetaria facienda, quam *Thuanus* describit. *Abrogatus est tum salutaris in commercio & contractibus per aureos computandi usus, qui ab anno* 1577. *feliciter usurpatus fuerat, augendi per libras, quæ imaginariæ sunt, auri & argenti pretium, & mercium ac rerum omnium caritatem invehendi præcisa per eum occasione. Nam per licentiosa bella cum collybistarum flagitio nihil inausum esset, hac sola ratione effectum est, ut nihil in jactatione nummorum peccatum sit.* —— Quæsitus quidem est mutationi prætextus: *quod libra omissa, quæ tertiam tantum partem tunc faciebat, luxui & profusioni per aureos computandi usus portam aperuisset.* —— *Sed experimento compertum est, quod anno* 77. *ad sistendum in nummis per libras pretii incrementum decretum fuerat, prudentissime factum fuisse, eoque abrogato incommodum idem quod antea invaluisse, quod tandem nummi aurei augendi, & per illud incrementum mercium pretium præcipue externarum pariter augendi necessitatem imposuit.* Verum de pretio pecuniæ acturo, nova dissertatione, neque exigua opus est. Nostro instituto ista possunt sufficere.

lib. 129. *p.* 1037 *&c.*

XXXII.

XXXII.

LEX, QUA INGRATI DATUR ACTIO.

DUplex est hujus loci disputatio: Primò, ut de lege quæ est; deinde, ut de lege, quæ esse potest, aut debet.

In prima quæstione, quando, an sit lex adversus ingratos, disputatur, iterum ordine incedendum est, ut videamus: an natura, an mos gentium, an jus civile ingratos emendationi & pœnæ subjecerit?

De naturâ, videtur dubitare *Grotius*, quando statuit, *puniendos non esse actus oppositos virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat; in quo genere sunt, misericordia, liberalitas, gratiæ relatio.* Non enim de Jure civili tantùm loqui *Grotium*, facilè intelliget, qui propositum operis, & disquisitionis hujus contextum animadvertit. Sed, si jure naturæ præcipiente continetur *Gratia*; ejusdem juris auctoritate ingrati damnabuntur. *Cicero* disertis verbis: *Ac natura quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quædam insita vis afferat; ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem.* Et mox *Gratiam* describit, *quæ in memoria ex remuneratione officiorum, & honorum & amicitiarum, observantiam teneat. Hierocles*, cùm de grato in parentes animo agit, naturæ in ea re parendum, elegantibus verbis indicat: τὸ γὰρ εὐχαρίστως ταῦτα ποιεῖν, καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς διασώζει νόμον, καὶ τὸν τῆς φύσεως ἀποδίδωσιν ἔρανον. *Qui grato animo ista faciet, non virtutis modo legem custodit, sed quod natura jubet officium, implere pro virili parte studet.* Quod longè melius judicant, & interpretantur, qui gratum in parentes animum, etiam divina voce, non inscriptum modò mentibus, sed tabulis æternam legem continentibus denuò promulgatum norunt. *Philo Judæus, ingratos duo apud tribunalia, maxime naturalia, damnari ostendit; impietatis quidem, apud divinum, quod vita post DEUM auctores non venerantur; inhumanitatis apud humanum,* quod

I. B. 2, 20, 20.

2. de invent. 22.

de decalogo p. 760.

quod nihil ab iis quisquam speraverit, qui negligunt eos, quibus par gratia referri non potest.

Ex hoc Jure naturæ quæ proficiscitur actio, judicem habet DEUM; actores non eos tantum, qui ab ingratis atrociter læsi sunt, sed ipsam quoque ingratorum hominum conscientiam; patronos nullos.

Sed & gentium, quæcunque aliquem civilis moris gustum habuerunt, judicio, dissociabile nec ferendum vi-
1. *de ll.* 11. sum est ingrati animi vitium. Præclare testatur *Cicero*: *Quæ autem natio non comitatem, benignitatem; non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudiles, quæ ingratos non aspernatur, non odit? Julianus Imperator in encomio Eusebiæ*: οὐδενὸς γὰρ, οἶμαι, τῶν ἄλλων ἀδικημάτων ἔλαττον μισοῦμεν ἀχαριστίαν, καὶ ὀνειδίζομεν τοῖς ἀνθρώποις, ὅταν εὖ παθόντες περὶ τοὺς εὐεργέτας ὦσιν ἀχάριστοι. *Neque enim minus quam alia crimina, ingratum animum odio prosequimur, ac exprobramus hominibus, cum accepto beneficio, ingratos se erga bene
3. de benef. 6. meritos præbent.* Neque alienum est ab hujus loci sententia, quod *Seneca* fatetur, *Urbes quoque urbibus, quæ præstiterunt exprobrare; & in majores collata, à posteris exigere.*

Apud hoc *tribunal*, quod excellentiore significandi genere *humanum* dixeris, sicut prius illud *divinum*, accusat fama, vel sermonibus vel literis prodita: patrocinium reorum non aliis suscipientibus, quam qui pudore omni abjecto, suam alienamque infamiam amare serio didicerunt.

Civile tribunal superest. de quo ante omnia, ut diximus, quæritur, an fuerit certis in civitatibus lex pro-
3. *de benef.* 6. dita adversus ingratos? Respondet *Seneca*: *Excepta Macedonum gente, non est in ullâ data adversus ingratum actio.* At
tom. 1. *p.* 490. *Lucianus in Abdicato* diversum pronuntiat: καὶ μὴν οἵ γε νόμοι καὶ ἀχαριστίας δικάζεσθαι διδόασι, κατὰ τῶν τοὺς εὐεργέτας μὴ ἀντευποιούντων. *Equidem leges actionem ingrati dant, contra eos, qui benefactoribus non referunt gratiam.* Quem locum, qui de Macedonum legibus tantum velit exaudire, magno se onere obligabit tuendæ suæ sententiæ. Jam, cum in *Declamationi-*

mationibus veterum mentio fit, apud *M. Senecam* & *alios*, legis, *ingrati sit actio*; quæ lex ad unam & solam aliquam civitatem non videtur referri posse, nisi quod ad leges Atticas sæpe respiciunt Rhetores; *Seneca* iterum exceperit hanc orationem, & in scholis ista fingi à declamatoribus, non reperiri in vita, dixerit; Unde & ita quærit: *an hæc lex, quæ in scholis exercetur, etiam in civitate ponenda sit, qua ingrati datur actio.* Sed neque hic *Senecam* auctorem sequerer, quin existimarem, apud *Ciceronem*, *M. Senecam*, *Quintilianum*, *Aristotelem*, non poni exempla nisi *verarum legum*, quæ revera aliqua in civitate, præsertim Græciæ (inde enim Latini fere exempla arcessunt) latæ fuerint. Libenter patiar me doceri, si diversum idoneo testimonio ostendi potest. De *rogationibus* interim non loquor: quas interdum, ut & suasorias alias, ingenio Rhetoris fingi, non ex historia vitæ desumi, satis constat. *3. de benef. 6.*

Consignavit & *Gregorius Tholosanus* exempla, quæ ex jure civili Romano, & aliarum gentium huc pertinent. Ubi nec illud omittendum est: quod nulla gens cultior fuit, quin, etiam cum actio legibus non erat prodita, judicis officio ingrati animi crimina subjecta cuperet. *Syntagm. Iur. univ. 39, 1. 16.*

Quando autem, *an lex adversus ingratos ferenda sit*, disputatur: parum utique profecit longa *Senecæ* oratio, quæ id dissuadet. Ingratum enim hâc unâ re definivit, si non redderet beneficium. Et est sane boni viri, de referenda gratia serio cogitare; neque acceptorum beneficiorum unquam oblivisci. Sed hoc genus ingrati animi non spectatur præcipuè, cum de lege quæ ingratos coërceat, agitur. Cessant ergo omnes illæ quæstiones, de tempore, & facultate referendæ gratiæ, de æstimatione & comparatione beneficiorum, de dubitatione judicis in definiendo beneficio. Non enim dubia, sed certa & humani generis sententiâ, definita beneficia spectantur: neque tàm, non reddita, non fideli memoriâ custodita, quàm maleficio pensata, legi subjiciuntur. Adversus ingratum, qui lædit eum, à quo indubio beneficio fuit affectus, lex paratur. *3. de benef. à cap. 6. usque ad 18.*

Adver-

Adversus dissimulatores & inficiatores beneficiorum, qui sine proposito lædendi scilicet tales esse non possunt, severitas judicis quæritur. Clara hæc sunt, & exposita in omnium conspectu. Si quid boni mores præterea damnant, etiamsi nulla lege præscripta sit actio, Judicis officium in Republica latius patet, neque ullam morum partem labare sinit.

Grot. I. B. 2, 22, 16. Quin lege prodi possint ac debeant, quæ ex justitiâ debentur, nulla est dubitatio. Justitiæ autem munus esse, gratum animum, magno consensu tota antiquitas docet.
1. offic. 15. nec aliunde *Cicero* necessitatem referendæ gratiæ deducit: qua nullum officium majus esse statuit. Igitur *Aristoteles*
1. Rhetor. maximis & fœdissimis *injuriis* accenset, quæ ab illo, qui beneficio affectus est, infertur benefactori. πλείω γὰρ ἀδικεῖ, ὅτι τε κακῶς ποιεῖ, ϗ ὅτι οὐκ εὖ. *Non simplex enim est injuria in bene meritos; & quod offendit eos injuriæ auctor, & quod*
lib. 1. παιδ. *gratiam iis non refert.* Apud *Xenophontem*, Persarum judicio ingrati puniuntur, tanquam homines, *qui nec Deos, nec parentes, nec patriam, nec amicos curare norint*, id est, ab omni justitia plurimum alieni. Quam enim partem justitiæ curaret is, qui pro bona gratia malam rependit?

ὃν γὰρ τὸ χρηστὸν οὐκ ἐποίησ᾽ ἥμερον,
τί δ᾽ ἂν δράσειεν ἄλλο τῶν πάντων ποτέ;

Quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quod aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendaverit? ut recte ra-
in Vit. tom. 2, c. 16. tiocinatur *Gregorius Nazianzenus.* In *Pollucis Onomastico,* ἀδικία & ἀχαριστία, ἐκ παραλλήλου dicuntur.

Quod si alia loquendi ratio placet, neque justitiæ
Grot. I. B. 2, 25, 3. hoc proprium munus, sed alterius virtutis videatur, nemo tamen negaverit, legibus præcipi posse, quæ ulla virtus præcipit. quoque major est virtutis cujusdam cum justitia affinitas, eo clarius apparet legislationis materies. Accedat consensio plerarumque gentium, ipsiusque naturæ vox, quæ manifestam iniquitatem indicat, judicatque: an dubitationi locus superererit, quin in legem ire possit, res

ad

ad continendam ſocietatem non civilem modo, ſed humanam, tam neceſſaria?

Sicut autem felicius egerunt civitates, ubi ingratos poſita lex coercuit: ita ſæculi mala non modice augentur immunitate hujus criminis, quo non eſt aliud humanæ ſocietati inimicius. Fruſtra nobis *Seneca* occentaverit: *pauciores fore ingratos, ſi nulla detur actio, majore enim delectu datum iri beneficia. nec expedire notum omnibus fieri, quam multi ingrati ſint; ne ipſa multitudo pudorem minuat.* At ille *delectus* fingitur, non monſtratur. in quibuſdam beneficiis nihil licet judicio benefacientium, quod in parentum exemplo agnovit *Seneca.* Sic præceptor de omnibus diſcipulis bene meretur; non licet huic dare, illi negare beneficium. Qui ſanctiſſimis Chriſtianæ religionis legibus vivunt, ſi vident, indigere beneficio alium, vindice, altore opus habere, non deliberant aut divinant, quo ingenio ſit laturus beneficium, an grate ingrateve habiturus. Neque cuiquam ſua benignitas à ſincero profecta animo, fraudi eſſe debet. Male porro metuitur, ne detegat lex multitudinem peccantium, & inultam præſtet. Lex ſui ipſius vindex eſt, cujus defectu non ingratos tantum multiplicari, ſed plurium exempla ſcelerum pullulaſcere, nimis quam certum eſt. Imperitum dixero Reipublicæ, & moris humani, & ſæculi, qui non videt, pauciora fore alia crimina, ſi pauciores ingrati fuerint: uniusque legis adverſus ingratos munimento, ceteris ſuam auctoritatem duraturam.

3. de benef. 16.

cap. 11.

Magis intelligentur iſta, ſi quæ apud Rhetoras de actione ingrati diſputantur, paulùlum excutiantur. Annotavit *M. Seneca* hanc controverſiam: *Torta à tyranno uxor, nunquid de tyrannicidio ſciret, perſeveravit negare. poſtea maritus ejus tyrannum occidit: illam ſterilitatis nomine dimiſit, intra quinquennium non parientem. Agit illa ingrati.* Pro uxore, compendio dicuntur illa *Hiſponis Cornelii: Duplici beneficio uxori ſuæ obligatus* erat maritus: *& quod non eſt occiſus, & quod occidit. Faſtidit ſterilem, qui fecit.* Sterilitas enim vel adhuc incerta eſt, & tum valent illa: *non reſpondet ad propoſitum,*

2, 13.

tum, nec ad certum diem fecunditas: vel ita colligitur; *non potest parere mulier, quia torta est*; & tum bene respondetur marito: *imputat tibi, quod publicata est, imputat tibi, quod torta est, imputat tibi, quod sterilis est.* Quamquam de sterilitate accuratius *Buteo* egit: primum, *non omnes posse dimitti, si quinquennio non peperissent*; deinde, *hanc non posse dimitti.* —— *Aliquod*, inquit, *tempus impune à legibus miseria faciunt. Non dico, quia torta est, sed hoc adhuc, propter æquitatis tractationem reservo. Sed non peperit, quia tu* (maritum alloquitur) *maxima in cogitatione occupatus, nihil de liberis cogitâsti.* Neque de nihilo fuit sententia *Albutii Sili*: qua ingratum notat maritum, cum uxorem tam bene meritam repudiat: *Res tuas tibi habe. injicere debuit manum, & ipsum inter res suas trahere. nihil amplius patri debes quam uxori. mihi crede, majus fuit, tyrannicidium pati, quàm facere.*

Callido autem oratori, quàm viro bono magis conveniunt, usuque & consuetudine fori, ubi nihil non excogitatur aut arripitur ad defendendum etiam malam caussam, non honestate actionis ac boni moris disciplinâ æstimari debent, quæ ad negandum, dissimulandum, extenuandum beneficium pertinent. Talia sunt illa *Latronis*: *Etiamsi scisti de tyrannicidio viri, nec indicasti, non est beneficium scelus non facere.* Et *Gallionis aliorumque* quæstiones: *An inter viros & uxores data beneficia, ingrati lege teneantur. Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas: ut, si filius patri se dicat beneficium dare.* Et *Fabiani*, qui alio quidem instituto se ab importunitate *Cestii* removit, sed in uxorem tyrannicidæ iniquus fuit in illis: cum introducit maritum ita agentem: *se & cogitasse tyrannicidium, & uxori indicasse; & illam tum quidem fecisse, quod probam fœminam facere oportuit, nunc peccare, quod putet beneficium esse recte facere.* Et: *si beneficium putas te dedisse, quod tyrannicidium non prodidisti: ego prior dedi, qui tibi tyrannicidium credidi.* Neque cum *L. Vinicio* de hoc Fabiani colore dixero, *uxorem mutam effici. Si olim de tyrannicidio cogitavi, honestior sum vetus tyrannicida; & non privatis, sed publicis malis ad ultionem impulsus. Si, cum cogita-*

rem

rem, non celavi uxorem, facilius persuadebo, me malum hodie maritum non esse, cui semper tam deditus fui. Ad ultimum hoc consequar; Si quod audierat, tacuit, non beneficium est, sed fides. Fides est, tacere commissa: sed in fide beneficium, quod torta tacuit, quod instrumenta sævitiæ, quibus etiam virorum animi franguntur, sustinuit, nec virum prodidit. Est officium, facere quod debes. Sed officii sensum dolor expugnat, & immanis crudelitas. Quis est, qui nolit ignoscere mulieri, sævissimis cruciatibus exagitatæ, si victa doloribus, fassa esset tyrannicidium viri? Cæcus & surdus ad omnem honesti æstimationem fuerit, cui illustratus tormentis gratus ac beneficus animus, adhuc in obscuro positus, & quærendus videtur. Et quæ illa importuna philosophia: in officio non esse gratiam? Quicquid liberi erga parentes faciunt reverentiâ, amore, obsequio, operâ, officio ea omnia tribuuntur: sed officio nimirum, quod totum grati animi descriptione continetur. Intelligitur grati animi honestas comparatione eorum, qui negligunt; demonstratur inter impedimenta & obstacula; illuminatur temporibus, locis, casibus. Dic eadem opera; non est virtus, scelus non facere. At, cum ad scelus vocant illecebræ, invitant præmia, trahunt minæ: virtus est, abstinuisse placitis bonis; non spe, non metu ad peccandum, impulsum esse. Quid porrò sibi vult, qui dicit: prior dedi beneficium, credendo tuæ fidei tyrannicidium? An statim, qui de alterius fide præclare sentit, beneficium ei dedit? & quid simile habet commissum sponte arcanum, cum silentio inter tormenta invicto? Etiam sic laudas uxorem, & te accusas. Quam pulcre enim beneficiis responderit illa, fateris: & quàm iniquus ratiocinator gratiæ sis, contra communem hominum sensum comparans diversa, imputans minora, ultro manifestas. Corrumpis imo beneficii, quod tu figuras, fidem, neque pateris homines credere, te unquam uxori deditum fuisse, cui post tanta virtutis experimenta & in te merita, non modo non deditus, sed infestus esse potuisti.

At *Latro* tibi iterum patronus adest, ut dicas: *Etiam si dedit beneficium, recepit. Occidi tyrannum: libertatem mihi, tibi ultionem reddidi plenissimam: prosecutus sum nefarium hostem, illic occidi, ubi torserat. Dices, me Reipublicæ caussa fecisse, & tu Reipublicæ caussa tacuisti.* Imo tu, si rempublicam amares, beneficium reip. ab uxore datum amasses, grate habuisses, magis eo lætatus esses, quàm si tibi datum foret.

Sed profecto, & Reip. & tibi datum est. tibi datum est, ut posset Reipublicæ dari. Et, quanto fuit magis arduum, quod uxor tibi & reipublicæ dedit, quam quod reipublicæ dedisse te ais? Ad tyrannum occidendum converso, occasio, facultas, instrumenta perficiendi operis, spes successus, præmia, animos & vires addiderunt. Huic omnia adversa & infesta; nec, præter animum, quicquam liberum. Quanto facilius est, facere cædem, quàm pati omni cæde tristiora? Præterea, cujus est illa hominis vox, qui sic agat: dedisti quidem beneficium, dira & acerba sustinendo meâ caussâ; sed dum auctor ejus acerbitatis meâ operâ jacet, nulla ultra beneficii tui, quod recepisti, æstimatio, nulla memoria? Quin universam gratiæ rationem in compendium mittis, & cum civibus tuis omnibus & singulis, imo cum ipsa civitate & patria sic contendis: Liberavi vos omnes à tyrannide; eâdemque operâ, quicquid beneficiorum vobis debui, persolvi: nemo posthac à me ullam publice privatimve gratiam expectet aut recipiat. cessent semel & simul omnia necessitudinis pristinæ nomina: uniusque virtute facti cuncta officii in posterum vincula aboleantur.

Illud prorsus à fide facienda alienum est, cum inducitur maritus: *ne scisti quidem tyrannicidium, non enim tibi indicavi, nec tam magnum consilium, virilibus quoque animis grave, commisi muliebri garrulitati: quæ id solum potest tacere, quod nescit.* Recte enim à *Fabiano* & *Vinicio* respondetur huic instituto: *Dixerit, cogitasse quidem se de tyrannicidio ante tormenta, sed uxori non indicasse: augebit uxoris beneficium. Liberius enim potuit tyrannicidium indicare, quod illi commissum non erat.*

Potuit

Potuit enim uxor, etiam non indicante marito, tam magni consilii molitionem deprehendere. *Cestii* quoque color, quem pro viro introduxit, nihil habet sani: *Quo tempore uxor torta est, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam: postea cogitavi, & hac ipsa cogitandi caussa fuit, uxoris ultio. Utrumque secutum est, ut illa marito insolentiam imputare non posset, maritus illi tyrannicidium posset.* Leviter excussus hic color, evanescit; sive facti fidem spectemus; sive caussæ utilitatem. In fide facti, & serie negotii, utique *apparet. & aliquid de tyrannicidio cogitatum, de quo tyrannus usque eo suspicatus est, ut torqueret.* Ita parum inter se congruentia dixit *Cestius*: sed & contra rationem & utilitatem caussæ. *Si dixerit enim, post tormenta se de tyrannicidio cogitasse, tum tyrannicidium uxori melius deberi meruit, si torta tyrannicidam fecit, quam si tacuisset.* Maximam scilicet gloriæ, qua tantopere gaudebat, partem uxori debuisset: ingratique animi crimine denuo se per repudium alligasset. In his, quæ ex licentia potius caussidicorum, quam ex vero & bono pro ingrato marito allata sunt, *Hispo Romanus*, judice ipso M. Seneca, *maligne & accusatorie*: *Nihil*, inquit, *ego isti narraveram: ista, ut erat necesse, aliquid ex vultu, aliquid ex nocturnis vigiliis suspicata est. Unde manaverit sermo, scistis. Videtis, quo veniat tyrannus, non ad amicum meum, non ad servum: sed ad istam, quæ nihil negotii habuisset, si tacuisset. Tua enim caussa tacuisti: sciebas te perituram, si confessa esses tyrannicidium.* Fecit maritum ipso tyranno crudeliorem; qui post silentium tormentis impenetrabile, garrulitatis arguit uxorem, & ne tyranni quidem testimonium reveretur.

Non caret ratione oratoriâ *Passieni* sententia, qui putabat, recte facturam, *si hac mulier injusti repudii ageret, non ingrati. Albutius* autem *decentissime, priùs egit injusti repudii, deinde ingrati.* Ut enim crimina geminantur, ita amplificatio inprimis valida est, si accedentis vitii turpitudo, in partem actionis transferatur. Sic injuria parentibus, præceptoribus, hospitibus facta, præter nomen proprium, ingrati animi crimine, ubique terrarum gentiumque notari consuevit.

Honestissima autem est in hac caussa *Pollionis Asinii* ratio, qui *nunquam tentandam esse* judicabat *illam quæstionem, qua negamus, nos beneficium accepisse. Perit*, inquit, *tota caussa, nisi in hoc vicit. Apparet enim, ingratum esse, qui ne fatetur quidem, se accepisse beneficium.* Veritatem hujus sententiæ, graviter adstruit *Declamator* alius, cum præcipit: *Et in totum hoc servare in omnibus controversiis, quæ ingrati lege continentur, debebimus, ut hi qui rei sunt, in ipsa actione ingrati non sint. Raro valde intervenient controversiæ, in quibus hoc quæratur, an is, qui ingrati reus est, acceperit beneficium. Pleræque divertunt eo, ut quæstiones habeant: an, quisquis acceperit beneficium, & non reddiderit, ingratus sit? an omnia, quæcunque exigebantur, præstare debuerit? an potuerit?* Sed de his quæstionibus postea. De facienda controversia ipsius beneficii præclare, & solide philosophantur, quos laudavimus: neque comparari huic gravitati possunt, quæ *Gallio* & *Atticus Vipsanius* de consuetudine fori, & caussidicorum artibus annotant.

Quintil. declam. 333. sermon.

Vidimus exemplum actionis ingrati. Ubi haud dubium fuit rei crimen: neque ulla honesta defensione velandum. Ponamus aliud, quod haud æque reum premit, ex *Declamationibus Fabio Quintiliano attributis.* Leges: *Patronum optare liceat.* Et: *ingrati sit actio.* Controversia: *Adolescentem dives pauperem impensis suis Athenas misit. redit ille disertus. Detulit divitem quidam reum proditionis, & optavit patronum pauperem illum, qui divitis impensis profecerat. Egit pauper, non tenuit. Accusatur à divite ingrati.* In hac caussa, si liberum fuisset adolescenti, advocationis officium præstare actori, aut denegare, non parum suspicionis in eum trahi potuisset. nunc legis auctoritate patronus optatur. Unde postea: *Habebat jus optandi patronum, & hanc leges dederunt potestatem.* Et: *Lex optandi patronum jus dabat: me delator optaverat. doce quid faciam. Delator jus habet. Contra omnem meam deprecationem publica auctoritas nititur. — non igitur objicere debes, in quod coactus sum.* Annon & caussa excusat patrocinium? proditio enim, etiam in parente abominanda, & vindicanda est. *Advocationem negare contra reum proditionis non debui*, fortior aliquis diceret. *Oportebat non de-*

declam. 333.

esse

esse legibus vocem, oportebat esse aliquem, qui in summis reipublicæ, ut tum videbatur, periculis, excuteret veritatem. Itaque, si argumenta proditionis insignia fuerunt, excusari potuit susceptum actoris patrocinium, etiam si liberum fuisset, denegare. Sin dubia & suspecta indicia criminis, nec sincera voluntas deferentis, merito beneficii memoria retrahere adolescentem debuit ab accusatione bene meriti. Sed moratus est in primis *sermo* Rhetoris, qui præmittitur: *Intelligitis huic adolescenti cum summo respectu divitis agendum: ita demum enim videbitur, id quod fecit necessitate fecisse, si de illa queretur. —— Ergò, quod ad meum consilium pertinet, hic invitus egit: ea, quæ dicenda accepit, pertulit.* In tractatione ergo ipsa, statim ab initio, *maximum se beneficium accepisse, quod sibi consummare studia contigisset*, fatetur; fortunam accusat, cujus potestate factum sit, *ut mallet omnem usum loquendi perdidisse, quam cum homine de se optime merito jam bis consistere.* Subinde: *accepi beneficium, quantum maximum dare parentes liberis possunt. — hujus liberalitate, hujus opibus, peregrina studia, clarissima exempla, otium, quo plurimum studiis confertur, sum consecutus. ——— accepi pecuniam, votum, spem futuram in posterum vitæ. — accepi beneficium, ne illud quidem inficiabor, non reddidi. Non tamen continuo sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum compensaverit. alioqui nemo est, qui non calumniæ genus possit incidere.* Describitur postea necessitas, de qua dictum est; moderatio in actione, vocis, vultus, nihil asperum, extra caussam; propositum grati in posterum animi, & confessio debiti.

Ponitur & illud actionis, de qua agimus, exemplum: *Cimon ingratus Calliæ*, apud *M. Senecam*. Leges: *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque interficiat, sine fraude sit.* Et: *Ingrati sit actio.* Thema: *Miltiades peculatus damnatus, in carcere alligatus decessit. Cimon filius ejus cum sepeliret, vicarium se pro corpore patris dedit. Callias dives, sordide natus, redemit eum à republica, & pecuniam solvit, eique filiam suam collocavit. quam ille deprehensam in adulterio, deprecante patre occidit. Ingrati reus est.* Leges veræ sunt: exemplum *Contr. 4. 24.*

plum fictum. In hac controversia merito ille *color & Gallioni & Latroni & Montano placuit, ut nihil in Calliam diceretur contumeliose, & redemptorem, & socerum, & infelicem.* Unde non *Cestii* tantum improba est sententia, qui *multa in avarum, & in fœneratorem, & mensularium, & lenonem dixit, dum vult illud probare, reddidisse Cimonem beneficium, quod talem socerum habere sustinuisset*: sed & *Junius Bassus* ferri nequit, cum pro Cimone dicit: *Calliæ filiam uxorem duxi. hanc tibi pater injuriam feci, dum ingratus esse nolo.* Beneficium porro Calliæ maligne interpretantur, qui disputant ex persona Cimonis: *Ut audivi esse, qui pecuniam numeret, miratus sum, fuisse in civitate nostra quenquam, qui Cimonem redimere quam Miltiadem maluisset. Ego ne patrem quidem meum, nisi innocens fuisset, redemissem.* Et qui illas quæstiones fecit: *an si sua caussa fecit hoc Callias, ut redimeret Cimonem, an sit beneficium.* Et qui illas: *an acceperit beneficium Cimo? deinde, an teneatur is, qui beneficium acceperit, quod non petivit?* Nam *Hisponis Romani* stolide dura est quæstio: *An retulerit gratiam hoc ipso, quod occidit.* Figura tolerabiliore, sed non satis probâ *Montanus Votienus* quæsivit, *an gratiam retulerit Cimon Calliæ. Tuli,* inquit, *filiam tuam uxorem. filia tua Miltiadis nurus facta est. non putas beneficium, habere communes cum Miltiade nepotes?*

Portius Latro.

Niger Brutedius.

Gallio.

Loci hujus controversiæ sunt vel *pragmatici*, vel *pathetici*: quorum illi ad *jus*, hi ad *æquitatem pertinent.* In pragmatico genere Cimon vincit hac ratione, quod ingratus non censetur, qui beneficio se ad patientiam rei inhonestæ obligari nec putat, nec patitur. Quo pertinet illud *Montani*: *Certe beneficium reddam, cum tam honestum desideraris, quam dedisti. Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, si alligatas haberem manus?* Et: *Arelli Fusci*: *Ferrum à lege mihi traditum, ad vindictam pudicitiæ, projiciam?* Et ex Quintiliano: *non potest videri sævitia, non crudelitas, quæ per leges venit: occidere adulterum licet cum adultera.* In pathetica tractatione illam æquitatis quæstionem pro Cimone *Latro* movit: *an, si affectu & indignatione ablatus, non fuit in sua potestate, ignoscendum illi sit?*

Declam. 277.

M. Seneca controv. 4. 24.

Contra

Contra Cimonem pro Callia, pragmaticum est, si dicatur: diversam esse rationem ejus quod lex jubet, & quod permittit. Non oportere statim fieri, quod licet facere. Permisit tibi, Cimon, lex uxorem interficere, non præcepit. Quo minus utereris eâ licentiâ, memoria beneficii, preces soceri, ipseque conspectus & interventus ejus, te morabantur: si quid humani in te esset. Tune non donares patri filiam, qui tibi & libertatem & vitam, in vinculis morituro, donavit? Non petitur à te stuprorum patientia. potuisti abigere tuo matrimonio, quam male junctam expertus es. Satis existimationi tuæ consuluisses. carnificis officium occupare, etiamsi lex indulget, furor est, non ratio: quid, in oculis parentis filiam interficere? beneficium maleficio rependere? beneficii auctorem vivum, videntem, præsentem, deprecantem negligere, rejicere, lædere? Nam in pathetico genere, omnia æquitatis, & miserationis nomina & momenta Cimonem pro Callia interpellant.

Jam antea dictum est, quædam in hac controversia importunius mota esse. in quo genere fuit illa *Gallionis* quæstio: *An teneatur is, qui beneficium acceperit, quod non petivit? Non rogavi*, inquit, *te, dedisti istud jactationi tuæ, putasti ad gloriam tuam pertinere.* Crebra sed improba ingratorum cantilena. Quædam non rogantur, desperatione impetrandi: quædam dubitatione, unde rogandum sit: neque ab ignotis, nullave familiaritate perspectis facile beneficia petuntur: quibusdam desideriis, quo minus proferantur, ipsa obstat rei magnitudo. Quis ingentem pecuniæ summam, libertatem, vitam ab eo postulare ausit, quem nullo usu habuit amicum? Quis in vinculis socerum quærit, cui prius oneri, quàm usui sit? Quædam miseriæ includunt vocem, non laxant. Tune, quod gloriosissimum est in beneficio, in contrarium vertes, prævenisse preces inopis, spectasse necessitatem, non expectasse vocem? Ita honestissimæ voluntatis gratiam perdet, qui humanitatis priorem, quàm hominis rationem deduxit? *Gratissima* esse debent *beneficia parata, facilia & occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipien-* *Seneca 2. de benef. 1. &c.*

pientis verecundia. Optimum est, antecedere desiderium cujusque: proximum, sequi. Illud melius occupare, antequam rogemur. quia tum homini probo ad rogandum os concurrat & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Ita ille, qui beneficium docet dare & accipere. Et mox: *ideo divinanda cujusque voluntas, & cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est.* Qui hoc fecit, ille, quod in benefaciendo summum est, fecit. Quam fuerit itaque nequam, qui neget beneficium datum, quod non petenti datum est? *At enimvero,* inquit, *jactationi suæ hoc dedit, qui mihi benefecisse voluit videri?* O te ingratum, qui beneficio manifesto affectus, adjutus, sublevatus, de beneficii auctore male opinaris, nefarie suspicaris! Quod si plane tibi de ejus ambitione constaret, æquissimum erat, ut quantum tu accepisses, reputares, non quam bene ille dedisset. Auferetur ex vita hominum res pulcerrima, benefaciendi studium, si liceat in alienis beneficiis curiosum esse, & maligne interpretari animum benefacientis. Quid enim erit, quod non vellicare possit malignitas? Scilicet, cum de accipiendo beneficio agitur, tum vero sine anxia deliberatione omnibus in promptu fuerit illud Poëtæ:

Terent. Adelph. 2, 3, 1.

Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.

At ubi de habenda gratia quæritur, in Platonis rempublicam credo eatur, & sapientium regulæ conquirantur, an beneficium recte atque ordine datum sit, an nihil in dantis animo aut arte desiderari possit. dummodo constet, eos, qui ita dubitant, nullo modo recte accepisse beneficium; pravumque in seipsos exemplum statuere. qui minus enim accipiendi, quàm dandi beneficii regula & ratio sit?

Nec melioris notæ est, illud effugium, in quo *Nigri Brutidii* ingenium desudavit: *Beneficium est*, inquit, *quod totum ejus caussa præstatur, in quem confertur. Ubi aliquis ex eo aut sperat quid aut præparat, non est beneficium, sed consilium*

Impro-

Improbe hæc dicuntur: malignique & suspiciosi animi non obscurum habent specimen. Quanto verius, & rectius *Seneca? Non sum tam iniquus*, inquit, *ut nihil ei debeam, qui cum mihi utilis esset, fuit & sibi. Non enim exigo, ut sine respectu sui mihi consulat. Imo etiam opto, ut beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens dederit, & inter me seque diviserit: licet id ipse ex majore parte possideat, si modo me in consortium admisit, si duos cogitavit: Ingratus sum, non solum injustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summæ malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affecit.* Subjicit memorabilia exempla, & repetit sententiam, malignæ descriptioni Brutidii oppositam: *Non sum invidus beneficii interpres, nec desidero illud mihi tantum dari, sed & tibi.* Alia quæstio est, si totum sibi præstitit alter, quod fecit, totum sibi imputavit. Sed an istud factum sit, raro ad liquidum deduci potest. pleraque ambiguæ æstimationis sunt: in quibus, si homo quidem es, humanior debet apud te valere interpretatio, ut credas, tibi quoque datum, de quo dubitatur, an sibi tantum dederit, qui fecit. Denique, si planius tecum agi vis, noli, quæso, caussidicorum strophas sanctissimis boni moris legibus obvertere. *6. de benef. 13.*

Sed illa quidem de Cimone ficta est controversia. aliud enim traditur à *Nepote*, & *Plutarcho*, in ejus vita. Ex recentiore historia memorabile est, quod *Baptista Fulgosius* consignavit circa nuptias beneficio parandas. Rolandus Petri Siciliæ Regis frater, à Roberto Neapolitano Rege bello navali captus tenebatur. cumque frater ejus parum de redimendo eo cogitaret (quippe qui ignavia amissam classem ægre ferret) Comiola Senensis, Messanæ agens, vidua & flore ætatis, & ingenti opulentiâ insignis, misit, qui captivi animum explorarent: ducturusne uxorem foret puellam, cujus liberalitate, miserias carceris evaderet. Tum enimverò Rolandus, ut divinitus missam opem exosculatus, prolixe polliceri cœpit. Stabilito igitur per procuratores matrimonio, Comiola duobus auri unciarum millibus sponsum redemit. At ille Messanam reversus, & *lib. 5. cap. 3.*

pactas nuptias inficiatur, neque ullam pro beneficio gratiam debere vult Comiolæ: tanquam longe infra generis regii splendorem destitutæ. Convincitur apud tribunal ecclesiasticum, amicorumque & propinquorum objurgationibus, ut denuo animum matrimonio applicaret, adactus, in solennem congressum, velut pacti repetendi caussa, venit. Ibi coram omnibus Comiola, cum sua beneficia commemorasset, ingratumque & perfidum ejus animum notasset: ego vero, inquit, ultro nuptiis renuntio, neque, ut cum tam ignavo & ingrato homine ætatem agam, æquum existimo; atque adeo ex hoc die DEO pudicitiam meam una cum opibus consecro. Ingrati à quovis judice damnandus, adhuc hodie facto puellæ arguitur, atque infamibus exemplis accensetur.

ap. eund. Fulgos.

Similior fictæ de Cimone controversiæ est historia Philippi Mariæ Ducis Mediolanensis, qui fraternis odiis ad summum rerum omnium discrimen redactus, beneficio matrimonii se expedivit. *Facinus* enim *Canis*, Dux copiarum ejus, mortem sibi imminere cernens, non aliud, inquit, O Philippe, rebus tuis remedium superest, quàm si me extincto, uxorem meam matrimonio tecum conjungas. ita & gratiam militum tenebis, in quibus unica spes; & opibus meis luculentis sane & amplis, ad constituendum tuum statum uteris. Successerunt ex voto consilia. Sed ingratus animus nullo merito mutatur. Disparem uxoris ætatem gravatus Philippus, ut scelere exiret, quod incolumitatis suæ caussa iniverat fœdus, ficto læsi pudoris crimine miseram perculit, peractisque judicii imitamentis, clam interimi jussit. Quid non ingratus animus designat? Sacra matrimonii, fidem coniugum, pactosque hymenæos, impetu rumpit, & ex Principe, tyrannum, ex homine bestiam facit.

Te quoque, decus fœminarum Amalasuntha, cujus animum non arma, non astutiæ inimicorum fregerunt, beneficia tua exitio dederunt. Theudatus erat, quem judicio

dicio convictum & inique rapta restituere jussum, dimiserat, & ad bonam frugem rediturum speraverat Amalasuntha. Addit clementiæ munus incomparabile; mortuoque Atalaricho filio successorem destinat. Ita & macula prioris judicii eluetur, inquiebat; & Theuderici nomen, cui sanguine proximus es, in te honorabitur. Sed jurejurando sanctissimo confirmabis mihi, te contentum imperii nomine, nihil de ea, quam hactenus tenui, potentia diminuturum esse. Jurat conceptissimis verbis Theudatus, qui nihil magis interim animo, quam iniquam ex priori offensione iracundiam flagitiosa perfidia ulcisci, agitabat. Statim enim, ut adeptus est, quæ concupiverat, cuncta promissis contraria facit: Amalasuntham carcere primum concludit, mox interficit. Accessit non minus scelus, sceleris dissimulatio: quasi nolente ipso, adeo non probante, peracta cædes foret. *Procopium* adi, diligenter ista memorantem. Quid hic objicient Amalasunthæ, ingratorum patroni? *Prudentius*, dicent, *eligere debuit, cui beneficium daret, non debuit, salutem suam homini, quem offensum sciebat, committere.* Non minus flagellant Theudati facinus, quam virtutem Amalasunthæ laudant, qui ita cavillantur. *lib. 1. Goth.*

Quare nec inventus est olim tam improbus caussidicus, qui vel fictæ controversiæ hunc colorem inducere auderet. *Quintilianus* certe cum in actione *ingrati*, annotat, *unde moveri possint juris cavillationes*, hæc tantum ponit: *an is, cum quo agitur, acceperit beneficium: quod raro negandum est. ingratus est enim, qui negat. an, quantum acceperit, reddiderit: an protinus, qui non reddiderit, ingratus sit; an potuerit reddere: an id, quod exigebatur, debuerit: quo animo sit.* Nemo tam impudens fuit, qui insultaret casibus humanis, & diceret: collocasti sane beneficium, sed apud offensum. Iterum insurgent: *frustra quidem in foro talia expectari, quæ rei caussam invisam, actoris honestam facerent. Sed in animis omnium, non tam certum tribunal insidentium, quam in toto orbe mores humanos arbitrantium, prudentiam ejus desiderari posse ac* *lib. 7. instit. orat. 4.*

 solere,

solere, qui ingratos nec immerito suspectos, beneficio affecerit. Tristem de mortalitate sententiam ferunt, qui ita judicant: neque ratione arguunt humanos errores, sed, ut dixi, casibus humanis insultant. Quibus occinenda est gravis apologia *Gregorii Nazianzeni*: cui & ipsi temere exprobratum est, quod Maximum (hic ut Judas à præceptore deficiens, ex intimo amico acerbissimus hostis factus erat) laudasset, provexisset, beneficiis suis dignum judicasset. *Si ego,* inquit, *benignus in illum, ideo accusor, quod pravitatem ejus non pravidi, quid tandem hominis fuerit, qui pro benignitate, quam expertus est, maximâ, insidias in me instruit? neque enim pravidisse improbitatem, crimen habet (solus id DEUS potest) & nobis insuper lex præcipit, omnibus misericordiam exhibere, & patria benevolentia religionis socios suscipere. Eum qui venit ad me, inquit Christus, non ejiciam foras. Magna res mihi videbatur, Maximus à Græcorum superstitione ereptus & sacro lavacro tinctus, & loco Herculis, Trinitatis cultum professus. Magna mihi res erat, homo virtutem capessens. Etsi enim postrema satis ostenderunt, nihil etiam in primis sinceri fuisse: nobis tamen non licet ista explorare. non cogitationibus intervenimus, non futura, nisi DEO revelationem gratificante, scimus. Nam nos quidem faciem videmus: animum DEUS introspicit.* Pia oratio, cujus vim & ipse complectitur, postquam exprobrantes introduxisset.

apud Gregor. Presbyt. in Vit.

Tom. 2. in Vit. p. 15. & 16.

τί οὖν; σὺ τοῦτον οὐ χθὲς εἶχες ἐν φίλοις;
καὶ τῶν μεγίστων ἠξίους ἐγκωμίων;

Quid igitur? an non heri in amicis hunc habebas? annon summis eum dignabare laudibus? In responsione tum multa præclare, tum illud:

Πιστοῦ γὰρ ἀνδρὸς οὐδὲν εὐπιθέστερον,
πρὸς εὐλάβειαν ῥαδίως ὁρμωμένου
ἣ οὖσαν, ἢ δοκοῦσαν. ὢ χρηστοῦ πάθους.

Viro fideli nihil ad habendam fidem facilius est: qui ad pietatem & probitatem, quæ vel est in aliis, vel esse videtur, statim adjungi cupit. ô vitium probum! Et subinde:

Ei

Εἰ τοῦτο δεινὸν, οἶδα πολλὰ πολλάκις
τοιαῦθ' ἁμαρτών. ἆρα συγγνώσεσθέ μοι
Ἄνδρες δικασταὶ τῆς καλῆς ἁμαρτίας.
ἦν μὲν κάκιστος, ἀλλ' ἐτίμων ὡς καλόν.

Si peccatum hoc est, multa memini talia peccavisse. Sed ignoscetis, Judices, tam praclaro peccato meo. Erat quidem ille pessimus; sed colebam eum pro bono.

Cœterum, cum ingrati animi vitium per omnem vitam late pateat, insignioris tamen notæ hoc crimen est, quando in patriam, parentes, & qui loco parentum sunt, præceptores, patronos, hospites committitur. Quo enim sanctioribus humanæ societatis vinculis, hæc nomina destinantur, eo fœdius ea violari, in aperto est. Et de gratia quidem patriæ debitâ, aut iis, in quos se patria convertit, Principibus, luculenti in multas fori actiones transferuntur loci: graviusque fere, quæ hic peccantur, appellari solent, neque tam facile est (ut hoc unicum annotemus) invicem patriam & Principes, ingrati arguere. Quod probe intellexit *Valerius Maximus* in istis: *Ceterum ut senatus populique mens in modum subita tempestatis concitata, levi querela prosequenda est: ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt.* Factione senatus Romulus, tribunitiis furoribus reliqui, quos ibi refert, conciderunt. Miserandum inter hæc turbamenta publici decoris, Reipublicæ nomen, sui parum compotis. Multo minus ferendum est, si falsis rumoribus Principum fama aspergitur. quibus non debuit moveri *Baptista Fulgosius*, ut actionem ingrati adversus Justinianum Imperatorem instrueret, quod Belisarium post ingentia merita, erutis oculis stipem mendicare coëgerit. Quam rem alii ad exempla vertentis fortunæ maluerunt referre. Sed quo auctore ista jactantur? *Joannem Tzezem* frustra nominabis. nam is non tacuit aliorum historicorum monumenta, negantium, id Belisario accidisse. sicut jam monuit *Nicolaus Alemannus, in notis historicis ad Procopii ἀνέκδοτα. Idem*, qui Joannis Cappadocis Patricii Exconsulis casum ejus generis suggerit, unde nata haud dubie

lib. 5. cap. 3. (at Valerius Maximus)
lib. 5. cap. 3. (at Baptista Fulgosius)
Chil. 3. (at Joannem Tzezem)
p. 10. adde 85. & 86. v. Procop. bel. Pers. 1. f.

dubie fabularum architectis occasio omnia permiscendi. Id quod *Petro Crinito*, & *Raphaëli Volaterrano* per est familiare. Sed libros tot jam censuris confossos, totque mendaciorum convictos, mirum sit, si quis hodie securo animo velit sequi. Verum, post *Giphanium*, & alios nolumus actum agere.

lib. 5. cap. 3. Demenda est potius injuria venerando nomini *Friderici II. Imperatoris* aspersa apud *Fulgosium*: ubi reus ingrati erga Honorium ceterosque Pontifices & Ecclesiam Romanam animi agitur optimus Princeps. Intolerabilis est insolentiæ, muneris Pontificii facere Imperium: quod Friderico Principum auctoritas rite detulerat; ita ut solennem cærimoniam Romanæ coronationis Pontifex sine flagitio denegare non posset. Neque ulla in Ecclesiam & Ecclesiasticos injuria à Friderico orta est: Sed Pontifices, benignitatem Imperatoris singularem erga Ecclesiam, ingratissimo ferentes animo, modo Episcopos in eum extimularunt, modo turbas & rebelliones undique concitarunt, ut redigerent in ordinem, quem revereri, & obsequio demereri divina humanaque lege tenebantur. Scilicet *hujus Imperatoris potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, formidolosa fuere Romano sacerdotum senatui.* ut rectè judicat *Aventinus*; additque: *Visum est flaminibus Romanensibus Imperium Germanum magis florere, quam ipsis utile foret. placuit id contundere, atque discordia non solum debilitare, sed in cineres quoque atque favillas redigere, & Fridericum huncce à fastigio rerum humanarum deturbare.* Hæc Innocentio, hæc Honorio & Gregorio mens. Egit bonam caussam non segniter *Petrus de Vineis.*

lib. 7. p. 535.

Novell. 115. c. 3. De ingratis erga Parentes liberis divinæ humanæque literæ amplissime decernunt: nobilisque extat legislatio *Imperatoris Justiniani*; quam interpretationes ex omni æquitate undique repetitæ supplent. Hujus loci est etiam officium τῦ ἀντιπελαργεῖν sive τῆς ἀντιπελαργώσεως seu mutuam alimentorum & sustentationis vicem exhibendi parentibus; divina lege præceptum: quo juxta interpretes Hebræos

bræos filius tenebatur, *ut cibum & potum parenti subministraret, uti & vestitum; ex eo scilicet. quod Patris est; seu ex bonis paternis: quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, ut utrumque aleret parentem, in quantum posset.* cui tamen sanctissimo, & quod juri divino respondet, officio derogatum voluit glossa Pharisaica, in quam invehitur Christus *Matth.* 15, 5. *Marc.* 7, 11. Ad quem locum explicandum pertinebunt, quæ annotarunt præclarissimi Viri, *Dilherrus disput. tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 5. & *Seldenus de I. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum*, VII, 2. Solonis lege, *qui non alerent parentes, infamia notabantur.* *Diog. Laert. in Sol. lib. 1.* Apud *M. Senecam* annotatur lex: *Liberi parentes alant, aut vinciantur.* *controv. 1. & 7.* *Demetrius Triclinius ad Sophoclis Electram*: πάντων γὰρ τῶν νομίμων καὶ δικαίων τοῦθ' ἓν κρεῖττον καὶ μέγιστον παρὰ πάντων ἀνακηρύττεται, φροντίδα ποιεῖσθαι πατρός. ὁ Θεὸς ἀποδέχεται καὶ εὐσεβὲς λογίζεται. *Inter omnia jure & legibus constituta, unum ab omnibus optimum & maximum celebratur, patris curam gerere. DEUS hoc suscipit, & pium judicat.*

Præceptoribus non multum infra parentes deberi, nemo fuit bonus unquam, aut non barbarus, qui negaret. Magnifica prorsus, & imprimis morata commendatione *Julianus* effert beneficium Eusebiæ Imperatricis, à qua libros Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum acceperat, id est, verum ad prudentiam & virtutem comparandam præsidium: omnisque humanitatis expertem censet, qui non cupiat gratiam referre tanti muneris auctori. *orat. 3.* Quanto autem plus debetur gratiæ ei, qui non libros, sed librorum intellectum usumque præmonstrat, id est, fido præceptori? Sed hoc vinculo facile se ingrati expediunt scilicet. Quid enim? adolescens debui, inquiunt, quod debere desii, postquam eo loco constitutus sum, ut præceptorem meum queam despicere. Tum: Operæ pretium ei numeravi. quid potest à me desiderare amplius? Puto non defuturos, qui per magnitudinem animi nihil desiderent amplius: præclare imo secum agi putent, si non experiantur hostes, quos educarunt discipulos. Sed quâ auctoritate possit fieri, ut lex æterna habeatur pro temporaria, & brevi circumscribatur tempore pietas, cujus

caussa perpetua est, parum in expedito est. Respondeat his hominibus *Seneca*, felix cetera, nisi discipulum habuisset Neronem. *Isto modo,* inquit, *ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices: nec praeceptori, quia aliquid numeraveris. atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia est. — Quid ergo? quare & medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico & praeceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate.* Ostendit deinde solicitudinem & unicum affectum medici, ægro suo timentis: ad exemplum Philippi apud *Curtium:* longe dissimilis scilicet, alterius, quo *Pyrrhus* utebatur, venefici Timocharis; aut impostorum, quos iterum describit *Seneca*: *Multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.* Progressus à medio, ad præceptorem, hic quoque distinguit vulgarem præceptoris operam & singularem ac familiarem. *Ne praeceptorem quidem,* inquit, *habeo, cur venerer, si me in grege discipulorum habuit; si non putavit dignum propria & peculiari cura, si nunquam in me direxit animum: & cum in medium effunderet, quae sciebat, non didici, sed excepi.* Hæc si exigantur ad normam sanctioris philosophiæ, non sustinent censuram cordati judicis; nisi comparandi meriti caussa, non dissolvendi, dicta acceperis. Sequitur enim de peculiari opera: *Alter* (præceptor) *rursus in docendo, & laborem & taedium tulit, praeter illa quae a praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens, & pigrum, injecta (ut ita dicam) manu, extraxit: nec quae sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, universa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Adjicit plura in hanc sententiam: quæ surdis plerumque auribus occinuntur.

6. de benef. 15. — *lib. 3. c. 6. Vid. Val. Max. 9. 5. 2. Gell. 3. 8.* — *6. benef. 36.* — *3. benef. 16.*

Patronorum officia, etiam in foro, gratum reposcunt animum, non tantum, ubi gratuita sunt, sicut apud Romanos quodam tempore; sed etiam, ubi emolumentis æstimantur

Tac. 11. A. 6.

æstimantur: si patronus, non suo quæstui inhiavit, sed meis commodis prospexit; ad inimicorum insidias occurrit, excubavit, timuit; nihil diligentiæ, & amoris pro caussa reliquum fecit, id est, si amicum se præstitit. Quare ingrati merito apud omnem posteritatem reus est Popilius Ciceronis interfector. Controversiam ita proponit *M. Seneca: Popilium parricidii reum Cicero defendit: absolutus est. proscriptum Ciceronem ab Antonio missus occidit Popilius, & caput ejus ad Antonium retulit, accusatur de moribus.* tanquam ingratus scilicet. id quod amplius interpretatur *Valerius Maximus*, facundâ commemoratione sceleris, quam ita claudit: *Invalidæ ad hoc monstrum sugillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non extat.* *Capitonis* apud *Senecam* ista est oratio: *Deduxi ad vos rerum omnium, quos terra sustinet, nocentissimum, ingratum, impium, percussorem, bis parricidam: nec tamen timeo. patroni viderint, nemo à Popilio quidem, nisi post beneficium occiditur.* Quod defenderit Cicero hunc Popilium, ex historia desumptum est: quod in caussa parricidii defenderit, ab ingenio declamatorum est, qui nocentiorem voluerunt reum facere, & occasionem sententiis ac figuris quærere. Etiam si autem in privato judicio defensus sit, ingrati animi crimen ac invidia non simplex in reum incumbit. *Naturale est* enim, *ut quod in nullo patrono oportuit, indignius sit factum in Ciceronem patronum*, quæ *Latronis* est sententia. De manumissorum & libertorum grato ingratove in patronos animo, ejusque pœna, jure civili Romano Græcoque abunde decretum est. Patrocinii nobilioris genus, quod Romæ instituit Romulus, partim lego publica, partim pactione privata, partim moribus & institutis continebatur: denique mercenaria res tota facta est, & ex formula conventionis judicanda. Sicut autem sancta inprimis Patroni & clientis antiquitus nomina sunt: ita haud dubie invisum fuit & animadvertendum crimen, *cliens ingratus.* Atque si ll. XII. Tab. proditum fuit, *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto*: non immerito credas, clientis quoque in patro-

lib 3. controv. 17.

5, 3, 4.

Conf. Val. Max. & M. Senec.

Sen. ad 6. Aen.

num fraudem, severa lege vindicatam esse. Quamquam clientium infirmitas, ab injuria potentiorum, per illam legem vindicata, non æque ad nocendum efficax existimari potest. Sed in hoc genere necessitudinis, cum beneficium & observantia utramque paginam faciant, de quibus invicem pugnabant veteres; proditæ non reperiuntur in judicio querelæ. Ingrati scilicet querela ad beneficii auctorem spectat, ac ejus nomine instituitur: aggravaturque, si is pater, aut præceptor, aut patronus, aut hospes fuerit.

Nam & hospitii sanctimoniam, non virtus modo & humanitas, ut hodie, sed jura etiam & leges definiebant. Omni autem lege fortius sacravit jura hospicii Philippi Macedonæ Regis severitas: *qui improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago, stigmata inscripsit, ingratum hospitem testantia.* quasi diceret, interprete *Seneca*, Æquum est, *intra fines regni mei, te literas istas oculis inscribendas, durissima fronte circumferre; ostende, quam sacra res sit mensa hospitalis: præbe in facie tua legendum istud decretum. —— Magis ista constitutio sic erit rata, quàm si illam in as incidissem.*

4. *de benef.* 38.

Et si quidem lex adversus ingratos, in aliqua civitate, ferenda sit, nemo suaserit, dubia aut incerta comprehendi. Nemo postulabitur ingrati, qui nondum reddidit beneficium; qui minore mensura reddidit; qui non reddidit ei, de quo dubitari potest, an dederit beneficium. In confesso sint merita oportet: in confesso crimen ingrati animi. Quod cum multiplex sit, duabus tamen præcipue rebus cernitur: vel cum dissimulatur & negatur beneficium; vel cum bene meritus dictis factisque læditur. Illud prius genus ingratorum, crebrum & frequens; hoc posterius, tanquam ferinæ cujusdam & inhumanæ pravitatis, rarius existimavit *Julianus*, cujus sententiam exempla novissimi temporis non affirmant, legislatorem autem potius monent, ut increscentibus vitiis modum statuat. Præcipua scilicet legis condendæ industria in eo versabitur, ut ii coërceantur, qui homines de se sine controversia bene

orat. 3. *p.* 191.

sia bene meritos, calumniis, maledictis, injuriis, molitionibus inimicis ac hostilibus violant. De quibus *Carolus Paschalius in censura animi ingrati (cap. 29.)* in hunc modum disserit: *Insigniter ingratus is est, quem non modo tibi beneficio non adjunxisti, nec solum pro benefactis gratiam non reddit, sed maledicta, eaque insuper malefactis cumulat. Cui plus debet, hunc magis odit, ex obligato ac debitore fit inimicus, nunquam non periniquus, irarum, minarum, ultionis plenus. Hoc deterrimum genus hominum, è quibus nihil nisi messem mali metere licet, quidam assimulant arieti, qui altorem suum sæpe cornibus incursat. Ego potius talem dixerim esse lupum illum, de quo extat Græcum epigramma,* τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω: —— *Hoc genus ingratorum notat Sapiens hisce verbis: Qui,* inquit, *reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* In dissimulatoribus & inficiatoribus beneficiorum, relinquantur, puto, suis moribus, qui de beneficio accepto, non satis evidenter possunt convinci. Sed qui indubitabilibus sunt beneficiis affecti, ope adjuti, liberalitate sublevati, doctrina eruditi, cura educati; hi, si inhumanâ impudentiâ velint inficiari merita, & quod plerumque sequitur, maleficii sui turpitudinem minuere; illi malo domandi fuerint.

In utroque hoc genere eminent flagitii atrocitates, quibus *beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.* Ex odio injuria; ex injuria novum odium. *Proprium* enim *humani ingenii est, odisse quem læseris. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes; quos læserunt, & oderunt.* Et descripsit quidem ingratorum ingenia moresque, turpitudinisque tantæ notas & insignia in literas misit, eademque opera quasi suasoriam legis adversus ingratos concinnavit doctissimus vir *Lilius Gregor. Gyraldus*; omisit autem, sive reperi non credidit, pessimum genus ingratorum, qui cum inficiari non possint manifesta hominum de ipsis præclare meritorum beneficia, quorum tamen hostili interim odio flagrant, invertere totam caussam, & à sensu horribilis fallaciæ avertere mentes aliorum conantur, ementiendo sine nomine & ex longinquo beneficia, velut in eos collata.

Tac. 4. A. 18.

Tac. Agr. 42.

Sen. 2. de ir. 33.

Parænes. ad. vers. in gratos, tom. 2. oper.

collata, erga quorum veriſſima beneficia ſe ingratos præbent, cum tamen nec voluerint, nec potuerint id facere quod jactant, manifeſtaque rerum fide & invictis argumentis mendacii ac vanitatis argui poſſint. Interea apud homines rei totius ignaros, famam ingrati animi, cujus ſibi conſcii ſunt, obliterare, atque ultro querelam illam ferere ſtudent, quam adverſus ovem in fabulis lupus ordi-tur. Cæterum inauditæ malitiæ fraudem, operæ pretium eſt victuris chartis deteſtari peculiari cura, qua Charites ornabuntur.

Quin autem manifeſta ejusmodi & nefaria ingrati animi crimina, lege deſcribi atque coërceri queant, quid relinqui dubitationis poteſt? non minus enim, in aliis hominum perſonis fieri poteſt, quod in liberis *Juſtinianus Imperator*, quem ante laudavimus, in exemplum prudenter graviterque perfecit. Pœna, ut ſtatuatur more Perſarum in ingratos, multas ob cauſſas, nemo ſuaſerit. neque antiqui, uſquequaque probarunt. *Ammiani Marcellini* notus eſt locus: *Leges apud Perſas impendio formidatæ. inter quas diritate exſuperant, latæ contra ingratos, & deſertores.* Ignominiam ſtatuere notabilem, loco pœnæ, conſultius eſt: ad quam delendam expiationibus quibuſdam locus non præcludendus eſſet.

lib. 23. c. 31.

At, inquis, quin ferre adverſus ingratos leges poſſint, penes quos condendi juris poteſtas eſt, nemo abnuat. An autem conſultum ſit hoc facere, non æque in expedito eſt. Nos illam diſputationem nunc ingredi non conſtituimus, niſi quod ex allatis haud pauca huc faciunt. Sunt exempla graviſſimarum nationum: eſt ratio ſumma in rei utilitate, ad finem publicæ felicitatis conſequendum neceſſaria; cum non minus ingrati animi vitium omnes morum labes continere aut trahere credatur, quàm gratus animus omnium virtutum proventu ac neceſſitudine celebratur: eſt increſcens hoc aut illo ævo hominum pravitas, & ingratorum multitudo; qui in aliis diſcūnt & experiuntur, quod paulo poſt adverſus patriam exerceant: Sunt alia momenta, quæ

ta, quæ tempus, locus, & componendæ disciplinæ publicæ ratio suppeditare solet.

Seneca rationibus plerisque jam responsum est. nec multum proficit solicita illa *beneficii* & *debiti* distinctio. Quasi minus debeantur, quæ ex lege naturæ, & summa justitiæ ratione, etiam extra civilem formulam, debentur; quàm ea, quæ civilibus decretis sanciuntur. Ut taceam, illam sententiam ad eos tantum ingratos pertinere, à quibus reposcitur beneficium; sive qui reddendi beneficii caussa appellantur: cum potior de iis quæstio sit, qui pro bona gratia malam reddiderunt: beneficiumque maleficio rependerunt. Sed nec illa Stoicorum jactantia apud legislatoris aures tempestive promulgatur, quâ altiora subinde consilia, neque ex virtutum regulis, sed instituto quodam gloriæ extra ordinem petendæ, æstimanda in ore habent. Sicut autem, injurias etiam maximas, ex proposito quodam sublimiore, tolerare, nemo vetatur: ita ut hoc faciat quisquam, nullus legislator, nullus judex, quorum munus sanctissimum in prohibenda & punienda injuria præcipue versatur, præcipere solent.

Denique *Seneca* de pœna ingrati disputans, *Quid ergo?* inquit, *impunitus erit ingratus?* Mox decernit ei pœnam, *odium publicum*, supplicium gravissimum; *iram Deorum, tormenta conscientiæ, tristem & morosam vitam*: cum ex diverso *gratus* homo æquali perpetuaque voluptate fruatur. *Comparari autem potest* (ita pergit) *utriusque vita. cum alter tristis sit & solicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet; apud quem non parentum qui debet, honor est, non educatoris, non præceptorum: alter lætus, hilaris, occasionem referendæ gratiæ expectans, & ex hoc ipso affectu gaudium grande præcipiens; nec quærens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius uberiusque respondeat, non solum parentibus & amicis, sed humilioribus quoque personis.* Et jam antea de crimine ingrati dixerat: *neque absolvimus illud, sed —— tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad judices Deos mittimus.* Imitatur *Grotius* hanc sententiam, cum *talia peccata DEO vult punienda relinqui, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus,* & ad

[Margin notes: 3. de benef. 17. — 3. benef. 6. — I.B. 2, 20, 20]

& ad vindicanda potentissimus. Loquitur *Grotius* de peccatis, *quæ nec directe nec indirecte spectant ad societatem humanam, aut ad hominem alterum.* Tale autem peccatum esse ingrati animi vitium, in manifestis illis & enormibus speciminibus, quæ ante designavimus, concedi nec potest nec debet. quod & *Feldeno* observatum. Itaque crimina ingrati animi, quatenus incertam æstimationem habent, lege non coërcentur: quando autem clara sunt & indubia, in libertis, etiam jus Romanum punivit. cum id, ut fiat, reipublicæ intersit, & ad salutem civitatis pertineat. Quare &

Structur. ad censur. Feld. l. d.


Grasvvinckelius, Grotii mentem ita explicat, ut omissionem gratiæ, *non offensionem aut læsionem* intelligamus. additque: *Gratitudo adversus parentes ac patronos etiam cogi potest. non enim in arbitrio liberorum & libertorum est, gratum esse, sicut aliorum quorumlibet.* Quæ postrema verba, comparationem habere possunt, sententiam absolutam tueri non possunt. neque enim, accuratè loquendo, dixeris: cujusque arbitrio relinqui gratus velit esse, an ingratus. Si itaque *Grotius* dixerit, in suscipiendo bello non temere suadendum esse, ut adversus ingratos suscipiatur, si nulla alia caussa accesserit, reprehendi non debet voluntas, restringere bellandi licentiam conantis. Sicut nemo facile judicaverit: hic populus adversus libertatis suæ auctores & defensores cornua erigit, insolentemque se & ingratum præbet; ergo armis petendus & ad officium redigendus est. Verum, si injuriæ aliæ manifestæ, quæ bello justam caussam dant, accesserunt, ingrati animi vitium in suasoriis rationibus ad bellum impellere potest tam indigne læsos.

Qui interim legis judicisque beneficio tueri se ab ingratis nequeunt, & ad Dei tribunal, ut ante dictum est, remittuntur, illi & ipsi, non tam vindictæ studio, quam fiduciâ auxilii, pietatis memores, ac inter hostiles ingratorum insultus, caritatis non obliti, ita suam caussam cupiunt agere, ut emendari ingratos non everti desiderent. Sciunt quæ ingratos pœnæ apud *Prophetam* inevitabili o-

Ps. 41. & 55. & 109.

raculo denuntiantem maneant: sed mallent illas deprecari, quàm imprecari. Igitur intra hos limites oratio eorum decur-

decurrit: Vides, Optime Maxime Deus, qui ingratos odio & pœna damnâsti, gratos præmiis promissisque incitasti, nos hostilibus insidiis peti ab iis, quos aluimus, quos educavimus, neque furoris adversum nos summi quicquam reliquum fieri; vides nostra beneficia immanibus maleficiis rependi. Non ignoras, qui omnia scis, quotiens & quantum ignoverimus: candidaque & simplici mente, erroribus humanis, quæ, ut res docuit, inhumanæ pravitatis erant, tribuerimus. Sed in læsam totiens patientiam, furor insurrexit semper acrior: neque aliud quàm interitum eorum speravit, qui tuâ hactenus sustentante dexterâ steterunt. Conserva nobis tua munera, DEUS Optime: resiste occultis insidiis, retunde apertas molitiones, dissipa conatus, objurga bella nullos habitura triumphos. Fac ut ad se, & te redeant, qui hominem exuerunt, & tua præcepta conculcarunt. Nos ad veniam dandam semper erimus parati. en gregem nostrum, qui se tibi in clientelam & fidem tradidit! hunccine tu, Patronorum Maxime, calumniis inquinari, odiis oppugnari, injuriis affligi, vivus vidensque (vivens in perpetuum, videns omnia) patieris? *Fac mecum signum in bonum; ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me & consolatus es me.* Psal. 86, 17. Hujusmodi preces non magis possunt vanæ esse, quàm certum fixumque est; DEUM esse, fuisse, futurum esse gratorum patronum, ingratorum vindicem, qui suo digito scripsit legem; *Ingrati sit actio.*



XXXIII.

MILES CAPTIVUS.

Capiuntur bello homines, omnis ætas, omnis sexus; urbes, civitates, omne rerum ac possessionum genus; jura quoque eripiuntur: quicquid denique ex hostico petunt bellantes, captivitatis subire conditionem ea cuncta dicuntur. Sed nobis nec de re omni bello capta, nec de omnibus hominibus in potestatem hostium redactis, sermo erit. Solus enim *Miles captivus* in argumentum hujus dissertationis veniet.

Miles, quive pro milite, vel sacramento rogatus plenamque militiam habens, vel conjuratione aut evocatione, ad militandi munus auctoratus, intelligitur; quocunque militiæ gradu aut ordine, manipularis sive gregarius, centurio, tribunus, præfectus, Dux, Imperator. Varia enim genera hîc enarrari nihil attinet, aut moribus temporum ac nationum describi. cum non aliud jam spectetur, quam *munus militandi*, sive operam bello navandi. quod quidem præcipue *obligatione* metiri fas est: si non solenni semper, & in sacramenti formulam redactâ; concisius tamen & invicem adhibitâ, aut, ex naturâ rei, subintellectâ. Neque enim dubitandum est, quin voluntarius hodie miles, una cum auctoratis militans, fidem certe ibi obligatam habere, unde stat; eodemque jure, quo reliqui ex adverso constituti, capi posse censeatur. Id quod exemplo *vexillariorum* apud Romanos declarari potest. *Retinebantur* illi *sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis*, verbis *Taciti*. Sed ab hoste non minus capiebantur, quam ceteri. I. A. 36. Voluntarium *militem* dixi. nam si quis, aliarum rerum caussa in exercitu versetur, neque pugnet; ab eo jus belli abstineri, humanius & æquius est. Cumque fœminam à rigore juris bellici sublevare in multis sexus debeat, æqualem tamen cum viris sortem ultro subeunt fœminæ militantes.

litantes, ſicut Amazonum exempla, & ſi quæ hujus generis occurrunt, oſtenderint.

Non parum autem refert, quo modo in manus hoſtium perveniat *Captivus* noſter, & quæ ſit apud hoſtes ejus conditio: ſed nos unum nunc ſpectabimus, ad quod reliqua congruent; *quo loco apud ſuos ſit miles captivus, aut eſſe debeat, quotiens de eo redimendo, aut de redempto, receptove, in republica conſultatur ac ſententia dicitur.*

Cujus loci triplex eſt ratio: *una*, quæ favorem negotio conciliat; *altera*, quæ odium; *tertia*, ambiguam æſtimationem habet, neque ſemper eodem modo expeditur.

Quæ *favorem* captivis militibus conciliant, paulo altius repetenda ſunt. Præter neceſſitatem ergo & præſtantiam operæ militaris, qua reſpublica carere nequit (*quippe rei militaris virtus præſtat ceteris omnibus*; *omniaque latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis*, ut eſt apud *Ciceronem*) illud conſideratu dignum eſt, quod milites in onere totius civitatis ſuſtinent partem maximè arduam & duram. Si enim in ipſa militia, *urbanarum excubiarum* labor haud immerito levior cenſetur, quàm eorum, quibus infeſtas apud gentes *è contubernio hoſtis aſpicitur*: certè onus militibus pro tota civitate impoſitum, non poteſt comparari, cum eorum onere, qui interim pecunia, aliiſque pacatioribus modis bellum juvant, partiendique laboris publici æqualitatem ſupplere quidem, ſed non æquis paſſibus, contendunt. Quod, ſicut in civibus manifeſtum eſt, ita nec in externo aut peregrino milite neglexit Darius apud *Curtium*, quando non minus Græcos, quàm Perſas, vocat *ſuos milites, ſuam ſecutos fidem*; gravi ratione addita, *quod ſuam ſalutem credunt civitati, cui militant*, externi: imo pro civitate illa ſuam ſalutem periculis objectant, id eſt, non faciunt peregrinorum opera, ſed civium; neque ſuam, ſed civium vicem præliantur. Diminuitur aliquid, fateor, de tam præclara opinione, mercenaria vilitate quorundam: ſed nec ſemper de ſequiore propoſito ſingulorum conſtare poteſt; & hominum vitia ad injuriam rerum valere non debent.

Orat. pro Muræna cap. 10.

Tac. 1. A. 17.

3, 8.

 Inten-

Intenditur vis hujus argumenti, si ille aut illi capti sunt, quorum virtus sæpe multis bellis antea spectata fuit: aut, quorum necessaria reipublicæ opera est. Meruisset profecto redimi M. Atilius Regulus, post amplissimæ virtutis opera edita, *ex victore speciosissimo ad miserabilem captivi deductus fortunam*: nisi ipse obicem posuisset suæ liberationi. Licet enim plus fiduciæ, quàm consilii ad postremam illam pugnam attulisset, non potuit tamen nec debuit hæc culpa tot illustribus meritis opponi. Est hujus generis, de captivo rege redimendo, quæstio: quam inter civium fidem, & totius civitatis incommoda impeditam, magnus animus, qui solus capi non potest, in Francisco I. Galliæ Rege aliquo modo explicuit, cum malle se captivum mori, carere regno, filioque id relinquere; quàm iniquis legibus oneratum ac diminutum recipere, in custodia Hispanica testaretur. Imitator scilicet gravitatis & constantiæ, qua ejusdem gentis Rex Joannes, duobus pæne sæculis ante, in Anglia captivus, Eduardi victoris regis postulata repulerat. In qua historia etiam illud occurrit, quam adversus merita Regis sui ingrati, & de liberando eo parum soliciti fuerint ordines Galliæ.

Val. Max. 1, 1. 14.

Flor. 2. 2.

Bodin. de Rep. 1. & Io. Serranus in Franc. 1. pag. 431. Id. in Ioan. pag. 142. ann. 1357.

Apud Christianos, captivorum redemptionem inter *τὰ τῆς ἀγαπητικῆς συμπαθείας ἀποτελέσματα*, *misericordiæ & dilectionis opera ac specimina*, commendari, satis constat: ita ut ea de caussa etiam sacris Ecclesiarum thesauris non parcendum, & viri pietate flagrantes, & postea leges Ecclesiasticæ statuerint. Sed, si originem rei attendimus, non tam ad milites captos, quàm ad alios, ista benignitas pertinebat: quod vel *Ambrosii* illa ostendant, ubi de hac re agit: *Quis est tam durus, immitius, ferreus, cui displiceat, quod homo redimatur à morte, fœmina ab impuritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt: adulescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur?* Præcipue autem vincula religionis ergò Christianis injecta, multo honore & cura celebrabantur. Non tamen nihil militibus prodesse debet regula caritatis Christianæ, quæ omnium

Theophan. Homil. 19.

2. offic. 28.

omnium virtutum præceptis pondus adjicit; omnia duriora mitigat, tristia edulcat.

Verum, cum hodie inter Christianos haud paulo mitior sit captivorum conditio, neque servi fiant, qui in hostium potestatem veniunt, miserationis non æque potentia sunt momenta, sicut in captivis servientibus. nisi quod idem sentiendum est de iis, qui in Turcarum, Tartarorum & ejusmodi immanium gentium manus perveniunt, quorum conditionem descripsit, tristem tredecim annorum experientiam nactus *Bartholomæus Georgievizius*. neque in hunc diem fere aliquid mutatum apparet. Tractarunt hunc locum abunde, quibus de bello Turcico superioribus sæculis consultatio oblata est. *ap. Reusn. in Anti-Turcico.*

Apud ipsos utique ethnicos multum miserationis in captivos trahebat, ipsa servitutis miseria, major minorve, pro dominorum ingenio; sed nuspiam sine ærumna. Ipsa quippe captivitas, fiduciam, sine qua animus torpet, extinguit. *Alius domi est cœli haustus, alius lucis adspectus: mores, sacra, linguæ commercium, etiam à barbaris expetuntur: quibus qui carere cogitur, calamitosum se judicat.* præsertim cum sit *capite diminutus, abalienatus jure civium, servus hostium* factus, ut apud *Livium* captivitas describitur. Accedunt vincula, quorum & pudet & piget: sicut *captivi Plautini* ostendunt, ac dequeruntur tum alias, tum lamentabili illo carmine: *Curt. 5, 5, 19.* *22, 59.* *Plaut. Capti. act. 1. sc. 2. v. 3. & act. 2. sc. 2. v. 4. & 34. ac seq.*

—— Fortuna, humana fingit, artatque, ut lubet,
Me, qui liber fueram, servum fecit; è summo, infimum.
Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.

Verbera, lapidicinæ, crassæ compedes, atroces ex levis delicti occasione pœnæ. Utuntur hoc argumento in Senatu Romano captivi Cannenses apud *Livium*: *Illud etiam in tali consilio animadvertendum vobis censeam, P. C. si tamen duriores esse velitis, quod nullo nostro merito faciatis, cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet, qui nos hospitum numero habuit captivos, an barbaro ac Pœno; qui utrum avarior an crudelior sit, vix existimari potest. Si videatis catenas, squalorem, deformitatemque civium vestrorum, non minus profecto vos ea species moveat, quam* *act. 3. sc. 5 v. 66. & seqq.* *lib. 22. c. 59.*

si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Ultimum omnium malorum mors est, quæ & ipsa sæpe captivis imminebat. Quamquam enim durum illud & insolens,

Senec. Troad. act. 2.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit,

rectissime repudietur meliore sapientiâ,

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor;

Grot. I. B. 3. 11, 7. add. annot. Histor. misc. 11, 4. Declam. 16. apologia Demosth.

Sæpius tamen fere licentiæ, quàm pudoris meminerunt victores: adeo ut ne regibus quidem captivis vitam concesserint aliquando Romani: imo bestiis objecerint, quod de Constantino memorant.

Nonnunquam indignitatem captivitatis auget vilitas aut diritas dominorum. Athenienses laudat *Libanius*, quod *ne in theatro quidem & fabulis ferre potuerint, si inducerentur Græci à barbaris capti*: μηδὲ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων ἀνέχεσθε, ἐν οἷς ἕλληνες ὑπὸ βαρβάρων ἁλίσκονται. Utinam hunc sensum Deus Christianis inderet, quotiens de captis à Turca, Moscho, ferisque aliis gentibus cogitatio subit. Concurrit enim cum indignitate atrocitas apud his miseros: qui & infanda patiuntur, & à barbaris patiuntur. Nec opus est ad Jo. Basilidis immanitatem & vetustiora recurrere, nisi si propiora dememinisse quisquam potuit.

Alexand. Gaguin.

Novum genus miseriæ, phantasiâ παθητικῇ movent Romani ad Cannas captivi, si redemptione indigni habeantur: *Si medius fidius ipse in nos mitis Hanibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, cum indigni ut à vobis redimeremur, visi sumus.* — Et: *redeam ego in patriam trecentis numis non æstimatus civis?* Et mox: *Magis me famæ periculum movet, ne à vobis damnati & repulsi habeamur. neque enim vos pretio pepercisse homines credent.*

Liv. 22, 59.

Hic locus ad aliud nos genus favoris in redimendis captivis militibus deducit: ubi prona scilicet ad redimendum via, id est, quando & victor redimendi copiam facit, & pretium redemptionis non iniquum statuit. Non defuit sane ratio, quæ captivis illis Cannensibus obverteretur

retur, ſicut poſtea cognoſcetur. Eſt tamen de cetero, ubi validè auditur hæc ſuaſoria. Unde plenum invidia & odio habetur Mauritii Imperatoris factum: qui cum Chagano Avarum Duci legiones ſibi, quod ſeditioſius egerant, inviſas ductu Commentioli objeciſſet, captos de iis ad duodecim hominum millia, noluit redimere poſtea, quamquam Chaganus non niſi numum pro ſingulis, atque ubi non impetraret, dimidium numum, exigeret. Quâ re incitatus barbarus (quod futurum divinari facile poterat) omnes trucidavit. Secuta eſt hanc crudelitatem Mauritii ſera pœnitentia: neque minimum ea res ad exitium ejus momenti credebatur attuliſſe. Memorat *Zonaras*, & *Hiſtoria Miſcella*: ne de *Cedremo* & *Nicephoro Calliſto* dicam. *tom. 3. p. 63. lib. 17. c. 39.*

Nunquam autem favor in captivos milites manifeſtior, quàm quotiens bellum conditionibus finitur: ſolennem in legibus pacis locum occupante, captivorum ex utraque parte dimiſſione. Viciſſim valet, ut dixi, iſta facilitas. Unde iniqua viſa eſt conditio & dura, quam Carthaginienſibus Regulus tulit, *ut Romanorum captivos ipſi gratis dimitterent, ſuos autem pretio redimerent*, apud *Dionem Caſſium*. Significabat enim pacem non ex æquo; cum juberentur facere, in quibus Romani non erant mutuum facturi. ἄλλα τέ τινα, ὐκ ἐκ τῦ ὁμοίυ ποιεῖν ἐκελέυοντο. inquit *Hiſtoricus*. *in Eclog. Legat. Urſin. adde Polyb. 1.*

Atque, ut plauſibilior reddatur cauſſa captivorum militum, producuntur exempla civitatum, quæ ad gloriam & utilitatem ſuam pertinere judicaverint, captivis liberandis operam dare. *Libanius*, antiquam de captivis redimendis legem laudat; legatosque ea de cauſſa ad victores mittere, eſt ei, τῷ παλαιῷ περὶ τὲς αἰχμαλώτους χρήσασθαι νόμῳ. Apud *Livium*, qui pro Cannenſibus in captivitate reliquiis loquuntur, *Majores noſtros*, inquiunt, *acceperamus ſe à Gallis auro redemiſſe; & patres noſtros aſperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum miſiſſe*. Hanc legationem optime omnium exequitur *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, qui ait, *legatos miſſos* τοὺς ἀξιώσοντας πύῤῥον ἀπολυτρῶσαι σφίσι τὺς αἰχμαλώτους, ἤτε ἂν διαλλαξόμενοι ἑτέρων συμά- *Declam. 15. 22, 59. In Eclog. Legat. ap. Fulv. Urſin. S-*

σωμάτων, ἔτε ἀργύριον καθ' ἄνδρα ὁρίσαντα; postulaturos à Pyrrho, ut captivos sibi redderet, vel pro aliis captivorum corporibus, vel statuto in capita singulorum pretio. Qui duo modi adhuc hodie scil. in usu sunt. pretio in summis quidem Ducibus & Principibus variè taxato: in ceteris ex mutua cujusque populi ratione temperato. Et Pyrrhus quidem ducentos ex captivis statim sine pretio remisit, laudante factum *Cicerone*, ut magni excelsique animi specimen (quamquam suberat artificium, quod *Florus* bene notat) de ceteris permisit ad Saturnalia Romam proficisci, quotquot vellent, unius in ea re Fabricii legati secutus fidem, qui redituros, nisi pax interea convenisset, promiserat. Extitit fides promisso. reversique in captivitatem præstituto die sunt omnes. Neque planè ea gravitate carent juniora tempora. Cum enim anno superioris sæculi 74. Middelburgum deditum esset Orangio, Mondragonii sola auctoritas, absque ullis pignoribus aut obsidibus, apud victorem valuit: cum diceret se effecturum, ut Altegundius cum tribus, quos ipse legisset, aliis, ex captivitate in Selandiam sextum intra mensem remitterentur, aut si rem conficere nequivisset, in captivitatem rediturum esse, quod *Famianus Strada* amplius dilaudat. Sed istam de permutandis, aut redimendis captivis deliberationem utrinque memorabilis, & ad reipublicæ tempora fortunamque sedulo exacta utilitas ferè dirigit: honestatis species ac magni animi gloria, obtentui assumuntur.

Grot. I. B. 3. 14. 9.

1. offic. 12. & 13.

2, 18.

Appian. apud Fulu. Vrsin. in Ecleg. leg. 6.

Decad. 1. lib. 8.

Non invidetur interim hæc gloria privatis, si velint, civibus quibusdam suis liberatis vel humanitatis officium usurpare, vel nomen sibi comparare, aut benevolentiam colligere. Unde Cicero optimatibus viris id factitatum ex *oratione Crassi* refert, laudatque non semel hoc beneficentiæ genus. *Atque hac*, inquit, *benignitas etiam reipublicæ utilis est, redimi è servitute captos.* Et apud *Libanium* inter virorum magnificorum opera, referuntur αἰχμαλώτων λύσεις *captivorum redemptiones.* Apud *Eundem* Demosthenes de sua legatione glorians, *alios pecuniam retulisse*, ait, *se autem undecunque conquisitos sua pecunia, quotquot posset, captivos reduxisse.* addit-

2. offic. 18.

tom. 1. Apolog. Demosth. pag. 459.

additque: *καὶ νῦν οὐκ ἂν ὤκνησα τὸν αὐτὸν τρόπον ἀπαλλάξαι χείρονος τοὺς πολίτας τύχης, εἰ παρῆν μοι τοσοῦτον ἀργύριον. Nunc quoque non omisissem eodem modo cives in meliorem ex adversa fortunam vindicare, si tantum argenti suppeteret.* Sumta hæc sunt *ex oratione* ipsius *Demosthenis περὶ παραπρεσβείας.* qui locus, cum ad nostram rem haud parum faciat, latine, ut putamus convertendum esse, huc afferetur. *Age vero,* inquit Orator, *quos ego captivos redemerim, vobis exponam. Quo tempore, antequam Philippus rediisset, Pellæ agebamus, captivorum quidam, quotcunque vades dederant, haud sane confisi, ut arbitror, compotes se voti per Philippum fore* (absque pretio scilicet multum lucri de tot captivis promittente dimittendos, ut *Ulpianus Rhetor* explicat) *se velle ipsos sibi libertatem parare, neque ejus rei gratiam Philippo debere, dixerunt: & alius quidem tres minas, alius quinque, nonnulli rursus, ut cuique pretium redemptionis finitum erat, fœnerabantur.* scilicet ab isto Demosthene. *Postquam autem Philippus professus est, se captivorum reliquos sine pretio dimissurum, ego statim convocatis, qui mutuam à me pecuniam acceperant, quæ inter nos acta essent in memoriam revocavi, atque ne ipsis festinatio sua fraudi fuisse, aut hominibus pauperibus libertas suopte impendio quæsita videretur, cum interim alios gratis à Philippo dimissum iri, spes esset, donavi illis pretium redemtionis.* Productis deinde testimoniis subjicit: *ὅσα μὲν τοίνυν ἀφῆκα χρήματα, καὶ δωρεὰν ἔδωκα τοῖς ἀτυχοῦσαι τῶν πολιτῶν, ταῦτ' ἐστιν. Quas igitur remisi, & dono dedi calamitosis civibus, pecuniarum tantum est.* Ad gloriam & decus opportuna est ista magnificentia. sed & officii necessitudo quosdam ad redimendos captivos suscitabat. Clientium certe officio hoc contineri, ut patronos suos, eorumque liberos ab hostibus captos, redimerent, *Halicarnassensis* tradit. Privatæque redemptionis, ut sic dicam, mentio etiam in Romana illa deliberatione infertur, quando censent aliqui, *nullam publicam impensam faciendam, nec prohibendos ex privato redimi.* Quamquam ibi non de redemtione ea sermo est, quæ aliorum opera pecuniaque, sed quæ sua cujusque impensa fit; Unde & sequitur: *Si quibus argentum in præsentia deesset, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum*

Lib. 2.

Liv. 22, 60.

dum populo. Minus speciosa est liberatio captivorum, quando ejusdem civitatis civis suo ære redimit civem, non quidem servum redemptoris futurum, sed tamen plenæ libertati non restituendum, nisi pretium sui persolverit redemtori, aut certum ad tempus servierit. Quod etiam legibus civilibus firmatum est: ne favor redemptionis, consideratione damni imminueretur, hominesque ad eam humanitatem segniores fierent, si repetitio pretii nulla esset.

Progrediendum est ad illud caput hujus disputationis, quod in utramque partem plurimum valet, quomodo miles captus sit, sive in manus hostium pervenerit. Unicus hic favoris fons, si neque per ignaviam, neque per aliam culpam commisit, ut in manus hostium veniret. Licet enim verissimum sit illud *Livii*, *nulla virtute superari virium humanarum modum*: Serio tamen examinatur, an factum sit, quod fortis fidelisque operæ ratio postulabat. facile enim ignaviæ suspicionem incurrunt captivi. Unde apud *Plautum*, Philocrates, cum ex altera quoque parte quosdam captos intellexisset, solatium id arripiens, inquit:

4. 58.

Capti. 2. 2. 12.

—— *non igitur nos soli ignavi fuimus.*

Liv. 22, 60.

In oratione severissima Manlii Torquati, *capti in acie ab hostibus* longe præferuntur iis, qui se postea in castris dediderunt. *Libanius* præstet nobis interpretationem hujus loci, quando de captis ad Chæroneam ita judicat: *νομίζω καὶ τούτους οὐδὲν ἧττον ἀγαθοὺς, καὶ οὐδεμιᾷ κακίᾳ ταύτην ὑπομεῖναι τὴν τύχην· ἀλλ᾽ εἶναι τῆς ἀνδρείας αὐτῶν καὶ τοῦτο σύμβολον, τὸ μαχομένους ἁλῶναι· κτλ.* *Existimo & hos non minus præstantes* (quàm eos sc. qui in acie ceciderunt) *neque ullo suo vitio hanc fortunam subiisse: quinimo, non minimum esse, & hoc virtutis eorum testimonium, quod pugnantes capti sunt*: *ignavi enim* (ita addit) *& vulnera formidantes congredi non audent, sed initio pugnæ arma jacientes fuga sibi consulunt: qui vero virtutem suam spectari actione cupientes, hostem umbonibus propulsant, sui immemores; hi sunt, qui capiuntur.* In acie ergo capti intelliguntur hîc, quibus circumventis neque ad pugnam, neque ad fugam locus

Declam. 15.

locus fuit. antequam enim in captivitatem miles pervenire velit, fuga, post consumtam scilicet virtutem, illi conceditur. In *declamationibus*, quæ *Quintiliano* tribuuntur, legas: *Longè felicissimum in bellis est, vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro caussa mori. Est tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire, & si vincere non detur, effugere. Potest enim credi, qui hoc fecit, ad secundam se aciem servasse, & victum adversis animum reposuisse.* Quem in sensum *Florus* de Cannensi clade: *Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit: Varro non desperavit.* Cui etiam publico nomine *gratiæ sunt actæ, quod de republica non desperasset.* Fruuntur hoc favore, qui obsessi postquam ad summam virtutem nihil reliqui fecerunt, omniaque, quæ tolerari possunt, sustinuerunt, se hosti coguntur dedere. Nec minus, qui à Duce dimissi, neque mandata egressi, pauci à pluribus intercipiuntur. Si enim *Modestinus* rationem ejus habet in præmiis & commodis militaribus, *qui ex improviso, dum iter facit, capitur ab hostibus:* multo magis favor in captivum trahitur tali casu, quo mandata fungens in hostem incidit.

Declam. 319.

Flor. 2. 6.

Liv. 22. 61.

l. 3. §. 12. ff. de re mil.

Facit & tempus favorem militibus captivis: si victori lucrum ex pecunia, victis ex recepto milite potius videtur; Si permutatio institui potest, quæ, ut potest & solet fieri, utrique parti per rationes publicas non ingrata esse deberet; si captivis auctum in captivitate in hostes odium constat; si belli pace finiendi nulla aut longinqua spes sit; si saluis dignitatis publicæ, consiliorumque belli rationibus fieri queat; si de hostium propositis valida conjectura est. quali apud *Libanium* Demosthenes utitur: *οὐδὲ γὰρ τὸν Φίλιππον ἐύρισκον ἡδέως ἂν ἔχοντα τοσούτους ἀθηναίων ἐπὶ τῆς αὐτοῦ χώρας ἐχθρούς. οἷς οὔτε στρατιώταις ἔμελλε δήπου χρήσασθαι· σφαλερὸν γὰρ· οὔτε συνάγων εἴς τι χωρίον κατέχειν, ὅθεν οὐκ ἦν ἀποδρᾶναι ῥᾴδιον. τό, τε ἄλλως ἔχειν ἐν δεσμοῖς, οὔτε ἀνθρώπινον, οὔτε κερδαλέον. Non enim reperiebam, Philippum libenter Athenienses, id est, hostes, in regno suo habiturum: quibus nec, ut militibus uti posset, (anceps enim id foret) nec loco eos certo concludere, unde nulla effugiendi facultas. Alia autem ratione, vinclis*

Declam. 15. pag. 425. tom. 1.

eos coërcere, neque ad humanitatem, neque ad quæstum, opportunum
4, 11, 12. *videbam.* Tentat has rationes apud *Curtium* nequicquam Parmenio, cum suadendum fuisse ait Alexandro, *ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupaverant manus.*

Non omittendus est favor, qui absentiæ captivorum militum jure gentium datur: naturali scilicet æquitate huc vocante, ne absentiæ damna metuat, qui reipublicæ caussa non abest modo, sed insigni cum incommodo & detrimento sui corporis, rei familiaris, omnisque fortunæ
Grot. I. B. 3. 9. abest. Hinc postliminii jus, & quæ alia civilibus quoque formulis perscribuntur.

Priusquam hinc abeamus, facienda videtur mentio cadaverum captivorum. nam & ista repeti mos est, an &
Grot. I. B. 2, 19, 3. auro repensari? non nisi apud barbaros. Quamquam & illis natura dictat suum jus, nec usquequaque sinit esse feros. Cum superiore sæculo Sebastianus Lusitaniæ Rex in Africa prælians cecidisset, & de redimendo corpore ejus cœptum esset agitari, Hametes Melici victoriæ immortui frater idemque successor, negavit *se eum esse regem, qui ex*
lib. 65. an. 1578. *cadaveribus pretium acciperet*, apud *Thuanum.* Cessant enim morte, quæcunque pacem cum vivis distinebant: omnisque odiorum materies evanescit. Unde offerenda potius, quàm concedenda defunctorum hostium corpora sunt. nec immerito, ut in re absurda Æneas apud Poëtam:

Virgil. Aen. 11. *Pacemne exanimis & Martis sorte peremtis*
Oratis?

ut responderet rationi juris naturalis, quæ præcesserat:

Nullum cum victis certamen & æthere cassis. Tractatus est hic locus, & expolitione omni diffusus in historia Adrasti, cui Thebani interemptorum corpora negarunt, donec Theseus juris communis patricinio suscepto rem confecit: apud *Poëtas* præsertim & *Oratores*, quorum nomina diligen-
I. B. 2, 19, 1. ter colligit *Grotius.*

Modos

Modos quosdam liberandi captivos, *Libanius* refert: primo, *collata viritim pecunia*, *sive imposito civibus tributo*, cujus favorem ita exequitur: οὐδεὶς γὰρ οὕτως Ἀθηναίων οὔτ' ὠμὸς οὔτ' ἄπειρος τῆς ὑπὲρ τῶν δικαίων δαπάνης, ὅστις ἂν τολμήσειε τὸ ἀνάλωμα φυγεῖν. *Nemo enim Atheniensium ita vel crudelis, vel impensarum in res justas ignarus, qui audeat sumtum talem detrectare, aut pecuniæ pauxillum* (ut additur) *in damnis reputare?* Deinde, *legatis & orationibus impetrari forte libertatem captivis posse*, ait. Quod genus, cum priori plerumque conjungitur. Plus enim fere argento, quam verbis, ad persuadendum inest virium. Tertia recuperandi captivos ratio, ad gloriam insignior est, *armis* scilicet *& virtute*. *Si deductis triremibus*, inquit, *Athenienses infestare Philippi regiones cœperint, adactus ea re Philippus, quicquid est captivorum, non hominum modo, sed locorum & urbium reddet.* Sed hujusmodi plures sunt viæ: cum urbe hostili capta, aut exercitu fuso, qui de nostris capti inerant, liberantur; aut alia virtute militum nostrorum recipiuntur. An & *fuga* locum habet? Negat *Grotius*. cui *Feldenus* contradicit hac ratione: *cum opinio de justitia caussæ ab utraque pugnantium parte soleat obtinere, injustum non est, captos se subtrahere victoribus, utpote à quibus injustè se detineri in servitute existimant.* Respondet pro Grotio *Grasvvinckelius*; *casum ita formari debere, ut ambiguo locus non sit.* Nihil, aut aliud, egisse uterque videtur. Mihi certum est, *Grotium* loqui de bello *justo* sive solenni, jure gentium, quod à summis potestatibus ritè geritur, sicut explicavit alibi. In quo ne attenditur quidem, quantum ad hoc, ut justum sit, caussa justa, quæ vel seposita interim, vel utrinque concepta animis intelligitur. De qua si intelligi voluisset, non potuisset aut debuisset hâc quæstionis formulâ uti, *Grotius*. sicut nemini attendenti aut intelligenti obscurum esse potest. Itaque non excipiendi, *Feldeno*; non respondendi, *Grasvvinkelio* caussa fuit. Quod si omnino, formata longe aliter quæstione, de caussis belli justificis hîc dubitandum sibi quisquam existimasset, pervelim audire quæstionem, ubi ambiguo, quod Feldenus attulit, non sit locus, nisi singulare exemplum, & extra

Declam. 15.

I. B. 3, 14, 7.

I. B. 1, 3, 4. & 3, 3, 1.

ea, quæ ut plurimum accidunt, fingatur.[1] Nihil justius quàm desiderare exempla in talibus caussis: nihil eruditius, quàm præfinire & describere. Neque tamen assenserim Grotio, hanc disputationem definienti. In bello enim, ut ipse appellat, justo, neminis civis opera aliter censetur civitati obligata, quàm ut faciat quod debet ac potest; & patiatur, quod necesse est. Hæc necessitas vel vi constat inevitabili, in nervo, compedibus, claustris: vel vinculo fidei; si promisit, si juravit captivus, se fuga non evasurum. Quicquid interjectum est, viam ad libertatem aperit. Captivus, si vir bonus est, corpore & patientia apud hostes, animo & voto apud suos agit: nisi quatenus pactiones & vincula fidei intercedunt. Ut si quis, liberiorem custodiam impetraverit, interposito de fuga non capessenda jurejurando, data dextra, promissione asseverata. Quâ de re sub gravibus exemplis disserentem juvet adire Bodinum. *lib. 5. de rep. cap. 6.* Videtur quidem ipsa deditio, ubi accedit, fidem captivi obligare. Sed cum hæc obligatio odiosa sit, interpretatio veluti tacito gentium consensu fit in partem humaniorem. Itaque jureconsultus nihil interesse vult quomodo captivus reversus sit; *l. 26. de captiv.* *utrum dimissus, an vi, vel fallacia potestatem hostium evaserit.*

Plaut. capt. 1, 2, 7. &c.

— captivus, avis feræ consimilis est:
semel fugiendi si data est occasio,
Satis est; nunquam post illam possis prendere.

Itaque apud eundem *Poëtam* honestus juvenis captivus ex communi & pervulgata apud omnes opinione, sicut in Comœdiis solet, γνωμολογεῖ ad herum: *2, 2, 9. & 10.*

Neq; pol tibi nos, quia nos servas, æquum est vitio vertere;
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

Et hæc sententia tum obtinebat, cum capti ipso jure fierent servi capientium, scilicet, ut rigor ejus juris dissimulatione talis culpæ mitigaretur. Aliter statuendum est, ubi sancta fidei pignora sunt interposita, sicut exemplum Reguli jam ante ostendit; cui non defuerunt, qui postliminii

minii

minii prætextum ostenderent, & periurii metum ac religionem demere cuperent. Sed ipse solidioris sapientiæ placita tenuit, & ad supplicia reverti, quàm religionem dissolvere maluit. Utautem *laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra redituros, ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo*; sicut amplius exequitur *Cicero*, cujus verbis modo uti placuit. & ut *Livius libro* XXII. *extremo*. *Eutrop. lib. 2. & Metaphr. Paanis.* *3. offic. 32.*

Veniendum nunc est ad *alteram partem, & ea, quæ plus invidiæ & odii trahunt in captivos, vel redimendos, vel redemtos receptosve.* Disciplinæ militaris severitas, vel consuetudine civitatis inducta, vel legibus firmata primum hîc nomen est: quam utrinque roborant tum exempla militarium populorum, tum experimentis spectata nobilibus utilitas publica. Magnificè hic locus tractatur in Cannensi historia. ubi ipsi captivorum legati exemplum Romanæ civitatis fatentur: *P. C. nemo vestrum ignorat, nulli unquam civitati viliores fuisse captivos, quàm nostræ.* Et mox Manlius commendat, admonetque: *ut mos traditus à patribus, necessario ad rem militarem exemplo servetur.* Nec parum movit postea Senatum *exemplum civitatis minime in captivos jam inde antiquitus indulgentis*, ut redderetur triste responsum, *non redimi captivos.* Quod *Valerius Maximus* inter ea, *quæ ab universo Senatu, pro militari more obtinendo defendendoque administrata sunt*, dilaudat. Idem jam ante *Cicero* factitaverat. *Octo*, inquit, *hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent à Paulo & Varrone Coss. eos Senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scripsit Polybius, quod Senatus P. Q. R. rebus afflictis tàm excelso animo fuisset.* In quibus verbis, præter eam, quæ dicta est, singularis ratio continetur, captivorum caussam aggravans: quando nimirum animosa atque fortis apparere vult civitas in arctis rebus, fortioribusque consiliis intenta *Liv. 22. 59.* *22, 60.* *2, 2, 61.* *lib. 2. c. 7. ex. 14.* *3. offic. 32.*

tenta, infirmitatem abſtrudit, ac fiducia inuſitata fortunam reparat. quod ſæpe ſucceſſit Romanis. Sed, ut ad diſciplinam militiæ redeamus, *nihil eſſe, quo magis illa confirmari poſſit, quam exemplum adverſus indignos, nemo dubitavit. Quæ enim ſpes in bellis in milite reſidua eſt, ſi nihil potius fuerit, quàm capi.* Ita *Declamatio Quintiliano tributa* 339.

Facit deinde rem difficilem numerus captivorum: tum apud eos, qui detinent, tum apud redemturos recepturosve.

Dionyſ. Halic. excerpt. Legat. Ful. Urſ. 5.

Ita Pyrrhus legatis Romanis reſpondet; *ſe, niſi pace facta, nequaquam dimiſſurum Romanis multos & bonos milites.* abſurdeque id peti autumat; *ἵνα τοῖς αὐτοῖς τούτοις σώμασιν εἰς τὸν κατ' ἐμοῦ πόλεμον ἔχητε χρῆσθαι, ut his ipſis,* inquiens, *corporibus bellum adverſus me inſtruere queatis.* Apud eos autem, unde captivi in manus hoſtium pervenerunt, ipſe numerus facit ſuſpicionem culpæ, ac ignaviæ. Imperator ille, qui captivos ab hoſte reverſos nocte, recipere noluit, apud *M. Senecam,* Cur, inquit, *trecenti perierunt?*

Excerpt. Controv. 5. 7.

imo cur, ne perirent, capti ſunt? Hos ego interdiu non recepiſſem, niſi victores: noctu, ne victores quidem. Procedens poſtridie in prælium, pugnaturis oſtendi trecentos, in quibus laudari nihil poteſt, præter fugam: nihil deſiderari, præter numerum.

2. 7. 14.

Senatus Romanus *conſimili animo* (utar verbis *Valerii Maximi*) *cum ei Annibal ſex millium Romanorum, quæ capta in caſtris habebat, redimendorum poteſtatem feciſſet, conditionem ſprevit: memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, ſi honeſte mori voluiſſent, turpiter capi non potuiſſe.* Et Manlius Torquatus, *quam tutum iter,* inquit, *duarum prope legionum agmini futurum fuiſſe cenſetis?* Scilicet cum ſexcenti eruperint.

Liv. 22. 60.

Sed Torquatus quidem, non ignaviæ modo aperto crimine, (de ſuſpicione enim modo dictum) ſed *ſceleris* quoque nomine eos poſtulabat, & utrumq; luculentis argumentis tractat. Ignavia hinc manifeſta: *P. Sempronius tribunus militum inſtanter admonuit, juſſitque vos erumpere: oſtendit ferro atque audacia viam fieri, quamvis per confertos hoſtes: imo, quam vere iſta diceret, ſuo exemplo monſtravit. favebat incepto nox. Nunquam Romana virtus talibus adhortationibus defuit. Calpurnius Flamma priore bello Punico trecentos voluntarios, inter medios hoſtes*

id. ibid.

hostes secum in collem traxit, cum diceret: Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones, nemo detrectavit. Hic non mors, sed incolumitas per eruptionem ostendebatur. cum tamen vel ad moriendum, tot civium cæsorum mortes debuerint incitare. Sed nec fecistis, quæ virtus & mos militiæ postulabat. Sicut enim cum in acie stare & pugnare vos decuit, in castra refugistis: ita cum pro vallo pugnandum erat, cum castra tutari vos oportebat, & castra & arma & vos ipsos tradidistis. Jam scelus, hinc arguebatur: quod non tantum bene monentem recusassent, *sed erumpentibus obsistere conati essent: ita ut viris fortibus ante cum civibus quam cum hostibus pugnandum, & inertes illi gladiis submovendi fuerint.* Attollitur hic locus amplificatione varia: præsertim etiam inde, quod ab ignavis istis in posterum nihil boni expectandum sit; vel quod perdita semel virtus haud facile in præcordia redeat; vel quod invidia & odio sint prosecuturi illos, quos semel deseruerunt, quorumque incolumitate & gloria suam ignaviam perpetua exprobratione flagellari putant. Tentavit hunc colorem etiam Torquatus. Imitatur ista omnia *Declamator*; ubi etiam primo ex more, institutoque Græciæ, caussaque bellandi conficit: *Nunquam majore animo, nunquam concitatiore spiritu fuisse pugnandum.* Sequitur: *In hoc igitur prælio, quod, ut dixi, pro universa Græcia susceperamus, nondum dico, quantum nocuerit istorum timor: interim cujus propositi fuerit animus, attendite.* Et: *Ille vero, qui se, inter virtutem, hosti dedit, qui abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit?* Conjungit ista omnia argumenta, & cumulat *Horatius* in consilio Reguli de non redimendis captivis:

Quintil. declam. 339.

lib. 3. carm. od. 5.

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exempli trahentis
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.

 Auro

si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Ultimum omnium malorum mors est, quæ & ipsa sæpe captivis imminebat. Quamquam enim durum illud & insolens,

Senec. Troad. act. 2.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit,

rectissime repudietur meliore sapientiâ,

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor;

Sæpius tamen fere licentiæ, quàm pudoris meminerunt victores: adeo ut ne regibus quidem captivis vitam concesserint aliquando Romani: imo bestiis objecerint, quod de Constantino memorant.

Grot. I. B. 3. 11, 7. add. annot. Histor. misc. 11, 4.

Nonnunquam indignitatem captivitatis auget vilitas aut diritas dominorum. Athenienses laudat *Libanius*, quod *ne in theatro quidem & fabulis ferre potuerint, si inducerentur Græci à barbaris capti:* μηδὲ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων ἀνέχεσθε, ἐν οἷς ἕλληνες ὑπὸ βαρβάρων ἁλίσκονται. Utinam hunc sensum Deus Christianis inderet, quotiens de captis à Turca, Moscho, ferisque aliis gentibus cogitatio subit. Concurrit enim cum indignitate atrocitas apud his miseros: qui & infanda patiuntur, & à barbaris patiuntur. Nec opus est ad Jo. Basilidis immanitatem & vetustiora recurrere, nisi si propiora dememinisse quisquam potuit.

Declam. 16. apologia Demosth.

Alexand. Gaguin.

Novum genus miseriæ, phantasiâ παθητικῇ movent Romani ad Cannas captivi, si redemptione indigni habeantur: *Si medius fidius ipse in nos mitis Hanibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, cum indigni ut à vobis redimeremur, visi sumus.* — Et: *redeam ego in patriam trecentis numis non æstimatus civis?* Et mox: *Magis me fama periculum movet, ne à vobis damnati & repulsi habeamur. neque enim vos pretio pepercisse homines credent.*

Liv. 22, 59.

Hic locus ad aliud nos genus favoris in redimendis captivis militibus deducit: ubi prona scilicet ad redimendum via, id est, quando & victor redimendi copiam facit, & pretium redemptionis non iniquum statuit. Non defuit sane ratio, quæ captivis illis Cannensibus objecteretur

retur, ſicut poſtea cognoſcetur. Eſt tamen de cetero, ubi validè auditur hæc ſuaſoria. Unde plenum invidia & odio habetur Mauritii Imperatoris factum: qui cum Chagano Avarum Duci legiones ſibi, quod ſeditioſius egerant, inviſas ductu Commentioli objeciſſet, captos de iis ad duodecim hominum millia, noluit redimere poſtea, quamquam Chaganus non niſi numum pro ſingulis, atque ubi non impetraret, dimidium numum, exigeret. Quâ re incitatus barbarus (quod futurum divinari facile poterat) omnes trucidavit. Secuta eſt hanc crudelitatem Mauritii ſera pœnitentia: neque minimum ea res ad exitium ejus momenti credebatur attuliſſe. Memorat *Zonaras*, & *Hiſtoria Miſcella*: ne de *Cedremo* & *Nicephoro Calliſto* dicam. *tom. 3. p. 63. lib. 17. c. 39.*

Nunquam autem favor in captivos milites manifeſtior, quàm quotiens bellum conditionibus finitur: ſolennem in legibus pacis locum occupante, captivorum ex utraque parte dimiſſione. Viciſſim valet, ut dixi, iſta facilitas. Unde iniqua viſa eſt conditio & dura, quam Carthaginienſibus Regulus tulit, *ut Romanorum captivos ipſi gratis dimitterent, ſuos autem pretio redimerent*, apud *Dionem Caſſium*. Significabat enim pacem non ex æquo; cum juberentur facere, in quibus Romani non erant mutuum facturi. ἄλλα τέ τινα, οὐκ ἐκ τοῦ ὁμοίου ποιεῖν ἐκέλευοντο. inquit *Hiſtoricus*. *in Eclog. Legat. Urſin. adde Polyb. 1.*

Atque, ut plauſibilior reddatur cauſſa captivorum militum, producuntur exempla civitatum, quæ ad gloriam & utilitatem ſuam pertinere judicaverint, captivis liberandis operam dare. *Libanius*, antiquam de captivis redimendis legem laudat; legatosque ea de cauſſa ad victores mittere, eſt ei, τῷ παλαιῷ περὶ τοὺς αἰχμαλώτους χρήσασθαι νόμῳ. *Declam. 15.* Apud *Livium*, qui pro Cannenſibus in captivitate reliquiis loquuntur, *Majores noſtros*, inquiunt, *acceperamus ſe à Gallis auro redemiſſe; & patres noſtros aſperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia Tarentum miſiſſe.* *22, 59.* Hanc legationem optime omnium exequitur *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, qui ait, *legatos miſſos* τοὺς ἀξιώσοντας Πύῤῥον ἀπολυτρῶσαι σφίσι τοὺς αἰχμαλώτους, εἴτε ἂν διαλλαξόμενοι ἑτέρων σωμά- *In Eclog. Legat. ap. Fulv. Urſin. Si-*

σωμάτων, εἴτε ἀργύριον καὶ ἄνδρα ὁρίσαντα; postulaturos à Pyrrho, ut captivos sibi redderet, vel pro aliis captivorum corporibus, vel statuto in capita singulorum pretio. Qui duo modi adhuc hodie scil. in usu sunt. pretio in summis quidem Ducibus & Principibus variè taxato: in ceteris ex mutua cujusque populi ratione temperato. Et Pyrrhus quidem ducentos ex captivis statim sine pretio remisit, laudante factum *Cicerone*, ut magni excelsique animi specimen (quamquam suberat artificium, quod *Florus* bene notat) de ceteris permisit ad Saturnalia Romam proficisci, quotquot vellent, unius in ea re Fabricii legati secutus fidem, qui redituros, nisi pax interea convenisset, promiserat. Extitit fides promisso. reversique in captivitatem præstituto die sunt omnes. Neque planè ea gravitate carent juniora tempora. Cum enim anno superioris sæculi 74. Middelburgum deditum esset Orangio, Mondragonii sola auctoritas, absque ullis pignoribus aut obsidibus, apud victorem valuit: cum diceret se effecturum, ut Altegundius cum tribus, quos ipse legisset, aliis, ex captivitate in Selandiam sextum intra mensem remitterentur, aut si rem conficere nequivisset, in captivitatem rediturum esse, quod *Famianus Strada* amplius dilaudat. Sed istam de permutandis, aut redimendis captivis deliberationem utrinque memorabilis, & ad reipublicæ tempora fortunamque sedulo exacta utilitas ferè dirigit: honestatis species ac magni animi gloria, obtentui assumuntur.

Grot. I. B. 3. 14. 9.

1. offic. 12. & 13.

2. 18.

Appian. apud Fulu. Ursin. in Ecolog. leg. 6.

Decad. 1. lib. 8.

Non invidetur interim hæc gloria privatis, si velint, civibus quibusdam suis liberatis vel humanitatis officium usurpare, vel nomen sibi comparare, aut benevolentiam colligere. Unde Cicero optimatibus viris id factitatum ex *oratione Crassi* refert, laudatque non semel hoc beneficentiæ genus. *Atque hæc*, inquit, *benignitas etiam reipublicæ utilis est, redimi è servitute captos.* Et apud *Libanium* inter virorum magnificorum opera, referuntur *αἰχμαλώτων λύσεις captivorum redemptiones.* Apud *Eundem* Demosthenes de sua legatione glorians, *alios pecuniam retulisse*, ait, *se autem undecunque conquisitos sua pecunia, quotquot posset, captivos reduxisse.*

2. offic. 18.

tom. 1. Apolog. Demosth. pag. 458.

addit-

additque: καὶ νῦν οὐκ ἂν ὤκνησα τὸν αὐτὸν τρόπον ἀπαλλάξαι χείρονος τοὺς πολίτας τύχης, εἰ παρῆν μοι τοσοῦτον ἀργύριον. *Nunc quoque non omisissem eodem modo cives in meliorem ex adversa fortunam vindicare, si tantum argenti suppeteret.* Sumta hæc sunt *ex oratione* ipsius *Demosthenis* περὶ παραπρεσβείας. qui locus, cum ad nostram rem haud parum faciat, latine, ut putamus convertendum esse, huc afferetur. *Age vero,* inquit Orator, *quos ego captivos redemerim, vobis exponam. Quo tempore, antequam Philippus redisset, Pellæ agebamus, captivorum quidam, quotcunque vades dederant, haud sane confisi, ut arbitror, compotes se voti per Philippum fore* (absque pretio scilicet multum lucri de tot captivis promittente dimittendos, ut *Ulpianus Rhetor* explicat) *se velle ipsos sibi libertatem parare, neque ejus rei gratiam Philippo debere, dixerunt: & alius quidem tres minas, alius quinque, nonnulli rursus, ut cuique pretium redemptionis finitum erat, fænerabantur.* scilicet ab isto Demosthene. *Postquam autem Philippus professus est, se captivorum reliquos sine pretio dimissurum, ego statim convocatis, qui mutuam à me pecuniam acceperant, quæ inter nos acta essent in memoriam revocavi, atque ne ipsis festinatio sua fraudi fuisse, aut hominibus pauperibus libertas suopte impendio quæsita videretur, cum interim alios gratis à Philippo dimissum iri, spes esset, donavi illis pretium redemtionis.* Productis deinde testimoniis subjicit: ὅσα μὲν τοίνυν ἀφῆκα χρήματα, καὶ δωρεὰν ἔδωκα τοῖς ἀτυχοῦσι τῶν πολιτῶν ταῦτ' ἐστι. *Quas igitur remisi, & dono dedi calamitosis civibus, pecuniarum tantum est.* Ad gloriam & decus opportuna est ista magnificentia. sed & officii necessitudo quosdam ad redimendos captivos suscitabat. Clientium certe officio hoc contineri, ut patronos suos, eorumque liberos ab hostibus captos, redimerent, *Halicarnassensis* tradit. Privatæque redemptionis, ut sic dicam, mentio etiam in Romana illa deliberatione infertur, quando censent aliqui, *nullam publicam impensam faciendam, nec probibendos ex privato redimi.* Quamquam ibi non de redemtione ea sermo est, quæ aliorum opera pecuniaque, sed quæ sua cujusque impensa fit; Unde & sequitur: *Si quibus argentum in præsentia deesset, dandam ex ærario pecuniam mutuam, prædibusque ac prædiis cavendum*

lib. 2.

Liv. 22, 60.

 dum

dum populo. Minus ſpecioſa eſt liberatio captivorum, quando ejuſdem civitatis civis ſuo ære redimit civem, non quidem ſervum redemptoris futurum, ſed tamen plenæ libertati non reſtituendum, niſi pretium ſui perſolverit redemtori, aut certum ad tempus ſerviverit. Quod etiam legibus civilibus firmatum eſt: ne favor redemptionis, conſideratione damni imminueretur, hominesque ad eam humanitatem ſegniores fierent, ſi repetitio pretii nulla eſſet.

Progrediendum eſt ad illud caput hujus diſputationis, quod in utramque partem plurimum valet, quomodo miles captus ſit, ſive in manus hoſtium pervenerit. Unicus hic favoris fons, ſi neque per ignaviam, neque per aliam culpam commiſit, ut in manus hoſtium veniret. Licet enim veriſſimum ſit illud *Livii*, *nulla virtute ſuperari vi-*
4. 58. *rium humanarum modum:* Serio tamen examinatur, an factum ſit, quod fortis fideliſque operæ ratio poſtulabat.
Captiv. 2, 2. 12. facile enim ignaviæ ſuſpicionem incurrunt captivi. Unde apud *Plautum*, Philocrates, cum ex altera quoque parte quoſdam captos intellexiſſet, ſolatium id arripiens, inquit:

—— *non igitur nos ſoli ignavi fuimus.*

Liv. 22, 60. In oratione ſeveriſſima Manlii Torquati, *capti in acie ab hoſtibus* longe præferuntur iis, qui ſe poſtea in caſtris dediderunt. *Libanius* præſtet nobis interpretationem hujus loci,
Declam. 15. quando de captis ad Chæroneam ita judicat: *νομίζω καὶ τούτους οὐδὲν ἧττον ἀγαθούς, καὶ οὐδεμιᾷ κακίᾳ ταύτην ὑπομεῖναι τὴν τύχην· ἀλλ' εἶναι τῆς ἀνδρείας αὐτῶν καὶ τοῦτο σύμβολον, τὸ μαχομένους ἁλῶναι· κτλ.* *Exiſtimo & hos non minus præſtantes* (quàm eos ſc. qui in acie ceciderunt) *neque ullo ſuo vitio hanc fortunam ſubiiſſe: quinimo, non minimum eſſe, & hoc virtutis eorum teſtimonium, quod pugnantes capti ſunt: ignavi enim* (ita addit) *& vulnera formidantes congredi non audent, ſed initio pugnæ arma jacientes fuga ſibi conſulunt: qui vero virtutem ſuam ſpectari actione cupientes, hoſtem umbonibus propulſant, ſui immemores; hi ſunt, qui capiuntur.* In acie ergo capti intelliguntur hic, quibus circumventis neque ad pugnam, neque ad fugam locus

locus fuit. antequam enim in captivitatem miles pervenire velit, fuga, post consumtam scilicet virtutem, illi conceditur. In *declamationibus*, quæ *Quintiliano* tribuuntur, legas: *Longè felicissimum in bellis est, vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro caussa mori. Est tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire, & si vincere non detur, effugere. Potest enim credi, qui hoc fecit, ad secundam se aciem servasse, & victum adversis animum reposuisse.* Quem in sensum *Florus* de Cannensi clade: *Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit: Varro non desperavit.* Cui etiam publico nomine *gratiæ sunt actæ, quod de republica non desperasset.* Fruuntur hoc favore, qui obsessi postquam ad summam virtutem nihil reliqui fecerunt, omniaque, quæ tolerari possunt, sustinuerunt, se hosti coguntur dedere. Nec minus, qui à Duce dimissi, neque mandata egressi, pauci à pluribus intercipiuntur. Si enim *Modestinus* rationem ejus habet in præmiis & commodis militaribus, *qui ex improviso, dum iter facit, capitur ab hostibus:* multo magis favor in captivum trahitur tali casu, quo mandata fungens in hostem incidit.

Declam. 119. *Flor. 2. 6.* *Liv. 22, 61.* *l. 3. §. 12. ff. de re mil.*

Facit & tempus favorem militibus captivis: si victori lucrum ex pecunia, victis ex recepto milite potius videtur; Si permutatio institui potest, quæ, ut potest & solet fieri, utrique parti per rationes publicas non ingrata esse deberet; si captivis auctum in captivitate in hostes odium constat; si belli pace finiendi nulla aut longinqua spes sit; si saluis dignitatis publicæ, consiliorumque belli rationibus fieri queat; si de hostium propositis valida conjectura est. quali apud *Libanium* Demosthenes utitur: *οὐδὲ γὰρ τὸν Φίλιππον εὕρισκον ἡδέως ἂν ἔχοντα τοσούτους ἀθηναίων ἐπὶ τῆς αὐτοῦ χώρας ἐχθρούς. οἷς οὔτε στρατιώταις ἔμελλε δήπου χρήσασθαι· σφαλερὸν γάρ· οὔτε συνάγων εἴς τι χωρίον καθείργειν, ὅθεν οὐκ ἦν ἀποδράναι ῥᾴδιον. τό, τε ἄλλως ἔχειν ἐν δεσμοῖς, οὔτε ἀνθρώπινον, οὔτε κερδαλέον. Non enim reperiebam, Philippum libenter Athenienses, id est, hostes, in regno suo habiturum: quibus nec, ut militibus uti posset, (anceps enim id foret) nec loco eos certo concludere, unde nulla effugiendi facultas. Alia autem ratione, vinclis*

Declam. 15. pag. 425. tom. 1.

eos coërcere, neque ad humanitatem, neque ad quæstum, opportunum
4, 11, 12. *videbam.* Tentat has rationes apud *Curtium* nequicquam Parmenio, cum suadendum fuisse ait Alexandro, *ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupaverant manus.*

Non omittendus est favor, qui absentiæ captivorum militum jure gentium datur: naturali scilicet æquitate huc vocante, ne absentiæ damna metuat, qui reipublicæ caussa non abest modo, sed insigni cum incommodo & detrimento sui corporis, rei familiaris, omnisque fortunæ
Grot. I. B. 3. 9. abest. Hinc postliminii jus, & quæ alia civilibus quoque formulis perscribuntur.

Priusquam hinc abeamus, facienda videtur mentio cadaverum captivorum. nam & ista repeti mos est. an &
Grot. I. B. 2, 19, 3. auro repensari? non nisi apud barbaros. Quamquam & illis natura dictat suum jus, nec usquequaque sinit esse feros. Cum superiore sæculo Sebastianus Lusitaniæ Rex in Africa prælians cecidisset, & de redimendo corpore ejus cœptum esset agitari, Hametes Melici victoriæ immortui frater idemque successor, negavit *se eum esse regem, qui ex*
lib. 65. an. 1578. *cadaveribus pretium acciperet*, apud *Thuanum*. Cessant enim morte, quæcunque pacem cum vivis distinebant: omnisque odiorum materies evanescit. Unde offerenda potius, quàm concedenda defunctorum hostium corpora sunt. nec immerito, ut in re absurda Æneas apud Poëtam:

Virgil. Æn. 11. *Pacemne exanimis & Martis sorte peremtis*
Oratis?

ut responderet rationi juris naturalis, quæ præcesserat:

Nullum cum victis certamen & æthere cassis. Tractatus est hic locus, & expolitione omni diffusus in historia Adrasti, cui Thebani interemptorum corpora negarunt, donec Theseus juris communis patricinio suscepto rem confecit: apud *Poëtas* præsertim & *Oratores*, quorum nomina diligen-
I. B. 2, 19, 1. ter colligit *Grotius*.

Modos

Modos quosdam liberandi captivos, *Libanius* refert: primo, *collata viritim pecunia*, *sive imposito civibus tributo*, cujus favorem ita exequitur: οὐδεὶς γὰρ οὕτως Ἀθηναίων οὔτ' ὠμὸς οὔτ' ἄπειρος τῆς ὑπὲρ τῶν δικαίων δαπάνης, ὅστις ἂν τολμήσειε τὸ ἀνάλωμα φυγεῖν. *Nemo enim Atheniensium ita vel crudelis, vel impensarum in res justas ignarus, qui audeat sumtum talem detrectare, aut pecuniæ pauxillum* (ut additur) *in damnis reputare?* Deinde, *legatis & orationibus impetrari forte libertatem captivis posse*, ait. Quod genus, cum priori plerumque conjungitur. Plus enim fere argento, quam verbis, ad persuadendum inest virium. Tertia recuperandi captivos ratio, ad gloriam insignior est, *armis* scilicet *& virtute*. *Si deductis triremibus*, inquit, *Athenienses infestare Philippi regiones cœperint, adactus ea re Philippus, quicquid est captivorum, non hominum modo, sed locorum & urbium reddet.* Sed hujusmodi plures sunt viæ: cum urbe hostili capta, aut exercitu fuso, qui de nostris capti inerant, liberantur; aut alia virtute militum nostrorum recipiuntur. An & *fuga* locum habet? Negat *Grotius*. cui *Feldenus* contradicit hac ratione: *cum opinio de justitia caussæ ab utraque pugnantium parte soleat obtinere, injustum non est, captos se subtrahere victoribus, utpote à quibus injustè se detineri in servitute existimant.* Respondet pro Grotio *Grasvvinckelius*; *casum ita formari debere, ut ambiguo locus non sit.* Nihil, aut aliud, egisse uterque videtur. Mihi certum est, *Grotium* loqui de bello *justo* sive solenni, jure gentium, quod à summis potestatibus ritè geritur, sicut explicavit alibi. In quo ne attenditur quidem, quantum ad hoc, ut justum sit, caussa justa, quæ vel seposita interim, vel utrinque concepta animis intelligitur. De qua si intelligi voluisset, non potuisset aut debuisset hâc quæstionis formulâ uti, *Grotius*. sicut nemini attendenti aut intelligenti obscurum esse potest. Itaque non excipiendi, *Feldeno*; non respondendi, *Grasvvinkelio* caussa fuit. Quod si omnino, formata longe aliter quæstione, de caussis belli justificis hîc dubitandum sibi quisquam existimasset, pervelim audire quæstionem, ubi ambiguo, quod Feldenus attulit, non sit locus, nisi singulare exemplum, & extra

Declam. 15.

I. B. 3, 14, 7.

I. B. 1, 3, 4. & 3, 3, 1.

ea, quæ ut plurimum accidunt, fingatur. Nihil justius quàm desiderare exempla in talibus caussis: nihil eruditius, quàm præfinire & describere. Neque tamen assenserim Grotio, hanc disputationem definienti. In bello enim, ut ipse appellat, justo, neminis civis opera aliter censetur civitati obligata, quàm ut faciat quod debet ac potest; & patiatur, quod necesse est. Hæc necessitas vel vi constat inevitabili, in nervo, compedibus, claustris: vel vinculo fidei; si promisit, si juravit captivus, se fuga non evasurum. Quicquid interjectum est, viam ad libertatem aperit. Captivus, si vir bonus est, corpore & patientia apud hostes, animo & voto apud suos agit: nisi quatenus pactiones & vincula fidei intercedunt. Ut si quis, liberiorem custodiam impetraverit, interposito de fuga non capessenda jurejurando, data dextra, promissione asseverata. Quâ de re sub gravibus exemplis disserentem juvet adire Bodinum. Videtur quidem ipsa deditio, ubi accedit, fidem captivi obligare. Sed cum hæc obligatio odiosa sit, interpretatio veluti tacito gentium consensu fit in partem humaniorem. Itaque jureconsultus nihil interesse vult quomodo captivus reversus sit; *utrum dimissus, an vi, vel fallacia potestatem hostium evaserit.*

lib. 5. de rep. cap. 6.

l. 26. de captiv.

Plaut. captiv. 1, 2, 7. &c.

— captivus, avis feræ consimilis est:
semel fugiendi si data est occasio,
Satis est; nunquam post illam possis prendere.

Itaque apud eundem *Poëtam* honestus juvenis captivus ex communi & pervulgata apud omnes opinione, sicut in Comœdiis solet, γνωμολογεῖ ad herum:

2, 2, 9. & 10.

Neq; pol tibi nos, quia nos servas, æquum est vitio vertere;
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

Et hæc sententia tum obtinebat, cum capti ipso jure fierent servi capientium, scilicet, ut rigor ejus juris dissimulatione talis culpæ mitigaretur. Aliter statuendum est, ubi sancta fidei pignora sunt interposita, sicut exemplum Reguli jam ante ostendit: cui non defuerunt, qui postliminii

minii prætextum ostenderent, & periurii metum ac religionem demere cuperent. Sed ipse solidioris sapientiæ placita tenuit, & ad supplicia reverti, quàm religionem dissolvere maluit. Utautem *laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra redituros, ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo*; sicut amplius exequitur *Cicero*, cujus verbis modo uti placuit. & ut *Livius libro* XXII. *extremo*. *Eutrop. lib. 2. & Metaphra Paenss.* *3. offic. 32.*

Veniendum nunc est ad *alteram partem, & ea, quæ plus invidiæ & odii trahunt in captivos, vel redimendos, vel redemtos receptosve.* Disciplinæ militaris severitas, vel consuetudine civitatis inducta, vel legibus firmata primum hic nomen est: quam utrinque roborant tum exempla militarium populorum, tum experimentis spectata nobilibus utilitas publica. Magnificè hic locus tractatur in Cannensi historia. ubi ipsi captivorum legati exemplum Romanæ civitatis fatentur: *P. C. nemo vestrum ignorat, nulli unquam civitati viliores fuisse captivos, quàm nostra.* Et mox Manlius commendat, admonetque: *ut mos traditus à patribus, necessario ad rem militarem exemplo servetur.* Nec parum movit postea Senatum *exemplum civitatis minime in captivos jam inde antiquitus indulgentis*, ut redderetur triste responsum, *non redimi captivos.* Quod *Valerius Maximus* inter ea, *quæ ab universo Senatu, pro militari more obtinendo defendendoque administrata sunt*, dilaudat. Idem jam ante *Cicero* factitaverat. *Octo*, inquit, *hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent à Paulo & Varrone Coss. eos Senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Quâ quidem re audita, fractum animum Hannibalis scripsit Polybius, quod Senatus P. Q. R. rebus afflictis tàm excelso animo fuisset.* In quibus verbis, præter eam, quæ dicta est, singularis ratio continetur, captivorum caussam aggravans: quando nimirum animosa atque fortis apparere vult civitas in arctis rebus, fortioribusque consiliis intenta *Liv. 22. 59.* *22, 60.* *2, 2, 61.* *lib. 2. c. 7. ex. 14.* *3. offic. 32.*

tenta; infirmitatem abstrudit, ac fiducia inusitata fortunam reparat. quod sæpe successit Romanis. Sed, ut ad disciplinam militiæ redeamus, *nihil esse, quo magis illa confirmari possit, quam exemplum adversus indignos, nemo dubitavit. Quæ enim spes in bellis in milite residua est, si nihil potius fuerit, quàm capi.* Ita *Declamatio Quintiliano tributa* 339.

Facit deinde rem difficilem numerus captivorum: tum apud eos, qui detinent, tum apud redemturos recepturosve. Ita Pyrrhus legatis Romanis respondet; *se, nisi pace facta, nequaquam dimissurum Romanis multos & bonos milites.* absurdeque id peti autumat; ἵνα τοῖς αὐτοῖς τούτοις σώμασιν, εἰς τὸν κατ' ἐμοῦ πόλεμον ἔχητε χρῆσθαι, *ut his ipsis*, inquiens, *corporibus bellum adversus me instruere queatis.* Apud eos autem, unde captivi in manus hostium pervenerunt, ipse numerus facit suspicionem culpæ, ac ignaviæ. Imperator ille, qui captivos ab hoste reversos nocte, recipere noluit, apud *M. Senecam*, Cur, inquit, *trecenti perierunt? imo cur, ne perirent, capti sunt? Hos ego interdiu non recepissem, nisi victores: noctu, ne victores quidem. Procedens postridie in prælium, pugnaturis ostendi trecentos, in quibus laudari nihil potest, præter fugam: nihil desiderari, præter numerum.* Senatus Romanus *consimili animo* (utar verbis *Valerii Maximi*) *cum ei Annibal sex millium Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionem sprevit: memor, tantam multitudinem armatorum juvenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse.* Et Manlius Torquatus, *quam tutum iter*, inquit, *duarum prope legionum agmini futurum fuisse censetis?* Scilicet cum sexcenti eruperint.

Dionys. Halic. excerpt. Legat. Ful. Urs. 5.

Excerpt. Controv. 5. 7.

2. 7. 14.

Liv. 22. 60.

Sed Torquatus quidem, non ignaviæ modo aperto crimine, (de suspicione enim modo dictum) sed *sceleris* quoque nomine eos postulabat, & utrumq; luculentis argumentis tractat. Ignavia hinc manifesta: *P. Sempronius tribunus militum instanter admonuit, jussitque vos erumpere: ostendit ferro atque audacia viam fieri, quamvis per confertos hostes: imo, quam vere ista diceret, suo exemplo monstravit. favebat incepto nox. Nunquam Romana virtus talibus adhortationibus defuit. Calpurnius Flamma priore bello Punico trecentos voluntarios, inter medios hostes*

id, ibid.

hostes secum in collem traxit, cum diceret: Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones, nemo detrectavit. Hic non mors, sed incolumitas per eruptionem ostendebatur. cum tamen vel ad moriendum, tot civium cæsorum mortes debuerint incitare. Sed nec fecistis, quæ virtus & mos militiæ postulabat. Sicut enim cum in acie stare & pugnare vos decuit, in castra refugistis: ita cum pro vallo pugnandum erat, cum castra tutari vos oportebat, & castra & arma & vos ipsos tradidistis. Jam scelus, hinc arguebatur: quod non tantum bene monentem recusassent, *sed erumpentibus obsistere conati essent: ita ut viris fortibus ante cum civibus quam cum hostibus pugnandum, & inertes illi gladiis submovendi fuerint.* Attollitur hic locus amplificatione varia: præsertim etiam inde, quod ab ignavis istis in posterum nihil boni expectandum sit; vel quod perdita semel virtus haud facile in præcordia redeat; vel quod invidia & odio sint prosecuturi illos, quos semel deseruerunt, quorumque incolumitate & gloria suam ignaviam perpetua exprobratione flagellari putant. Tentavit hunc colorem etiam Torquatus. Imitatur ista omnia *Declamator*; ubi etiam primo ex more, institutoque Græciæ, caussaque bellandi conficit: *Nunquam majore animo, nunquam concitatiore spiritu fuisse pugnandum.* Sequitur: *In hoc igitur prælio, quod, ut dixi, pro universa Græcia susceperamus, nondum dico, quantum nocuerit istorum timor: interim cujus propositi fuerit animus, attendite.* Et: *Ille vero, qui se, inter virtutem, hosti dedit, qui abjectis armis parata in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit?* Conjungit ista omnia argumenta, & cumulat *Horatius* in consilio Reguli de non redimendis captivis:

Quintil. declam. 339.

lib. 3. carm. od. 5.

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exempli trahentis
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum. neque amissos colores
Lana refert medicata fuco.
Nec vera virtus, cum semel excidit
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus:
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.

Excerpt. contr. 5. 7. Addendum est judicium *Declamatoris* apud *M. Senecam*: *Populus Romanus Cannensi prælio in summas redactus angustias, cum servorum desideraret auxilia, captivorum contemsit: & credidit eos libertatem magis tueri posse, qui nunquam habuissent, quàm qui perdidissent.*

Huic vel credito vel cognito ignaviæ crimini accedunt aliæ culpæ, quæ negotium redimendi captivos invisum reddunt. Monitus aliquis tribunorum fuerit à duce, ut accelararet iter, incederetque non viæ modo sed pugnæ paratus: hostem enim in propinquo esse. hoc ille neglexerit, suaque quapiam opinione ductus, nihil ab hoste longius posito periculi esse crediderit: eaque securitate proditus hosti captusque fuerit. Non potest non difficilem experiri Ducem, cujus præcepta contemsit. *Tac. 1. A. 58.* Quod si Quintilius Varus, cujus segnitia nobilissimus interiit exercitus, eo quod indicia rebellionis ultro ad se delata insuper habuerat, captivitatem voluntariâ morte non prævenisset, quid de eo statuendum existimâsset Augustus, cujus adversus mortuum querela insonuit: *Sueton. Aug. 23.* *Quintili Vare, legiones redde?* Jussus fuerit centurio, præfectus, tribunus, navali terrestrive itinere huc illucue accedere: nihil ipsi defuerit ad idoneum præsidium; non naves bellicæ, non milites; sed ille, ut sumptui parceret, parum se ad iter munierit, ac in manus hostium ea caussa devenerit. Ad irascendum, quàm ad redimen-

dimendum , proniorem invenerit, arbitror, civitatem. Ita, si quid in præceptis præliaribus neglectum, & Duci & militi captivitatis caussa fuit; plus erit, quod impediat deliberationem de redimendis captivis, quàm quod promoveat.

Sumtuum (τῶν λύτρων, quæ sunt τὰ παρεχόμενα ὑπὲρ ἐλευθερίας apud *Suidam*) duplex est invidia: *vel*, quod ærarium exhauriunt; *vel*, quod hostem instruunt, juvantque. Utriusque rei habita ratio in Senatu Romano, cum decretum de non redimendis captivis fieret. *Pecuniæ quoque summa*, inquit Historicus, *homines movit: quia nec ærarium exhaurire, magna jam summa erogata in servos ad militiam emendos armandosque, nec Annibalem maxime hujusce rei, ut fama erat, egentem locupletari volebant.* Quæ posterior ratio minuit admirationem servilis militiæ, captivis prælatæ. Non enim tantum acriores esse ad acquirendam in nova libertate existimationem, quàm ad recuperandam, amissa semel libertate, famam, crediderunt stimulos, quod antea allatum est: sed hostem opibus firmare, intempestivum duxerunt. *Historicus*: *Aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit: octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellentne militare, empta publicè armaverunt. Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captivos copia fieret.* Liv. 22. 61. Liv. 22. 57.

In permutandis captivis, illa etiam deliberatio tenet, quosnam cum quibus permutare fas sit. Regulus *reddi captivos* (verba sunt *Ciceronis*) *negavit esse utile; illos enim adolescentes esse, & bonos duces, se jam confectum senectute.* Speraverant enim Carthaginienses, se pro uno Regulo, vel omnes captivos esse recepturos, ut est apud *Dionem*. Erantque omnino pauci, quos de Romanis captivos tenebant, præ multitudine Carthaginensium, qui in Romanorum potestate erant. Potest evenire, ut captivi numero quidem utrinque pares sint: sed impares reliquâ æstimatione. Sit apud nos captivus tribunus aliquis, qui consilio & audacia Duci mereatur comparari; qui multa nostris 3. offic. 27. Exc. Legat. Fulv. Ursin. 9. Suid. v. Ρήγουλ.

ſtris damna dederit, & daturus credatur. An hunc ſtatim cum alio tribuno è noſtris captivo commutabimus? An veteranos hoſtium, cum tyronibus noſtris? & ſi qua diſſimilitudo alia incidit. Studioſe itaque cavetur, ne ad permutationem fere veniatur, donec aliqua æqualitas, cujus diligentes ſunt ratiocinatores, qui bellum tractant, videatur offerri. Et, dum una pars paucos, altera multos habet captivos, ſpes ipſa Martis communis, & eventuum belli, differt conſilia redemtionis & permutationis.

Ponamus nunc unum & alterum exemplum ſeveritatis eximiæ in receptos captivos. Pyrrhum quosdam captivorum Romanis ſine pretio remiſiſſe, ante diximus. At Romani *decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent, qui pedites fuerant, in funditorum auxilia tranſcriberentur: neve qui eorum, intra caſtra tenderet, neve locum extra aſſignatum, vallo aut foſſa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet: recurſum autem iis ad priſtinum militiæ ordinem propoſuerunt, ſi quis bina ſpolia ex hoſtibus tuliſſet.* Auctor tanti exempli Appius Claudius Cæcus fuit. *Hujus* enim ſententia (inquit *Frontinus*) *Senatus eos, qui à Pyrrho Epirotarum rege capti, & poſtea remiſſi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum juſſis tendere, donec bina hoſtium ſpolia ſinguli referrent.* Eadem ſcil. hæc diſciplinæ ſeveritas fuit, quæ adverſus Cannenſis prælii reliquias ſervata eſt apud *Livium* 23, 25. & 25, 5, & 6, & 7. cum tamen eorum, qui ex tanta clade profugiſſent, favorabilior cauſſa vulgo haberetur, quàm captivorum.

Val. Max. 2, 7, 15.

4, 1, 17. adde l. 1 §. 5. ff. de poſtul. Eutrop. lib. 2.

339. Plus rationis habuit, quæ fingitur *Demoſthenis rogatio in Declamationibus Quintiliani*: qua tulit: *ne illi, qui apud Chæroneam capti erant à Philippo, & gratis remiſſi, conſiliis publicis interſint.* Argumentis enim utitur à diſciplina militari deſumtis, & ab exempli adverſum ignavos ſtatuendi utilitate. Id unum forte non ſatis convenienter Rhetor cogitavit, quod ignaviam aliorum accuſans inducitur is, qui abjecto indecore clypeo turpem ex acie fugam conſciverat. quod de Demoſthene *Plutarchus* teſtatur; tum

In Vita Demoſt.

Æſchin in

Æschinis exprobratio. Sed ut opereo Marti parum spectatus fuit Demosthenes, ita consilii cujusq; fortissimi primũ se auctorem præbere solebat. Illatam autem Atheniensibus cladẽ apud Chæroneam, partim inscientia Ducum, partim ignavia militum, etiam ipse victor Philippus Rex confessus est apud *Lucianum*. Et Lycurgus orator, abud *Gemistum Plethonem*, Lysiclem ducem accusatum ejus cladis nomine, morte damnavit. Philippi quidem in captivis remittendis moderationem celebrat *Polybius*, calliditatem agnoscit *Justinus*: quam etiam in animo habuit *auctor declamationis*, de qua hactenus loquimur. quæ ad rem gestam, & consilia Demosthenis magis utique videtur congruere, quam *Libanii* μελέτη. quando ejusmodi format consultationem: quasi post cladem Chæronensem Philippus mille captivos (de duobus millibus sc. aut 3000.) pollicitus sit, si Demosthenes sibi dederetur; & Demosthenes dedi voluerit, idque longa oratione persuaserit Atheniensibus. Sed *Latinus Rhetor*, custodire τὸ εἰκὸς voluit: *Græcus* quæsivit novitatem actionis: *Ille* ad prudentiæ usitatæ regulas exigi voluit suum inventum; *hic* vires ingenii in argumento inopinabili demonstrare instituit. Præcipuus enim in hac tractatione ille locus est: an dedi pro utilitate civium ceterorum aut civitatis, innocens civis possit. Quem ita tractat *Libanius*, ut nullo modo id licere, intelligi velit: & offerentis quidem se, voluntatem laudet, & ad gloriam, insignem faciat; rationes autem, quæ tum quoque obstent, conspectiores cupiat haberi. Quia autem Demosthenes auctor fuerat belli adversus Philippum gerendi, inimici ejus post cladem Atheniensium, occasionem nacti sunt eum accusandi, consiliaque ejus & ex prælio fugam exagitandi. Ut dubitandum non sit, suasisse quosdam; Demosthenem, consilii, & propterea cladis auctorem dedendum Philippo, sicut postea Romæ Cæsaris adversarii *nonnulli, dedendum eum hostibus censuerunt*, ut est apud *Suetonium*. Verum Demosthenes non absolutus modo, sed ad rempublicam gerendam revocatus est: cum consilium præclarum, aliorum culpa eventu caruisse, auctorique fraudi esse non debere,

orat. contra Ctesiph.
Encomio Demosth. tom. 1. p. 888.
lib. 2. prope fin.
lib. 5. p. 359.
lib. 9. c. 4.
Declam. 19.
In Cæs. 24.
Plutarch. in Demost.

judicarent Athenienses. Hinc auctoritas novæ rogationis, quam *Latinus Rhetor* formavit, historia nititur: eo quod suadendi rem tam arduam nec occasio, nec animus, si reliqua ejus in rep. gerenda proposita spectemus, Demostheni abesse potuerit. *Libanii*, ut non æque probabilis est, de voluntate se dedendi, inventio; ita laudem Demostheni paulo ambitiosius conquirit.

Excerpt. 5. 7. *M. Seneca* inducit talem controversiam: *Lex: nocte portas aperire in bello non licet. Altera* lex: *Imperator in bello summam potestatem habeat. Thema: Trecenti ab hoste captivi ad portas nocte venerunt. Imperator non aperuit. Ante portas occisi sunt. Imperator post victoriam reus est læsæ reipublicæ.* Quæ pro Imperatore afferri possunt, non alia sunt, quàm quibus odium captivis numerosis conciliari, ante, cum hinc aliqua peteremus, diximus. nisi quod illud quoque magnam vim habet: de nocte portas sine insigni periculo, imminentibus hostibus, aperiri non posse, ob casus varios, quos nox prospici non patitur. Rectissime enim Imperator: *Nocte quomodo hostem civemque distinguam? quam mihi dabitis notam, ut arma cognoscam? Credo in insidiis hostes fuisse, ut exclusos occiderent, sequerentur admissos.* Tum, de intentato læsæ reip. crimine, non adeo videretur ardua responsio. Non enim, quodvis ad rempubl. pertinens damnum, hac actione vindicatur. *Manifesta statim reip. damna sunt, si muri diruti sunt, si classis incensa est, si exercitus amissus, si vectigalia diminuta.* ut est apud *eundem Rhetorem lib. 5. controv. 33.* Denique succumberet, qui Imperatorem accusaret, apud judicem juris & legum peritum, vel Romæ, vel alias apud gentes, ubi militia non est tumultuaria.

Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, nihil æque premit caussam captivorum, ac disciplinæ ac legum militarium severitas. Ut primum in has aliquid peccatum est, jam viliores erunt, qui ex occasione aut caussa talis delicti, in captivitatem abducti sunt: sicut, qui in præmatura fuga, aut ordinibus desertis capti sunt. Est enim in institutis militaribus Romanorum, *Lib. 3. p. 235. & l. 1. p. 17.* τὸ μὴ φεύγειν, μηδὲ λείπειν τὰς τάξεις, *non fugere, neque ordines deserere*, teste *Polybio.* τὸ γὰρ

γὰρ τρόσλιμον παρ' αὐτοῖς, θάνατός ἐστι τῷ προϊεμένῳ τὸν τόπον, καὶ φυγόντι τὸ παράπαν ἐξ ἐφεδρείας. nam apud eos capitale est loco decessisse, aut stationem fuga deseruisse. Sacramento militari scilicet jurabant milites, *sese fuga atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi caussa.* Neque Græcis alia mens, sicut ex *Lysiæ* actionibus τῆς λειποταξίου & ἀστρατείας, *deserti ordinis, & detrectati muneris militaris*, apparet. Quibus affines sunt ῥιψάσπιδες, οἱ ἐν τῷ πολέμῳ ὅπλα ῥίψαντες ἐκ φόβου *qui arma per ignaviam & metū in prælio abjiciunt.* quos sub proverbiali Cleonymi schemate κωμῳδεῖ *Aristophanes in Nubibus, &, alibi.* Eidem Poëtæ, ἀσπιδαποβλὴς, & ἀποβολιμαῖος τῶν ὅπλων, talis dicitur. De Romanis iterum vide *Polybium*, ἐὰν τις ἀποῤῥίψῃ τι τῶν ὅπλων κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον διὰ φόβον, *Si quis armorum quidpiam projecerit per metum in ipso discrimine.*

Liv. 22, 38. Frontin. 4, 1, 4. orat. 13, & 14. Hesychius voce ῥίψασπις. pag. 81. lib. 6. p. 482.

Operæ pretium fecero, ut arbitror, si huc adferam quasdam culpas militares ex *Constantini* τοῦ πορφυρογεννήτου *Imp. Aug. Commentario de apparatu bellico*, unde ἀποσπασμάτιον quoddam, sub nomine βιβλίου τακτικοῦ *ex Cod. Biblioth. Palat.* vitiosè admodum edidit præclarissime de literis Græcis meritus *Joannes Meursius.* Adferam autem ex *Codice msc.* meliori & integro *Bibliothecæ Augustanæ*, quo uti, per beneficium generosorum Procerum licuit. Ἂν στρατιώτης εἰς καιρὸν παρατάξεως καὶ πολέμου καταλίπῃ τὸ βάνδον, ἢ τὴν τάξιν αὐτοῦ, καὶ ἢ φύγῃ, ἢ προπηδήσῃ ἀπὸ τοῦ τόπου αὐτοῦ, ἢ ἂν πέσῃ ἐχθρὸς καὶ ἐπάρῃ τὰ ἄρματα αὐτοῦ, ἢ καταδράμῃ εἰς ἐπιδίωξιν τῶν ἐχθρῶν, ἢ ἐμβῇ εἰς τοῦλδον, ἢ εἰς φοσσᾶτον ἐχθρῶν, κελεύομεν ἵνα τιμωρηθῇ κεφαλικῶς, καὶ πάντα ὅσα κερδήσει ἐκεῖθεν, ἵνα ἐπαίρωνται ἐξ αὐτοῦ, καὶ δίδωνται εἰς τὴν κοινότητα τοῦ τάγματος, διὰ τὸ παραλῦσαι αὐτὸν τὴν σύνταξιν, καὶ ἐπιβουλεῦσαι τοῖς ἑταίροις αὐτοῦ. Quæ ex Græcobarbaro sermone latine ita reddideris: *Si miles tempore aciei & prælii reliquerit vexillum, aut ordinem suum; atque si fugerit vel prosiluerit de loco suo, etiam cum cecidit hostis, & arma ejus sustulerit, aut transcurrerit ad persequendos hostes, aut in impedimenta castrave hostium transcenderit, jubemus eum capite*

Ann. 1617.

capite plecti, & omnia, quæ inde lucratus retulerit, auferri ab ipso, & ordini in commune tribui; eo quod solvit compositam aciem, & sociis suis fraudem fecit. Sequitur: ἂν εἰς καιρὸν δημοσίας παραταγῆς ἢ συμβολῆς πολέμου γένηται τροπὴ χωρὶς εὐλόγου τινὸς καὶ φανερᾶς αἰτίας, κελεύομεν ἵνα οἱ στρατιῶται τοῦ φυγόντος πρῶτον τάγματος, καὶ καταλιπόντος τὸ μέρος αὐτῶν, εἰς ὃ ἐτάγησαν, χωρίζωνται τῶν δέκα εἷς, καὶ κατατοξεύωνται ὑπὸ τῶν λοιπῶν ταγμάτων, ὡς καταλύσαντες τὴν τάξιν, καὶ αἴτιοι τῆς τροπῆς γενόμενοι, ἂν δὲ συμβῇ τινὰς ἐξ αὐτῶν πληγωθῆναι εἰς αὐτὴν τὴν συμβολὴν τοῦ πολέμου, ἐκεῖνοι ἔστωσαν ἐλεύθεροι ἀπὸ τῆς τοιαύτης ποινῆς. *Si tempore publicæ aciei & congressionis prælii, fuga fiat citra probabilem & manifestam caussam, jubemus de militibus ejus ordinis, qui primum fugit & locum, quem acceperat, deseruit, decimum quemque selectum à cæteris ordinibus sagittis configi, tanquam qui solverint aciem, & fugæ caussam præbuerint. Si autem ex his quosdam contingat in eadem pugna aliis misceri denuoque præliari, illi immunes ab hac pœna sunto.* Ἂν ἐπάρωσι οἱ ἐχθροὶ βάνδον χωρὶς εὐλόγου τινὸς καὶ φανερᾶς προφάσεως, κελεύομεν ἵνα οἱ φυλάσσοντες τὸ βάνδον τύπτωνται, καὶ γίνωνται ἔσχατοι παντελῶς, καὶ παρακάτω πάντων τῶν ὑποχειρίων αὐτῶν. ἂν δὲ συμβῇ τινὰς ἐξ αὐτῶν πολεμοῦντας πληγωθῆναι, οἱ τοιοῦτοι ἔστωσαν ἐλεύθεροι τούτου τοῦ ἐπιτιμίου. *Si hostes abstulerint vexillum, ita ut probabilis & manifesta caussa amissionis non appareat, præcipimus, custodiæ vexilli appositos verberari, & omnino ad infimum locum redigi, ut sint infra omnes, qui ipsis suberant. Si vero quosdam ex ipsis pugnantes ab hoste contigerit pelli & convulnerari, ad illos non pertinebit hæc pœna.* Ἂν φοσσάτου ὄντος γένηται τροπὴ μέρους τινὸς ἢ παραταγῆς μιᾶς, καὶ οἱ τραπέντες οὐδὲ πρὸς τοὺς ἀκολουθοῦντας ὀπίσω βοηθοὺς προσδράμωσιν, οὔτε εἰς αὐτὸ τὸ στράτευμα καταφύγωσιν, ἀλλὰ περιφρονοῦντες εἰς ἕτερον τόπον προσδράμωσι, κελεύομεν τύπτεσθαι τοὺς τοιούτους, ὡς περιφρονήσαντας τῶν ἰδίων φίλων. *Si in agmine, fiat fuga partis cujusdam aut aciei unius, & illi, qui fugerint, neque ad insequentia subsidia decurrerint, neque ad eundem exercitum se receperint, sed his contemtis in alium locum se contulerint, eos jubemus verberibus affici, tanquam qui amicorum suorum auxilia despexerint.* Ἂν ῥίψῃ στρατιώτης τὰ οἰκεῖα ἅρματα εἰς τὸν πόλεμον, κελεύομεν τύπτε-

τύπτεσθαι αὐτὸν, ὡς γυμνώσαντα ἑαυτὸν, καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἐξοπλίσαντα. *Si miles arma sua projecerit in prælio, verberari eum jubemus, ut qui se nudaverit, hostes vero armaverit.* Has aliasque de culpis ac pœnis militaribus leges (περὶ τῶν ἐπιτιμίων στρατιωτικῶν) prælegi jubebant, quando exercebantur milites, aut sub signis ordinabantur, sicut in *Commentario Constantini* amplius ostenditur.

Ad nostram autem rem hactenus ista pertinent, quod, quicquid est severitatis adversus captivos usurpatum, id ex militari illa disciplina & legibus militaribus petitum est, hoc pacto: ut captivorum caussa non alio nomine potius odiosa haberetur, quàm quod ab iis commissum esset, quare non satisfecisse sacramento & legibus militaribus existimarentur. Igitur, quando *Grotius*, non audet probare leges illas, *quæ captivos redimi vetant*, quales apud Romanos fuisse putat: non possunt aliæ leges ostendi, quam militares illæ. de quo genere hactenus loquimur. In quibus nunquam scriptum arbitror, *ne captivi redimerentur.* Sed quando capti erant milites Romani, deliberabatur, an se ita adhibuissent, ut postulant leges militiæ, adeoque redimi mererentur, nec ne? neque aliud volunt testimonia, quæ *Grotius* adducit. ἐθισμὸν, inquam, *morem à patribus traditum*, ut appellat Torquatus, non legem ostendunt. Quo more nimirum captivorum caussa serio examinabatur, quidque de illis statuendum esset, anquirebatur. Ubi plerumque quidem pars reipublicæ utilior prævaluit, i. e. hoc loco, severior, eo quod vix citra culpam militarem captivitas multorum accidere videretur. Aliud ergo est lex de non redimendis captivis, quam nullam oportet fuisse; aliud deliberatio de redimendis, redemtisve aut receptis, tum conditio captivorum ex captivitate reversorum, qua apud antiquos Romanos eos haberi, mos erat, de qua apud *Livium*: *illis arma tantum atque ordo militandi, locusque in quo tenderent, in castris, est mutatus: quæ tamen, semel navatâ reip. operâ, & uno felici prælio recuperarunt.*

I. B. 3, 21, 24.

Alia res est de lege Platonica, lib. 5. de rep.

Liv. 22, 60.

Lib. 25 c. 6.

An autem ipsæ leges militares, totiusque disciplinæ ratio, justo fuerint severius constitutæ, alia fuerit disputatio.

tio. In qua Romani se tuerentur evidenti utilitate publicâ: neque aliunde tot admirabiles victorias, tam numerosos exercitus parva manu profligatos, adversus immensam vim sustentatas urbes, ereptam pæne ex interitu aliquotiens rempublicam repeterent. Scriptorum testimonia infinita sunt; neque hic cumulanda. Si instares; leges illas militares suo rigore efficere, ut nimium sanguinis effundatur, si fugæ ac deditioni præclusa sit venia: responderent; fugam ac deditionem plura posse & majora mala in rempublicam, & in plures inferre. Si, pœnarum militarium consuetudine, aliquos durius, & minus meritos involvi, diceres; referrent illud non sine ratione usurpatum, si recte explicetur: Tac. 14. A. 44. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publica rependitur.* Et certe, si belli gerendi jus in tuto constituimus, nihil æque ad exitum consiliorum, quæ justo quovis bello spectamus, valebit, quam severitas disciplinæ. A qua tamen temperamentum omne abesse nequaquam volumus.

Ita in captivorum caussa, ut ad hanc redeamus, ambiguæ æstimationi locum dedimus. Atque illis ipsis ad Cannas captis ignosci non sine ratione potuisset, & fortasse ignotum esset, id est pars humanior vicisset: nisi ærarii ratio, tum locupletandi hostis metus, non levi rationum momento intercessissent: ut vidimus. In illis, qui evaserant, temperamentum secuti sunt Romani, non illud æquitatis, de qua cœpimus loqui, sed artificii politici; ut Duci & patriciis prorsus venia daretur, omni rigore disciplinæ in plebeia capita incumbente. Tentant hoc arcanum, reliquiæ Cannensis cladis in Siciliam relegatæ, apud *Livium lib. 25. c. 6.*

Deducit nos hic locus, ad parem culpam, diversi temporis. Capti fuerint aliqui, illo & isto prælio, ejusdem culpæ, quæ ultimo prælio captis impingitur, vel suspecti vel comperti. Illos priores, redimendos duxit civitas.

vitas. quidni & hos postremos? Sic ratiocinantur in caussa simili, apud *Livium*, milites. Satis speciose exaudiuntur ista exempla. Sed non est nulla, quæ postremis adversatur, petita ex prioribus ratio. novo enim exemplo opus est, ubi vetera nil proficiunt, aut malum, quod sanare debebant, augent. Si æquitas sæpius frustra adhibita, severitati locum & caussam facit. *lib. 25. c. 6.*

Dubitatur aliquando in definienda fuga, cum culpa conjuncta: levioribusque alii vocabulis appellant, quæ nonnulli ad graviora transferunt. Qui ex Cannensi prælio fugerant, eos Senatus Rom. dixit, *commilitones suos pugnantes deseruisse*; imo *rempublicam deseruisse*. Inprimis in deditione, ea res quæstioni est: an expectata necessitas sit? qualis describitur, ubi obsessi *ultima ausi passique, cum omnia subsidia vitæ abessent, affectisque fame viribus, arma jam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis, quàm armis victi sunt.* An semper eousque teneantur tolerare obsidionem? an tum quoque, si civium in urbe obsessa, & militum defensorum diversa jura, nec una utilitas? an præcipi hoc possit, aut debeat, ut ad famem non tantum veniant obsessi, sed eam etiam, usque ad defectum virium tolerent? Cumque quo diutius differtur deditio, eo duriores soleant dici à victoribus leges; defensoresque sæpe cum loco in potestatem hostium veniant, qui paulo citius pacti poterant dimitti; illud quoque quæri solet, satiusne fuerit deditione non quidem properata, sed in tempore facta, se referre ad exercitum, quam casum captivitatis subire? Castris equidem & urbibus obsessis cum multa communia sint, durior tamen castrorum, quàm urbium obsessarum sors est. Ibi enim deditis certa captivitas: hic, præsidiariis sæpe libertas pactione obvenit. Ponamus exemplum arduæ disputationis detracto nomine: Impositi defendendis munimentis præsidiarii, in mandatis acceperant, resisterent summa vi, atque ad ultimum propugnarent, donec submitteretur auxilium. Hostis propius accesserat, expugnatisque exterioribus, eo rem deduxerat, ut interiora impetu ca-

Liv. 25. 7. Frontin. 4. 1. 44.

Liv. 22. 60.

tu capere destinaret. Obsessos premebat inopia pulveris tormentarii; neque ad sustinendam impressionem tam apparatam pares esse sinebat. Qui præerat præsidio, rem hactenus summa ope dissimulatam, tum civibus, quos defendere jussus erat, tum præfectis ac centurionibus suis aperit. illi & suadent, & supplicant; remitteret obsessis ultimum casum deditioneque excidium præverteret. Eo ipso, quo deditio facta est, die, adventant auxilia, & par solvendæ obsidioni manus accurrit. sero; quia tam pauxillo momento tardius. Dicebantur graves sententiæ: & quamvis præfectus præsidii inusitatæ ac singularis virtutis in illa conclusione ediderat specimina, non perfunctorie notabatur, ob non expectatum ultimæ necessitatis articulum: cum defensio munimentorum ad summam rei pertineret; cum tam districta mandata accepisset; cum trahendæ ad dieculam rei artes non potuissent deesse: cum non civium consiliis tali in metu, suis plerumque utilitatibus adversantium, sed ducis industria provisuque metiendum fuisset negotium. Quis non videt, quàm multa pro præfecto militum dici contra possint? Quem moderatissimus quisque, si sui arbitrii res sit, malit absolvere, quàm condemnare.

Alius præsidium agitare jussus, de annona & copiis præsidii vicinum sublevaverit suorum exercitum: cujus fiducia nullam sibi timendam obsidionem existimabat. Hostis re comperta, ex inopinato munimenta circumsidere cœperit: neque depelli obsidione potuerit. Venerint denique in potestatem hostium inopiâ, ea, quæ provisis copiis servari potuissent. Dicet præsidio præfectus: an sublevare non debui inopiam & nostrorum, & rogantium; imo mandantium? summus enim Dux totius exercitus erât, qui postulabat. Summam rempublicam in eo verti ajebat: paulo post redditurum se copias professus. Hostis alio versus, nec sustinere famam nostri exercitus, nedum de obsidione cogitare videbatur. multum quoque industriæ meæ & laboribus tribuebam, in comparandis celeriter,

leriter, quæ deerant. Destinata salubriter, præcipiti audacia hostium in contrarium versa sunt. Fortunam accusare fas est, consilia hominum ludibrio habere solitam. Respondebitur: summa tibi lex, munimentorum, quæ commissa tibi sunt, utilitas; contra quam nemo audiendus erat. Satius est offendere periculosa postulantes, quàm demereri. Facilius copias parat, qui cum exercitu liber nec impeditus ambulat, quàm cujus paucitas munitionibus tegitur. Nihil accidit, quod prævideri non potuerit, nõ debuerit. Ultimum ignaviæ & stultitiæ humanæ, idemq; iners præsidium, fortunam accusare. Quantulo minus quàm proditio erat, hosti & ostendere & aperire viam? Et quæ plura possent in hanc partem dici, quæ justioribus momentis invalescere videtur.

Consistant in vicos tributæ, cohortes quædam, jussæ exploratores diligenter dimittere, stationes disponere, nihil de solicitudine excubiarum & vigiliarum remittere. Superveniat hostis, tribunos præfectosque cum militibus capiat, postquam pars primo impetu cæsi sunt. Captivi suam fortunam tribuant iniquitati loci, ubi propter virgultorum perpetuam seriem & arbores multis locis enatas, non potuerit abunde prospici: eamque caussam fuisse dicant, quod adventus hostium animadverti, nisi sero, non potuerit. Responderet aliquis: non minus adjumento servantibus adventum hostium esse potuisse locum: si ars & industria accessisset. Quid? si exploratores celeritate hostium occupati, aut ad perfidiam pellecti non redierint? Serio examine discutietur, an in exploratoribus aliis post alios mittendis nihil prætermissum sit: an illi ad explorandi officium adhibiti sint sociative, in quos non caderet perfidia? an fiduciâ exploratorum dimissorum, interim in stativis aliquid remissum aut neglectum fuerit? an in sola exploratorum fide securitas cohortium reposita?

Dimissa fuerit (nam & hoc solet accidere) valida manus ad tentandas hostium vires, addito severo præcepto: ne pugnam capessat, aut hosti potestatem sui ad justum cer-

tamen faciat. Interim favebat occasio, arridebat victoria: & pæne jam in manibus erat. Sed hostis numero auctus, fiducia elatos profligat capitque. Plus est, quod accuses, quàm quod excuses. Imo, ut excuses aliquid, humanæ conditionis fragilitas, & favoris aliunde nata ratio potius suadebit, quàm caussa & meritum.

Scimus, & illud accidisse, ut plures Duces ex discordia, aut æmulatu parum in commune consulerent, eaque re cladem arcesserent sibi & captivitatem. Capti fuerint plerique, non eadem tamen culpa æstimandi: imo unus & alter innoxii; quos audire ceteri detrectaverant. Sed finge in peccantibus, genus; in innoxiis virtutem eminere. An inde æqualis in utrosque favor? Non asseveraverim cito; neque tamen fieri posse, negaverim. Virtutem, ratio præhabet: fortuita, tempus attollit deprimitve. Et, si summus Dux temeritate peccavit ac inscitiâ, sunt, quæ eum sperni in captivitate jubeant, caussæ. Romanis, ut ante dictum est, severitas in milites; venia in Duces placuit, non eà tantum ratione, quam excogitavit *Machiavellus*; Sed quia Senatus, cujus auspicio in utramque partem disciplina stabat, patriciorum eximiorum delicta abscondi, aliorum ostentari, inter artes politicas numerabat.

Disp. lib. 1. cap. 31.

Parum facilis deliberatio, an pro captivis redimendis urbes, munimenta, jura cedi tradique debeant? Quæ ratio aliis jungitur in negotiatione pacis, à Stephano Poloniæ rege cum Moschovitis instituta, ubi legatis Polonicis, referente *Reinoldo Heidenstenio*, mandatum: *quia ante Moschus postularat, ut utrinque pariter captivi redderentur, non parem utrinque captivorum rationem esse ostenderent, cum in regis potestate præcipui ipsius ductores essent; ille ex Regiis insigniorem nullum, ex Nobilitate paucos, reliquos ex promiscua plebe haberet. Itaque, ut vel Savolotiam ac Nevelam, aut alterutram saltem earum, Regi pro illis permitteret, postularent: cum ante, integrioribus adhuc rebus suis, pro paucioribus captivis Usuiatam ac Jeserisciam obtulisset, quarum hæc nondum tum in potestatem Regis venisset: vel cum ipse ante Sigismundi Augusti temporibus certa pretia in*

lib. 6. de bell. Mosch. p. 423.

tia in singula capita exigere solitus fuisset, eodem exemplo suo suos nunc redimeret. Missi in vicem Legati Moscovitici, *ut de captivis utrinque permutandis agerent, mandatum habebant: quod cum tenere non potuissent, ut in locum certum captivi comportarentur, redimendique eis potestas, quorum essent, fieret, impetrarunt.* *pag. 432.*

An, si aliter fieri nequeat, pace vel intempestivâ liberandi captivi, dubitatum constat. Verum hoc loco, omnia quæ pacem suadent, dissuadentve, momenta concurrunt. Magna interim sint captivorum nomina & merita oportet, quibus civitas hoc dare cupit, ut pacem suis rebus alienam faciat. Nam temporis caussa pacisci, absque serio proposito, inter ea non est, quæ probari debent. Parum etiam firmitatis in ejusmodi pace speratur. Unde cum A. C. 1379. inter Ludovicum Flandr. Comitem & Gandenses pax convenisset, *prudentiores, pacem non fore diuturnam ominantes, initam ab eo (quod verum erat) Nobilium liberandorum caussâ, dixerunt.* apud *Pontum Heuterum.* nec fefellit eos augurium. *Rer. Burgund. lib 2. cap. 8.*

Sed ista fere utilitatibus reipublicæ reguntur. An autem jure fieri possit, ut innocentis civis deditione captivi redimantur; apud *Libanium*, ut ante diximus, quæritur: & à nobis alibi disputatum est. Illud quoque juris dubitationem habet: an alia civitas, ad liberandos alterius civitatis cives sibi cognatos aut amicos, bellum gerere possit? Si nimirum conditiones sunt propositæ, quas vir prudens & æquus repudiandas esse negaverit. Putamus, licere. neque enim jus in captivos quæsitum in infinitum patet, inter gentes non barbaras. Longe alia est hominum captivorum, præsertim illustrium; quàm rerum & locorum, ratio. Hinc urbes, regiones, provincias pactione in manibus victoris in perpetuum relinqui, nihil novum; at civium captivorum corpora, commercio tali subjici, aut pactionis formula predi, inauditum est. si præsertim dissimulationis necessitatem, à pactione solenni distinguas. *differt. de domin. emin.*

Ceterum in caussa captivorum militum vel delibe-

zanda,

randa, vel æstimanda, favorem odiumve augent aut minunt, ambigendique ac definiendi momenta non uno modo dispensant, *primo* quidem genius populorum ac nationum, *deinde* mores, instituta, leges civitatum : quo etiam pertinent rationes administrandæ reipublicæ, quatenus vel ad famam, decus ac honestatem, præcipua rerum diriguntur, vel prima in omnibus utilitatis ratio, sæpe & sola habetur ; quando item ibi ad militiam, hic ad œconomiam pleraque referuntur : *tertio*, proposita, consilia, habitusque animorum apud eos, qui rempublicam tractant : *denique* temporum fortunæque commutationes, casus, conditiones. Quod enim genere sæpe odiosum aut favorabile est, rerum temporibus in contrarium demutatur.

Sed nos quidem, quæ de *captivo milite* constitueramus annotare, absolvimus. Qui volent hunc philosophiæ locum implere, illis hæc fere quærenda supererunt : *De captivitate Illustrium, multa seorsum considerantur ; præsertim summorum Principum. In capiendis militibus, videndum qui ex caussa militiæ capi possint ? e. g. an legati, si quid præter mandata, in se admiserunt ? An Dux hostium summus, aut summo minor, interposita fide ad colloquium invitatus : si inter colloquium nova & diversa his, quæ voce literisque prætulerat, consilia hostilia comperiantur ?* Ubi multæ disquisitionis exemplum occurrit incomparabile Ludovici XI. Gall. Reg. quem Carolus Pugnax eo modo cepit ; institutisque consultationibus cordatiorem secutus sententiam dimisit. *An simulatione congressuum, colloquiorumve hostem intercipere fas sit ? De ambiguitate verborum aut scripturæ, illiciendis, obtentu satisfactionis, in captivitatem hostibus. An captivos illustres passim circumducere & ostentui habere, prudentis justique victoris sit ? Quæ quidem triumphi continuatio esset. De ipsis triumphi spectaculis. De custodia variis generibus : liberali præsertim & illiberali, tum in se ; tum pro gradu militiæ cujusque captivorum. De vinculis. Quæ retinendi & quousque per justitiam internam potestas. De victu captivis malignè aut secus præbito. An in rerum necessariarum inopia, captivi potius dimittendi, quam fame enecandi, aut cadaveribus humanis*

Pont. Heuter. rer. Burgund. lib. 5. c. 4. Phil. Comina, lib. 2. & 3.

humanis obscœnisve cibis pascendi? De iis, qui captivis inservire aut officium præstare cupiunt, admittendis aut recusandis. De religionis libertate & officiis pietatis apud captivos non impediendis. Quid sentiendum de iis, qui captivos confictis varie fabulis deludunt; omniaq; à veritate aliena illis ingerunt? De metu captivis incusso ad secreta prodenda, ad promittendum. De illecebris captivo adhibitis, ut in studia partium secreto trahatur. De jurejurando à captivis, super secreta pactione exacto. De veneno captivis dato, aut infirmata captivorum valetudine. De retractis ex fuga: & vinculis aggravatis. Quæ possit excogitari mensura æstimando redemtionis pretio, justitiæ convenientissima, præsertim in captivis illustribus. De legatis captivorum redimendorum caussa missis. De arbitris, & deprecatoribus. De rationibus suadendi ac dissuadendi dimissionem captivorum. De consiliis eorum, qui gratis dimiserunt captivos, vel appellati de ea re, vel non appellati. De impensis in alimoniam & vestitum captivorum factis. De his, qui humanitate in captivos, aut duritia in eosdem; fortunam vel conciliarunt sibi, vel alienarunt. De raris & admirandis circa captivos casibus. De jure in transfugas, proditores, facinorosos, bello captos. De dimissorum captivorum apud suos privilegiis; postliminio, aliisque favoribus. De captis bello civili, cum provinciæ, & pares inter se confligunt. De captis bello civili, quod inter Regem & Regis subditos; sive imperantes & parentes geritur. De captis bello civili inter consortes Imperij, cum involanti in partem non suam, aut ad se solum trahenti communia jura, arma opponuntur. De notabilibus quibusdam rebus, quæ captivitatem consequi visa sunt, in ingenio, moribus, fortuna hominum. Nam de jure occidendi captivos deditosve, ac temperamento illius juris, *Grotius* egit. Atque hæc hactenus.

Corollarij loco.

I.

QUid statuendum de caussa civitatum, quæ Medorum tributariæ fuerant: quando translato ad Persas per Cyrum Medorum Imperio; etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, à Cyro defecerunt. apud *Iustinum lib* 1. *cap.* 7. *Grotius* putat, non posse responderi, defectu historiæ pactionis. *l. B.* 2, 16, 16. Si tamen tributariæ civitates idem sunt, quod subactæ & subditæ Medis (sicut interdum illa vox usurpatur) aperta est ad disputationem via.

II.

In pace facta, includi solent utriusque partis fœderati & amici. Scilicet ut gaudeant illa pace, si velint, in rebus extra litem positis. At litibus adhuc pendentibus, & alio spectantibus, quæ inclusorum alicui cum partium paciscentium aliqua intercedunt, formula tam indefinita finem afferri, absurdum est.

XXXIV.

XXXIV.
QUIES IN TURBIS.
Sive
Societatis bellicæ declinatio.

INter bella & discordias aliorum quiescere, mediosque & se neutrius partis præstare, nunquam fere defuerunt, qui cupidè, quanquam haud raro frustra, expeterent. Eam si quis *suasoriam* veluti in locum communem conjiceret, arduæ in utramque partem deliberationis momenta, tum aliis modis, tum ita partiri licebit: ut, quibus caussis optari quærique societatis bellicæ declinatio; quibus item refutari, & ab iis, unde petitur, denegari soleat, exemplis omnis ævi insignioribus demonstretur. Verum, de tractata aliis quæstione, nos pauca, hac vice, Academici colloquii instruendi ergo, carptim attingemus.

Jam primum, ipsa belli detestatio, & pacis amor, virtutis & justitiæ commendationem habere videtur. Quo nomine *Tacitus* Chaucos veteres laudat, *qui magnitudinem suam malebant justitia tueri: sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocantes bella:* & mox, *quiescentibus eandem famam*, quæ bello & armis, veluti speciosius quæri solet, assignat. Inprimis æquissima cogitatio eorum censeri debet, qui à bello civili, ac intestinis dissidiis plurimum abhorrent. Quippe *arma civilia neque parari, neque haberi bonas per artes* possunt. Hinc Attici non moderatio magis, quàm prudentia, præcipuis laudibus fertur, qui *civilibus se fluctibus nunquam commisit, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis.* Quare Domitii sententia, atrocior, ut erat, omnibus visa est, cum bello civili, *consultante Cn. Pompejo de mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit, hostium numero habendos.* Longe autem & humanius & sapientius Julius Cæsar, *denunciante Pom-*

Germ. 35.

Tac. 1. A. 9.

Corn. Nep. Att. 6.

Suet. Ner. 2.

Id. Jul. 75.

Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui Reipublicæ defuissent: ipse medios & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciavit.

Noct. Att. 2, 12. Nam, quod Solonis legem vulgo jactare solent, *Gellio* laudatam, in ea plus admiratio viri, quàm prudentia, momenti facere videtur. Licet enim *non ad augendam, sed ad desinendam seditionem* pertinere putetur eorum propositum, qui in partes discedunt, ut majori auctoritate, suas quisque partes mitificet, & ad utrarumque concordiam tutius viam muniat: optari tamen sæpius, quàm sperari potest is eventus, in licentia multitudinis ad moderata consilia surdæ, ad audacia præcipitis. Meliusque talia fieri posse per medios & neutrius partis, *Plutarchus*, contra legem Solonis, disputat. *præcept. ger. reip. p. 824.* Habuit arduæ disputationis exemplum historia superioris sæculi: quando, agrestibus passim tumultuantibus, equestris dignitatis vir, non ignoti nominis, in partibus seditiosorum se non voluntate, sed necessitate stetisse, multaque eorum consilia in melius flexisse, caussatus, defensionem tamen ipse suam, repetito, partium malarum studio destruere postea visus est. *Petr. Gnodal. Rustic. Tumult. l. 1. f. & lib. 4. p. 1083.* In lege porro Solonis, ego probe distinxerim seditionem & tumultum, à bello civili. Hic enim consultationi, & mediis consiliis locus esse potest: ibi, veluti torrente abripi plerosque necesse est. *2 Hist. 18.* Itaque consilium Spurinnæ *Grutere* dissertatione laudatum est; de quo *Tacitus*: *Fit temeritatis aliena comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.* Sicut autem, ducem se & auctorem præbere bello civili, si ullo modo res absque intestinis armis confici possit, aut citra defensionis necessitatem, nemo cordatus vir cupiat: ita suscepto jam bello, optimorum multos involvi, nihil mirum est: rara felicitate temporum consiliorumque, ubi tuto quiescere liceat. *Epist. 104.* Cato quoque ille, quem *Seneca* dicit, *aliis ad Cæsarem inclinantibus, aliis ad Pompejum, solum fecisse aliquas & Reipublicæ partes*, licet de utrisque partibus bello collisis, parum præclare sentiret, & victore Cæsare mori; Pompejo exulare destinasset; interim tamen bellum elegit.

Miscen-

Miscentur interdum bella, sicut de Cæsaris Pompeiique armis *Florus* judicat, *non recte civile tantum id dici bellum; ac ne sociale quidem; sed nec externum: sed potius commune quoddam ex omnibus, & plus quam bellum.* Quod cum usu venit, studio quietis excuti, etiam pacatissimas mentes videmus. Quid enim tutum sibi inter arma undique circumjecta & eminentia speraverint? Neutras partes sequantur? non minuent belli pericula, sed augebunt; & utrisque prædæ ac direptui erunt. *4, 2, 4.*

Nisi quod tum quoque quiescere sua quosdam infirmitas jubet. Si enim nullum possunt momentum facere, vel ad se tuendos, vel ad alios juvandos, sed expositi sunt cujusvis occupantis viribus, rectius aliquis dixerit & consultius esse, expectare, quàm irritare fortunam. Quamquam ne sic quidem pericula partium licebit semper effugere. Quid si enim una pars occupaverit talem civitatem gentemve, ejusque vel invitæ operâ adversus hostem uti cœperit? *Sequi videbuntur, quia prohibere non poterunt*, sicut Maracandanis apud *Curtium* accidit: & Atheniensibus apud *Vellejum*, qui *cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis; & animos extra mœnia; corpora necessitati servientes intra muros habebant.* Sed nimirum hi videntur in partibus esse, quantum ad fortunam attinet: verâ autem æstimatione, medii & partium studio vacui habendi sunt, id quod exemplis pluribus docet *Hugo Grotius.* *7, 6, 24.* *2, 23, 1.* *l. B. 3, 11, 3. & in annotatis.*

Quibusdam summa ratio, quæ pro necessitate est, suadet, ut quiescant: & locus ipse favet, ut facultatem quiescendi impetrent. Finge enim, ita sitos esse quosdam, ut stare eos, nec perdi, utriusque partis bellantium intersit: neque tam cito in partes alteras cogi posse, quin ab alteris etiam non vocatis subleventur: dum utrinque summa consilii in eo versatur, ne pars adversa societate & possessione eorum potiatur. Vel ideo quietem cupient, ne tota & varie dispersa lis, in unum locum ita incumbat, ut veluti sola & una belli materia ac merces, inter pertinaces affectantium & distrahentium manus peritura videatur. Veri est simile, partes bellantes malle quietem concedere iis locis, quorum quietam possessionem sperare nullo

modo possunt, quàm evertere velle distrahendo in partes, quorum stantium vel opinione, vel opera uti aliqua liceret. Vident enim non calliditate aliqua, aut artificiosis consiliis quietem affectari, sed sinceris propositis, & caussis necessariis societatem bellicam declinari. Atque ubi una pars acquievit his propositis, desperari non debet, quin altera quoque idem sit factura. Nisi forte in bello altera parte fracta, reliqua invalescat vehementius, omnique terroris instrumento quietis consiliis abstrahere medios illos instituat. Ibi tum, quid valeant humeri, quid ferre recusent, serio pensandum; &, quantum fieri potest, tarde ac cunctanter à destinata quiete recedendum: si forte Deus interim & fortuna negotium gerat, necessitatisque imminentis nexus exsolvat. Subest sæpe periculum servitutis, ut primum à quiete receditur. Quo nomine laudat prudentiam eorum, qui provido metu, partes suscipere noluerunt, is, qui de *Ministeriis Cardinalis Richelij* scripsit.
lib. 11. c. 3.

Qui tam bonis ac necessariis consiliis ducti, societatem bellicam declinant, an jure cogi possint, ut partibus accedant, quærendum est. Facit hanc quæstionem necessariam genius temporum. Non audivimus modo, sed vidimus, iracunde denegatam juste petentibus quietem. Quasi hic esset vulgo sensus bellantium, si vires cogendi in partes adsint, de jure non dubitandum esse. Quem morem sapientia melior ultro refutat. Demtis enim pactionis, & fidei vinculis, armorum societatem exigentibus, jure naturæ & gentium liberum esse cuique debet, armis aliorum abstinere, & inter dissidia externorum quiescere. Fœdera, etiam bellica, sua natura libertatis sunt & consilii; non necessitatis & præcepti. Et quàm iniqua ratio est; noluisti socius esse, ergo hostem me senties, etiamsi hostem meum non adjuveris; etiamsi ab omni studio partium te continere volueris?

Invisi quidem fere sunt bellantibus medii, tanquam vel ignavi, vel callidi. Nam & cautioni prudentiæque vix meliora imponuntur nomina, sed non semper ista possunt ad liquidum deduci: neque secreta mentium, suspicioni fas est penetra-

netrare. Et vel sic ad consilii quæstionem, potius referentur pleraque, quam ad jus infestandi quietos. Itaque via illa media, sicut amicos non parat, nec de inimicis dubitat: ita hostes potest merito deprecari.

Inter argumenta, quibus quietem dissuadet, societatem armorum petit, Mithridates hoc ponit: *Illi, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvunt.* Estque hæc ratio in primis valida ad infamandam quietem, & ad commendandam societatem bellicam, sed ut suasoria: ubi adhuc locus est trutinæ prudentiæ: plusne sit, quod timetur ex quiete, an quod ex societate armorum, detrimenti. Quod hic Mithridati non invalida demonstratione poterat opponi: si quis, utili & præclaro labore, Arsacis nomine respondere velit, & societatem armorum, tanto ambitu petitam declinare. *Epist. ad Arsac. ap. Sallust. lib. 4. fragm.*

Poetarum post Homerum princeps, insignia duo posuit quietis inter bella exempla: *Jovis* unum, alterum *Diomedis*. In Jovis exemplo intelligitur summa potestas, & æqua voluntas quiescentis in dissidentes. Licet enim posset alterutri parti accedendo statim rem conficere, quia tamen utramque amavit, ad concordiam redigere eos maluit, id cum parum successisset, non sine doloris præfatione, neutras se partes adiuturum, & rem fortunæ commissurum profitetur:

Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem, *Æneid. 10.*
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.
——— ——— ——— *sua cuique exorsa laborem*
Fortunamque ferent: rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient.

Non cepit οἰκονομίαν operis *Grammaticus*, cum annotat, *Jovem simulare studium Iunonis, re vera autem à Trojanis stare.* Parum abest, quin perfidum Jovem faciat, qui ita sentit: juraverat enim per Stygem, quod facere non poterat, sine deterrimo flagitii genere, si aliud animo constitutum habuisset, quàm quod ore promisit. Pertinet ergo ad ἦθος carminis, ut Jupiter invitus quidem permittat bellantes fortunæ, sed, quod proxi-

proximum erat, sine studio partium, propter benevolentiam in utramque partem. Quæ etiam efficit, ut temporaria hæc esset quies, non perpetua. Postquam enim auctoritas quiescentis non valuit, imperio tandem finem imponit dissidiis, nec mollia jussa loquitur:

Æneid. 12. *Ulterius tentare veto.*

An id facere potest, cuicunque ad faciendum vires adsunt? Nam quin facere possit, cui imperium est in dissidentes, dubio caret. An idem citra jus imperii liceat, quæritur. Ita putat quidem *Vellejus*, *Principalibus armis eos se debere interponere, qui non parentem coercere possunt.* *lib. 2. c. 50.* Neque fere dubitant hodie, vel nuperis exemplis constat. Equidem favor pacis tantum apud multos potest, ut de plano pronuncient, & utilitate illa publica, quæ pacis comes est, rependi autument, quicquid minus probum inesse in vi tali videatur. Sed accurate inspicientibus, alia animo sententia surgat oportet. Primo enim, inter ea est, quæ fieri non possunt, si quis potentior dicat bellantibus, non subditis sibi: *conquiescite statim, & pacem agitate, aut vim utrique vestrum adhibebo.* Multa sunt, quibus indiget pax discussis confectisque. Neque Alexandri gladius ad nodum hunc Gordium solvendum idoneus est. Quid si ergo aliam viam insistas, & ita agas? *pacem facite rationi & æquitati consentaneam; aut vim expectet, quicunque justas conditiones repudiat.* Tolerari forte apud indulgentiores interpretes posset, si intra minas subsistis. Si revera vim expedis, quis te judicem constituit eorum, qui nullum judicem habent, præter Deum? Hæc ipsa est, quæ Iani templum aperit, porta; ubi nulla judicis copia, nulla judiciorum potestas litibus dirimendis superest. Quærenda ergo est nova ratio, si dicas: *Vestra dissidia meis utilitatibus intercedunt, multisque meam rempublicam & magnis detrimentis afficiunt. Hinc jus meum est, revocare vos à dissidio, & si sequi non vultis, trahere.* Respondebunt: nulla ratio juvat, jus suum in alieni juris diminutione collocantem. Nos, suum quisque jus armis persequimur: tu obtentu juris tui nos vis impedire, quo minus consequamur jus nostrum. Si nostri juris disceptatione tua

ne tua læduntur commoda, nullo id nostro consilio, adeoque nec nostra culpa fit; qui utilitatibus tuis nec invidemus, nec intercedimus. Ubi pestis, & fames viciniam tuam populatur, commoda tua minuuntur variis modis. Sed non potes intentare litem vicinis, quorum malis, præter ipsorum mentem, tu affligeris. Ita fatum est, ut cum vicinis aliquid patiendum sit. Tuis quoque malis turbabuntur vicini: quos tibi exinde merito irasci, utique negabis. Alia quercus excutienda venit. Audio enim quosdam dicere: *Qui spernit auctoritatem, pacem suadentis, & æquas justasque conditiones rejicit; is & justitiam lædit, & justitiæ patronum: hacque ipsâ injuriâ, arma adversus se suppeditat, vim adhibituro.* Verum non omnis offensio, bello caussam præstat idoneam. Quid? si de offensione res ambigua est. non offendi te, inquient, quando tuis consiliis non potui, ut optabam, obsequi. Non sprevi auctoritatem tuam, si tuis monitis mea commoda anteposui. Ne id quidem recte à te dicitur, quod justas æquasque conditiones repudiaverim: iniquas credidi, & adhuc credo, quas tu æquas dicis. Quisque habet suum judicium. Fac, me justa non admisisse. Superior sit jure & imperio necesse est, non robore & viribus, qui justa negantes, juste ulciscitur, ut ante dictum est. Quare ad speciosius prætextum confugiendum erit; quod in hunc modum ornari video: *Sancta est, & communi vinculo pacis nexa humanarum inter se gentium societas; quam violant ac dissolvunt, quicunque belligerantur, in violatores porro rei tam publicæ, tam sanctæ, quivis Princeps, quavis civitas, optimo jure miles est: si cessant emendare, quod peccarunt, id est, pacem componere.* Honesta oratio, unde conficias, cogi posse ad pacem bellantes: si jus illud sociale, quo humanum genus continetur, unquam tibi servandum ex animo statuisses. Jubet te idem jus, succurrere infirmitatibus, incommodis, necessitatibus cujusque gentis, iisque sublevandis cognatam manum commodare. an hæc te unquam cura solicitavit? Sed fingamus omnino (asseverare enim non possumus) jus illud, quod ex humano genere unam civitatem facere debet, obtinere: non aliter utique exerceri poterit, quàm

Grot. l. 2. c. 24. 1.

per modum judicii, sicut inter cives unius civitatis. qui cum litigant, ad concordiam quidem & pacem rediguntur, non impetu & vi mera imperii, sed spectato jure partium; ob quod illi aliquid adimitur, huic additur. Jam ergo, si placet progredere extra civitates singulas, & vide, an ex orbe toto Rempublicam Platonis, aut Thomæ Mori Utopiam possis concinnare. Non opus habebis vate, qui de successu te submoneat. Illud autem certo, nisi hoc effeceris, futurum est, ut malum malo sanare videaris velle. Nondum lusciniæ sua deest cantio. Dicturum enim te puto, *non bellum tibi propositum esse, & vim infestam, dum cogere ad pacem faciendam bellantes, contendis: ostentationem hanc armorum esse, non noxam. esse quandam vim salutarem & amicam, non hostilem. Favere interdum occasionem, ut manus quodam modo ligentur plus valentibus, aut utrisque, ne concurrere infestis amplius viribus queant: sicut cum pugnaturi manum validior aliquis continet, neque tamen ultra retento nocet, aut vim infert.* Minus erit, fateor, res sermonibus & invidiæ obnoxia, si hactenus intervenis armatus armatis, ut ad fundendum cum & pro altera parte alterius sanguinem non procedas. Ea enim medicina excederet modum, neque probis rationibus se tueri posset. Sed qui justo pioque bello jus suum se existimat persequi, iniquum putabit eum, qui ad pacem aliis inde, quam pacatis modis velit abstrahere. Ita dum bellum finitur unum, novis aliis semina possunt spargi, & viæ præparari. Verum de his rebus fere ex eventu judicant homines, bonaque aut mala dicunt, prout feliciter secusve successisse animadvertunt.

Æneid. 11. Diomedis exemplum, apud Poëtam inprimis nobile est, prudentia & expositione rerum. Diomedem opibus & auctoritate rerum gestarum insignem, Latinus in societatem belli sollicitaverat, metu communis periculi, si Æneas in Latio invalesceret. Negaturus, quod petebatur, Diomedes, primo sibi consulit, deinde & Latino: atque adeo pro viro prudente & amico se gerit. Ne huic bello immisceri velit, suarum utilitatum respectu; imo religione (id enim potentius momentum ad ornandum & firmandum hunc locum assumitur) prohiberi

hiberi se, ait: cum strenuis bello ac felicibus, certamen inire, parum consultum esse, præsertim post tolerata belli damna, & tristem dubiæ fortunæ experientiam: satis invictos videri, qui nec impune unquam violari, neque excidio deleri potuerint; non prudentiæ modo, sed pietatis partem esse, fatis Æneam ornantibus cedere. Dixit, cur ipse socius esse belli talis nolit: nunc pro auxiliis consilium dat; & pacem cum Ænea jungendam amice & graviter suadet. quid enim pace beatius? quæ bello infeliciter mutatur:

O fortunata gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonij, qua vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?

Melioris esse consilij ostendit, non modo admittere pacem, sed vel petere; imo emere, conditionibus etiam non plane optabilibus.

Munera que patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam.
—— Coëant in fœdera dextra,
Qua datur: ast armis concurrant arma, cavete.

Magnifica & splendida hæc quies, quæ alienæ quieti studet; consilioque & candore plus quàm armis & ferocia amicos juvat. Quare Latinus Rex, ut erat moderatus & prudens, obsequi consilio destinat: nisi Turnus obturbasset. in quo hoc ipsum omen & pignus imminentis fati fuit, consilii tam probi aversatio. Sicut autem in priore Jovis exemplo, de potestate ejus, qui socius armorum aut litis particeps esse abnuit, quæri poterat: ita hic locum auctoritatis in hoc argumento miro Poëtæ ingenio videmus tractari.

Callidæ quietis, & in turbas erupturæ specimen est in Philippi Macedoniæ Regis consiliis bello Punico secundo. *In hanc enim dimicationem duorum opulentissimorum in terris populorum, omnes reges gentesque animos intenderant*, inquit *Livius. inter quos Philippus Macedonum Rex, eo magis, quod* *lib. 23. c. 33.*

 pro-

propior Italia ac mari tantum Ionio discretus erat. Lætus ille hoc bello (primum id animi male quieturi argumentum fuit) sed utrius populi mallet victoriam esse fluctuans, postquam tertia clade Romani affecti sunt, ad fortunam inclinavit; & per legatos Hannibalis partes amplexus est eo fœdere, cujus *lib. 7.* formulam *Polybius* nobis conservavit. Speciosa sane sunt vocabula, quæ apud Trogum Pompejum Philippus, finiendo *Iust. 29. 3.* cum Ætolis bello, prætert. Sed Historicus notat artem: *Hoc prætextu*, inquit, *finito cum Ætolis bello, nihil aliud, quàm Pœnorum Romanorumque bella respiciens, singulorum vires perpendebat.* Quamvis autem, ut dictum est, fortunæ accessit, & potentiores sibi visus est amplecti partes, tamen ratio eum fugit, & eventus destituit: ut ad pacem, male relictam, tanquam ad sacram anchoram confugere adigeretur.

4, 1, 38. *Livii* locum imitatus est in simili exemplo *Curtius. Magnitudo belli*, inquit, *quod ab opulentissimis Europæ Asiæque regibus* (Alexandro & Dario) *in spem totius orbis occupandi gerebatur, Græcia quoq; & Cretæ arma commoverat.* Erant Græci hoc tempore, animo & fide ambigui, & fortunam speculabantur: illa duce partes electuri, suisque utilitatibus occasiones capturi. Notat illum animorum habitum & tempo- *4, 5, 11.* raria ingenia, hic ipse *Historicus*, quando decretum in *concilio Græcorum* memorat, *ut duodecim legarentur ad Regem* (Alexandrum) *qui ob res pro salute Græciæ ac libertate gestas, coronam auream donum victoriæ ferrent.* Addit enim: *Iidem paulo ante incertæ famæ captaverant auram, ut quocunque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur.* Igitur multi Græcorum in castris Darii militabant: cum videri interim vellent, *Curt. 3, 13.* nullo publico consilio id fecisse. Spartani vero, Macedonicæ *15. 4. 1, 39. & 40.* potentiæ æmuli, non per legatos tantum cum Dario consilia conferebant, sed contractis, qui ex Cilicia profugi domos repetierant Græcis, *bellum Antipatro Macedoniæ Præfecto moliebantur. Cretenses*, utut infirmi, pacis odio, & turbarum amore, *has aut illas partes secuti, nunc Spartanorum, nunc Macedonum præsidiis occupabantur.* Abfuit his quoque consiliis callidioribus fortuna; multatique sunt belli malis,

qui

qui quietem pati non poterant. *Victoria* enim Antipatri *non Spartam modo*, *sociosque ejus*; *sed etiam omnes*, *qui fortunam belli spectaverant*, *fregit*. Curt. 6, 1, 16.

Quid de Achæorum consilio dicemus? Societatem belli cum Philippo Macedonum rege firmaverant. Romani, ut destituto Philippo, suam societatem induerent, petebant. Philippus à sociis hoc tantum petebat, ut quiescerent. *Philippus*, inquit Achæorum prætor, *societatis secum admonet & jurisjurandi: non postulat, ut secum stemus, modo ne intersimus armis, contentum ait se esse. Nulline venit in mentem, cur qui nondum socij sunt, plus petunt, quàm socius?* Exaggerat postea Romanorum vires, Philippi infirmitatem: Et subinde ad suos ita perorat: *Nam quod* Philippi legatus *modo*, *tanquam mediam & tutissimam vobis viam consilij, ut quiesceretis, abstineretisque armis ostendebat: ea non media, sed nulla via est. Etenim præterquam quod aut accipienda, aut aspernanda vobis, Romana societas est: quid aliud, quàm nusquam gratia stabili, velut qui eventum expectaverimus, ut fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victoris erimus?* Vicit quidem oratoris auctoritas, Achæosque à Philippi societate ad Romanos abstraxit. Sed ego rectius sensisse contenderim, si qui Achæis quietem suasissent. *Erant Achæi Macedonum beneficiis & veteribus & recentibus obligati*, quod *Historicus* sedulo annotavit. Quas ex Philippi ingenio injurias metuere in posterum poterant, in incerto erant: aliaque adversus hos metus consilia proponi videbantur: plena æquitatis erat Philippi oratio, ut quiescerent, desiderantis: neque Aristænus vera ac certa loquitur, cum dicit: *aut accipienda, aut aspernanda vobis Romana societas est.* Prorsus enim credi potest, Romanos, qui non nisi ex discordiis Achæorum in spem societatis venerant, admissuros fuisse rationem juris manifestam, si dixissent: Macedonum in nos sunt majora merita, quàm ut adversus illos in acie consistere fas putemus. abunde facimus, si desinimus cum iis contra vos contendere; & neutras partes sequimur. At enim, Romani, inquis, non tulissent Achæos ista caussantes, sed vim adhibuissent quiescentibus. Potius existimari

Liv. 32, 21.

Liv. 32, 19.

potest, futurum fuisse, ut ferrent hæc Romani, & quiescentibus abstinendum judicarent. Illud utique certum est, non debuisse Achæos in re tam odiosa, ad ultimum exuendæ societatis consilium procurrere ante, quàm Romani quiescentibus vim armatam intentassent. Aristæni enim oratio, utilitatis specie nititur: juris rationibus haud æque intenta.

Si quis porro neutrarum se partium profitetur, bona fide debet id operam dare, ne quid faciat, quo alteri parti favere, alteram odisse merito suo credatur. Non impediat hanc, illam sublevet: non præstet illi, quod isti negat: sed aut neutram, aut utramque, necessariis rebus ex æquo juvet.
1. B. 3. 17. 3. De qua re *Grotij* hæc est sententia: *Eorum, qui à bello abstinent, officium est, nihil facere, quo validior fiat is, qui improbam fovet caussam, aut quo justum bellum gerentis motus impediatur. In re vero dubia, æquos se præbere utrisque in permittendo transitu, in commeatu præbendo legionibus, in obsessis non sublevandis.* Quod de caussa habet, vix est, ut in usum deduci possit. Qui neutrarum partium vult haberi, neutras debet juvare vel impedire; citra caussæ æstimationem: quæ non periculosa modo, sed impossibilis est, in hoc quidem genere. Hoc ipsum studio partium dabitur, si hanc juste, illam inique arma induisse judicabis. Sumendum est hoc loco,
3. 3. 1. quod alibi monet *Grotius*, justum bellum dici sæpe non ex caussa, sed ob peculiares quosdam juris effectus. Mediis justum utrinque bellum videri debet, cui misceri nolunt: aut utrinq; injustum. Si injustum utrinque, aut ex altera parte iis videbitur, non jam medii existimabuntur, qui partium unam, aut omnes damnare sustinuerint. Relinquitur ergo, ut intra animum sentiant aut judicent de injustitia belli, minime autem aperiant mentem, & significent: nisi periculis partium velint involvi. Unicus est modus, si quis dicat inter Christianos: Ego Christianis nefas esse duco bellare; itaque neutris partibus adjungi possum. Verum id quoq; inter ea est, quæ accidere, cum serio agitur, nequeunt. Nihil tutius igitur, ad quietis fidem, quàm seponi illam quæstionem de jure bellantium, & quantum ad hoc propositum, justum bellum haberi,
quod

quod geritur. Mihi enim hactenus justum est, de quo dubitandum aut disquirendum mihi esse non judico. Validior fiet is, qui improbam fovet caussam, si commeatus ei pretio suppeditaveris, si transitum dederis. Ergo hæc justum bellum gerenti præstanda sunt, id est, alteri parti. Jam non eris medius, si uni præstas, quod alteri negas: cum hæc jure exigant partes bellantes à mediis, ut utrisque neges, aut utrisque annuas: neque tibi eam relinquant libertatem judicandi de caussa, aut dubitandi.

Jam de transitu permittendo dispiciendum est: de quo *Grotius* etiam alibi agit. Ubi itidem distinctionem belli justi ac injusti, mediis, ut tales sunt, prodesse non posse existimaverim. Potius autem discrimen in rebus ipsis quæsiverim. Sunt enim quædam ejus generis, ut medii utrisque partibus ea concedere debere videantur: aliorum diversa est ratio, quæ rectius utrisque denegari posse dixeris. Prioris generis sunt commeatus, & res necessariæ sine quibus ne vivi quidem potest: ad posterius, transitum armatum retulerim: neque dubitaverim, naturam has res ita discernere, ut illic plus favoris, hic plus ad odium momenti repositum videatur. Sed, quid gentibus placuerit, aut hodie placeat, animadvertendum est. Constare autem inter omnes arbitror: neminem hodie reperiri, quin putet, pacatos mediosque utramque bellantium partem transitu armato jure prohibere posse; si quidem vim non metuant, id quod consilij est, non juris. Ex altera parte non minus indubium est ac certum: neminem bellantium ambigere, quin transitum denegatum vi liceat aperire, armisque vindicare, aut astu penetrare. Hæc sententiarum diversitas nobis persuadet, ut credamus, gentes quæstionem juris muta dissimulatione transmitti (nisi quod obtentui sumuntur ista, aut suasoriis adhibentur) & ad pactiones deduci rem totam voluisse. Conventionibus certe & transactionibus, non juridicis disceptationibus, omne petendi aut concedendi transitus negotium videmus confici. Agnoscas eum, quem dixi hodie obtinere, animorum habitum, jam olim in Helvetiis & Cæsare. Illi enim, *Allobrogibus sese persuasuros existimabant, vel*

l. B. 2, 2, 13.

Iul Cæs de bello Gall 1, 6. & 8. *vel vi coacturos, ut per suos fines, eos ire paterentur:* Cæsar autem, *negat, se more & exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare, & si vim facere conentur, prohibiturum ostendit.* Ubi autem utraque pars æquam sibi annuendi & abnuendi libertatem vindicat, naturalis rei exitus non ostenditur alius, quàm per conventionem & pactionem.

Non multo aliter forte judicandum esset, de negotiationis & commerciorum jure pacatis mediisque civitatibus inter *I. B. 3. 1. 5. & Annot.* partes bellantes libero. quam quæstionem *Grotius* ad jus naturæ ideo referendam ait, *quia ex historiis nihil comperire potuerit ea de re jure voluntario gentium esse constitutum.* Ex iis tamen, quæ in *Annotatis* plena manu cumulat, & aliunde, satis apparet, gentes existimasse, licere sibi commoda hostium ex mercimoniis cum pacatis populis, intervertere: quæ licentia neque naturæ juri usquequaq; repugnat, nisi quod in modo cautionem id dictat. Interdum enim modestius, interdum violentius suo jure uti videbantur bellantes, prout consilii singularis, aut perturbationis animi movebat instinctio. Esse enim ab injuria mediorum & pacatorum abstinendum, dubio caret. Sed si monentur, si rogantur, ne intercedant justis armis, nec desistunt moniti rogatique; tam liberum sibi esse volunt bellantes, vi prohibere commercia, quibus hostis invalescit, quàm pacati illi liberum sibi esse cupiunt, mercimonia sua citra aliena arbitria tractare. Ut rursus ad pactiones res ista tendere videatur. Consultissimum certe fuerit, conventionibus ista definire, si modo conveniri potest. Anno superioris *Loccen. hist. Suec. lib. 5.* seculi LVI, Gustavus I. Sueciæ Rex, literis significavit Regi Daniæ Friderico, *quomodo bello cum Russis invitus culpa Magni Ducis Moscoviæ sit implicitus. Quum autem Angli novum & insitatum per mare glaciale, ut vocant, iter in Moscoviam ad portum S. Nicolai sibi aperuissent, prætervecti Norvegiam; quod omnibus circumjacentibus regnis, sed & maris Balthici accolis & civitatibus inæstimabili damno futurum sit, dum omnis generis vetita bellica instrumenta & arma ad Russos deportarent, quibus contra Christianos nimis muniri, & ad exemplum Turcicæ potentiæ per Asiam & Africam elata, etiam imperium in*

Eu-

Europam affectare possent. Proinde se amice desiderare, ut Rex Fridericus & suo emolumento tuendo, & aliorum Christiani nominis membrorum ingenti detrimento amoliendo, istum navigationis cursum Anglis precludere velit. Eodem, & communium commerciorum nomine ad Reginam Angliæ (Mariam) *misit. Sed ab ea responsum accepit: se suis subditis libertatem navigandi, quo velint, ex privilegio nactis, inhibere non posse. Velle nihilominus armorum invectionem in Russiam prohibere. Quod tamen factum non est. Nec de mutuis commerciis certi quid responsum.* In eadem historia Suecica Rex Johannes II. cum Stenone Sturio bellum gesturus, Lubecenses, ceterasque fœderatas urbes admonet, *ut tantisper quiescant, nec in Sueciam arma, commeatum, aliaque bellis necessaria importare velint.* Ad Lubecenses: *cum merces suas, magnam partem facultatum & negotiationis socios in regno Sueciæ passim haberent, non absque ingenti fortunarum suarum dispendio, istius loci commerciis abstinere posse. se neutri parti addictos, ob regum discordiam, libero commerciorum & navigationis usu, jure gentium recepto, priscisque privilegiis arceri, contra jus & fas fore. orare igitur, ut Regis cum gratia sibi in posterum quoque jure suo frui liceat.* Sed Rex Johannes mox naves eorum in Sueciam cursum tenentes armata manu intercepit: neque restituit. Hinc dissidium. Pactionis, qualem laudavi, nobile est exemplum in fœdere commerciorum inter Gustavum I. Sueciæ, & Franciscum I. Galliæ, Reges ante annos centum inito. cujus articulo VI. habetur: *Omnibus Sueciæ subditis liberum erit, cum navibus suis, mercibus & commerciis proficisci ad Galliæ hostes & inimicos, eorumque portus, regiones & terras, ubicunque eis commodum videatur, subsistere & commercari, abire & redire, quando volent: ita ut ea de caussa non dicantur violasse pacem, aut mali quid eis inferatur à Francis. Et ut Sueci tempore belli commercia eo tutius & absque omni molestia exercere possint, dabuntur illis literæ tuti commeatus, quandocunque desiderabunt.* Quinimo inter ipsos belli socios, si societas limitata sit ad certa bella consiliaque, quædam à bello quies, qualem medii optant, constituitur. Ita fœdere, quod inter Sue-

Loccen hist. Suec. lib. 4. p. 148.

A. C. 1559.

cos & Belgas anno 1645. convenit, & ſequenti confirmatum eſt, cavetur, articulo quidem VI. *ut neuter confœderatorum hoſtem, qui nunc in præſens hoſtis eſt, aut deinceps enaſci poterit, conſilio, ope, pecunia, commeatu, milite, navibus, nautis, armis, pulvere pyrio, aut munitionibus, ulliſve bellicis rebus aliis juvet.* Articulo autem ſequente, VII. additur: *Licet verò neutri confœderatorum licitum ſit, hoſtem ſui confœderati, dictis priori articulo rebus juvare; id tamen ita erit interpretandum, ut navigatio atq; uſus commerciorum liber ſit, ſubditis cujuſq; cum hoſte fœderati, qui alia de cauſſa, quàm ob hoc fœdus, bello cum fœderatorum altero fuerit immixtus; ut ſalvo hoc fœdere, ſubditis ejus, cui bellum non eſt, libere liceat navigare, & commercia ſua quæcunque exercere cum ſubditis hoſtium dicti fœderati: Hoc tamen excepto & reſervato, ut ſi quis vel urbem, vel munimentum quodcunque aliud ſeu juſta obſidione aggrediatur, ſeu circumſedeat, animo, in ſuam poteſtatem cogendi & adigendi, alter confœderatorum tam diu ſuſpendat navigationem in ea loca, atque commerciorum uſu abſtineat, ſubditoſque ſuos jubeat ſuſpendere & abſtinere, donec illa urbs vel munimentum, vi aut pactis occupatum, vel occupatione deſperata, obſidio aut circumſeſſio ſoluta fuerint.* Quæ hic communis Fœderatorum utilitas dictavit, valde accedunt ad æquitatem juris naturæ, mediis quoque & quieſcentibus indulgendam.

Pace, quæ anno hujus ſæculi quarto Hiſpaniæ inter & Angliæ Reges convenit, id ſingillatim & ſubtiliter cautum eſt, ut Britanni neutras partes foverent in bello, quod Hiſpani cum Fœderatis Belgij Ordinibus gerebant: ejuſque quietis & mediæ conditionis, ſive fructu, ſive jure gauderent, quod ita fere deſignabatur, deſcribente *Hugone Grotio: Hoſtes rebelleſque alterius alter ne juvaret, neu juvari à ſuis pateretur: attamen privatorum facta in ipſis vindicarentur, pace publica incolumi. Fliſſingam & Brilam* (quæ oppida, ut Auſtriacæ ditionis, reſtitui Archiduces petebant) *per pactorum fidem negabat ſe Britannus Hiſpano poſſe tradere: interim milites, qui iſta oppida ſervarent, impermixtos bello fore. Pacandis Batavis una operam darent: ſi quid eſſet moræ, ſaltem ut commeaturis inter ſe Belgis Angliſque iter pateſceret. Britannis Batavi-*

Hiſt. lib. 13. add. Thuan. lib. 131.

tavicas merces in Hispaniam, Hispanicas in Bataviam vectare interdictum. Ex eodem juris fonte subinde Batavi, cum Rege Jacobo egerunt. *Postulabat à Batavis, ne prohiberent Britannos, è mari intrato Scalde Antverpiam subvehi, solutis vectigalibus, quanta cives penderent. Illi vero excusavere, ostenso haud injuria institutum sibi, ne quis ad hostes, nisi mutatis navibus, pervaderet; quo certius cuncta explorarentur: nec ægre ferendum, si possesso à se flumini legem imponerent, cum Hispani etiam maris vias amicis auderent præcludere.* Qui hæc inter se ad illum, quem dixi, modum statuerunt, non crediderunt certe, favorem commerciorum ipso jure tantum esse, ut omnis ratio militiæ & status bellantium, debeat libertati eorum cedere. Cujus generis infinita sunt exempla. *H. Grot. lib. hist. 13.*

Sicut autem, qui neutras partes sequuntur, sedulo operam dant, ne actionibus eorum militaribus misceantur: ita nec bellantibus fas est, in pacatis locis, ac regionibus juri quietorum subjectis, suas offensas exequi. Quæ res crebra disputatione agitata est. Cum anno hujus sæculi quinto, Belgicæ naves Hispanos apud Doberniam adortæ essent, *Dobernienses, dum mari pugnabatur, (Grotij* verba refero*) spectatores, mox irati, bellum solo suo importari* (in portu enim constitutos Hispanos non cessabant infestare Belgæ) *globos ex arce jaciebant pro nuper-hostibus in amicos veteres. Batavos ob hæc ausa criminantibus postea Britannis responsum, non quæsitas à se Britanniæ in fluminibus naves, quod tamen impune Dunkerkani fecissent; sed calentem victoriæ impetum hostem magis suum, quam terræ marisque confinium respexisse. At ipsi haud æque facile purgabant, quod specie scrutandi Anglos, qui contra Regis edictum mari militarent, haud ita dudum naves Hispanicas, partam Batavis prædam, suum in littus pertraxerant, datisque pro legato Philippi (Hisp. Regis) vindiciis, vim belli eluserant per juris imaginem.* Non reperit aliud, quod pro Batavis suis diceret Grotius, quàm ut excusando victoriæ impetum, culpam fateretur; & paria à Britannis peccata ostendendo, litem lite resolveret. Est recentius hujus disputationis exemplum in prælio anni 1639, quo Martinus Trompius Hispanorum classem in Dunis Britannicis expugnavit, cepit- *Hist. lib. 14.*

Orat paneg. de Vict. Hispan. classe. que. Quam victoriam celebrans *Barlæus*, in hostes culpam confert, eadem excusatione, adeoque confessione defungens, qua modo Grotius. *Postquam*, inquit, *cavisset Trompius, ne mandato & obtento Britannici Regis in stationem istam juri, temere contravenirent sui, prior ab hoste impetitus, & uno ex suis desiderato, sine feciali classicum cani imperat; dum spectator pugnæ Britannus cum navium parte extra partes manet.* Subinde: *Serenissimus Rex Carolus, fœderis sui, quod sacrosanctum habet, memor, classis suæ præfecto quietem imperavit, & laudatissimo exemplo Hispaniæ simul Patribusque, eundem se, durante conflictu, præbuit. misertus ad extremum quarundam navium Hispanicarum, quas à tanto naufragio in suos usus servavit.* Iterum: *Ambiguos habuit cives vestros, non vos, an ista rerum facie, illo loco, ubi Dunæ Britannicæ sunt, & quem veneranda Britannorum majestas sibi ut proprium vendicat; justum esset, hostem invadere. Verum, liceat liberum verbum in libertatis regno effari. Necessitas, Patres, ante rationem est, maxime in bello; quo raro permittitur, pugnandi tempora ad clepsydram exigere, & loca conflictus decempeda anxie definire. conclusæ hærebant Hispanicæ naves, in Albionis statione, sub Regis summi, ut videbatur, patrocinio, ut quantum in nobis esset animi, ob metum regiæ majestatis experirentur. Haud dubium, si neglexissetis Hispanum, arma nobis trans mare inferentem, contemti & Britanno & ipsi Hispano & finitimis fuissemus. Nunc postquam læsi primum, invasistis, & invictos vos pernicie hostium probastis, quis dubitabit patere victoribus maria?* Quæ oratoriis fere coloribus adornata, *Johannes à Sande* *Epit. Histor. Belg.* apertius & citra dissimulationem refert. Fatetur Thalassiarcham Anglorum Joh. Penningtonium, monuisse Trompium, ne quid in Baiis regiis auderet: mandatum enim sibi à Rege suo, ut adversus primum aggressorem, cum oppugnatis staret. Hispanos subinde initium fecisse, emisso in vela celocis Trompianæ globo; iterum, glande prostrato de sociis navalibus uno in nave Belgica: cujus cadaver ad Penningtonium missum, probandæ offensionis ab Hispanis cœptæ, & exigendi contra primos injuriæ auctores auxilij. Rem Penningtonio neglectam,

ctam, suspectos fecisse Anglorum animos: itaque Trompium, acceptis de pugna mandatis, viginti & octo navibus, quibus quatuor incendiariæ adjunctæ erant, negotium dedisse, ut certamine orto classem Anglicam observarent, si quid illa moveretur: à Penningtonio autem literis sub initium pugnæ contendisse, ut vel Belgis primum infestatis auxiliaretur, vel certe pugnantibus non interveniret. Additur quidem interpretatio denuntiationis Penningtonii, tanquam violata ab Hispanis Anglica statione, ex ipsius Regis Angliæ mandato & voluntate Belgis jus pugnandi natum esset: non sine dubitatione tamen, de voluntate Regia. Sequitur enim clausula: *Si vero suæ Majestati hæc actio non arriserit, clementia nobis factum condonabit.* In quibus verbis, confessio satis clara, alicujus facti, solo eventu judicandi. Nisi enim aliunde subesset Belgis spes, Britannos belli hujus turbis involvi nolle, forte minus liberaliter mandata Regia interpretati essent. Cum præsertim Hispani factum excusassent: neque id tanti esse videretur, ut non nisi prælio expiari posset. Insignia sunt, quæ congessit, juri Anglico adversus infestationes mutuas exterorum in æstuariis, sinubus, portubus, & Regiis in mari Cameris tuendo, *Ioh. Seldenus in Thalassocratico lib. 2. cap. 22.*

Videri quidem posset hoc jus adversari iis, quæ ante dicta sunt, de non impediendis actionibus militantium partium: sed manifestum est, jus infestandi hostis in justa etiam militia restringi, & limitibus quibusdam includi, per imperium & dominium loci pacati. Licebit tibi jus tuum persequi, in tuo solo, in hostili solo, in solo nullius, in mari, quatenus id extra imperium cujusquam est: non in portu, cujus jus sibi vindicat aliquis populus; non in solo pacatorum populorum juri subjecto. Quæ ultra tendunt, figurate dicta putabis. sicut bene explicat Grotius. Facta quoque in contrarium adducta, *l. B. 3, 4, 8. & 3, 6, 26.* non imminuent auctoritatem juris gentium, sed vel de injuria testabuntur, vel infirmitatem aut patientiam gentium pacatarum ostendent. Solet equidem evenire, ut admisso in pacatas terras hoste, qui arceri poterat, altera pars non immerito sequi se posse, & bellum eodem transferre, opinetur. Neque

est, quod valide dici contra queat. Evenit tamen, ut haud æque in expedito sit illa dubitatio. Spectemus exemplum, detractis nominibus. Obsessa pars hostilium copiarum, cum inopia rerum ad deditionem urgeretur, per pacati induciis populi fines fuga evasit. Non ausus est fugientes persequi dux obsessor, reverentiâ pacati fœdere induciarum loci. Licet enim induciæ non tollant bellum, sed differant: effectu tamen pro pacatis habentur terris, quibus ea pactione quies certi temporis parta est. Quid si dux obsessor exemplum fugientium secutus, eadem rapuisset victrices copias? Pacati hactenus soli domino, æqua adversus utrumque querela nasceretur. Sed an Principi suo potuisset excusare, qui absque mandato voluisset ulcisci transitum à pacatis hosti permissum, valde dubito. Prudens quidem dux, nunquam temere fecerit, quod an probaturus sit Princeps, dubitat. Disceptata subinde res est literis, incusatique sunt, per quorum fines iter fugientibus patuerat. Responderunt illi: se petentibus transitum negasse, præterque suam opinionem factum, quod ausi nihilominus essent fugientes id iter rapere, sed nec impediri eos tam subito à se potuisse. Geminatæ sunt literæ ab altera parte, denunciante summo duce, pro ruptis habitum iri inducias, si iterum hostibus illac via pateret; secuturis eodem jure, copiasque in ea loca, quæ hostis peteret, translaturis, quibuscum induciæ pactæ erant. Opponebatur in vicem huic denunciationi sanctimonia fœderis induciarum, propositique de non rumpendis induciis sinceritas, qua salva, fieri possent interdum apud fines parum munitos, quæ nullo consilio dominorum loci votove juvarentur. Sed hæc quidem inter duces & summos rerum administros disputata sunt: stetitque induciarum de cetero pactio.

Pergendum est ad similes quæstiones, quid liceat in solo pacatorum, sive in solum pacatum. Quamvis enim pacati populi latius dicantur, quicunque bello sunt impermixti, etiam longissimis disjuncti intervallis; medii autem, quos vel situs periculis belli admovere videtur, vel postulata bellantium, de societate interpellarunt, vel fœdus cum bellantibus, de non jungendis armis initum, quiete donavit: pacatorum tamen

tamen vocabulo hic medios intelligi, ſignarique nil prohibet. Jactatur ergo ſæpius apud bellantes, titulus *neceſſitatis*: ſive *jus neceſſitatis*, ut *Grotius*, aut *ratio belli*, ſicut hodie loquuntur. *Grotius* ita ſtatuit: *Ei, qui pium bellum gerit, licere locum occupare, qui ſitus ſit in ſolo pacato; nimirum, ſi non imaginarium, ſed certum ſit periculum, ne hoſtis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det; deinde ſi nihil ſumatur, quod non ad cautionem ſit neceſſarium, puta, nuda loci cuſtodia, relicta domino vero jurisdictione & fructibus: poſtremo ſi id fiat animo reddendæ cuſtodiæ, ſimulatque neceſſitas illa ceſſaverit.* Atque hoc jus deducit *Grotius*, tanquam poſt introducta rerum dominia reliquias, ex veteri illa communione, quam principio capitis adornare non dubitavit, deſtructam gravibus argumentis à doctiſſimo *Strauchio in diſſertatione de imperio maris*. Bene de reliquo factum, quod arctis limitibus rem odioſam conſtringendam judicavit. Quo accedit & illud, paulo ante dictum: *jus* hic eſſe *non plenum*. Revera enim hæc in iis habenda ſunt, quæ non fiunt ſine culpa & injuria, ſed recepta fere gentibus conſuetudine, diſſimulantur, aut caſibus belli condonantur. Nam quod nonnemo hic de *commutatione ſpontanea*, ſciente domino pacati ſoli facta, fingit, præter rem noſtram eſt. neque enim pro medio ſe geſſerit, qui ſuo conſenſu ab alterutra parte bellantium ſiverit occupari locum in ſolo ſuo ſitum. Magna nobis copia eſſet memorandi exempla harum diſputationum ex bellis hujus ſæculi Germanicis. Nihil illo titulo, & ſimulacro juris frequentius: ſed altum de limitibus poſitis, & temperamento æquitatis modo deſcriptæ, ſilentium. Neque enim vel jurisdictio, vel fructus, vel neceſſitatis obtentu, facta rerum commutatione, ceſſante, reſtitutio, verum dominum ſequebantur. Ut ab hoſtibus capta, non niſi finito bello, & interventu pactionis, reddi vidimus, quamvis pacato in ſolo occupata. Quantum ad illum metum attinet, ne hoſtis occupet locum, primò videndum eſt, an non poſſit impediri hoſtis, ne occupet: deinde, quia ſine injuria id facere hoſtis non poteſt, an imitari & præcipere propoſitum inferendæ pacatis injuriæ fas ſit, exquirendum eſt. Non male

l. B. 2, 2, 10.

cap. 1. §. 6. &c.

l. B. 2. 2. 9.

l. B. 2, 1, 17. male enim huc adferas, quod alibi *Grotius* monet: *Adversus incertos metus, à divina providentia & innoxia cautione, non à vi præsidium petendum est.* Vere ista, sed, ut mores & homines sunt, plerunque frustra dicuntur.

Dubitabile enim haud raro redditur, quod revera indubiæ æstimationis est. Quæsitum meminimus, an hostis quidem nostri, sed pacatas vi alterius pactionis atque exceptas bello regiones, invadere & occupare liceat? Res ipsa loquitur, non licere, quin eadem opera rupta censeatur pax illa altera, quæ illas regiones bello inaccessas præstabat. Unde & consortibus pacis, ad conservandam ejus fidem, mutuo nexu adstrictis, jure maximo tueri regiones illas armis, vimque vi depellere liceret. nisi quod deliberatio de armis quamquam juste sumendis, moras trahere, & majora audentibus metum demere fere solet.

Quod si de pacato populo aliqui intra præsidia hostium
l. B. 3, 4, 7. sunt ante bellum eo profecti; tum *post modicum tempus, intra quod discedere potuerunt, jure gentium pro hostibus eos haberi posse*, *Grotius* censet. Intellige, si non retenti sunt præter suam voluntatem apud hostes. Quod vel ita fit, ut opera eorum militari hostis utatur; vel eâ non utens, aliis de caussis dimittere eos nolit. Qui operam militarem ipso actu præstat, & arma contra fert, quanquam invitus id facit, hostilia patitur in impetu belli, non inopinabili ratione. Neque enim in puncto temporis dijudicari possunt, quibus temperamentum juris bellici suadetur. Extra actum militarem apud hostes in castris & urbe capta deprehensi, merito fruuntur illo
l. B. 3, 11, 10. temperamento, quod *Grotius* alibi commendat. Quod in Academiis ad Studiosos, etiam cum sub signis ordinati, extra actum tamen militarem positi, deprehenduntur, pertinere debet. Musis enim neutras partes sequi, suo jure licet. Si tamen sponte quis suâ illo se privilegio quietis privaverit, animumque & impetum hostilem induerit, jam non ut literarum, sed castrorum sectator habetur.

Ejusdem generis est, quod de rebus apud hostes quidem repertis, in urbibus aut intra præsidia eorum, sed quorum domini-

mini nec hostibus sunt subditi, nec hostilis animi, *Grotius* annotat & explicat: *bello eas acquiri non posse.* l. B. 3, 6, 5. & 6 & 26.

Facit quosdam medios ratio fœderis, cum altera bellantium parte vel utraque initi; sed quod ad societatem belli non obligat. Tum enim bellantes, si impetrare non possunt auxilia, id saltem suo jure videntur postulare, ne contra suas partes aliquid moveant, aut fœdera nova, sibi nocitura, ineant. Ita Rex Galliæ Carolus, Ludovici XI. filius, in Italia bellum gerens, Venetis per legatum, qui hæc describit, demonstravit: *per illud fœdus, quod & secum haberent, & quod cum parente suo fecissent, non licere ipsis, quoquo modo Gallorum adversariis adesse, & Regem simili conditione ipsis devinctum teneri: multo minus etiam licere ipsis, inire fœdus illud, de quo tunc frequens admodum rumor increbruerat: quod si faciant, discedere ipsos ab eo, quod convenisset, & violari pacta.* Sed Veneti ad solitas simulationis artes conversi, & in Turcam parari id fœdus causati, non prius aperte agendum sibi putarunt, quàm cum fœderis pactio penitus esset confecta. Quæsivi huic historiæ locum, quia nobilibus hujus disputationis momentis conseritur. Veneti enim, cum crederent, fieri non posse, ut Galli in Italia multum procederent, amicitiam præ se tulerunt, neque quicquam ipsis adversum se moturos, quin bona officia præstituros, confirmarunt. Sed, ubi successus Gallorum metum ipsis incussere, statim apparuit voluntas, & persona parum sincere quiescentibus detracta est. Callida hæc quietis & amicitiæ ostentatio nec laudem habere potest, & ex invidia periculum simulatoribus ingens creare solet. nisi quod viribus confidunt, qui jure gloriari non possunt. Quod in rumpendo fœdere, re tam sancta, amplius etiam intelligitur. Quid enim usitatius, quàm fœdera sanctissimis formulis contracta, ut primum utilitas communis, solùm scilicet pro moribus temporum vinculum amicitiæ, mutari cœpta est, ultro rumpi, & in contrarium mutari?

Phil. Comine. de bell. Neap. lib. 2. interp. Sleidan.

Quæri ergo hic potest, quid liceat in medios, qui vel vacuum studio partium animum ostentant, per occultas tamen molitiones, alterutri aut utrique adversa struunt: vel fœdera-

derati alteri, adversario ejus clam student: vel utrique fœderati, diversis studiis, hunc adjutum, illum depressum cupiunt. Primum omnium, nihil suspicionibus, in re tanta, & argumenti odiosi, statuere oportet. Quod si autem rerum testimonia, non sinunt dubitabilem esse animum ejusmodi hominum, stolidum sane fuerit, verbis potius, quam factis credere.
lib. 45. id quod *Cicero* differit amplius apud *Dionem Cassium*. Hostium itaque loco habendi, ac si facultas datur, persequendi, puniendique veniunt, qui *amicitiæ specie fefellerunt*. Nisi quis altiore magni animi proposito, de jure suo cedere, quàm bellis implicari malit. Quæ consilii quæstio est: & à momentis eventuum belli pendet. Modo enim bello intenti & hostibus oppositis, connivere ad ista, aut veluti surdo auditu, quamvis magna transmittere coguntur: modo apud fores ejusmodi simulatorum constituti, variis rerum verborumque imaginibus se deludi sentiunt: modo, finito bello, novis discordiis non est locus; vel, quod abolita fraudis memoria inclusi sunt pace illi ancipites amici; vel, quod alia ratione muniti vim non metuunt. Quomodo autem interim, cum iis agendum? Plerique iisdem artibus petendos existimant, quibus alios decipiunt. Hinc negotiationis & legationum species sæpe producitur, donec ex improviso arma in subdolos convertantur. Majoris animi videtur, arguere artes & exprobrare: quo modo nonnullos pudor aut metus emendavit. Nisi quod necessaria interdum dissimulatio, securitati potius, quàm ultioni consulendum, dictat.

Illis porro, qui medii sunt, præcipue id datum negotii creditur, ut discordantes ad pacem & consensionem temperare summa ope studeant. Ac interdum quidem concessa pactis quies, sane additam legem habet, de opera reconciliandis sibi invicem bellantibus seriò & diligenter sumenda. Ubi autem disertis verbis de ea re nihil convenit, specimen tamen animi bona fide quieti, ceu propria medii virtus, in eo ponitur, si de reducenda apud dissidentes pace, indefesso sibi studio contendendum existiment. Qui lege sive pactione medii sunt, illis, si vel maxime vellent, non semper integrum est, negotio

tio tam arduo manus admovere, si præsertim sint minus potentes, aut validæ auctoritatis. Sed qui de cetero extra partes sunt, præsertim Christiani inter Christianos, merito suam operam in reconcilianda pace offerunt, præstantque. Quæ nec facile repudiatur. nisi constet, eum, qui has partes suscipere vult, verbo quidem utrisque, re autem vera alteri parti studere; alterius commodis & caussæ adversari. Erit ergo officium eorum, quos sequestres, internuntios, vulgo parum Latine Mediatores vocant, ut mature bellantium iras interpellent; neque expectent, donec cædes cædibus, damna damnis cumulata fuerint. Deinde, ut æquos se utrisque præbeant, in quantum manifesta caussæ momenta patiuntur. Denique, ut prudentia sua & moderatione, quæ nocitura sunt negotiationi, prævertant, extinguant, minuant; validis rerum argumentis utantur; minis & objurgationibus abstineant. An addemus, ne suis commodis inter pacificandum studeant? Frustra id quidem, & iniquè à se id peti, judicaverint. Ut enim hodie sæculum est, vix serio pacem aliorum amant aut procurant, nisi qui suas in[illegible] utilitates sperant. Finge, abesse hoc propositum; non aberunt certe studia animorum, occultæ æmulationes, spes metusve, perpetua animorum consiliorumque inter homines intertrimenta. Quia ergo pax & bellum aliorum, multis in quæstu esse solet, factum haud raro videmus, ut partes bellantes plane non admitterent ejusmodi proxenetas: vel, suasorias quidem pacis & cohortationes admitterent, negotiationi autem pacis neminem alium admoverent. Quæritur, an sine injuria offerentis, talis opera recusari possit? Quidni? Quælibet enim civitas, suarum rerum arbitria ita sibi vindicat soli, ut aliis interventuris vel viam claudere, vel limites ponere, suo jure possit. Absit modo superbia, & contemtor animus: quo irritari plurimum solent, quorum auctoritas spernitur. Consilio enim opus est & cautione, ut animadvertas, quid, cui, quomodo negatum eas. Sicut & in ipsa negotiatione, si nihil proficitur intervenientium auctoritate, offensio gravissima contrahi potest.

Grot. l. B 3. 20, 46. &c.

Ut arbitratores, aut arbitri compromissarij adsciscantur medii populi principesque, superiore sæculo nondum desitum, magis magisque in desuetudinem abire videtur. Ratio non est in obscuro. Ita enim plerarumque civitatum commoda & incommoda mutuis studiis propositisque, clam palam sunt implicita ac permixta, ut vix securo animo eligere velint bellantes, cujus statum animumque nihil præter alienum bonum spectare credant. nisi quod in parte negotiationis de pace institutæ, Mediatoribus, quos vocant, quædam committi ratio est, ut quod æquius melius videtur, definiant. Reperiuntur pacta inter certos populos, quibus controversiæ forte orituræ ad arbitros rejiciuntur. Satiusne est tum, nominatim designari Principes, an delectum tempori reservare? Utrumque factum novimus. Posterius moras trahere potest, & difficultatibus implicari: nec prius, propter fragilitatem & crebras commutationes rerum humanarum, plane videtur vacare periculo. Quare multo provisu futuri, & solerti cautione versandum est in illa consultatione. De arbitris oblatis, nec receptis, videre licet *Camdeni historiam in anno* [illegible]o. *part.* 4. *Elisab. pag.* 768.

Sigon. de regn. Ital. lib. 18.

Conatus eludendi arbitrii in Bononiensibus apparuit, qui, cum anno Christiano 1249. cum Mutinensibus pacem fecissent, controversia de Friniano, quod utraque civitas sibi vindicabat, ad arbitros rejecta est. *Itaque XIII. Kal. Ian. Octaviano Cardinali, & Iacobo Episcopo Bononiensi præsentibus, civitatis utriusque procuratores certa interposita pœna compromiserunt in Hugonem* (Sanuitalem, nuntium à Parmensibus ad id missum) *& arbitros à Communi Parmæ datos, de omni lite, quæ inter Bononienses & Mutinenses super Friniani possessione posset existere: jurantes se staturos sententiæ arbitrioque Communis Parmæ, quod prætor aut alius rector urbis ejus tulisset.*

Id. lib. 19

Tergiversati sunt, quamquam interposito jurejurando arbitris litem submisissent, Bononienses: & post quintum annum *nondum possessio Friniani reddita Mutinensibus erat,* (verbo Sigonij refero) *cujus rei judicium ad prætorem Parmæ ex compacto rejecerant. Itaque VIII. Kal. Junij Gibertus prætor Parmæ nuntiis*

tiis Bononiam missis, *Ricardum pratorem*, *Antianos* (magistratus hic tribunis plebis comparatur) *Consiliumque rogavit*, *ut aut Frinianum Mutinensibus remitterent*, *aut procuratores Parmam ad respondendum Mutinensibus mitterent. Qua re audita Bononienses primum à Mutinensibus per legatum postularunt*, *ut jura sua apud se potius quam Parma exponere*, *& Frinianum suo potius quàm alieno recuperare beneficio vellent. & cum nihil impetrassent*, *XVII. Kal. Iulias Parmam misso nuntio Gibertum* (prætorem) *orarunt*, *ut arbitrium pronuntiare differret. Verum cum rogatus nuntius*, *num mandatum ad respondendum haberet? se habere negasset*; *neque arbitrii dilationem postulare posse*, *judicatus est.* Instante dehinc Mutinensi, iterum monitus est Ricardus, de mittendo ante certam diem idoneo procuratore. Quæ cum adventaret, Bononienses ad novas artes conversi, Mutinam miserunt petitum: *ut Mutinenses diem judicij prorogari paterentur*, *ac procuratorem*, *quem Parmam miserant*, *revocarent. nam se comiter per communes amicos transigere velle.* additæ sunt blanditiis minæ, quibus ex pacto juberentur Mutinenses diruere castra citra Scultemnam. Quibus peractis Parmam jussus erat ire nuncius, dilationeque arbitrii rursus petita, locum tutiorem Bononiensibus postulare, quibus iter Parmense à Regiensibus haud satis securum esset. Instante autem Mutinensi procuratore, ut primo quoque tempore pronuntiaretur, Bononiensi vero diem largiorem ac locum tutum ad disceptationem causæ postulante, Gibertus *interfatus tertiam ab eo diem constituit. qua ubi illuxit*, *petitionem Bononiensium de loco tuto prastando rejecit*, *inquiens*, *legatos Bononienses alias venisse secure. & fidem à Regiensibus impetrare haud difficulter posse*, *aut per limites remotiores tuto transire. Quo responso Bononiensis confusus*, *iterum concilium generale & speciale poposcit*: *cumque ibi eadem iterasset*, *prator ejus petitionem repudiavit*, *atque generali consilio advocato ita pronuntiavit*: *Nos Gibertus de Gente prator Parma*, *arbiter inter Commune Bononia & Commune Mutina super Friniani disceptatione delecti*, *juris solemnitate servata pronuntiamus*: *Frinianum*, *homines*, *oppida*, *& loca*, *cum eorundem jurisdictione ad Commune Mutina*

 per-

pertinere, & sine ulla exceptione illi à Communi Bononiæ esse dimittenda; præcipimusque eidem Communi Bononiæ, ut ea intra mensis spacium libere dimissa habeat, alioquin mulctam in compromisso expressam persolvat. Qui has tricas Italas considerat, quo animo pacti sint Bononienses & jurati, facile intelliget: neque minus in hoc exemplo, quid de arbitris multi sentiant, animadvertet. Cujus tamen argumenti alia est inspectio.

XXXV.
DE COLLOQUIIS ET CONGRESSIBUS PRINCIPUM.

I.

Colloqui solent Principes, etiam per *Literas*, & *Legatos internuntiosque.* quæ frequentissima illis consuetudo olim & hodiè fuit. Hic autem de illis Colloquiis sermo est, ubi *Colloquendi caussa ipsi Principes congrediuntur & in unum conveniunt.*

II. Solent tales congressus esse, vel *officiosi*, vel *negotiosi*, vel *mixti*.

III. *Officiosi* congressus, *Nuptiarum*, *Funerum*, aliorumque *solennium temporum*, *spectaculorum*, *lætitiarumque*, aut *videndi se invicem* causa, ferè institui solent.

IV. *Negotiosos*, magnarum rerum explicandarum spes & desiderium cogit: ut citius, & plenius conficiantur, quæ inter præsentes tractantur.

V. *Mixti* generis Congressus, crebra occasio suadet: dum vel dissimulare officii specie ardua rerum, vel officiosas occupationes, seriis gravibusque negotiis temperare, inter artes & consilia Principum habetur.

VI. Nobis nunc *Negotiosi* & *Mixti* Principum congressus propositi sunt: & quidem eorum Principum, qui summa civi-

civili potestate præditi, rerum temporumque domini audiunt.

VII. Negotiosi sunt vel causa *Belli*, tum *vitandi*, tum *finiendi*: vel causa *Pacis*, tum conservandæ, per amicitias, & varias necessitudines, tum amplificandæ ornandæque per commercia, fœdera, communicationes consiliorum, connexiones utilitatum. Interdum ex his quoque rerum generibus jungi plura videas, & rem unam non uno fine suscipi.

VIII. *Grotius* inter *tres modos, quibus vitari potest, ne controversiæ in Bellum erumpant*; primum facit, *Colloquium*, complexus hac appellatione, quicquid comprehendi potest; *Legatorum* scilicet ac *internunciorum* opera non exclusa. Est tamen, cum & ipsorum Principum conspectus mutuus collocutioque magnum ad bellum vitandum creditur habere momentum. Quamvis illa spes, suos auctores sæpè frustra habuerit. *de I.B. lib.2. c.23. §. 7.*

IX. *Quid juris consequantur debeantve, qui colloquium vitando bello, vel petunt vel admittunt*; quæritur. Respondet Grotius: *Tacite utrosque obligari*, ne *colloquium collocutoribus noxium sit.* Et mox addit: hoc *sufficere*; *etiamsi is, qui postulavit vel admisit colloquium, hoc prætextu & tempore suas res meliores, alterius collocutoris deteriores fecerit.* Vim enim *promissi*, quod subest omni colloquii postulationi, ultra non extendi, quàm ne noceatur in colloquium venientibus. *de I.B. lib.3. c.24. §. 3. & 4.* *de I,B,3,3,1.*

X. Duo autem hujus disputationis sunt tempora: *vel*, antequam apparatur, apparatumve est bellum vel antequam apparato jam bello, ad actus hostiles veniatur. *Tempore*, quod paratum belli antecedit, ideo postulare aut admittere colloquium, ut interim spatium lucreris apparandi belli, usitata bellantium ars, & propterea jus licitum, haberi solet. Quod fortassè aliquâ habet opus explicatione. Non enim consilii modò, sed juris est, ut bellum, quamvis ex justa causa suscipi queat, non suscipiatur, nisi, rebus repetitis, sive tentatâ vitandi belli viâ, pax aliter quàm bello retineri aut stabiliri nequeat. Si colloquium vitando bello nondum apparato, quæritur, jus non minùs postulat, ut *seriò* hoc, *absque fraude*, quæratur, quàm ut quæratur. *Grot. 2. 24. 1.*

XI. Sed

XI. Sed, quæ est rerum humanarum imperfectio, alter, cujus colloquium desiderasti, interim molitur alia, tibi nocitura. an quiescas, nec imiteris hanc vafritiem? Primo, nihil ex suspicione, aut rumore non fundatissimo, statuendum. Deinde, si res certa est, quantum in moralibus esse potest, licebit quidem defensioni necessaria comparare; etiam offensioni; dum modò à te non oriatur injuriæ initium: sive, ut ad interius tribunal conscientiæ propius accedamus, dum modò non propositus tibi sit dolus & ultio, sed cautio & securitas.

XII. Plus varietatis est in consiliis, *apparato jam bello*, colloquium optantibus. Sunt illi, qui colloquium petunt admittuntve, in eo statu, ut diffidere, ut dolo bellico fallere invicem, nefas sibi non esse, reputent. Sed ab hoc, qualecunque est, jure sua sponte recedunt, qui de pace colloqui se velle, præ se ferunt. Fides enim, perpetuum actionum humanarum, non bello minus quàm pace, vinculum, intercessit. At *cotidianum est, simulatione colloquij hostem professum fallere?* Cotidianum, sed non justum est. nisi velis id quod consuetudine pro nihilo habetur, aut pro moribus temporum dissimulatur, statim juris nomine donare; aut licentiam & impunitatem, quæ facti sunt, ad sancta æquitatis nomina referre.

XIII. Illud interim à dolo abesse credimus, si vero paciscendi proposito colloquium petieris, & propter incertum eventum in utrumque te comparaveris. Ita Latinus, apud *Livium*, cum *instructæ acies jam constitissent, prinsquam signa canerent, Ænea evocato ad colloquium, admiratur animum Viri vel bello vel paci paratum.* Talis oportet fuerit animus Scipioni & Hannibali, ante prælium decretorium, in colloquium venientibus.

lib. 1. c. 1.

Liv. lib. 10. c. 30.

XIV. Hæc ferè ad propositum & candorem colloqui volentium pertinent. De cætero, quia ad ejusmodi colloquia non temerè & negligenter descenditur; immutabilis fidei ratio exigit, ut quæ singulatim & sub formula convenere, de loco, tempore, aliisque rebus ad colloquentes & colloquium pertinentibus, accuratè serventur. Sed hæc exemplis clariora fient. Diligenter, si ulla colloquii militaris historia describi-

scribitur à Cæsare, quando ipse primum ab Ariovisto, Ariovistus subinde à Cæsare, colloquendi facultatem postulavit. Neuter fortè sincero usus *proposito*. Nam Cæsaris animo, cupido armis experiendi Ariovistum insederat, nisi tamen hominis non minus prudentis quàm bellicosi curas incitaverat reputatio incerti eventus, ut ex petito colloquio minus reprehendi posset, quemcunque fortuna esset datura exitum. Ariovisti quoque, aversum ab omni pacis consilio animum, commoverant partim fiducia Cæsaris, partim auguria quædam & vaticinia. Spem verò obtinendi per colloquium, ne bellaretur, neutri existimem adfuisse.

XV. Ariovistus non tam barbaro ingenio, ut plerique putarunt, in hoc negotio se gessit, aut colloquium prorsus repudiavit. Id enim si fecisset, juris, de quo diximus, violati merito reus postularetur. Sed illi, per quos Cæsar colloquium postulavit, insolentius agere visi sunt; & quodammodo præcipere Ariovisto. Hinc ille, dignitatem sedulo retinendam ratus, non absurde respondit: *si quid ipsi à Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse: si quid ille se velit, illum ad se venire oportere.* Addidit *rationem potentiorem*, cur & suspectum haberi colloquium Cæsaris, & recusari, omninò deberet: eo quod Cæsar armato exercitu ingressus esset *eam provinciam, quam Ariovistus jure victoriæ sibi vindicabat.* Sicuti enim ab armato hoste, præsertim ubi nulla denuntiatio belli intercessit, legatos admittere, non semper est necesse: ita etiam colloquium eidem denegare, non sunt nullæ causæ, ob quas licet. *Tertia causa*, indidem petitur: quia *sine exercitu ad armatum hostem accedere, periculo; exercitum illuc admoliri, difficultate non careret.* Hæc efficiunt, ut invidiæ in Ariovistum concitandæ, quàm historiæ enarrandæ aptiora sint illa, cum Cæsar queritur, *Ariovistum in colloquium venire invitatum, recusasse, nec sibi de communi re dicendum, & cognoscendum putasse.*

Cæs. lib. 1. B. G. c. 34. & 36.

Grot. de I. B. lib. 2. c. 18.

§. 3.

Cæs. B. G. c. 34. & 42.

de B. G. lib. 1. c. 35.

XVI. Mutato rerum statu, cum ultro colloquium Ariovistus polliceretur, operosior fuit de *conditionibus colloquij* tractatus: sæpè *ultro citroque legatis inter eos missis.* Cum *Locus*,

cap. 42. & 43.

Tempusque placuisset, illud quoque Ariovistus petivit, *uterq; ut cum equitatu veniret, nullo pedite adducto; & cæteris quidem pari intervallo à loco colloquij absistentibus, uterque ex equis colloquentium, denos secum haberet.* Insidiosa est Cæsari visa petitio: quoniam, ut ipse peditatu, ita Ariovistus equitatu præstabat. Sed de dolo tamen facilè excusaveris Ariovistum: qui & palam hoc petiit, & securitati, modo, quo fieri potuit, optimo consultum voluit. Sicuti & Cæsar non de equitatu, quem circa se habebat, sed peditum præstantissimos equis impositos assumsit comites. Ut, in pari proposito, aut nullus ad querelam titulus, aut mutuo astu dissimulandus fuerit.

XVII. De colloquii capitibus non est hic agendum. Illud potius consideratu dignum est, *an servata sint, quæ colloquentibus debebantur.* A parte Ariovisti peccatum esse, palam est: quando *equites ejus, adequitando & lapides telaque in Cæsarianos conjiciendo*, colloquium diremerunt. Ipsum tamen Ariovistum, optimus judicandi auctor, Cæsar excusat, & in militum Germanorum intemperiem causam conjicit; *quod retineri non potuerint, quin in Romanos tela conjicerent.* Quod si Cæsar maluisset jus suum persequi, dedi sibi injuriæ auctores, aut puniri, expetere poterat. Sed præcipua rerum ad famam dirigere solitus; gloriâ servatæ debitæ colloquio fidei contentus, cum *ullum in hostes telum rejici vetuisset*, alteram partem invidia rupti colloquii onerari, in lucro duxit.

Cæs. de B.G. 1, 46.

c. 47.

XVIII. Non æquè facilè se purgaverit Ariovistus altera vice, de *Procilli* & *Mettij* vinculis: ubi & *hospitij*, & *gentium, omnisque humanitatis jura* violavit. Prætextus equidem quærebatur: quod non missi essent ad colloquium, quos ipse postulaverat, *legatorum Cæsaris aliquem* ad se mitti contendens. Qua petitione, sicut se ad non nocendum tali legato obligaverat, ita aliis extra talem conditionem positis, nihil se debere, videri voluit. Et fortassè inveniret patronos, si tricas admitti fas esset. Rectior & gravior est sententia, ut is, qui mitti ad se postulat aliquos colloquendi gratia, non tricetur circa missos, etiamsi conditio personarum, exempli potius quàm definitionis causa nominata, non sit prorsus eadem.

c. 47.

XIX. Ipse

XIX. Ipse Cæsar, *qui potuit negare colloquium ab Ariovisto denuo postulatum?* Potuit, per causam, diremti vi intentatâ prioris colloquij. Potuit iterum, quia alterna petiverat Ariovistus, id est, vel Cæsaris vel Legati cujusdam colloquium. Licuit ergò eligere. Potuit amplius, quia ut colloquium omnino repudiare, animi habetur à jure belli & pacis alieni; ita præsentiam colloquio subtrahere, & ministrorum opera uti, æquum ubique jus est.

XX. Cœpto civili adversus Pompejum bello, Cæsar, colloquium Pompeji sæpius, & prolixè expetiit; ostendens *fore, uti per colloquia omnes controversiæ componantur; interesse Reip. & communis salutis, se cum Pompejo colloqui: neque vero idem perfici longo itineris spatio, quum per alios conditiones ferantur, ac si coram de omnibus conditionibus disceptetur.* Benè ac verè loquitur; an ita etiam senserit, tum quoque, quando magis potuit liquere, dubitatum est: notante *Plutarcho*. *Ciceroni* certè suspecta fuit ista speciosorum verborum scena, quam Cæsar instruxit: nec Atticus, cum Cicerone dubitavit, *simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrimè.* Sicuti autem Cæsari multum favoris vulgò hæc colloquii postulatio conciliavit; ita recusatio ejusdem non parum invidiæ in Pompejum traxit.

Cæs. de B.C. lib. 1. c. 9. & c. 24.

In Cæs.

Cic. ad Attic. lib. 10. epist. 1.

XXI. Quomodo per crebra colloquia, Scipio Syphacem regem, & Carthaginenses deceperit, *Polybius* & *Livius* retulere, non sine laudatione facti, quos & *Grotius* in judicando sequitur: & ante eum *Albericus Gentilis*. Sed quia hæc colloquia nitebantur fide induciarum, nescio an aliquid labis contrahant, ruptis à Romano collocutore induciis. Quod enim induciæ à Scipione ita tolli, & fides ejus liberari, potuerint, sicut *Livius* memorat, demonstratione ampliore opus habebit, si quis negare velit.

Polyb. 14. hist.
Liv. lib. 30. c. 3. & seqq.
Grot. de I.B. 3. 24. 4.
de I. B. lib. 2. c. 5.
lib. 30. c. 4.

XXII. Servit, & instituti de Pace colloquij sedula ostentatio, haud rarò consiliis in secreto militiæ destinatis. Hinc solicitudo & cautela, antequam colloquium admittatur. Anno superioris sæculi LXXXVIII. Dux Parmensis suprema armorum Hispanicorum in Belgio arbitria tractans, apud Reginam An-

gliæ Elisabetham, quæ Belgarum patrocinium susceperat, de pace colloquium non semel expetivit. Regina, diffidendi causas non ignorans, re primum dilata, tandem *de pace, sed armata manu tractare constituit.* Accepit conditionem Parmensis. Tractatum est inter Parmensem & Legatos Regios magna specie. Sed bello interpellatus *in nihilum cecidit hic tractatus, à Regina, ut prudentiores judicarunt, susceptus ad classem Hispanicam avertendam; ab Hispano continuatus, ad Angliam imparatam nec opinantem opprimendam: ut pelli Leonina Vulpinam assuere utrinque viderentur.* quod *Camdeni* valdè simile vero est judicium. Addenda est *Thuani* uberior descriptio *lib.* 89. *post pr. Famianus Strada: utrinsque partis intererat, dissimulare, se decipi.*

part. 3. hist. Elizab. Angl R. decad 2, lib 9.

XXIII. *An* autem *satius sit, ut magni Principes negotia sua per internuntios & ministros potius, quàm suo ipsi congressu & colloquio conficiant*, non minima est disputatio. *Cominæus* valdè dissuadet tales congressus, totamque dissertationem in hanc sententiam extruit, dùm narrat, quanto cum periculo, quantaque imprudentia Ludovicus XI. Gall. Rex Peronam accesserit ad colloquium Caroli Burgundi Pugnacis. Nec parum auctoritatis habet illa admonitio: profecta scilicet ab eo, qui conscius consiliorum, & in liberando Rege, apud Burgundum, cujus tum primus cubicularius erat, laboriosè occupatus, intimè momenta totius negotii introspexerat. Narravit etiam & eodem modo judicavit *Pontus Henterus* (*lib.* 5. *rer. Burgund. c.* 4.) ex quo descripsit *Franciscus Haraus.*

lib. 5. hist. Ludov. XI.

in Annal. tom. 1. anno 1468. lib. 3.

XXIV. Causas suæ sententiæ has proponit Cominæus: primo, *quia intutum sit se alienæ potestati permittere; ex quo religio fidei in ludum verti cæpit:* Deinde, *quia inter grandiores natu Principes semper aliqua æmulatio versatur, quæ non patitur animos satis tranquillè & amicè se habere:* tertio, *quia dissimilitudo ingenii, morum & cultus vel ludibria vel tædia excitare potest:* quarto, *cum præsertim comites & ministri ciendis inter se dissidiis & rixis proni & studiosi esse, soleant; quibus heros ipsos contingit implicari:* quinto, *quia dimisso conventu omnia etiam secretius dicta factaque utrique palàm in argumentum*

tum rumoris trahuntur; *uni fortè parti non ingrati*, *alteri permolesti.* His rationibus adjicit *sex exempla* colloquiorum, in quibus eventus spem fefellit, & plus mali, quàm boni attulit. Possent & alia non pauca, in eandem sententiam adjici, si nunc id ageremus.

XXV. Non sunt tamen nullæ in contrarium rationes, & exempla, unde constat, magnorum Principum congressus & colloquia, felices aliquando habuisse exitus. Nimirum multa prorsus est hujus negotii varietas, in personis, temporibus, causis, apertis & occultis, quæ firmas dari regulas non patitur. Optima prudentiæ pars est, quæ monet, colloquia hujus generis neque suaderi neque suscipi oportere, nisi provisis deliberatisque rationibus, quibus pericula declinentur, & successus promoveantur. Multa enim, quæ impedita sunt, expediuntur consilio & arte. Interdum & necessitas est ante rationem. Nonnunquam altior Heroici spiritus indoles feliciter pervadit, in quibus inferior indoles obhæresceret.

XXVI. Imò, inter easdem personas, non est idem iterati colloquii eventus. Exemplo est ille ipse Carolus Burgundus, quem Cominæus, infeliciter in colloquium Friderici III. Imperatoris venisse ostendit; de quo conscriptam pulcherrimam epistolam, *Arnoldi de Lalaing*, latinè convertit & particula narrationis auxit eximiè doctus vir *Rudolphus Agricola. Freher. tom. 2. script. Germ. p. 155.* Adde *Pont. Heuter. lib. 5. rer. Burgund. c. 8. Barlandum, in Carolo Burg.* aliosque. Atque de hoc quoque colloquio, conjecturas potius, quàm historias afferunt: ut solet fieri in magnis occultisque magnorum Principum rebus. Digressum esse Cæsarem, re infecta; irritum spei relictum Carolum, constat. Sed quod de superbia Caroli, Cæsaris fastidio, afferunt; fortasse inter impedimenta negotii numerari nequit. Nihil horum, in quantum accidere posset, congressuris ignotum erat. & præparati adversum hæc utrinque venerant. Igitur, ni gravior Reipublicæ ratio obstitisset, majoraque à Cæsare petita essent, quàm Reipublicæ tempora, Cæsarisque & Domus Cæsareæ majestas concedi patiebantur; eventus voto respondisset. Sed videbat Fridericus,

quâ erat prudentia, tempus consiliorum elaborandorum, quæ colloquio Trevirensi originem dederant, nondum ematuruisse. Cum eodem postea Carolo (anno 1475.) ad Novesium in secretum colloquium veniens, & pacem Imperio, & Domui suæ amplissima ex matrimonio Filij cum Maria Burgundica incrementa, pænè momento confecit. *Gerard. de Roo Hist. Austr. lib.* 8. *p.* 309. Unde satis apparet, neque antea apud Treveros, neque nunc Novesij congressis, defuisse virtutem artemque, tractandis per colloquia rebus necessariam. Illud quoque abunde intelligitur, talia fuisse negotia, & ab ejusmodi suspensa momentis, quæ internunciorum opera perfici vix possent.

XXVII. Multa comitate, & postea negotiorum tractatu insignis *congressus* fuit *Ejusdem Imperatoris Friderici III. cum Alfonso Aragonia Rege anno* 1452. Comitatis fuit, qnod Imperator ex itinere Romano Neapolim ad Regem Alfonsum se contulit, invisendi & colloquendi causa. Quo exemplo revincitur Regula Magistrorum Cæremoniarum, qui vocantur, cum dicunt: *Qui in alterius fines colloquij & congressus ergò transit, minorem se altero profitetur, & minor ad majorem sese confert.* Curiosus fuit in hac expositione *Æneas Sylvius, in Historia Friderici III. (pag.* 82.) *Posthac*, inquit, *Cæsar Alfonsi Regis Aragonum multis precibus oneratus, ut Neapolim sese cum Imperatrice conferret, statuit tanto Regi morem gerere, quamvis id plurimi reprehenderint; qui Regem ad Imperatorem venire, si quid vellet, decentius existimabant. At Cæsar irritas has voces habens, Avunculum suæ conjugis contristari noluit, maximum & clarissimum Regem, sæculi decus: cujus egregia facinora totus orbis decantat: quem victum fortuna vincere non potuit, sed contra ipsa victa est coactaque, Regi bene merenti, cui sæpè nocuerat, demum familiari ejus benefacere. Neque latebat Cæsarem, sæpè Sigismundum antecessorem suum, aliorum Regum hospitia visitasse: qui nunc Gallorum, nunc Hispanorum Reges adivit. In Angliam quoque, & in Poloniam minores Reges accesserat, neque propterea sua dignitas minuta videbatur. Neque ambiguum est, priscos Cæsares sæpè minorum Principum lares ingressos.* Hic ipse Æneas, cum postea *Pius Papa II.* creatus

ap. Iacob. Gothofr. de jur. præced. part. 2. §. 7. *Bodin. de Rep. lib.* 5. *c.* 9. *n.* 144.

tus esset, Cardinalibus, ambitiosius disputantibus regessit: *Vidisse se Cæsarem, sæpè Ducibus & Marchionibus ad se venientibus occurisse.* Magnam partem magni animi in magnis Principibus tollere vult, qui his tricis nimium intentus est. *Commentar. Pij II. lib. 3. p. 66.*

XXVIII. Dicamus potius, quod res est, nunquam spernitur, aut sperni potest, Imperatorium nomen. Argutiæ suspicantium sunt, non consilia rectè suadentium, si pompa Imperatoris, vinci credatur ab aliorum pompa Principum. Historia antiqua & nova te docebit, Imperatores, & Imperatorum Legatos, sæpè consulto consilio, pompa luxuriosa abstinuisse, neque de sua prærogativa, quicquam propterea amisisse, sed potius alienum fastum flagellasse; exemplo singularis moderationis, quæ non nisi in magnitudinem solidam, id est, superari nesciam, & suo proprioque jure vigentem, competere potest.

XXIX. Plures per annos Maximilianus I. Imperator tractaverat per Legatos, quæ ad arctiorem necessitudinem regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ integrandam pertinerent. Patuit ad extremum, vix posse ad votorum finem perveniri, nisi congrederentur cum Maximiliano Reges. Hinc celebris ille congressus Cæsaris Maximiliani Augusti & trium Regum, Uladislai Hungariæ, Ludovici Bohemiæ, & Sigismundi Poloniæ, XVII. Julii 1515. Viennæ cœptus, quem Diario consignavit *Joh. Cuspinianus*, & *in Hodæporico Matthæi Cardinalis Gurcensis Riccardus Bartholinus Perusinus.* Plus egit indoles Regia, & necessitudo præstantium animarum in congressu Principum, quam ulla facundia & ars Legatorum inter absentes. Et ubi virtutis comitatisque speciminibus certatur, nihil tam arduum est, quo non possit aspirari. Accedebant hic Charites Regiæ, sui sexus & sæculi decora, firmandis & cum rei publicæ utilitatibus, connectendis illustribus amicitiis, largo & potenti successu dispensantes. *ap. Freher. tom. 2. script. germ.*

XXX. Temporis melioris & majoris genij, nec facilè imitandum est Rudolphi Primi, postea Imperatoris, factum. Qui dissidium extemporali colloquio compositurus, ex inopinato inimici, imò jam hostis, Abbatis Sangallensis oppidum *anno 1272.*

adit,

adit, intromitti se postulat, litis finiendæ causa. Nec mora: Amicitiam, & societatem cum Abbate, adversus Episcopum Basileensem jungit. Bene speravit de Abbatis fide, & prudentia: nec minus de sua auctoritate, & dexteritate. Fecitque hoc non sine consilio suorum. Assenserunt illi, tempora ingeniaque hominum considerantes. Hodiè, puto, inter consultores arduum esset reperire primam ad tale colloquium suadendum vocem. videndus *Ger. de Roo Hist. Austr. lib.* 1. *pag.* 12. *&* 13.

XXXI. Fortuna quoque interdum, miris læta negotiis, Principes cogit in colloquia non expetita. Tempestas anno 1506. tam officiosa fuit erga Henricum VII. Angliæ Regem, ut Philippum Castellæ Regem cum Uxore in portum Anglicum Waimutham compelleret. Et licet consiliarii, exscensionem fieri dissuaderent, Philippus tamen ex nausea æger recreari voluit. Exceptus est multis magnisque officiis à Rege Henrico, qui occasionem haud negligendam ratus, negotia alioquin moras tractura, aut successu caritura, ex spe sua confecit. Congressi erant hi duo Principes ante, anno 1500. & per tres horas collocuti in templo D. Petri, quod uno distat milliari à Caleto. Hinc sermonis initio illato, Philippus Castiliæ Rex, *in priore colloquio*, inquit, *munitum oppidum* (Caletum) *ingredi detrectavi, ejus rei nunc pœnas luere me video.* At Henricus, nihil à murorum aut maris repagulis impedimenti esse, ubi corda paterent, præfatus, omnem honoris cultum obtulit. Post refectas vires Philippi, Henricus remotis arbitris eum aggressus, Comitem Suffolciæ, qui apud Philippum exulabat, reddi sibi petiit, tam instanter; ut, cum Philippus diceret, non suo tantum sed Henrici honori adversum, si ipse quidem supplicem tradidisse, Henricus vero tanquam à captivo id extorsisse, viderentur, ultrò addiderit: at ego non extimesco hanc famam. Philippus Legem sibi imponi videns, redditurum se Comitem, si vitæ ejus parceretur, pactus est.
pag. 130. Digna est, quæ legatur colloquii historia apud *Franciscum Baconum de Verulamio, in Henrico VII.* Cæteræ quoque conven-

ventiones ex voto Henrici, manente inter collocutores omni ſpecie honeſtatis, amicitiæ, comitatis, provenerunt.

XXXII. Ad *Germaniam* noſtram veniemus, & de colloquiis ac congreſſibus Principum, in quantum privatis cogitationibus locus aut obſervatio datur, aliqua repetemus. Ita fert nationis noſtræ virtus, ſive virtutis indoles, ut *Principes viros ſæpius convenire, jocos & ſeria unà celebrare*, è republica videri queat: adgubernante omnia providentiore conſilio, quod tàm excelſis pectoribus nunquam deeſſe poteſt. Si quid diſſidii, ut in latè fuſo Imperii corpore, inter hunc & illum, ſubortum eſt: putare licebit, unici, aut certè, maximè optabilis conſilii eſſe, *ſi Principes ipſi, adhibitis communibus amicis, congrediantur.* Nam ne ad jurgia & acerbitates perveniatur, nec dignatio tantorum nominum, nec præparatus colloquio animus, metui patitur. Paucis ſæpè horis fortaſſis componerentur, quæ lites in annos & ætates durare poſſunt. Non ignotum eſt, quid contra ſentiant alii. Valeat, quod locis, & negotiorum formis tempeſtivum eſt. Nobis liceat de genio Nationis Teutonicæ & magnanimitate Principum, optima quæque ſperare.

XXXIII. *Comitia Imperij*, magna hujus rei experimenta dederunt. Quot querelæ, non Imperatorum modò, ſed Ordinum Imperii, in hiſtoriis, in tabulariis publicis extant: *propter abſentiam ipſorum Principum* (etiamſi Legatos miſerant) *nihil potuiſſe decerni, aut ad conſiliorum exitum perveniri?* Hæc eſt præcipua cauſa, cur diæta diætam pepererit, & extinxerit: ſicuti vulgari verbo jactatum eſt. Multum poteſt ad coalitionem animorum, unde omnis Reipublicæ felicitas expectanda eſt, ſi Imperatoris præſentis majeſtatem, illa Auguſti corporis membra, illa Imperij lumina circumſtant; conſulunt & conſuluntur; dicunt & audiunt ſententias, quæ Germaniæ ornamento, hoſtibus terrori, poſteris admirationi futuræ ſint. Si in comitialibus congreſſibus, Imperij & robur & decus conſiſtit (quod communiter prædicatur) fas eſt profectò optare, ut cum Cæſare ipſi Principes congrediantur, quotiens Reſpublica poſtulat. Atque id Imperatores jam olim literis, quibus

V. Guil. Zenocar. à Scauenburg. in Carol. V. pag. 272.

bus evocabant Ordines ad comitia, inserebant: *venirent, in honorem Imperatoris & Imperij.* Ipsa quidem negotij natura postulat, ut Legatos mittere satis sit, si quis Principum aliis curis distinetur. Sed fortuna Reipublicæ eo magis florere videtur, quo plures Principes accesserint.

XXXIV. Intercedit huic voto, non nisi pro Republica concipiendo, *moles controversiarum de prærogativa loci.* cum *sæpè salutem publicam, rem civilem & militarem, atque circa hac deliberationes, deludi ac destitui, tali obtentu, experientia testetur.* Si credimus *Jac. Gothofredo.* Sunt quidem remedia provisa, in ipsis constitutionibus pragmaticis, quos *Recessus Imperij* vocant; *reservando & protestando.* Sed hæc eò valent, ne quid juris sperati pereat sperantibus: ut autem libenter congrediantur, his remediis non efficitur. Fortassis enim rara, nec nostri temporis, vox est, quæ Ulrico Duci Wirtembergiço tribuitur: *vel post fornacem me collocate, dummodo id, cujus gratia convenimus, efficiamus.* In Comitiis utique minus, quàm aliis in congressibus, id fieri posse, non unas ob causas videtur. Quod autem nonnulli putant, esse facile, regulas tradere, de præcedentia Principum; in eo licebit fortè cras credere, hodiè nihil. Periti rerum Germanicarum, non ignorant, subesse nodos pænè inexplicabiles, nisi fortè aliquid possit amica compositio, auctoritate componentium & magnanimitate simul ac æquanimitate componendorum nixa.

de jur. præced. prosbcor. 3.

l. d. Iac. Gothofr.

XXXV. De *ceteris* quoque *conventibus, qui legibus & moribus publicis nituntur*, sine dubio eadem existimatio est. Expetit eorum, quos lex vocat, præsentiam salus Imperii; estque salubrius Reipublicæ, si ipsi Principes singulorum negotiorum momenta introspiciant, quàm si peritos tantum habeant legatos. De *conventibus familiaribus*, & extra juris publici regulam institutis, non esse hic agendum, ab initio dictum est. Quamquam & isti nonnunquam seria miscent: utut *suspicionibus* obnoxii. Refert *Limnæus* decretum sive *legem de vitandis invitationibus ad liberaliores & æquales haustus, per terras multorum Principum*, ibi nominatorum, qui Heidelbergæ ad sagittandum ex arcu chalybeo, nobili id tempo-

I. P. lib. 6. c. 3. n. 103.

ris

ris exercitatione, convenerant. Addit consilii rationem *Hubertus Thomas Leodius: Convenerunt*, inquit, *invitati viginti Principes, multi Comites, Barones, & ex civitatibus innumeri Cives; proposita enim erant vincentibus in arte sagittandi præmia certa. Ne autem tantus sumtus ludorum factus diceretur, & omnis suspicio tolleretur, qua jam tum invaluerat, tot principes propter ludos, haud credibile esse convenire:* Statuitur, *ne in posterum ad æquales haustus amplius biberetur.* *Annal. lib. 5. vit. Frid. II. Pal. anno 1524.*

XXXVI. Extat de Comitiis querela, in Conventu Passaviensi, à Mauritio Electore Saxoniæ proposita: *in Comitiis agi parum amanter, & si quid adferatur ab aliquo pro republica, malam in partem accipi: crebris illis conventibus atque diuturnis exhauriri Germaniam, & domi multa sæpe negligi; neque tamen publicum statum effici meliorem; imò deteriorem aliquando, magisque perplexum.* Tria in argumentum querimoniæ veniunt: primo, *Libertatis Senatoriæ usus impeditior*; deinde, *Frequentia sive crebritas comitiorum*; denique, *Diuturnitas eorundem.* Sed hæc duo posteriora capita, non taxantur nude, sed in quantum eventus spei non respondit; *negotiis publicis per illos crebros diuturnosque conventus non expeditis, sed intricatis.* *ap. Sleidan. lib. 24.*

XXXVII. Ut *Libertati Senatoriæ* locus sit, satis prospectum est; jure, & consilio. Si enim hæc impediretur, vix aliud sequi posset, quàm ut segregarentur membra unius corporis, & divisis congressibus consilium sibi partitim caperent, quod rectius in commune consultaretur.

XXXVIII. Ne *rara* sint, & *diuturna* comitia, jam olim agitatum est, præsertim Maximiliani Primi Imp. tempore: ubi nonnulli proponebant: *annua comitia celebrari; nec ultra mensem produci, debere.* Hoc, sicut in consultationem venit; ita usu non est frequentatum. Et forte, tam districtè tempus comitiorum definiri, vix è Republicâ fuerit. Igitur *Instrumentum Pacis* providè decrevit: *Habeantur Comitia, quoties id publica utilitas aut necessitas postulaverit.* An omnino certum annorum numerum, interpretando definire velint ipsa *Artic. 8. §. Gaudeant.*

Comitia, ultra quem differri non debeat Comitialis congressus, tempus docebit.

XXXIX. Ne autem vel sumtuosa nimis, vel irrita aut otiosa sint Comitia, facilè præstabitur, si, quod amplius Pax Westphalica decernit, *emendentur anteriorum Comitiorum defectus*. Quinam illi? Partim, de quibus ex æquo apud omnes constat: partim qui aliquibus tales videntur, ceteris non item. Manifesta, aut facile manifestanda, non habent vel cognitionem, vel curationem arduam. In ceteris, nimium scrutando aut perplexando, facilius incrementum, quàm remedium morbi inveneris.

ibid.

XL. In historia Comitiorum Germanicorum, fortassis nec scopum sibi propositum assequuntur; nec explicationi polirices Comitialis probè serviunt, qui Comitia, non dicam Constantini M. sed Carolinorum temporum, ab octo amplius sæculis, sæpius in ore & calamo habent. Longe aliud animo constitutum habebat, magnus ceteroquin *Francogalliæ* auctor, cum antiqua, non ad veritatis notitiam, sed ad causæ, quam susceperat, utilitatem interpretaretur; quàm illi sibi proponunt, qui aliis bene, ut arbitrantur, dicta paulo securius hodie describunt.

Franc Hotom. Francog. cap. 13. & 14.

XLI. *Electorum Principum*, Reipublicæ utiles & gloriosi congressus legales duplices sunt: cum *eligunt Imperatorem*; &, cum, *ne quid Resp. detrimenti capiat*, consultant. De priori genere nunc non est agendum. nisi quod in transitu licebit per benevoli lectoris bonam gratiam, è circulis Imperij eliminare figmentum istud, de Decreto Innocentii IV. Papæ & Concilij Lugdunensis, quasi anno 1245. facto. Si quid tale in cerebro sine potestate legitima decernentium natum est, in eodem ut perierit, æquum haberi debet. Ex historia utique praxis nulla ostendi potest.

V. Goldast. in caus. Bohem. l. 3. c. 5. n. 5.

XLII. De altero genere, magnificè & accurate decernit *Aurea Bulla cap.* 12. tum sæpe, tum Pace novissima per modum sanctionis Pragmaticæ confirmata. Qua de re graviter locutus est *Arumæus* interpretandæ Legi intentus: *Imperator, ut alia, ita & congregationem collegialem ipso inscio singulis annis*

Discurs 5. ad A. B. §. 20.

nis instituere hac Bulla permittit Electoribus eo, quod multiplices Reipublicæ curæ non patiantur eum omnibus intentum esse: ipsique Electores solidæ bases Imperij & columnæ immobiles sint; cujus ideò salutem magis quam ruinam quærent: quodq; per longiores terrarum distantias consistunt; & ideo de emergentibus defectibus referre simul & conferre, sanisque consiliis iis providere poterunt. Et postea: *Et hic quidem conventus Collegialis omnium optimum remedium in magnis Germaniæ tempestatibus, litibus ac tumultibus reputatur. (ex Parthen. Litig.) Hujus enim solius medio & remedio S. R. Imperij possessio adversus Pontificis R. molitiones & alias ejusmodi lites & malitias publicas semper fuit conservata & adhuc conservatur.* §. 21.

XLIII. Vera, & in hunc diem, luculentis testata exemplis loquitur. Nec abnuere possunt illi, qui augustum Electorale Collegium sciunt esse cardinem, quo movetur Orbis Imperij: sive, hoc esse fatale & sacrosanctum pignus, quod Caput, & membra reliqua, intermedia necessitudine & harmonia consociat, adtemperat, adstringit; & undique continet. Unde non desunt, qui putant, novissimis atrocissimisque bellis contextum Imperij in partes & dissipationem discessurum fuisse, nisi hujus Collegii copula in unitatem obduratum esset.

XLIV. Quamquam autem usus corrector legum, non pauca immutaverit in legislatione Aureæ Bullæ, de his conventibus Electorum Collegialibus, manet tamen Jus ipsum Collegio competens, & Capitulationibus quoque Cæsareis constanter insertum confirmatumque est. *Capitul. Car. V. art. 5.* In *Capitulatione Matthiæ Imp. art. IV.* ut & in sequentium Impp. Capitulationibus, etiam confœderatio Electorum (Chur-Fürstl. Gemeine / und sonderbare Rheinische Verein) & congressus colloquiaque denuo confirmantur. In novissima *Leopoldina Capitulatione*, Augustissimus Imperator, etiam ceteris Imperii & Circulorum Statibus, idem Jus Congressuum confirmat, *art. VI.*

XLV. Ceterum, quod *Arumaus* ante dixit, Aurea Bulla constitui Electoribus jus habendorum congressuum, *inscio Cæsare*: id repugnare verbis A. Bullæ, monet *Limnaus ad artic. V. Capitul. Car. V.* Ibi enim Cæsaris arbitrium & præsentia, Electoribus sociatur. Confudisse igitur videtur Arumæus, usum & consuetudinem insecutorum temporum cum legis ipsius litera. Ex usu enim, & glossis authenticis, quæ ex Capitulationibus sumi possunt, constat: Principibus Electoribus licere de Republica convenire, absque venia ad hoc specialiter impetrata. Sed an commodè dicatur, *inscio Cæsare*; quæri potest. Republica enim pacata, non ita sejungitur *pars corporis Imperatorij*, ab Imperatore, ut clam, aut inscio hoc, illa, agere velit. Sed nec detrectant Electores, admittere Cæsareum Legatum, si velit talibus congressibus interesse. ut ita propius ad A. B. redeatur. Si quis moderatiora amat, de vocabulo *inscij* putabit quæri: quo si utaris, pro *non de novo consulti aut rogati*, non erit magna dissensio.

Disc. V. ad A. B. §. 21. XLVI. Aliud *Arumæi*, sive *Paurmeisteri*, verbum examinari potest; quando pronuntiat: *Conventum Regimenti Imp. in locum congregationis hujus Electoralis suffectum*, dici posse. Si quis diceret, in locum Comitiorum sæpius habendorum Regimentum Imperii successisse, facilius accipi & tolerari posset. Sed Electorali conventui, nunquam abrogato, nunquam intermisso, & tum maximè florenti, subrogatum esse Regimentum, non sine periculo dicitur. Cumque hic conjecturis vix locus sit, historica documenta merito desiderantur: si quis possit promere.

XLVII. Inter pericula, quæ Principum colloquiis nonnunquam intercedunt: id est permolestum, si quis honoris sui jacturam incurrere videtur; dum alieno nomine paciscitur, nihil dubitans de voluntate semel declarata; & postea tamen verba sua retractari & infringi experitur. Accidit hoc, Philippo Austriaco Hispaniæ Principi, anno 1503. Fecerat is Pacem cum Ludovico Galliæ Rege Lugduni, nomine Soceri sui Hisp. R. Ferdinandi. Quæ ubi convenisset, ab utroque mittuntur nuntii in regnum Neapolitanum, belli eo tempore sedem;

dem; ut ab armis discederetur. Parere cupiunt Galli; abnuunt Hispani novo supplemento confirmari. Ægre fert Ludovicus R. & Philippo, non immerito exprobrat. Hic ad Socerum querulas mittit literas; seque non excessurum Gallia, nisi Ludovico R. satisfactum esset, cordatè profitetur.

XLVIII. Causatur Ferdinandus, novis Legatis missis, Philippum limites mandati per Abbatem Figieræ perscripti excessisse. Philippus respondet, Abbatis scripturam, nec à Rege nec à Regina signatam, tanti sibi esse non potuisse, quanti erat formula Regum manu sigilloque, munita: quam Regi Ludovico ostendisset, & secundum eam negotium confecisset: neque parum ad contumeliam suam pertinere, quod nunc Reges obtentu alterius mandati submissi conventa detrectarent. Vidit Rex & hospes magnanimus, nullam in Philippo hærere culpam; ipsiusque fide laudata, Legatos denuo submissos, audire nolens, regno intra tertium diem excedere jussit. Historiam uberius narratam exhibet *Pontus Henterus rer. Austriac. lib. 6. cap. 5.*

XLIX. In fine hujus annotationis, attexi potest aliquid, *de Comitiis, & congressibus Equitum Aurei Velleris.* Ordinem ipsum, supra omnem invidiam & calumniam positum, quod non desunt, qui pravis suspicionibus vellicare audent, inter dedecora sæculi, numerandum est. Solebant illa Comitia, sive Capitula, ab initio singulis annis, deinde tertio quoque anno, postremo ad nutum Principis, sive supremi Capitis, celebrari. In quibus post rem divinam magno apparatu peragi solitam, defunctorum Equitum memoria elogio honorabatur; novi Equites eligebantur; Censura sive Probatio instituebatur, qua extra reprehensionem constituti, laudem; alii, reprehensionem reportabant. Magna species in consessu illustrissimorum hominum, Regum, Principum, aliisque præcipuis decoribus præfulgentium; armis & insignibus sua serie enitentibus; ministris honoratissimis inservientibus; Cancellario, Thesaurario, Graphiario, Feciale. Quoties celebrati sint tam venerabiles congressus, descripsit *Julius Chifletius, Ordinis Cancellarius, in Breviario Historico Ord. Aur. Vell. Cap. 6. & 7.*

& 7. Inseruit & historiæ suæ *Pontus Heuterus* comitia an. 1501. Bruxellæ in Brabantia à Philippo Archiduce celebrata; *rer. Austriac. lib. 6. cap. 1.* & *Zenocarus in Carolo V. lib. 4. sub fin.* comitia, quæ Philippus II. Rex Hisp. & supremum Ordinis caput habuit; cum indice Equitum ejus temporis.

L. Præterquam autem, quod ad altiores virtutis gradus potentius invitantur Nobilitatis animi, si maximos Principes, talibus speciminibus & examinibus summarum laudum operam dare vident; pulcra hæc occasio fuit, amicitias publicè utiles stabiliendi, consilia in commune proficua conferendi, controversias componendi, miseris auxilia & solatia suggerendi. Quin etiam ad decus & ornamentum singulare Familiæ Burgundicæ & Austriacæ, penes quam origo & principatus tam salutaris instituti hactenus stetit, redire debeat illa gloria, nemo sanus vel dubitare, vel invidere queat: quando nec Regibus aliis, petita ex certis Ordinibus Equestribus gratia, vitio verti potest. Conventus oliim sæpius agitari, temporum Principumque conditio permisit. Rariores postea fuere: non negligentia, aut satietate; sed quod Ratio Reipublicæ & Principum, in his & aliis, etiam Germanicis conventibus, multa mutare solet. Sic Conventus Principum Electorum Carolus IV. Imperator debere annuos esse judicavit: qui novissimis temporibus, raro indicuntur.

Sed hæc hactenus.

XXXVI.

XXXVI.

VOTUM IMPERATORIUM.

ad Tac. 4. A. 38.

QUæ Imperatoribus Romanis in curia, à Senatu; in Amphitheatris à populo, à collegiis publicè, à singulis privatim optata sunt, non paucis antiquorum Scriptorum locis consignaverunt, quibus vel Acclamationes, vel Formulas prisci ævi tradere, curæ fuit. Quid ipsi sibi Imperatores optare debuerint aut potuerint voluerintvè, nemo gravius extulit, Tiberio Augusti successore, apud Tacitum, cum divinos templorum honores deprecans ita inquit: *Proinde socios, cives, & deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitæ, quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint: illos, ut, quandocunque concessero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur.*

Erat sane Tiberio inter instrumenta regnandi, *honora oratio:* cum plerumque deterioris moris actusque studio apprime deditus, *speciosa* interim *verbis, re inania aut subdola* differeret. Itaque voto parum bona fide concepto, excidere eum oportuit. Intelligentem ille quidem omnis juris mentem nactus erat; neque ullum Imperatoriis curis præsidium, quod ex jure petitur, deerat: Sed quid prodessent illæ artes, quando non reipublicæ utilitatibus, verum dominationis libidini ac licentiæ destinantur? Tantum abfuit, ut juris divini humanique intelligentia celebraretur Tiberius, ut potius *novi juris repertorem*, id est, veri juris corruptorem, cavillatorem, subversorem, Historicus merito notaverit. Et, quem *juris divini humanique intelligentia* à probris & flagitiis arcere poterat *Tac. 3. A. 30.*

 ac

6. A. 51. ac debebat: ille *in scelera simul ac dedecora prorupit*, quotiens remota juris reverentia, *suo tantum ingenio utebatur.* Unde 6. A. 6. nec *quieta mente* potiri eum fas erat. Quin *adeo facinora atq; flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant*, ut *quotidie se perire & sentiret & fateretur.* Postquam fatis concessisset, longe illi *dans & bona recordationes* apud cives: cum *morte ejus ita lætaretur populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars, Tiberium in Tiberim, clamitarent; pars, Terram matrem deosque manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent: alij uncum & Gemonias cadaveri minarentur.* Apud *Socios* tamen, ubi maleficia ejus minus noscebantur, pessimi etiam successoris vitio, desiderabilior redditus est, sicut ex *Philone* licet intelligere. Adeo non frustra Historicus dixit: *laudatorum Principum usus ex æquo, quamvis procul agentibus; sævi proximis ingruunt.* Tiberius certe, ut domi securius sævire posset, foris paci & bonæ famæ studuit. Non tamen fama inde & gloria surgit, quæ Imperatori optabilis est, si non omnia ad eandem formam geruntur. Parcere enim aliis, ut in alios sævias: & beneficia in longum jacere, ne proximis illatas injurias rumor differat, plena nequitia est.

Suet. Tib. 67. *Suet. Tib. 75.* *Leg. ad Cai. & in Flacc.* *Tac. 4. H. 74.*

Sicut autem Tiberii voto, ingenui animi simplicitas, & propterea successus abfuit: ita selecta sententiarum gravitas, quæ IMPERATORII VOTI specimen, omni ævo commendet, idonea est. Agedum, experiamur hanc cogitationem eo tempore, quo Imperium Nostrum Imperatore suo orbatum, omnium patriæ amantium curas excitat, ut & Imperatorem, & Imperatori, sive pro eo atque cum eo, vota suscipere cupiant contendantque.

Ante omnia, Imperatori Nostro vota suscepturo, mentem Tiberij proposito dissimilimam optare debemus. Sancta res est, votis à Deo aliquid exposcere. Illudit divino numini, qui verbis precatur, quæ non cupit factis exprimere. Accedat igitur ab uno religioso opere, ad aliud: &, postquam in verba legis Imperii, Capitulationem vulgo vocant, juravit; pura

pura piaque mente ita cum Deo (nullus enim hic diis locus) agat: *Tuum nomen, Deus sanctissime, juravi, qua Principatus forma, quibus imperij legibus, administratio Imperatorij muneris mihi impositi processura sit. id, ut bona fide præstem, amplius Te convenio, & precor, ut mihi ad finem usque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem des; atque efficias, ut, quandocunque functus statione hac mortali fatis concessero, cives ac socij, cum laude & bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.*

Non est hic opus, ut veterem illam, quamvis & ipsam Imperatorii exempli formulam repetamus: *Ita me servet Deus, si bene rempublicam & ex utilitate omnium rexero.* Nam qui dictante jurisjurandi religione, conceptis verbis ita sibi Deum cupit propitium, si serventur, quæ jurata sunt: is reipublicæ & suam salutem, divini humanique juris studio, quodammodo paciscitur. Neque dubitabile est propius intuentibus, quin *Sacramenti Imperatorij* pars sit *Votum Imperatorium:* Sicut & hujus interpretatio, in illius formula hodie continetur. *Plin. paneg. c. 67. & 68.*

Non parum autem *Quietæ menti* servandæ poterit MENS HUMANI DIVINIQUE JURIS INTELLIGENS, quam amplius optat Noster Imperator. Solet fere apud bonos Scriptores hoc loquendi genere signari, quicquid artium ad civilem vitam virtus & prudentia confert. neque quisquam dubitaverit, quin voto Imperatorio, quod accuratissimum & perfectissimum est, omnia illa contineantur. Verum nobis non licet per rationem instituti, ad singula egredi. Divini juris memorem vocem misit Romanus Imperator, cum adulatio ei honores divinos offerret, *Ego me*, inquiens, *mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo.* Transactum sane est & præteriit illud, multa paganæ superstitionis caligine involutum tempus, quo templis & flaminibus Principes coli, inter mores & artes regnandi erat. Possunt tamen, quo plus divini juris hodie scitur, eo majus profanæ ἀποθεώσεως crimen in- *Tac. 4. H. 38.*

 cur-

currere, qui suum imperium, Dei Unius imperio non ex asse subjiciunt; qui reddendam sibi administrationis rationem esse, non meminerunt; qui reservata soli Deo & reservanda jura, humano vindicare arbitrio non verentur. Grande hujus rei documentum superiore sæculo Germania vidit. Cum enim Deus repurgandæ à superstitionibus variis & corruptelis religionis, sensum & studium magnis Principibus ac viris indidisset, furebant Pontifices, & literis, obtestationibus, execrationibus Carolum V. Cæsarem, fratremque Ejus Ferdinandum stimulabant, ne paterentur quemquam aliter ac vulgo solebant, de religione sentire: sed ferro potius, igne, bello in diversa sentientes sævirent. Quantis calamitatibus publicis stetit tum Germaniæ, obscurata Pontificiis machinis in
1555. mente Imperatoria divini juris intelligentia? Donec dispulsa denique caligine securitas & pax religioni constituta est: quæ procumbentem in exitium Rempublicam erexit. Quotiescunque in hunc diem Imperator electus est, Pacis hujus custodiam capitulatione, ut vocant, præscriptam, jurejurando confirmavit. Quotienscunque ab eo tempore comitiorum decretum (Recessus Imperij appellant) exiit, repetita semper & instaurata est fides tam salutaris Legis. Neque tamen defuerunt, qui hoc etiam sæculo, sanctissimam Imperii constitutionem, ejusque auctores & auctoritatem cavillari, contemnere, subvertere, quantum in ipsis fuit, ausi sunt. Externos nihil moramur. Miser enim fuerit opinor Imperator, qui juris in Imperio sanciti vel historiam vel interpretationem foris malit, quàm domi quærere. Sed repertum esse hominem Germanum, qui, *nec convenisse illam Pacem Religionis, ut servaretur, nec servatam, postquam convenerit*, publice profiteretur, id est, summos Heroës divini humanique juris immemores criminaretur, prodigio proximum est. Cujus generis flagitia, nuperæ quoque Pacificationis sanctione repressa vidimus. Noster Imperator Pacem Religionis eo studio amabit, quo juris divini intelligentiam amplectitur. Cujus & illa pars est: occludere aures juris divini simul & Germanici status perturbatori-

toribus, exilio, damno, cruciatu multandos esse, quicunque sacrilegos Væjouis Romani dictatus, clarissimis Scripturæ decretis non præferunt, jactantibus. Qua de re gravissimo, prudentiæque & pietatis plenissimo scripto adierunt Augustissimum Imperatorem Ferdinandum III. inclytæ memoriæ, postremis comitiis Ratisbonensibus Electores, Principes & Ordines, qui Protestantium nomine signantur. Nam ut audiatur aut toleretur, in aula Imperatoria, si quis novus Carafa, aut Fabius obtentu dominationis Pontificiæ, Paci Imperij bullas obloquatur, aut Instrumentum publicæ securitatis furiali veneno obliteratum eat, ne metuam aut credam, generosa Germanorum Principum indoles, unde Imperator quæritur, facile præstat. Illud potius augustum specimen intelligentiæ juris divini in Imperatore Nostro venerabimur, si propter jus divinum juris humani quoque servantissimus erit. Juris humani, inquam, quo magni hujus corporis Imperii contextus sancitur, quo imperaturi sanctissimis sacramentis se adstringunt, reverentiam custodire, pars & pignus est juris divini, Imperatorem primum Deo, deinde Imperio devincientis.

Sancta sunt juris nomina, etiam cum consilij formam induerunt: quid, si necessitatem obsequendi jurata Lex imposuit? Consilium fuit non præceptum, cum Galba ad Pisonem, imperaturum ut putabat, diceret: *Non hic ut in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus & ceteri servi; sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Dixit, quid ingenio hominum repugnaret, etiam ubi nulla lex obstabat. imo, quid ratio prudentiæ restringeret, ubi lex abunde indulgebat, demonstravit. At qui Nostro Imperatori veteris illius Imperatoris monitum suggereret, non jam consilia sed jura loqueretur, quasi quis ita ageret: Vetus ille Imperator etiam eo tempore, quo Cæsares Romani plenissimo jure Regio imperabant, præcipuam boni Imperij legem judicavit, si ingenio populi minime servilis, imperandi formula accommodaretur, & ab addictiore dominatus consuetudine plurimum removeretur. Hoc autem

Tac. 1. H. 16.

 tem-

tempore, converso jam pridem antiquo statu, omnis infinita ac libera potestas, non modo cum ingenio nationis, sed cum jure Imperij pugnat.

Ad *Deum* autem, & *Cives*, & *Socios* respicit votum facturus Imperator. Quamquam enim à solo Deo etiam illa expectari fas est ac peti, quæ apud cives, sociosque sperantur, seorsum tamen considerari potest formula precationis Imperatoriæ, quam præmisimus.

Duo sunt, quæ à Deo petuntur: *mens Quieta*, & DIVINI HUMANIQUE JURIS INTELLIGENS. Quid *mens quieta* apud Historicum notaret, nemo hactenus ausus est explicare in vario interpretandi genere. Nobis nihil videtur aliud significari, quàm illa quies animi præclare sibi conscij,
3. A. 37. & 6. A. 6. cui *mestam vigilantiam*, & *malas curas*, tum *laniatus* & *ictus* conscientiæ, alibi *Tacitus* opposuit. Quod loquendi genus non sine figura scilicet exaudiri debet. Ut enim hæc animi quies Principi contingat, omnes humanarum mentium perturbationes, moresque male compositos, cum factis immodicum aliquid spirantibus, abesse oportet. Dicemus singilla-
lib. 1. c. 20. tim. Prima *Ingenij* sors est. *Pythagoras*, referente *Jamblicho*, non alios sapientiæ credebat esse capaces, quàm quorum natura ad ἠρεμίαν sive quandam sedatam tranquillitatem probe esset disposita: Feroces autem animos, ad melioris disciplinæ cultum vix traduci posse. Felix ergo Imperator erit, quem divina benignitas placidi ingenij temperamento donare, id est, sibi propius admovere & conciliare, dignata est. Vix potuit ad aliquod tempus abstrudere naturæ in immodica ruentis impetus, quanquam omnia simulandi ac dissimulandi mysteria edoctus Tiberius. Brevis Caligulæ, nec diuturna Neronis simulatio fuit. Natura enim erat, cui obsequebantur, ab animi vere Imperatorij indole plurimum aliena.

Hoc faventis cœli auspicio adjutus, *Mentem Quietam* porro concinnabit Imperator, *Disciplina*. Omnis humanæ institutionis ac disciplinæ summa, *Quietæ mentis* elogio officioque continetur. *Quieta mens* est, in qua ratio dominatur,

quæ

quæ sunt cetera hominis serviunt. *Quieta mens* consensu concentuque plusquam musico temperata, nihil turbatum, nihil dissonum sentit aut patitur. Nemo philosophorum altius ascendit. Eam *quietem*, & animi *κατάρτισιν*, canticis quibusdam probe factis, signare, aut, ut sibi promittebant ipsi, conciliare instituebant Pythagoræi, minime ineptum inter sapientiæ studiosos genus. Longe potentius Nostro Imperatori proficiendi præsidium in sacris ac divinis carminibus proponitur: ubi modo Historia, exemplis; modo sapientia oraculis, animum moresque ad rationem componere, moderari sensibus, imperare affectionibus, non concupiscere majora, non perhorrescere fortuita, non acquiescere jucundis, non defetisci adversis, docet. Qui Deum, à quo precatur quietam mentem, amare didicit Imperator, illius mentem, non in quiete tantum, sed in gaudio esse, verum est. Hoc natura rerum loquitur: hoc doctrinarum literæ, omni ævo, omnes apud nationes, profitentur. Neque deesse viris Principibus hortatores ac magistri possunt, qui hoc omni studio, conatu, artificio inculcent: Si non desint, qui mature & serio conducant. Quid? quod apud nos in Germania, non nisi ex illustrissimo sanguine quæritur Imperator, id est, *satis amplis doctoribus instructus, majoribus suis.* Quæ enim est in Germanis Domus Principalis, quin pulcherrimis disciplinæ Imperatoriæ documentis inclaruerit? Ut vel hinc Legis ratio & auctoritas intelligi possit, qua externos optare Imperatores prohibemur. Splendide ac feliciter gloriosus fuit ille Imperator, qui de se scripsit: *A Diis bonos avos, bonos parentes, bonam sororem; bonos præceptores, bonos familiares, necessarios, amicos, omnia denique bona accepi.* Nostro Imperatori, Deus, quæ ad mentem quietam faciunt, eo facilius largietur, quo rectiore pietate cum ipso & pro ipso, tot hominum millia, hujus generis vota suscipiunt. Quibus & illud inest: Ne ad aures ejus, qui Imperator futurus est, aditus patuerit, peregrinarum artium magistris, cordatæ pietatis falsariis, Germanicæ fidei proditoribus, & per hæc quietæ mentis furibus. Non tantum,

Tac. 14. A. 58.

M. Antonin. lib. 1.

tum, quando discet imperare, sed etiam, quando imperabit:

Nam *Quieta mens* fit etiam *Usu actuque.* Quid ingenium contulerit, quid doctrina promoverit, præsertim cottidiano Imperatoris actu perspicitur. Ipsa moles imperii, mentem non satis fundatam sua quiete excusserit facile. Unde pauci ab omni memoria, tantæ molis capaces comperti; quidam digni imperio visi sunt, nisi imperassent. Qui non attulit ad imperandum solidas & generosas artes, eum omnia turbare, omnia deficere videntur. Nulla *mens quieta*, nisi magna eadem, & gravis, & constans: sive regulam actionum, sive vias agendi intuearis. Deliberatis probeque consertis rationibus, momentis, cautelis negotiorum, *Mentis quieta* actio viget: ut primum in his aliquid turbatur, mentis quies turbatur. Sed longe magis, quando perturbationes animi ante rationem, vitia ante honestatem ponuntur. Illud enim periculosissimum inquietudinis genus est, quod sua cuique flagitia consciscunt; Sicut ante in Tiberio ostendimus. Dabit *Quieta mentis* specimen Imperator Germanicus, si *nihil ipse, ut Imperator fiat, agitet, nihil faciat; nisi quod* eligi *merebitur, &* eligentibus *parebit.* Optimum, in Imperio nostro quæri lege & more solitum, quieta mens ostendet: *Si Principatus, de quo sæpe armis certatum est, quiescenti offeratur.* Qui consensum Dei hominumque sine ambitu, sine tumultu expectaverit, quietæ mentis fidem, etiam in posterum faciet: cunctis, quibus animi humani inquietantur, motibus major futurus. Non hic locum habebit, quod de barbaris Regibus Historicus extulit: *plerumque regiæ voluntates, uti vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi adversæ.* In mente quieta, nec vehementia, nec mobilitas locum habent: sed hilaritas, providentia, benignitas, sanctitas. Mens quieta, sicut ipsa in metu esse nequit, ita ne alii turbentur, operam dabit. Primam pacis curam aget, cui mens quieta illud oraculum dictavit:

Sallust. Iugurth. 113.

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem.

Virgil. 6. Æn.

Venit

Venit in partem votorum tota Germania, atque ita ſuos proceres alloquitur, quibus lege imperii arduum munus eligendi Imperatorem commiſſum eſt: Deus vos juvet ope, regat conſilio, Magni Principes, ut veſtro proviſu & auctoritate, quem Auguſtum appellabitis, Quieta mente privatim & publice potiri queat! Vos, quicquid publicæ ſecuritati, publicæ tranquillitati adverſum, vel olim duravit, vel heri aut hodie ſubnatum eſt, Herculeo opere exſcindite, abolete. Vos Paci tot cladibus, tot deſideriis tandem ante decem annos partæ, ſacra decennia rite facite, ut ſæpius facere poſſitis, ut poſteri veſtri ſemper poſſint facere. Ita interregnum, formidabile cunctis ſæculis nomen, veſtra ſapientia omnibus regnis auguſtius erit. Ut *quietam mentem*, cæleſte pignus imperii, vere Imperatorium munus, novo Imperatori ſervare poſſitis, in veſtra manu Deus immortalis conſtituit, ſi *Quietum* illi *Imperium* ſervabitis, tradetis, commendabitis. Vobis myſteria Reipublicæ, vobis Germanicæ felicitatis ſacra ſeſe permiſerunt: vos apud illa adyta ſtatis, unde oracula publicæ quietis emitti, perſcribi, muniri fas eſt. Prout Vos operari QUIETI SÆCULI hoc rerum articulo contigerit, ita Imperator, ita Imperium voto Imperatorio potientur.

Sicut autem virtute & prudentia omnis Reipublicæ vel ſtatus obſervatur, vel robur confirmatur, vel opes amplificantur, ita imprudentia, & vitiis infirmari, corrumpi, deſtrui hæc omnia neceſſe eſt. Imprudentia illa, vel *actionis* eſt; vel *ſtatus*. Si hæc adſit iis, qui rem publicam tractant, illam conſequi neceſſe eſt. Quid enim recte geſſeris in republica, quam ignoras, aut ignorare cupis? Eo enim ventum eſt, ut, quod ſciri poteſt & debet, illud neſciri ſimulent, Imperatorem certe neſcire optent, qui omnis hujus ſcientiæ oracula à ſe petenda dictant. An hoc eſt aliud, quàm contra votum Imperatorium, vota facere; & reipublicæ nominibus adverſus rempublicam uti? Itane de Germanicis Auguſtis, ſicut de Parthorum Regibus loquendum eſt? Atqui *regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas*: quæ regio mori nunquam ſe plane per- Tac. Germ. 37.

permisit. Quid dixi? Ex eo certe tempore, quo Imperatorium nomen in gentem nostram illatum est, fuerunt omnino, qui jure & nomine regio, nulla re utique priscis Augustis Romanis inferiores, nostris majoribus præfuerunt. Non abnuo, quod affertur: Sed ad præteriti temporis memorias redire opto, qui ita disputant: Ut inde discant, in eam potestatem quosdam gladio introductos esse, quosdam civilis habitus modo omnem regiam speciem occultasse, quosdam perpetuis turbis conflictatos esse, donec sociato cum Imperatoribus Germanicis non labore modo sed jure, Ordines cuncti munia Reipublicæ cœperunt capessere. Atque inde, ab aliquot sæculis, Imperator ita obtinet sedem Principis, ne sit domino locus: talemque se non arte vocabuli præfert, sed sacrata lege, meminit & præstat.

In qua ergo Republica, & quorum hominum animo ac ore loqui dicemus, horribilis scilicet ac arcanæ disciplinæ magistros: *Lege Regia veterum Romanorum, Germanico Imperatori omnia jura summi imperij soli & uni competere; quippe, qua nec abrogata sit nec abrogari sine scelere potuerit: Ordines Imperij in legibus ferendis, in bello decernendo, in omni denique republica, non nisi consiliariorum numero esse?* Cujus generis θαυμαστὰ ἀξιώματα magno numero obvia omnibus & nimis pervulgata sunt. Si hæc atque talia Nostri Imperatoris auribus occinerentur, postquam solenne sacramentum formulæ Imperatoriæ (Capitulationem appellitant) ille dixisset, an dubitabimus, quin & Germani & Imperatoris animo, omnis divini humanique juris, quod in votis ac deliciis habet, imperitiam, hujusmodi tanquam perjurij suasoribus objecturus sit? Expediant mihi sine pudore & flagitio, rogo, quicunque tam horribiliter sapiunt, qua auctoritate instructi, homines privati Legem Regiam (cujus præter nomen plerumq; pauca sciunt) in eam Rempublicam inducant, ubi prima & summa Lex dictat, nullum esse Legi Regiæ locum. Quæ potest major aut certior Lex esse de potestate Imperatoris, & forma Imperii, quàm illa, quæ cujusque Imperatoris jurejurando sacratur? qua

qua omnis Imperator devinciri optat, ut sit Imperator? Vocetur, si ita volumus, & hæc Lex Regia, non enim de vocabulis placet contentiones serere. Testabitur ergo vocabulum hoc de importunitate disputationis, quæ Legi posteriori Germanicæ Reipublicæ, Legem antiquam Romanæ Reipublicæ, in Republica Germanica non anteponit solum, sed opponit? Vide autem, quomodo Lex Regia, cum Capitulationibus Imperatorum consentiat. Lex Regia vetus Cæsaribus Romanis omnia Jura Majestatis decernebat, nihil populo aut ordinibus reservabat. Sicut te docebunt non verba tantum Imperatoris & Ulpiani, sed capita formulæ reliqua, *Onuphrio* producta, *Comment. in fast. temp. Vespas.* & cum explicatione perspicua, *Dio Cassius lib. 53.* At nostra Lex Regia, si placet ita loqui, sive Capitulatio Cæsarea, decernit, quas majestatis partes non impertiant soli Cæsari Electores, sibique & Ordinibus cum Cæsare communes faciant. Uno eodemque modo & formula conceptam de Imperio Legem, jam tot Augustorum Germanicorum sacramento in hunc diem consecratam, aut tollant necesse est, non sine scelere, qui veterem promulgant ac substituunt: aut frontibus adversis pugnantia, cavillationibus impudentissimis in unum cinnum confundant oportet, non sine ludibrio authoritatis publicæ, & dedecore omnis eruditionis. Quid autem est illud: Lex vetus Regia in Republ. Germanica (in qua sc. nunquam Legis vigorem accepit) sine scelere abrogari non potuit? Servit confusio fraudi. Quæ hæc monstra sunt, quærere an Lex illius Reipubl. possit abrogari in hac Republ.? & si de eadem Republ. sermo est, cur Lex de Imperio lata, consensu totius Imperij, & in regno consensu regis, sine scelere abrogari non potest? Sed jam audio nova & mira effugia captantes. Capitulatio enim, inquiunt, & formula Reipublicæ non ex verbis Legis, sed ex usu, & praxi, (ut amant loqui) interpretanda est. Quis ergo tandem est usus ille? illa praxis? cui contra Leges, contra Rempublicam, tantum auctoritatis tribuitur. quando etiam & quomodo, usus diversum aliquid à formula Legum Imperij, totiens in hunc diem, sine exceptione usus.

 ali-

alicujus, renovatarum, introducere potuit? non enim puto Legem significabit ille usus, qua præcipuæ & fundamentalis Legis auctoritas deminuta sit. Ergo facto cum legibus parum consentienti tantum roboris inerit? frustra id dixeris: nisi silentio & præscriptione novi juris titulum comminiscaris. Hic vero frontem ejus hominis videre vellem, qui hoc in animum inducat facere in ea Republica, in eo Imperio, ubi quavis occasione, iis, quæ præter formulam status & legem de Imperio latam, nimis videbantur regaliter fieri, publice, cordate, diserte, nonnunquam & vehementer contradictum est. Ubi itaque usus? ubi praxis? Catone aliquo nobis opus est, qui in Senatu Imperii conqueratur, nos importunitate privatorum hominum *vera rerum vocabula amittere*, quotiens de Republica loquendum est.

Sallust. Catil. 52.

Operæ pretium esset, audire & reliqua inventa, quibus contra votum mentis Imperatoriæ divino humanoque jure eruditæ, sine philosophia philosophari contendunt illi, quotiens de Republica disputatur. Quando enim demonstratur per singulas partes Imperij nostri salubre temperamentum, quomodo Leges ferant Imperator & ordines, non vel ille solus, vel hi soli, sed ille & hi ut una causa, & sic in aliis rebus: tum vero est animadvertere eorum disputatorum audaciam. *Non pertinere*, inquiunt, *ad essentiam Majestatis, leges spectantes universum statum Reipublicæ pro lubitu ferre: deinde Ordines & Proceres Imperij consensu consiliario Imperatori in ferendis legibus adesse, sicut olim Senatus Romanus consultus est à Cæsaribus plenum ius Majestatis ferendi Leges obtinentibus; & sicut in aliis Regnis, Reges ferendis Legibus consilia aliorum adhibere solent.* Quid audio? *Non est de essentia Majestatis leges ferre?* At hoc jus inter omnia Jura Majestatis primum, præcipuum, amplissimum est, quo Veteres reliqua pleraque sæpe solent complecti. Ut verissimum sit: qui non habet jus ferendi leges, ille non habet Majestatem totam. Et: qui non fert leges solus, libere, absque necessario superiorum,

1. de Rep. 10. aut æqualium, aut inferiorum consensu, ut recte *Bodinus* expli-

plicat, ille non fert Leges, ut Rex, si accurate loquimur. Amplius: qui non habet Majestatem totam, i. e. omnia jura majestatis sive imperij solus, ille non habet potestatem vere & penitus regiam, quæ aliter definiri nec potest nec debet. Si enim ille unus, cum aliis tantum, potest jura imperij exercere, aut nonnulla quidem solus, nonnulla autem cum aliis exercet, sive etiam aliis relinquit lege, quæ de imperio lata est, jam non patitur ulla philosophia, ut regnum hoc existimetur, accurate sic dictum, etiamsi nomina regalia, unde de forma Imperii non licet argumentum certum petere, admittantur. Mixta enim est Respublica, nec per naturam rei alia esse potest, ubi fit, quod diximus. Verum illi loquuntur scilicet *de legibus universum Reipublicæ statum spectantibus.* Si nobis res esset cum hominibus accurate loquentibus, diceremus: *Leges universum Reipublicæ statum spectantes*, non esse alias, quam fundamentales, sive de forma ipsius Imperij scriptas, sive, quibus Respublica ipsa describitur. De quibus hic nulla est disputatio: ut omnes vident. loquimur enim de re publica constituta; non quomodo aliter constitui possit. Quoniam autem loquuntur, ut libet: si per Leges universum Reipublicæ statum spectantes intelligunt, Leges quæ omnes in Republica viventes obligant, utique de essentia Majestatis est, tales leges ferre. si quis intelligat, quid sit lex, quid summa potestas, quid summa potestate legem ferre. Amplius addunt, sed non *pro lubitu* scilicet. Fateor me illorum stilum, veræ disputationis legibus parum conformem non bene intelligere. Si *pro lubitu* ipsis est τὸ αὐτεξούσιον: certe id in ipsa νομοθεσίας natura inest. αὐτεξουσιότητα habeat necesse est, qui fert legem in Civitate, aut nec legislatorem, nec legem habebimus. Si vero *pro lubitu*, significare debet, temerariam animi lubidinem, jam mutatur disputatio: non enim de officio & virtute Legislatoris, sed de potestate quæritur; neque consilij ista, sed juris disceptatio est. Neque illi, contra quos hi disputatores insurgunt, tale quid in quæstionem deducunt.

Quid velint sibi, qui incomparabile Ordinum Germanicorum concilium, illum consessum Regum in Comitiis, Senatui Romano sub Cæsaribus comparant, cupias equidem discere. Non enim puto, dicent: Sicut Imperatores prisci, omnem legum ferendarum potestatem habentes, senatui quædam consultanda & decernenda tradiderunt, salva potestate sua, vel ut facilius negotia conficerentur, vel ut imago antiquitatis, & simulacrum Aristocraticæ auctoritatis Senatui præberetur; Ita Imperatores hodierni, Ordines Imperii vel ut Senatores & consiliarios adhibent, vel ut strategemate politico sive simulacro Aristocratico demulcent, quotiens leges ferendæ sunt. Multo minus dicent, quod ex formula & præscripto suorum magistrorum dicere poterant: Senatum antiquum vice Principis consultum ea respondisse, quæ auctoritatem legis haberent. quæ ipsa, quamvis vicaria potestas, abrogata deinde est. Ceterum, quam inique & indigne Ordines Imperij, cum Senatu prisco sub Imperatoribus, aut cum Consiliariis aliorum Regum ac Pricipum comparentur, jam pridem viri graves sunt conquesti: & nos, unico tantum exemplo νομοθεσίας, de qua cœpimus dicere, ostendemus. Quando Rex, aut quocunque nomine est, qui summam ferendarum legum potestatem habet, consiliarios de ferenda lege consulit, aut consilium eorum, sive suasoriam hujus aut illius legis audit accipitque, & in legislatione sequitur: id primo facit libere, nulla necessitate ut ita faciat adstrictus; deinde non ut socios ferendæ legis asciscit (neque enim, cum de jure suo loquetur, dicet, se cum consiliariis suis ita edicere, jubere, vetare) sed actu prævio, judicium suum de ferenda lege, ipsorum quoque prudentia informat: tum deinde demum, cessante jam opera consultoris, ipse alio ac novo actu legem fert. Quæ adeo diversa sunt & esse debent, ut tum quoque confundi nisi ab indoctis nequeant, quando legislator ipsa verba consultoris & formulam, in ferenda lege retinuit. At quando in Imperio leges sunt ferendæ, Imperator Ordinum non consilium tantum adhibet libere, sed consensu eorum & sociata ope ita indiget,

diget, ut Imperator & Ordines unius caussæ efficientis rationem & vim habeant, quæ efficientia nullis consiliariis cum Regibus suis communis est aut esse potest. Consiliarii enim, in alio ordine actionis, monere aut erudire possunt legem laturum; non autem vires sociare legem ferenti. hujus quippe actionis caussa alterius ordinis est, & in ipsis minime residet. Sine consiliariis ergo legislator *μοναρχικὸς* leges ferre potest: sine Ordinibus Imperator legem ferre non potest. Frustra *consensum* consiliariorum & Ordinum comparare institueris. Si accurate placeret loqui, Legislator *μοναρχικὸς* non diceretur *consensum* suorum consiliariorum requirere, cum consilia eorum expetit. Consensus enim jus statuendi signare debet. Sed imitemur, ubi lubet, stilum aliorum: Si modo illi meminerint, consensum Ordinum, de quo loquimur, *necessarium* esse: ita ut sine illo, nulla efficiendi seu ferendi legem copia sit. Forte & consiliariorum consensum aliquando necessarium putabunt. Sed imbecille genus necessitatis est, quod facilitati aut commoditati efficiendi, in ordine instrumentorum, non effectioni ipsi destinatur. Discant obiter, si lubet, à primæ philosophiæ consultis, quantum distent necessitas ex suppositione finis simpliciter, & necessitas expedientiæ: & eadem æstimatione res tam diversas pensare desinant.

Illi vero non desinunt; sed, *Status*, inquiunt, *& forma Reipublicæ nostræ regalis est, licet modus administrandi non sit μοναρχικός.* Multum illis gratularer, quod recipiunt distinctionem antiquissimam, Aristotelicam, necessariam, verissimam, ineptissimis hominis Itali rationibus impugnatam: Si intelligerent, quid diceretur; si vocabulorum, quibus utuntur, vim perspectam haberent. Sed longe illis est hæc philosophia, ut apparet. Verum est, in una eademque republica, à forma, sive, ut ipsi vocant, statu discrepare posse, modum illam formam administrandi. Sed, quid ad formam pertineat ipsam, sive ad statum, & quid ad modum administrandi, cur volunt ignorare? Quæ ad formam reip. & statum pertinent, nunquam possunt mutari, salva forma, si-

ve,

ve, ſalvo ſtatu: Sed quæ ad modum adminiſtrandi & gubernandi rempublicam ſpectant, ſalva una eademque forma, poſſunt, & quidem ſæpius, mutari. Quæ ſtatui ſive formæ debentur, efficientiam habent ἀρχηγικὴν, & αὐθεντίαν neceſſariam: quæ modo ad ſtatum gubernandi aptantur, vicaria ſunt, aut inſtrumentis, adjumentis, miniſteriis deſtinantur. Denique non opus erit, hæc verbis producere, ſi ad primæ philoſophiæ peritos abeant, & diſcant, quid inter rem ipſam, & modum rei interſit. Nihil illis tum facilius erit, quam hoc videre: Ubicunque ad ferendam legem, indicendum bellum, & alia ſummi imperii jura exercenda, unus aliquis, non libere, aut adjumenti ac ſubſidii vice, aut per mandatum, ſed neceſſitate finis, ſine exceptione, & in eandem vim agendi, in eodem actionis ordine integrandam, ſociare ſibi alios, ſive aliis ſociari tenetur; ibi talis actio non ex modo gubernandi ſtatum, ſed ex ſtatu ipſo profluit. atque adeo, ex tali actione de forma ſive ſtatu reipublicæ judicandum eſt, non autem de modo gubernandi, cui neque neceſſitas talis, neque efficientia talis tribui poteſt. Tum autem ad modum gubernandi pertinerent talia, ſi, ut in exemplo maneamus, Rex aliquis, laturus legem, convocaret ordines regni ſui, & conſuleret, quibus & non vocatis & non conſultis, aut etiam diſſentientibus, vel alia ſuadentibus, legem ferre poſſet. Talis enim convocatio & conſultatio, poteſtatem legislatoriam non ingreditur; ſed legislatoris arbitrio; adjumento, ſubſidio, miniſterio debetur. Etiam ubi conſuetudinis habitum induit. An enim legislator à conſuetudine, ad modum rei ſpectante, debeat recedere, quæri & conſultari poteſt: an poſſit recedere, nulla ratio in deliberationem mitti patitur. Si de conſuetudine, ut loquendum eſt, loquimur. quæ legis auctoritatem adverſus legislatorem & præter voluntatem legislatoris induere nec poteſt nec debet, ut conſuetudo eſt.

Jura majeſtatis omnia ad ſtatum imperij pertinere, minime autem ad modum adminiſtrationis, iis omnibus notum eſt, qui ſciunt quid ſint jura majeſtatis. Ineruditum ergo eſt dice-

dicere: *in Imperio hodierno jura majestatis quidem Ordinibus communicata sunt, Majestas autem non est communicata; neq, ex communicatis juribus majestatis sequitur, quod status sit mixtus, quamvis administratio sit mixta.* Ecce, recta ratio omnibus, qui eam habent, dictat irrefragabile testimonium in istis: Quicunque communicat jura majestatis aliqua vel jus aliquod, ille non habet majestatem solus. cuicunque communicata sunt jura majestatis aliqua, vel aliquod, ille particeps est majestatis sive summæ potestatis. omnis communicatio juris aut jurium majestatis statum sive formam reipublicæ spectat. ubicunque occurrit communicatio jurium majestatis vera, ibi occurrit mixtus status sive mixta reipublicæ forma. Modus administrandi non facit aut facere potest mixtum statum aut mixtam reipublicæ formam. Unde nec mixtura accurate loquendo, in modo administrandi quærenda aut reponenda est. nisi latius uti velis voce. in quo, nemo morosius contendere instituit, dum confusio vitetur.

Inania sunt effugia, si quis dicat: *jura majestatis sunt effecta majestatis.* Partes enim esse majestatis, & res ipsa loquitur, & eruditis ostensum abunde est. Aut φορτικὸν illud: *impossibile est ut status misceatur, sive ut detur respublica mixta.* Quod ut obtineant, afferunt falsam descriptionem mixti status, & una specie mixturæ adversum omnes utuntur. Sed hæc retulisse est refutasse, quod & alias fecimus, ac faciemus.

Injuria enim fuerit intelligentiæ humani juris, qua mens Imperatoria censeri amat, si levia illa & nullius momenti argumenta, quæ à vocabulis quibusdam & formulis, rerum ipsarum fide, & legum auctoritate abunde explicatis; &, ne quid desit audaciæ, ex locis Scripturæ sacræ misere detortis, ad tuendas sententias improvide arreptas corraduntur, hic velimus vel referre, vel refutare. Unicum adjiciam monitum de Moguntini Electoris sententia, anno superioris sæculi nonodecimo, in comitiis Imperatoriis pronuntiata apud *Sleidanum:* cum de Gallorum Rege, *Animi fortitudinem*, inquit, *ei* *lib. 1.*

tribuunt; sed ad monarchiam illa spectat: nobis autem inprimis est Aristocratia retinenda. Hic, quin de jure imperii & forma voluerit exaudiri Eminentissimus Elector, vix dubitare poterit, qui animum præcepta opinione liberum ad lectionem Historiæ attulerit. itaque illam disputationem verbosius, quam gravius agitatam, nolumus nunc ingredi. Si quis autem *Bodini* sententiam, inde confirmare velit, meram & simplicem Aristocratiam esse Romano-Germanicum Imperium, non satis firmum sibi comparabit præsidium. Satis enim est, ita accipere: Electoribus operam dandam, ne jus Aristocraticum Ordinum in Imperio, prævalida Monarchia absorbeatur. An autem Aristocratia, vel Monarchia, in Republica mixta præponderet, disputare, nescio an unquam satis utile aut consultum fuerit. Plus enim invidiæ, quam gloriæ, forte ejusmodi disputationes habent. Nondum certe, examine philosophico satis accurato definitum est, unde de parte præponderante judicari potissimum oporteat. Dices: ubicunque plura majestatis jura sunt penes unum, quam penes optimates, ibi præponderat Monarchia; & ubi plura penes optimates sunt, quam penes unum, divisim scilicet, ibi præponderat Aristocratia. Non habebit magnam dubitationem hæc ratio. Sed quid si ponamus exemplum? Ubi jura majestatis plura, sunt penes Unum & Plures indivisim; aliquod autem aut aliqua jura majestatis penes unum solum divisim: an dicemus, Monarchiam prævalere, quia Unus cetera quidem cum Optimatibus omnia communia habet, quiddam autem vel quædam solus; optimates vero, præter jura cum uno communia, nihil habent soli, & divisim? Non absurde ita autumes. Quamquam plerique malent respicere ad numerum, & majoris partis pondus, in iis, quæ communia sunt. Quid? si unus ille τῷ ἀνυπευθύνῳ destituatur, & à pluribus in ordinem cogi, judicari, abdicari queat? Id vero potentissimum ad vim præponderantem momentum videbitur. Cogita aliud exemplum: Si unus, nomine Regio, omnia jura majestatis cum populo communia habuerit, indivisim? Is ergo, si accurate volumus

age-

agere, non erit mixtus ſtatus. Tum enim mixta eſt reſpublica, quando ſumma poteſtas eſt penes uno plures, ſi unum & plures diviſim. Simplex autem manet, cum penes uno plures eſt indiviſim. Unde nec communicatio, vere ſic dicta, locum habebit alibi, quam ubi diviſim jura majeſtatis in pluribus ſpectantur. Qua ſignificatione arctiore antea etiam locuti ſumus. Verum iſta hactenus. de quibus eruditi judicent.

Nos Imperatori Noſtro optamus Mentem intelligentia juris Imperii adeo imbutam, & munitam, ut & diſcernat facilime à melioribus conſiliis, illam reipublicæ Patriæ imperitiam, quotiens ut larvà aſſumitur; & ſerio comprimat periculoſam publicæ tranquillitati libidinem ſine philoſophia philoſophandi. Sunt in oculis ſpecimina ſuperioris & hujus ævi: ne longius abire opus ſit. Quis unquam ulli Cæſari peregrinas formulas ſuggeſſit, & externa conſilia contra jura Germaniæ commendavit, quin eadem opera, Pacis & ſecuritatis publicæ, inprimis vero fortunæ Cæſareæ vel arcana tentaret, vel præſidia infirmaret, vel contextum laxaret? Magna nobis copia eſt commemorandi, quos tumultus & alibi terrarum, ubi minus acris libertas eſt, peregrina ſapientia concitaverit. Quæ dum dico, non tam homines, quam rem ſpectari, patet. Poteſt enim fieri, ut homo externus, vere prudens, noſtri ſtatus jura & intelligat & commendet, ex diverſo autem, homo civis, externa & Patriæ adverſa, ſapiat atque ingerat. Quod ſine maximo equidem nominis Germanici probro fieri nequit. Nec fiet ſane, ſi, quod Imperatorum Noſtrorum ſacramento continetur, lateri Auguſti & nobilibus miniſteriis admoveantur Viri non animo minus & fide, quàm nomine & ortu Germani, juriſque & moris Germanici tam ſtudioſi quam periti: quos Deus ornet ſerverque, & primum boni imperii inſtrumentum Imperatori Noſtro largiatur. Quos, quia privata voce appellari forte non decet, liceat mihi, Philoſophiæ, nunquam ſummos apud Principes ignotæ aut inhonoratæ perſonam aſſumere, & queri: Incedere vulgo morem, quo homines civilis diſciplinæ expertes, de civilibus negotiis, de omni

republica, vaga quædam, nullo scientiæ fundo concepta, divulgent, & speciosis nominibus præscribant. iis, non tantum profectus studiorum politices, nondum in solido locatæ, impediri, sed errores de republica contra rempublicam satis importune inculcari. Adversus hæc mala & pericula sæculi non mirum, si edictum prisci moris optetur: *De republica, non nisi vera sentiendum scribendumque: idque negotij non promiscue, sed civiliter eruditis, & Philosophis non simulatis dandum.* Hoc volumus: cum cetera studia & literæ, non careant fere assertoribus & patronis, nobilissimam civilem prudentiam, ferri agi, sursum deorsum, & temere nonnunquam intricari, obscurari, conculcari, ab immenso procorum numero: idque maximo cum incommodo publico. Quod vix unquam declinabitur, nisi ratio ineatur, qua hæc quoque doctrinarum pars severa proficiendi lege ordinetur. Quanto enim momento ad rempublicam & juris divini humanique intelligentiam pertineat, omnes vident.

Redeundum autem est ad intelligentiam Juris, mentis Imperatoriæ thesaurum, etiam eo (faxit Deus!) valiturum, ut juris dicendi, & litium terminandarum ea ineatur ratio, quæ tot querelis populorum, tot Comitiorum laboribus, magnum æternisque celebrandum præconiis diem imponat. Res unice necessaria, cujus caussa civitates constitutæ, imperia ordinata, ab omni ævo, omnes apud nationes, suos pati manes visa est. Apud nos ipsa magnitudo Imperii, opportunior morbis, difficilior remediis, moras litium sine exemplo increscentes pertulit. Inscripta sunt tabulis publicis desideria, vota, consilia omnium Ordinum. Sed consummandi operis tanti gloriam Novo Imperatori, ô quantum inde decus laturo! fata reservarunt.

Magnum est Justitiæ nomen: nec sine magnis præsidiis comitum, necessariorum, ministrorum, amicorum prodibit, quandocunque antiquas sedes, pristinosque lares, quanta est, reviset. Nolent abesse Fides, proprium olim Germaniæ bonum, Candor & Pudor priscus, exilii satis diuturni pertæsa.

pri-

pridem nomina: neque ullum Paci demerendæ ac retinendæ familiarius vinculum excogitari potest. Pacem quæ ultro consequantur, non opus est comprehendere numero, depingere coloribus: quippe quæ omnium oculis animisque, si non usu ad quem vix aspiramus, desiderio certe inhærent.

An in hac publicorum votorum nuncupatione licebit etjam Literarum & Studiorum mentionem facere? Eo magis utique, quia Imperatorii muneris est, Academiis vitam & spiritum, præsidia & ornamenta largiri. Dicam fortius: quia intelligentia divini humanique juris, qua non se tantum sed cives suos censeri optat Imperator, absque his omnis sapientiæ officinis conservari nequit. Libenter meritoque prudentioribus arbitrandum relinquam, quod dico: Imminere existimo barbariem, longe lateque stragem daturam, nisi magna & publica, imo summa auctoritate obviam eatur. Quomodo potest obviam iri, inquies? Dicant sententiam, qui consilio pollent: Ego brevi, & vero fortasse verbo defungar: Detrahatur veræ eruditioni situs, simulatæ larva. Quod profecto non est privati moliminis. Nunquam deerunt magnis fastigiis, qui exemplum poterunt prodere judicij ejus, quo pudefiant homines, nullo doctrinæ genere serio imbuti, & tamen literatis famam & fata partiri, ac moliri assueti, atque non sine Dei hominumque injuria ex quovis ligno Mercurium, ex Marsya Apollinem, &, ne Ovidianæ metamorphoses augmento careant, ex Apolline Marsyam concinnare docti. Hæc est fundi nostri calamitas: quæ messem in herba intercipit.

Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculeius *Iuvenal.*
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium.

Scilicet ubi ad latus Augusti Mæcenas, apud Trajanum Plinius aliquis; ab indoctis doctos, à Sapientibus vanos discernerent: florebant, quibus pretium ponebatur, bonæ artes. Attollitur enim, quicquid Principibus viris in honore est: minuitur ac deficit, quicquid aulico fastidio refrigeratur. In levi habendum videatur, quod dico: Sed me historia omnis

ævi docuit, eruditionis vitiatæ genium, corruptæ reipublicæ vel ſignum vel cauſſam fuiſſe. Quæ res excuſabit mentionem illatam negotii, ab Imperatorio voto, ut aliqui opinabuntur, alieni: ut ego crediderim, eidem pulchrè congruentis. Quaſi quis cum vate non indigna Imperatorio auſpicio exempla de præterito in poſterum vaticinaretur:

Iuvenal. *Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum.*
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpiciet.

Id certe ad immortalem gloriam, voti Imperatorii partem, nobile præſidium erit. Ita cupit vivere Imperator, ut celebrari ſemper mereatur: non ab initio tantum Imperii, ubi acclamationum & laudum copia in promtu eſt, ſed toto ſtationis Auguſtæ tempore. Quidni enim prædicaretur, juris divini humanique intelligentia, mentis Imperatoriæ conſtans amor ac delicium? Romanus Imperator apud Hiſtoricum noſtrum, *ad finem uſque vitæ* hoc nomine cenſeri cupit. Sicut
in Aug. 58. & ille, cui ſucceſſit, *ut S. P. Q. R. conſenſum ad ultimum vitæ finem perferre liceret*, apud *Tranquillum*, *Deos immortales precabatur.* Graviter ſe & alios monet Antoninus Imperator:
lib. 3 pr. 16. *reputandum eſſe, quam incertum ſit, an proceſſu longioris ævi, intelligentia divinarum ac humanarum rerum, eodem vigore & ſucceſſu duratura ſit.* Λογιστέον, ὅτι κ' ἐπὶ πλεῖον βιῴη τις, ἐκεῖνό γε ἄδηλον, εἰ ἐξαρκέσῃ ὁμοία αὖθις ἡ διάνοια, πρὸς τὴν σύνεσιν τῶν πραγμάτων, καὶ τῆς θεωρίας τῆς συντεινούσης εἰς τὴν ἐμπειρίαν τῶν τε θείων καὶ τῶν ἀνθρωπίνων. Diminuere aliquid Senectus poteſt: tum ipſa felicitas & ſummæ fortunæ copia, mutare animos ſolet. ſubrepentibus præſertim pravis magiſtris, quorum diſciplina egregii etiam Principes, contra naturam ſuam & fortunam, deteriora diſcunt audentque. Noſtro Imperatori intelligentem humani diviniq; juris mentem DEUS ad finem uſque vitæ conſervabit: impedimenta autem præclariſſimarum actionum, & repertores malarum artium, etiam ratio & lex Reipublicæ arcebit. Hujus auſpicio Romanus Imperator non admittit magiſtros dominationis, & propterea miniſtris dominationis

tionis non indiget. Libere loquentes non securitas modo, sed gratia; assentatores dedignatio & aversatio manet.

Qui tam præclare, tam constanter de republica meretur, non potest non compos fieri votorum, quæ in humanis ultima habentur: *ut famam nominis Imperatorij cum laude & bonis recordationibus, cives & socij, etiam post fata prosequantur.* Sera sit, optamus, illa dies, quæ à gratulationibus, ad desideria; ab lætis acclamationibus ad faustas recordationes civium sociorumque pietatem vocabit! Ita enim cumulabitur argumentum prosperæ memoriæ, diuturnitate meritorum in rempublicam, quæ immortalia sunt. Prima necessitudo ad muneris tam sancti certamen, cives ac socios excitat: etiam ex mente & voto Imperatoris, nunquam sine magna ratione posteros cogitantis. Pulcherrima hæc & verissima pars laudis posthumæ; à civibus, à sociis celebrari. de quibus ut bene mereantur, constituti sunt Principes: de quibus cum bene promeriti sunt, omnibus Principatus honoribus & præconiis digni reputantur Principes. Multos in remotis terrarum finibus, felix improbitas celebravit: atque ut magni Principes foris viderentur, qui domi monstra erant, genius famæ, nunquam in longinquum orbem incorrupta perferentis testimonia, machinatus est. Quam serium ergo, quam civile, est Imperatoris Nostri votum, qui à civibus, à sociis meriti sui præmia ac testimonia perennia expetit?

Dicent & æterno cultu recordabuntur, Cives: *Augusto hoc rerum nostrarum præside securi viximus, neminem timuimus. Ille nationem nostram amavit: ille libertatem nostram coluit. Ille leges Imperij nostri suspexit. Ille domum & rempublicam discrevit, neque alteram alteri permiscuit. Ille justitiam foro, concordiam curiæ reddidit. Ille, quod juravit, sancte servavit; quod promisit, benigne præstitit. Illi religionis amor inter præsidia imperij, non religionis prætextus inter consilia potentiæ fuit. Ille eosdem amicos habuit, qui Imperio amici erant. Ille, ut pax servaretur, effecit: ille, ut pacis firmamenta coalescerent, procuravit. Ille civilia dissidia suppressit. Ille iras & arma non*

nisi

nisi in Christiani nominis hostes habuit. Ille ingenia, artes, literas fovit. Ille mercimonia amplificavit. Ille ne proscriptio cujusquam ex Ordinibus, nisi de Ordinum sententia fieret, operam dedit. Ille ut Circuli instaurarentur, ut Matricula renovaretur, ut Status exemti reducerentur, elaboravit. Ille, ut exactionibus Imperij nomine indicendis modus statueretur, providit. Ille civilis regiminis & justitiæ in Imperio administrationem emendavit. Ille, ut ordinarij delegati ad modum & utilitatem Reipublicæ præsto essent, effecit. Ille, ut lege & ratione munus Directorum in collegiis Imperij definiretur, prospexit. Ille quæ pacis Osnabrugensis, & Comitiorum Ratisbonensium novissimorum formula, ad salutem & incrementum Imperij optarunt, demonstrarunt, promiserunt, rata ac firmata esse jussit, imo perfecit ac implevit.

Dicent, & annalibus suis mandabunt Socii & Amici: *Hic Imperator, quæ nobiscum nomine Imperij pacta conventa sunt, accurate custodivit. Hic alienis ab Imperio negotiis nequaquam se immiscuit. Hic nec invidit nostro statui, nec obtrectavit. Hic fide, amicitia, officiis nobiscum certavit. Hic nihil de honore nostræ gentis aut reipublicæ delibari passus est. Hic nullis suspicionibus, nullis calumniis adversus nos patuit.*

Dicent cives ac socij, & memoriæ perpetuæ consecrabunt, merita IMPERATORIS FELICIS, PII, IUSTI, CIVILIS, BENIGNI, INVICTI, PLACIDI, IURIS DIVINI HUMANIQUE INTELLIGENTIS.

Atque hæc hactenus cum Imperatore & pro Imperatore precari fas fuerit: cui quamprimum Salve, Vive, Impera, acclamare Patria concupiscit. Ostendet DEUS faustum orbi nomen, cui læti lubentesque accinamus:

Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores.

& illud futuræ felicitatis omine an sensu effusum:

Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo!

Quæ si rata Deus esse vota jusserit, nomen ejus omnis ætatis linguæ celebrabunt, omnium pectora nationum venerabuntur.

XXXVII.



XXXVII.

ANNOTATIO POLITICA

Ad Taciti 4. Annal. 33.

De

INGENIIS OPTIMATIUM.

PRæclare hoc monuit *Tacitus*, loco, quem ſibi hæc pagina præſcripſit: viro vere civili operam dandam, ut ſuæ reipublicæ, in qua vivit, accuratam notitiam conſequatur. Quapropter & ipſe Annales ſuos, ſpeculum eſſe voluit Principatus, in quem res Romana pridem reciderat. Repetit tamen priorum temporum memoriam; quibus ſumma ſapientiæ civilis fuit, populi & *optimatium ingenia* noſcere. De altero, pauca nunc annotabuntur: quando Hiſtoricus affirmat: cum patres pollerent, ſummam prudentiæ & laudem perdiſcendis *ſenatus & optimatium ingeniis* definitam eſſe. In eo profectu cognitio interior reipublicæ Ariſtocraticæ, adeoque diſciplina τῦ ἀριστοκρατικῶς πολιτικῦ i.e. ſapientia optimatium regimini debita & apta collocari debet.

2. *Ingeniorum* voce Hiſtoricus erudite utitur: quaſi quis

quis diceret cum explicatione: *per ingenia senatus & optimatium*, hîc notari omnia illa proposita, studia, propensiones, inclinationes, inventa, artes, regulas, mores, quibus viri vere Aristocratici, ad statum Aristocratiæ vel formandum, vel firmandum & administrandum, suarum actionum habitum & πολιτείαν instituunt aut componunt.

3. Hanc animorum διάθεσιν inchoat interdum *Natura*; perficit, & in nonnullis acquirit *Industria*: pro conditione officii, temporis, exempli, necessitudinis, quæ in usu civilis vitæ unicuique obtingunt. *Suetonius* insigni sententiâ notavit in vita Tiberii: *Notissimum est, Claudios omnes, excepto uno, optimates assertoresq́ unicos dignitatis & potentiæ patriciorum semper fuisse; atque adversus plebem adeo violentos & contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit; nonnulli in altercatione & jurgio tribunos plebis pulsaverint.*

4. Qui locus, tum probe definit Aristocraticam indolem, studio potentiæ, & dignitatis optimatium; tum, quam facile degeneret illud studium in violentiam, contumaciam, oligarchicos spiritus, insigni exemplo ostendit. Aristocratiæ origo & natura, ad eminentiam quandam, præstantiam, dignitatem pertinet. Illa autem nomina vel virtutis sunt; vel rerum virtuti similium: ideoque non nisi moderatis vigent rationibus, immodicis autem corrumpuntur. Quo fit, ut virtus Aristocratica, semper popularitate quadam misceri ac temperari gaudeat, sicut sequentia docebunt.

5. Conjungit *optimates* & *senatum*, Tacitus. Neque enim in Republica Romana, cum Aristocratia valuit aut prævaluit, alius fuit optimatium ordo, quam senatus. quare etiam, cum de mixto regimine sermo est, pars Aristocratica apud ceteros scriptores *patrum senatusq́* titulo indicari solet. Nam alias distingui in hoc argumento oportere, *senatum* & *optimates*, non semel *Bodinus* monet;

net: cum neque statim *optimates* sint, qui *senatus* nomine appellantur; neque in statu optimatium semper idem utroque vocabulo notetur.

6. Cæterum in describendo Aristocraticæ dignitatis & potentiæ studio, semper ita ad naturam & indolem Aristocratiæ debemus respicere, ut vitiosum credamus, quicquid cum ea parum conciliari potest. Quanquam ergo haud dubie in Platonis πολιτείᾳ creanda occupari videntur; qui optimatium regimen non nisi ex optimis ac eminentissimæ virtutis viris constituunt: dubitari tamen nequit, quin accuratissimis legibus virtus ac honestas optimatium sancienda sit. Valeat hic νόμος ἀριστοκρατικὸς de Senatu; *is ordo vitio careto, ceteris specimen esto:* & formula censoribus præscripta; *probrum in senatu non relinquunto.* apud *Ciceronem* 3. *de LL.*

7. Cumque omnia in hoc statu ad gravitatem & authoritatem referenda sint; maximum opus & consilii summa in eo esse debet, ut legitimum intervallum inter populum & optimates constituatur & custodiatur. Licet enim in vera Aristocratia, majestas Aristocratica Patrum eadem sit, quæ regis in regno, si vim & naturam rei spectes: tamen forma & facies & schema plurimum discrepat, atque ad civilem æqualitatem propius accedit. Rex è sublimi venerandus conspicitur: optimates è proximo & inter cives præfulgent. Hinc omnis regia species invisa in optimatibus. quod exemplo Xvirorum *Livius* ostendit 3, 36.

8. Est equidem ratio status Aristocratici præcipua, plebem à communione honorum & potestatis excludere. Verum id consilium vix unquam feliciter proveniet, nisi populo tam voluntas imperandi, quam facultas adimatur. quod fit nonnunquam temperatione quadam Democraticâ: sæpius per simulacra Democratica, quæ vocant. De quibus alii. Ita *Bodinus* laudat rempublicam Venetam, quod cum plebe communicet minores aliquot magistratus & curationes. Unde tamen mixtus status non emergit.

quamquam *Contarenus* arte quadam politica eam fabulam in vulgus dispersit: Sicut nuper libellus *de ratione constituta Republica Angliæ*, *Scotiæ*, *& Hiberniæ*, credulis & imperitis, puto, persuasum ivit; Democratia hodie rem Britannicam contineri.

9. Quotiens igitur auctoritas Patrum & sanctitas in majus extollitur & ascititia specie exornatur: semper studendum præcipiunt Politici, ne quid nimis; id est, ne populus sentiat & credat, in contemtum sui aut injuriam talia usurpari. Exempla habemus in caussa auspiciorum, & matrimoniorum apud Romanos. Auspicia quidem adeo propria patribus erant, ut non solum, quos populus creabat patricios magistratus, non aliter quam auspicato crearet: sed patres quoque ipsi sine suffragio populi, auspicato Interregem proderent; & privatim auspicia haberent, quæ plebeii ne in magistratibus quidem habebant. Sed in hac re inculcanda non temperatum est verbis ad contemtum plebis pertinentibus. Sicut & in caussa matrimoniorum accidit. Illustris locus est apud *Livium* 4, 5.

10. Dum de honoribus sermo est, non videtur omittenda ars illa, qua optimates usi sunt in submovenda à magistratibus plebe. Verba *Historici* sunt: *Artem adhibitam ferunt à patriciis, quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis, tædio sordium in quibusdam insignium, populum à plebeiis avertissent.* Et postea: *itaque sicut priore anno per indignissimos ex plebeiis candidatos, omnium etiam dignorum tædium fecerant, sic tum primoribus patrum splendore gratiaq; ad petendum præparatis omnia loca obtinuere, ne cui plebeio aditus esset. Liv. 4, 56. & 57.*

11. Nimirum universa ἀντιστρατηγία ἀριστοκρατικὴ adversus plebem, quantum fieri potest, occulte potius quàm aperto

aperte exercenda; neque speciem certaminis aut oppositionis, sed formam studii in Rempublicam & populum habere debebat. Id quod in mixto tamen statu sæpe arduum est. Inter duo quippe ancipitia, cedendo indulgendoque interdum placatur populus; sicut apud *Livium* (4, 6.) modestia, æquitas altitudoque animi in populo laudatur, quando contentus fuit, quod ratio habita plebejorum in comitiis esset, omnesque patricios tribunos militares consulari potestate, creavit: interdum vero cedendo indulgendoque ad plus petendum irritatur. sicut sæpius accidit. *Adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, ut deprimat alium, in difficili est; cavendoque ne metuant homines metuendos ultro se efficiunt: & injuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, injungimus aliis.* quod gravissimum *Livii* de tali statu judicium est. 3, 65.

12. Talia porro certamina in factiones degenerant: inter quas Aristocraticæ auctoritati nihil tutum, nihil firmum. Hinc non dubitat *Sallust.* (*orat. 2. de rep. ord.*) pronuntiare; *in ejusmodi certaminibus semper nobilitatis opes diminutas, & jus populi amplificatum esse.* Verissimo in summam judicio. Hinc omnes patriciorum artes pæne consumtæ apud Romanos: neque tamen in tranquillo potuit locari respublica, quin statim prior tempestas resurgeret.

13. In illis porro certaminibus, sæpius moderatio optimatium laudari potest, quam asperitas. Si enim non magis Patriciis, imperii, quàm populo, libertatis, modus est; tum fieri necesse est, quod ipsi optimates conqueruntur, ubi rogant Appium, *ut tantam consularem majestatem esse vellet, quanta in concordi civitate esse posset: dum tribuni consulesq; ad se quisq; omnia trahant, nihil esse relictum virium in medio, distractam la-*

ceratamq; rempublicam per magistratus : magis, quorum in manu sit, quam ut incolumis sit quæri. Liv. 3, 67.

14. Erat sane sollennis ars Patriciorum in contentionibus ejusmodi, tribunos disjungere, & aliquem ex collegio tribunorum suis partibus conciliare, ut intercessione ejus, ceterorum collegarum adversus patres molitiones reprimerentur. Qua de re Appius Claudius apud *Livium* (2, 4. & 56.) *victam tribunitiam potestatem in præsentia re ipsa, exemplo in perpetuum: quando inventum sit, suis ipsam viribus dissolvi: neque enim unquam defuturum qui gratiam melioris partis bono publico velit quæsitam; & plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore, & unum vel adversus omnes satis esse.* Neque tamen id telum Aristocraticum, gliscente certaminis pertinacia, valuit. Sicut discas licet ex *Liv.* 6. 35. & 36.

15. Præcipuum itaque firmamentum omnis Aristocratiæ, est concordia ordinum, si mixtus sit status; aut optimatium inter se, si pura sit Aristocratia. Hinc leges severissimæ sanctissimæque ferendæ sunt, quibus inter optimates concordia illibata sanciatur; aut, ubi labare cœpit, prius, quam in nervum res erumpat, reconcinnetur. Non enim sæpe potest sperari, nisi legibus sanciatur, egregia illa moderatio, quam in Patribus & magistratibus *Livius* describit (6, 6.) ubi collegæ Camilli fatentur: *sibi destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium, neque quicquam de majestate sua detractum credere, quod majestati ejus viri concessissent.* Vereque tum jactatum est à Patribus: *se bene sperare* (&) *de bello & de pace universaq; republica; nec dictatura unquam opus fore Reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat; tam concordibus animis junctos, parere atque imperare juxta paratos, laudemq; potius conferentes in medium,*

dium,

dium, quam ex communi ad se trahentes. conferri meretur nobile exemplum *lib. 3. cap. 70.*

16. Huic concordiæ vehementer conducet, si singulorum optimatium ambitioni obex ponatur. In quam rem complures sunt artes: cum magnis imperiis & magistratibus modus imponitur, ex collegarum jure æquato: cum honorum inania eò magis multiplicantur, quo plus potestati detrahitur: cum censura optimatium actionibus destinatur, an se teneant intra concessa legibus, quas nunquam impune transgredi licebit: cum largitiones vetantur: cum disciplina curiæ severissime & compositissime sancitur; ne altercationibus curiæ ad factiones veniatur: cum nobilium familiarum jura, moderandæ potentiæ ordinantur. id quod exemplo Reipublicæ Venetæ illustrat *Langlæus* (Semestr. 7, 3.) ubi de duobus fratribus in eodem collegio disserit.

17. Bodinus in præcipuis consiliis Aristocraticis autumat, optimatium cœtui magistratum aliquem perpetuum (ex optimatibus scilicet constitutum) præesse oportere, veluti cardinem fixum, in quo civitas, magistratibus perpetua varietate mutatis, acquiescat. Sed modus imponendus est juris, cuicunque nullus temporis imponitur. Sicut & in altero, quod commendari solet, non absimili invento: de rebus summis & imperii arcanis, inter paucos optimatium tractandis, cum in turba perturbatior sit magnorum consiliorum exitus. In his atque talibus cautione opus est, ut ad Aristocratiæ moderatam temperatamque naturam omnia referantur. Facili enim declinatione vel populi rationibus, vel paucorum libidini nimis indulgetur, atque ab optimatium πολιτείᾳ, quæ mediis rebus viget, disceditur. Nam *populi imperium, juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini propior est.* ut illud *Taciti* ad nostrum sensum, inflectamus paululum. 6. A. 42.

18. Quæ

18. Quæ hactenus, velut in exemplum poſuimus, ſatis queunt oſtendere, *ingenia ſenatus & optimatium*, ſive illum animorum ſtudiorumque habitum, qui Ariſtocratiæ maxime eſt conſentaneus. *Cicero in oratione pro Sextio*, pro *optimatibus* habet, qui Reipublicæ ſtudent, ejusque dignitatem & ſecuritatem optimis conſiliis, artibus & actionibus juvare & ornare ſibi proponunt. Ut præcipuus Character Ariſtocraticus (liceat ita loqui) ſit reipublicæ ſe totum tradere, inque ejus commodis & negotiis, omnem ſuam operam dignitatemque conſtituere. Ita enim ſecerni licet è vulgo, cui reſpublica parum curæ.

19. Exiſtimat quidem *Bodinus*, Tullium in illa deſcriptione optimatium, cauſæ ſuæ ſervire, cum virtutes & vitia civium ad intelligendas deſignandasque formas rerumpublicarum non pertineant. Verum, ut nunc nil dicamus, quid veri falſive habeat illa *Bodini* ratio, certum eſt, cum de prudentia tractandæ reipublicæ, ſicut formam cujusque regiminis juvat & decet, quæritur, *optimates, populares, & ſingularis imperii peritos*, conſideratis ingenii dotibus, animique artibus, quas ad hoc inſtitutum adferunt, deſcribi oportere. Quo ſenſu rectè dixeris, viro vero Ariſtocratico convenire, ſtudium dignitatis, curam famæ, auctoritatis parandæ firmandæque diligentiam, gravitatem, magnitudinem animi, conſtantiam, fidem, amorem Reipublicæ, moderationem, prudentiam, honeſtas artes, literas, eloquentiam, & quæ ſunt ejus generis. quamvis enim in omni regimine, his nominibus locus ſit; tamen alia, atque alia ratio eſt, prout in diverſis imperandi formis reipublicæ tractandæ adhibentur.

20. Verum iſta melius forte, in ipſo magnorum virorum actu, vitaque cernuntur, quales nunc omnino producendi eſſent, niſi ſcripturæ modus calamum cohiberet. Quid apud *Livium*, Quintio illo *ἀριστοκρατικώτερον*? cujus elogium ſummatim eſt cognoſcere, in illo patrum

patrum judicio, cum rebus creperis, omnes in unum versi, ut vindicem majestatis Romanæ intuerentur, & primores patrum dicerent: *dignam* (quam habuerat) *concionem imperio consulari, dignam tot consulatibus ante actis, dignam vita omni, plena honorum sæpe gestorum, sæpius meritorum. alios consules, aut per proditionem dignitatis patrum, plebi adulatos, aut acerbe tuendo jura ordinis, asperiores domando multitudinem fuisse: T. Quintium orationem memorem majestatis Patrum concordiæq; ordinum & temporum inprimis habuisse.* 3, 79. Hæc sunt ipsa illa quibus optimatium prudentiam, & πολιτείαν instrui hactenus optavimus. Nec dissentit à priori laude quintus tanti viri consulatus: de quo *Historicus* (IV, 2.) *Æquavit, quod haud facile est, Quintius consul togatus, armati gloriam collegæ: quatenus concordiæ paciq; domesticam curam jura infimis summisq; moderando, ita tenuit, ut & patres severum consulem & plebs comem crediderint. & adversus tribunos auctoritate plura, quam certamine tenuit. Quinque consulatus eodem tenore gesti, vitaq; omnis consulariter acta verendum penè ipsum magis quam honorem faciebant.*

21. Jam si per singulos ire liceret, quam, est viro principi digna Camilli gravitas, Sempronii constantia, Menenii moderatio, qua in omni vita pariter patribus ac plebi carus & utilis fuit? Juvaret etiam cognoscere, quomodo deverterint à vero tramite hujus laudis nimia lenitate Æmilius, & fortasse Servilius: nimia severitate Coriolanus & Appiorum quidam. Nam plures Appii, cum optimates haberi magno studio vellent, in oligarchicos mores & consilia paucorum dominationi quam optimatium dignitati aptiora, lapsi sunt. Historici pleraque, *superbiæ & violentiæ* nominibus complectuntur, quibus & alias injusta imperia notari solent. Characterem hominis ὀλιγαρχικοῦ etiam *Theophrastus* composuerat. Sed vitiis scatent, quæ fragmenta habemus. *Casaubonus, optima-*

 tium

tium vocabulo expressit. non quatenus virtutis, sed factionis nomen est. nam si quis sententias *Theophrasti* conferat cum aliis scriptoribus (vel *Pollucem* vide III, 6.) non dubitabit, contemptu plebis, affectatione honorum, jactabundâ elatione, & similibus signari res à virtute Aristocratica optimatium plurimum alienas.

22. Cæterum ejusmodi notationes magna exemplorum varietate Historia suppeditabit, tum aliarum gentium, tum Romanorum. præsertim ab eo tempore, quo pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant, bonique & mali cives appellari, non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus & injuriâ validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ita *Sallustius* describit illa certamina potentium, quæ per omnes τῆς ὀλιγαρχίας gradus, vices, species rempublicam in unius manum denique tradiderunt.

23. Quæ hactenus de perdiscendis optimatium ingeniis attigimus, præter Aristotelis & Platonis politica, uberius peti possunt ex Græcis Latinisque scriptoribus, qui liberarum civitatum res declarant, vel ubi democratia, vel ubi aristocratia, vel ubi ex utraque mixta reipublicæ forma obtinuit. Non enim reperitur Democratia apud veteres, quin Aristocratica quædam temperamenta ibi vel usurpata, vel consultata sint. ne de mutationibus & mutationum tentamentis dicamus: quibus Attica Respublica est agitata. Hujus enim res eximie huc pertinent. Itaque ex Historicis *Thucydides*, ex oratoribus *Demosthenes* & *Isocrates* diligenter versandi. Romanæ Reipublicæ negotia ab exactis regibus ad monarchiam Cæsarum, *Halicarnasseo*, *Plutarcho*, *Dioni*, aliisque descripta habemus. Sed *Livius* singulariter hic est commendandus, ex quo solo peti potest, quicquid ad Aristocraticam pruden-

tiam


tiam pertinet. In *Sallustio* quoque non parum hujus disciplinæ superest. Tum *Ciceronis* scripta, *orationes* præsertim & *Epistolæ*, thesauros ingentes philosophiæ ejus, de qua agimus, recondunt. ne ad plura nunc eamus.

24. In recentioribus, duo sunt incomparabilia exempla: *Reipublicæ Venetæ vere Aristocraticæ* & *Status Imperii Germanici* ex Aristocratia & Monarchia mixti. Utriusque ergo generis scripta studiose versare debet is, cui Aristocraticam prudentiam perdiscere opus est. Si tamen prius tantum disciplinæ politicæ hauserit, ut de formis rerum publicarum, earumque rationibus accurate judicare possit. Res est enim, privatim inutilis, publice persæpe noxia, meditari & disserere tanti momenti negotia, absque illius doctrinæ ope, sine qua nihil rite judicaveris. Quantus est, heu quantus eorum numerus, qui de statu Reipublicæ temere, imperitèque disputant, cum revera nullius omnino formæ constitutionem animo satis perceptam cognitamque habeant, neque verborum formulas, à jurium potestate, speciem à re denique queant discernere: multo minus actionum publicarum fontes ac processiones definire.

25. In Historiis legendis, eximiam merentur observationem illæ orationes Aristocraticæ: de quibus vere possis dicere, quod de Pompejo ad Atticum scribens *Tullius* extulit (1.*Epist.* 14.) *tum Pompejus μαλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est, senatusq́ue auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri semperq́ue visam esse, respondit; & id multis verbis.* Quanquam & in Principum orationibus aliquando illa imago usurpatur. Quid de optimatibus aut pro senatu fingi potest splendidius illa oratione Othonis, quam *Tacitus primo Historiarum* expressit? similia alibi notavimus.

26. Et quia optimatibus singulari quadam ratione virtus senatoria vindicatur, dubitari nequit, quin huc re-

ferri possit, quæ *Laurentius Grimalius de optimo senatore*, & alii instituto simili de virorum civili munere dignitateque fungentium artibus composuerunt: ut qui optimatium ingenia etiam in Principatu scrutantur & describunt, quale specimen *Barclajus*, *in icone animorum* prodidit. Sed nobis de diverso regiminis genere hactenus sermo fuit. cui hic modum ponimus.



XXXVIII.

CLEARCHUS & SATYRUS

Primi Heracleæ Ponticæ Tyranni,

Ex MEMNONIS Historici inprimis egregii fragmentis.

CAP. I.

DE MEMNONE & HERACLEA.

TH. I.

MEMNONIS Historici notitiam debemus *Photio*: qui in *Bibliotheca* sua eum commendat (*cod.* 224.) à prudentia scribendi, quæ prima Historici virtus est; à simplici venustate stili, quæ maximis etiam viris in hoc genere placuit; & ab ordine, digres-

digressionibus non nisi necessariis tempestive interstincto. Non licet apponere Græca: ne excrescant, quæ pauca & brevia esse volumus.

2. Verum est, quod *Cicero* dicit: *Historia quomodocunque scripta delectat.* Itaque nec hodie, barbare scriptas historias spernimus: dummodo, ingenii & veritatis; denique vel solius veritatis, si ingenium absit, aliqua vestigia appareant. Interim certum est, semper optari, quod optimum est: adeoque in Historico tum σύνεσιν πολιτικὴν, tum δύναμιν ἑρμηνευτικὴν spectari, sicut probe extulit, quisquis est, qui *Luciani* nomen suæ commentationi de scribenda historia præscripsit.

3. Sed in genere orationis, non una omnibus, etiam eloquentissimis, forma placuit. Aliqui oratoris virtutem ample conspici voluerunt in historia: aliqui eam occultarunt. Ecce, quantum à Livii ubertate, à Sallustii splendore, à Taciti sublimitate, Julius Cæsar distare videtur? qui cum omnes facundiæ Latinæ opes in promtu haberet, partem existimavit artis esse, si non ostentaret. Ad hoc institutum Memnon congruit: verbis usitatis, nec longe petitis, perspicue non minus quam sollerter momenta rerum complexus.

4. Magnum hoc subtilis & exquisiti judicii argumentum est. Quo & illud pertinet, quod digressionibus ἐκβολαῖς more Græcorum quorundam, onerare scriptionem suam noluit; nisi ubi res & ratio posceret: i.e. non quæsivit digressiones, sed admisit. At imperiti hodie ejuscemodi ambages in historia unice amant, & si diis placet, laudant.

5. Materia ei scriptionis fuerunt *Res Heracleæ Ponticæ*: ὅσα περὶ τὴν πόλιν ἡρακλείας συνηνέχθη. De quibus sedecim libros confecit. Opus injuria temporis abolitum, nisi quod Photiana excerpendi diligentia, summatim multa consignavit, quæ nobis eo cariora esse debent, quatenus amissorum desiderium instaurant.

6. *Heracleas* viginti & tres *Stephanus Grammaticus*

numerat in commentario *de Urbibus*. Hic accipienda est, ut jam diximus, *Heraclea Pontica*, ἡ ἐν πόντῳ, πόλις θράκης, ἐν τῷ πόντῳ, διάσημος. Urbs fuit opibus, & rerum gestarum gloria insignis: quæ ab initio feliciter democratico regimine utebatur; subinde varias mutationes sub dominatu paucorum perpessa; denique in tyrannidem recidit: cum qua 75. annos conflictata est; donec ad pristinam libertatem inciperet aspirare. id quod ex *Aristotele* etiam discas. 5. *Polit*. 6. add. *Justin*. 16, 3.

7. De *Tyrannis* ergo inprimis sibi scribendum putavit *Memnon*: partim quod hæc disciplina vel maxime utilis est ad commonendos hominum animos, ne libertatem, quæ omnium est, paucorum lubidini prodant, unde certa ad plenam tyrannidem & brevis via est; partim ut ipsos tyrannos merita ex flagitiis infamia consequeretur; id quod inter præcipua historiæ munera esse, nemo sanus unquam inficias ivit.

CAP. II.

CLEARCHI ingenium, mores, studia.

8. CLEARCHUM ergo, πρῶτον τυραννίδι ἐπιθέμενον κατὰ τῆς πόλεως, primum libertatem civitatis Heracleæ dominatu oppressisse, Memnon auctor est. Hujus hominis, ante omnia, *ingenium* noscere & *mores* debemus: ut intelligatur, tales viros semper liberis civitatibus servitutem & ærumnas intolerabiles portendere, nisi in tempore coërceantur.

9. Apud *Suidam*, inde ab adolescentia dicitur fuisse θεοῖς ἐχθρὸς *diis inimicus*, immanis & belluinæ naturæ descriptione. Invisi enim infestique Diis notantur, qui divina humanaque jura pravitate ingenii conculcatum eunt, feri,

feri, inſociabiles, omnis civilis moris everſores. Elegantis ſententiæ ratio, à ſanctiore philoſophia lumen accipit. Revera enim inimicitia adverſus Deum eſt, illa animi immanitas, quæ humanitatem diſciplinæ, & juris inter homines æqualitatem, expreſſa divinitatis ſpecimina, odit atque aſpernatur.

10. *Memnon* in Clearcho notat, primum ὠμότητα, *ſævitiam ingenii:* cujus adminiſtræ erant ac comites, *violentia & audacia.* κατὰ πάντα βίαιόν τε καὶ τὰ ἄτοπα τολμηρὸν, *violentum in omnibus, & ad nefaria quævis audenda paratum* nominat. Alterum vitium ἀλαζονείας nomine ſignat, *ſuperbiam* ſcilicet, tumidique & elati animi inſolentiam, cujus proles fuit, *ingratus erga bene meritos animus.* Fuit enim πρὸς τοὺς εὐεργέτας ἀχάριστος.

11. Jam imaginem ejus vides, qui tyrannus futurus eſt. *Sævitia & ſuperbia*, quicquid ad rapiendam & exercendam dominationem facit, & gignunt ex ſe liberaliter, & provehunt impotenter: neque quicquam humanæ ſocietati adeoque libertati tam adverſum eſt, quam infanda iſta nomina, quæ jus & æqualitatem, unica civilis felicitatis inſtrumenta, è vita tollunt. Itaque hoc compendio ſcriptores utuntur, cum de tyrannis ſermonem inſtituunt. *Superbiâ ſævitiâq; graſſatus* apud *Suetonium* Caligula dicitur (*cap.* 34.) qui ad implendos omnes tyrannidis numeros nihil reliqui fecit. *Tacitus*, Tiberium qualis futurus eſſet, *ſuperbia ac ſævitia* indiciis deſignat. 1. A. 4.

12. Τὸ κατὰ πάντα βίαιον, five *violenter in omnibus verſari*, veriſſimus tyrannicæ ſævitiæ character eſt. Enimvero cum videas hominem, non rei, non perſonæ, non loco, non tempori parcentem, quin privatus pro imperio, civis inciviliter, ferocia pro ratione, jurgio pro jure utatur; an tu dubites hunc immanem tyrannum futurum, ſi qua reipublicæ perturbatio, aut calamitas, pravæ lubidini ejus occaſionem aperuerit? Nulla hic ſagaci conjectura opus eſt, qua apud *Tacitum* prudentes *multa indicia ſævitiæ*,

ſævitiæ, quamquam premebantur, erumpere deprehendunt (1. A. 4.) τὸ βίαιον ſe ultro indicat, & populi quoque non oculis modo conſpici ſed manibus palpari poteſt. Quare hæc ipſa res, exoſum omnibus Clearchum, adhuc privatum, reddidit, ut nec oculos publicæ invidiæ amplius ferre poſſet, ſed fuga ſibi conſulere cogeretur, ut eſt apud *Suidam.*

13. Cum autem animus crudelis & ſuperbus, aſſiduis nefariorum cœptorum ſtimulis inquietetur, conſilia conſequi conſimilia oportet: nova, ſubita, ſibi invicem adverſa, turbida. Quibus ſeu tentandis ſeu perficiendis, audacia pro inſtrumento eſt. Clearchus τὰ ἄτοπα τολμηρὸς Memnoni dicitur, notabili ſententiâ. *Laurent. Rhodomannus*, vir doctiſſimus, interpretatus eſt *ad res nefarias audacem.* Sed τὰ ἄτοπα, ſicut res nefarias non excludunt, ita potiſſimum oſtendunt, audaces impetu ruere, atque ubi minimum rationis eſt, eo plurimum conatus vertere. Violentia, de qua dictum, huc eos præcipitat, &, quæ ipſam haud raro violentiam extimulat, ſuperbia.

14. Eſtne genuinum ſuperbiæ germen, *ingratus animus*, de quo Memnon ante loquebatur? Nihil verius. Gratus animus debere ſe putat bene merentibus: Superbo omnia omnes debent, ſi placet; ipſe nihil cuiquam unquam. Gratus animus, colit alios, amat, conciliat? Superbo nec decorum fuerit, quenquam colere; nec poſſibile, quemquam amare: nec facile, quenquam conciliare. Nam quæ ſervitio quæritur apud ſuperbos voluntas, ut gratiæ nihil, ita dedecoris plurimum habere intelligitur.

15. Aderat tamen Clearcho, *vigilantia, induſtria, efficacia.* de quibus merito dicas, quod de Sejano *Tacitus* dixit: cum pleraque ejus vitia commemoraſſet, & induſtriam ac vigilantiam ſubjeciſſet: *haud minus* hæ ſunt *noxiæ, quotiens parando regno finguntur.* 4. A. 1. Bene, *finguntur.* Quod enim ſincerum virtutis nomen in eo locum

cum habet, qui civilis societatis finem conculcare decrevit? Itaque *Memnon*, ipsis vocabulis ostendit, quid sub specie honesta lateat, cum τῷ δραστηρίῳ (quod ad efficaciam agendi poterat trahi) τὸ παλαμναῖον conjungit. in quo nihil boni inesse potest.

16. Quid de studiis ejus dicemus? Fuit enim παιδείας τῆς κατὰ φιλοσοφίαν οὐκ ἀγύμναστος; Platonis & Isocratis auditor. Ingenio deterrimo, hæc pro adjumentis scelerum sunt. *Aristoteles* non tacuit: χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα. (1. *Polit*, 2.) Unde bonis præsidia virtutis petuntur: ea sunt pravis arma injustitiæ. Quid? quod nec serio philosophiæ operam dedit, sed in speciem; ut nomen aliquod ex re tam nobili, non ut fructum peteret. Adi *Suidam*, apud quem reperies, verbo tantum prætulisse desiderium philosophiæ: ἔλεγε φιλοσοφίας διψῆν, cum Athenas ad Platonem proficisceretur. Statim autem subjicitur: ὀλίγα δὲ συγγενόμενος. *Exigua Platonis consuetudine usus est.*

17. Nam hoc tyranno convenientius erat futurum. Nulla enim majora omni ævo Rebuspublicis damna evenerunt, quàm ab illis, qui Philosophiæ operam dederunt, sicut Clearchus dedit. Qui scilicet & somnio deterritus est, ne vere philosopharetur. Vidit ille in somnis (referente *Suida*) mulierem sibi dicentem: exi ab Academia, & fuge philosophiam. Neque enim fas tibi, eâ frui: quæ infestissimis te oculis intuetur. Accessit & alterum somnium, quo vidit tyrannum sibi prædicentem imperium, & jubentem cavere philosophiam.

18. Ad hæc somnia interpretanda, non opus est, ut *Artemidori*, aut *Achmetis*, aut *Astrampsychi* onirocritica consulamus. *Fit enim fere, ut cogitationes sermonesq; hominum pariant aliquid in somno, tale quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissime vigilans solebat cogitare & loqui.* inquit *Cicero in somnio Scipionis.* Quid mirum, si homo violentus ingenio, immodicus vita, tyrannus proposito, somniavit contrariam sibi esse philoso-

 phiam?

phiam? quæ omne nimium odit, omnem vim execratur, omnem tyrannidem infamat.

19. Illa mulier, quam Clearchus somniavit, est libido tyrannici animi, semper in eo negotiosa, ac ne inter dormiendum quidem quieta. Ea mutavit, ut in somnis nihil difficile est, sexum, cum in tyrannum transformata nihil novum dixit. Non potest rerum natura inverti: semper ex animo dicunt, qui rem tam claram, tam certam asseverant. Et fœmina dixit, & mater, vere mater, quæ non filium modo sed ex indole ingenii sui, tyrannum peperit: *Philosophiam imperaturo contrariam esse* (*Sueton. Ner. 52.*) Nec alio animo aut proposito utebatur in alio sexu, qui *literas virus ac pestem publicam* nominavit.

20. *Aurelius Victor* id memorat: qui eadem opera putat, *per inscitiam immodicam*, illud dicterii provenisse. Detur aliquid festinanti calamo: debuit vir eximius dicere, *per summam sapientiam*. Nam qui tyrannice sapiunt, non adeo inepti sunt, ut onerosum virtutis opus, aut inimicas vitiis artes sectari instituant. Brevis & efficax sapientia est: vi pro jure uti. neque enim multis elementis ista distant. Ecce quantum compendium, imo (nam hoc magis amant) quantum ARCANUM? sapientibus illis viris, & magnis philosophis arduum videtur, unam rempublicam regere. At qui tyrannicis mysteriis initiatus est, toti orbi gubernando, omnibusque & rebus & hominibus informandis, reformandis, deformandis, & solus & statim & vehementer par est. Ludus ipsi & jocus est, dolo grassari. Quo is nequit penetrare, abunde per omnia vis sufficit. Non fallit verbum illud:

Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.

21. Non placent hæc simplici & ingenuæ Philosophiæ: itaque nec animo nec oculis æquis ferre tyrannos potest, & τυραννῶντας. Quid miretur ergo, si invicem, ab hujusmodi ingeniis odio habetur? Semper ista inimicitia

citia obtinuit. Omnium sæculorum, omnium gentium annales revolve, si placet: nunquam non invenies, tyrannos & *τυραννικὰ φρονοῦντας* infensis odiis in philosophiam & philosophos desæviisse. Caussas si quis quærit, partim jam cognovit, partim ex *Tacito* & *Plinio* repetere potest, cordatis, ut arbitror, & ingenuis viris. Quod si tamen illi, minus ad horribilem sapientiam facti videantur; festiviore disciplina vel in theatro, per omnium linguarum histriones idem doceri possumus.

CAP. III.

CLEARCHI Tyrannis, & tyrannicæ flagitia.

22. Qualis fuerit Clearchus, ex *Memnone* & *Suida*, hactenus satis est expositum. Nunc, quo pacto tyrannidem & adeptus sit & exercuerit, noscendum est. Qui republica Heracleotarum quietâ, inter cives propter incivilitatem tolerari non potuit, is inter gravissimæ seditionis dissidia, ab una parte accitus, adversum omnes invaluit, ac tyrannidem sibi stabilivit. Caussam seditionis aliter *Justinus* tradit (16, 4.) aliter *Aristoteles* (5. *polit.* 6.) qui ob supplicium Eurytionis concitatam indicat, eo quod *οἱ ὀλιγαρχοῦντες* pœnas legibus constitutas excessissent, in eoque plectendo suis odiis per contumeliam auctoritatis publicæ explendis studuissent.

23. Apud *Justinum* explicatur, quomodo se gerendo, dissidentibus inter se civibus jugum imposuerit. Nam *Diodorus Siculus* (*lib.* 15.) plura non habet, quam *ἐπέθετο τυραννίδι, καὶ ἐκράτησε τῆς ἐπιβολῆς.* Solus interim seditionis titulus, ultro ostendit, tyrannidem bonis artibus parari haud potuisse in Republica libera. Quare nec melius, quam adeptus est, exercuit. Flagitia tyrannidis, *Memnon*

 tribus

tribus generibus erudite concludit, quando τὸ μιαιφόνον, τὸ μισάνθρωπον, τὸ ὑβριστικὸν in eo accusat: quasi tu dicas, crudelitatem in cædibus sive acerbitatem in suppliciis; truculentiam in convictu & moribus; contumeliam, in injuriis, sive contumeliosum in omni civili commercio animum. Quæ ex sævitia & superbiâ scilicet ante memoratis, proveniunt. adde *Justinum*.

24. Si quis per singula, quid his flagitiorum generibus comprehendatur, nosse cupit, *Aristoteles* adeundus est: qui *lib. 5. polit. cap.* 10. & 11. tyrannicas & calliditates & acerbitates partitur ac explanat. *Superbiam* Clearchi, in tyrannide eo usque provectam *Suidas* tradit, ut humano fastigio non contentus, divinos honores affectaret, habituque simulacris deorum familiari ornaretur. Filio quoque Κεραυνοῦ id est *Fulminis* nomen imposuit. Se autem *Jovis Filium* cognominavit, sicut *Memnon* refert.

25. Quo etiam pertinebat commentum illud, faciei pingendæ, & in ruborem quendam adornandæ: ut augustior intuentibus ac divinior appareret. Ita nimirum paulatim factum est, ut hominibus intolerabilis videretur, qui homo esse desierat. Traxit tamen duodecim annos ista dominatio; vi & armis munita, & ad inexpugnabile, ut opinabatur, robur exædificata.

26. Ut tamen suorum facinorum invidiam, ad aliud sermonis publici argumentum verteret, *Bibliothecam* instruxit, qualem tyrannorum nemo. Sed quid Bibliotheca in manibus tyranni? non dicam, gladius in manu furiosi. Ille vero non utitur hoc gladio: habet alios longe acutiores, & sæviores, non qui literis constant, sed qui ferro, *Gladium* & *Pugionem*. Alius est Bibliothecæ usus. Quis ille? dicet, & jam olim dixit, simillimus Clearcho Caligula.

27. Compone te ad audiendum, quisquis es, Tyrannus loquitur: nec protrita & vulgaria, sed ipsa horribilis illius sapientiæ, quæ Tyrannis vocatur, mysteria: *Cogitavit* CALIGULA *etiam de Homeri carminibus abolendis.*

Cur

Cur enim sibi non liceret, dicens, quod Platoni licuit (admirare acumen illius arcani, quod *pugionem* vocant) *qui eum à civitate, quam constituebat, ejecerit? Sed & Virgilii & Titi Livii scripta & imagines, paulum abfuit quin ex omnibus Bibliothecis amoverit: quorum alterum* (connivete; iterum micat acumen) *ut nullius ingenii minimaq; doctrinæ; alterum ut verbosum in historia negligentemq; carpebat. De Juris quoque consultis* (nunc utraque manu distringitur *Gladius*) *quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe jactavit; se mehercule effecturum ne quis respondere posset; præter* EUM. Sueton. Calig. 34.

28. In Poësi, Historia, Jure, apud ethnicos omnis divinarum humanarumque rerum sapientia continebatur. Hanc abolere, & ad silentium redigere cupit Tyrannis, nec immerito scilicet. omnia arcana sapientiæ sunt in scrinio pectoris tyrannici. Sileant ergo artes cæteræ: neque *præter Tyrannidem* quicquam loquantur. Ita compendio agentur, transigentur omnia; tollentur ambages; parebitur Philosophis, qui vetant, quod paucis fieri potest, per plura expediri. De atrocioribus quibusdam hujus tyranni flagitiis, peculiari dissertatione agetur.

CAP. IV.

CLEARCHI Exitus, sive Exitium.

29. Ita grassantem *Clearchum* non defuit haud dubie plerisque animus adoriri. Sed ita se terrore armorum succinxerat, ut occidi sine occidentium exitio non posset. Tentata est itaque patientia servientium, donec patriæ caussa perire cuperent illustres & eximii quidam viri, hoc pretio, si auctores exitii tyranno, Heracleæ libertatis, existerent. *Memnon* ait, τῦτῳ ἐπιβυλὰς πολλὰς πολ-

λάκις καὶ αὐτῷ συστάσεις διαφυγεῖν, *multas hunc insidias & conspirationes sæpe in ipsum structas evasisse.*

30. Venit tamen hora vindictæ; de qua notabiliter *Suidas*: ἀπέκτεινε δὲ αὐτὸν πρῶτον μὲν, ἡ δίκη, εἶτα δὲ, ἡ χεὶρ ἡ Χίωνος. *Occidit eum, primo quidem Divina justitia; tum autem manus Chionis.* Vere huc pertinuit illud Poëtæ:

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Vidit enim hoc, vidit etiam illa philosophia, quæ ad divina sæpe cæcutiit: neminem Tyrannorum credere, Dei in rebuspublicis regimen; donec ultrix cœlo vindicta fidem sui ipsa faciat. Hac mercede enim veram sapientiam, quæ immodica omnia execratur, in terris spernunt Tyranni, ut apud inferos demum condiscant; eâ disciplinâ, quam descripsit *Silius Italicus lib.13.* sed longe accuratius sacra exhibet pagina.

31. Interfectores Clearchi complures memorantur. manu tamen *Chionis* perpetratam cædem, & *Memnon* & *Suidas* ait. Magni vir animi, verus Platonis discipulus, & sapientiæ studiis præclare eruditus, ex ea schola τὸ μισοτύραννον sive odium tyrannidis, hauserat; cum tyrannum alias non odisset, sanguine sibi conjunctum. Ex sociis facti ceteris Leonem & Euxenonem, *Memnon*; Leonidem & Antitheum, *Suidas*; Chionidem & Leonidem *Justinus*, nominatim appellant: viros itidem philosophos. ut fieret, quod tyrannus somniaverat: philosophiam sibi inimicam esse. Est enim hæc quoque pars justitiæ vindicis, ut, unde maxime peccant homines, inde potissimum puniantur. Philosophiæ hostem, consilio & manu philosophorum cadere, in fatis erat. addatur *Diogenes Laërtius in Platone.*

32. Clearchus itaque, dum sacris publice operatur, accepto lethali vulnere manu Chionis, postridie interiit: sævissimis antea doloribus excruciatus, & à spectris exagitatus. Sive revera mali genii circa prædam suam jam exul-

exultabant; ſive tormenta conſcientiæ repræſentabant ei flagitiorum, quibus gaudebat hactenus, deformitatem. Ait enim *Memnon*, ſimulacra eorum, quos diris modis necaverat, oblata, tantum pavoris incuſſiſſe.

33. Jure eum meritoque interiiſſe, nemo ſanus non intelligit. Præclare *Suidas*: δίκην ἔδωκε δικαίαν, ἀνθ' ὧν ἐτόλμησε, *juſtas facinorum, quæ auſus eſt pœnas dedit.* An jure interfecerint, qui huic conſilio animum adjecerunt, tum non eſt dubitatum. Communes patriæ hoſtes & habebantur & dicebantur tyranni, qui rempublicam antea liberam dominatu oppreſſiſſent: patriæ liberandæ ex manu tyrannorum juſtiſſimus titulus, perennis gloria credebatur. Itaque plenis laudibus hos interfectores Clearchi concelebrant Hiſtorici, quibus hic utimur auctoribus.

34. Augetque non parum gloriam facti, egregia facientium voluntas. non enim, ut potentiam ipſi adipiſcerentur, ſed obfirmato ad moriendum animo, Tyrannum aggreſſi, ſuo interitu patriæ libertatem emere decreverant. Plerique enim (quod omnino futurum providerant) à ſatellitibus tyranni occiſi, non multi tamen cecidere. reliqui comprehenſi conſtantiſſimo animo ſuppliciorum ultima pertulere. Non ſecutus eſt ſane is eventus, quem ſperaverunt. Sed hoc in manu fortunæ fuit: documentoque eſſe debet liberis civitatibus, quanto ſtudio omnis præcludenda tyrannidi via ſit; quæ ſemel recepta ægre excutitur.

35. Quæ Græci de tyrannicidis philoſophati paſſim & copioſe ſunt, longum fuerit referre. neque poteſt negari, plus ultra iviſſe quoſdam, qui etiam adulterium in uxorem Tyranni; ſi hac ratione facilius è medio tolli poſſet, permiſerunt. *M. Seneca excerpt. Controv.* 4, 7. & *Michaël Epheſius ad* 5. *Eth. Ariſtot.* videndi. Satis erant muniti legibus, qui tum ad tollendos tyrannos animum applicabant, neque opus habebant, à flagitio præſidium mutuari. Quid alias in hac quæſtione ſtatuendum ſit, non poteſt

poteſt niſi in re præſenti cognoſci i.e. ex legibus cujuſque reipublicæ, & factis ac non factis.

CAP. V.

SATYRI, ingenium, Tyrannis, exitus.

36. Succeſſit Clearcho SATYRUS frater, teſte *Memnone* & *Juſtino*: *qui eadem via* (ita loquitur *Juſtinus*) *tyrannidem invaſit*. Ex quibus verbis, nondum confirmatam aut conſenſu civitatis receptam fuiſſe tyrannidem, adeoque merito & jure Clearchum occiſum, non invalide colligas. Sed quoniam ſatellites occiſi Tyranni ſubito convolaverunt, conſpiratosque oppreſſerunt, occaſione rapiendæ dominationis uſus Satyrus (ſive is Zathras eſt) fraternæ domus potentiam ſtabilivit.

37. Hunc ingenio, moribus, ſtudiis rudem & inconditum; ſolis cædibus & crudelitate promptum, *Memnon* deſcribit. Lubet hic miſerari civitatis magnæ & miſeræ infortunia: quæ non unius & alterius, ſed plurium tyrannorum ingenia perferre coacta eſt, poſtquam ſemel ſanctiſſimam rem, nec niſi vigilantibus & cordatis committendam, libertatem amiſerat.

38. Sævitia non æquavit modo fratrem, ſed ſuperavit. Argumenta hiſtoricus duo, inſignia adfert. Primo enim, *πολλὺς ἀναιτίυς, κακύργων δίκας ἀπήτησεν*; *innoxios multos, tanquam noxios punivit*. Sicut bonis Principibus ſolemne eſt, neminem niſi valde noxium punire: ita tyranni non alios promtius quàm innoxios evertere concupiſcunt: ſi præſertim ſint ingenio liberaliore minimeque ad ſerviendum aut aſſentandum facto. quorum ſcilicet in civitate nuper liberâ non poteſt non magna copia eſſe. Deinde, tantum proceſſiſſe crudelitatem Tyranni *Memnon* oſtendit, ut ſatias tandem ac tædium fundendi ſanguinis eum caperet. Quantum eſt ſanguinis & miſeriarum, quo ſatiari Tyrannus poteſt?

39. Non

39. Non defuerunt interim ſpecioſa nomina. Ultionem enim parricidii vocabat illam ſtragem, qua noxios cum innoxiis ſternebat, nulli ætati aut ſexui parcens: adeo, ut liberi etiam, non tantum eorum, qui conſcii fuerunt cædis Clearchi, ſed etiam, qui ignari, una ruina provolverentur. Hoc in præſens, munimentum erat. In futurum, gloriam ſibi parare cupiebat τῇ φιλαδελφίᾳ. nam, ut fratris liberis tyrannidem integram & ſecuram conſervaret, liberos ipſe noluit generare. hac quoque in re (quid enim ſincerum à tyranno queat expectari?) flagitio uſus, quod legi apud Memnonem malumus, quàm hic narrare.

40. Verum non plures ſeptem in tyrannide annos exegit. Tum enim fratris filio majori tradidit imperium. Ipſe autem morbo implicitus eſt immedicabili, de illo genere, quod ſalva aurium reverentia ne quidem nominari poteſt. donec deſertus à ſuis (fœtorem immanem jam non ferentibus) & ſummis cruciatibus excarnificatus, iterum ſuo exemplo docuit, tyrannos & tyrannica ſpirantes, non minus perire quàm perdere.

41. Graviter Memnon, cum exitum ejus expoſuiſſet: ἐδίδου μὲν καὶ οὗτος, ὥσπερ καὶ Κλέαρχος, τελευτῶν τοῖς ὁρῶσιν ἐννοεῖν, δίκας ἀπαιτεῖσθαι ὧν ὠμῶς τε καὶ παρανόμως τοὺς πολίτας διέθεσαν. *Hujus exitus, ut & Clearchi, iterum documento eſſe animadvertentibus poteſt, pœnas tandem exigi eorum, quæ crudeliter atque contra jus & æquum, in cives* tyranni *admiſerunt.* Ridentur hæc ab iis, quibus ἐπικούρειος θεὸς præcipuum in civili vita numen eſt. Sed nemo evaſit, aut evadet in poſterum, Nemeſin rideri neſciam.

42. Qui hiſtoriam omnis ævi aliter, quàm pueri fabulas legunt, imo nimium poſtulavi; ſi legunt ut pueri fabulas, cum ἐπιμυθίῳ, nunquam dubitabunt, veram eſſe philoſophiam, qua Memnon utitur. Uſus communis vitæ privatim docebit: nemini impune eſſe, ſi alterius ſtatum per injuriam clam palam evertat. quid oportet

 eum

eum expectare, qui civitatis jura & libertatem oppressum ivit? Satyrus inter acerbissimos cruciatus sæpe optat mortem, nec invenit. ecce, qui tot innocentibus causa mortis extiterat, adversus supplicia vitæ, ne solatio quidem mortis potiri potest. Veniet tandem ocyus serius sua cuique mors tyranno: sed illis stipata comitibus & pedissequis, quæ possint luculente testari, libertatem oppressam Deum habere ultorem.

Corollarii loco adjecta.

I. An Tyrannicidæ præmium petenti apud *M. Sen. Excerpt. Controv.* 4, 7. recte & valide contradicatur?

II. Quid de origine Heracleæ (*Justino* descripta 16, 3.) sentiendum sit?

III. An Heracleenses, hostium injurias beneficiis rependendo prudenter egerint? apud *Justin.* 16, 3, 11. & 12.

IV. An Timotheus Atheniensium, Epaminondas Thebanorum duces Heracleensibus seditione laborantibus prudenter auxilia negaverint? *Justin.* 16, 4.



XXXIX.

FOEDERIS ROMANORUM CUM Antiocho JCti formula.

DELECTUS MATERIÆ.

CUm esset hoc tempore aliquod specimen studiorum in Academia edendum, delegi considerandum *Fædus, quod Romani cum Antiocho victo pepigerunt* Anno ab V. C. DLXIII.

Nam in *Legibus ejusmodi Fæderum* multa occurrunt, quæ non ad *Jus* modo *Belli* explicandum faciunt, sed *statum Republicæ* fæderatas apud gentes, vicinasque, ostendunt.

Quare

Quare viri prudentes semper optarunt, accuratam Fœderum consignationem fieri in *Historiis*: nec in *Tabulariis* modo, quæ crebris casibus obnoxia sunt, sed in *memoria* quoque *Annalium* ad posteros illa prodi.

Neque sane Historicorum quisquam fuit, quin rebus memoratu dignis, id est, argumento historiæ convenientibus, *Fœdera* accenseret. Sed plerique, etiam principes scriptorum, brevi summa notare contenti, *Formulas* ipsas suis operibus inserere, alienum ferè duxerunt. Quo fit, ut hujus generis pauca exempla, atque ideo diligentius consectanda atque expendenda, reperiantur.

An ex *iis* Fœdus est, de quo loquimur? Nihil dissimulandum est. Ipsa verba, & formulæ seriem, ut in tabulas ivit, neque *Polybius* nobis promittit in illis verbis; *ἦν δὲ τοιαύτη τις ἡ τῶν κατὰ μέρος διάταξις*, neque *Livius*, qui ita interpretatur: *Fœdus in hac verba FERE cum Antiocho conscriptum est.* Sed est tamen formulæ in ipsa conventione perscriptæ proxima, & ad primam illam ac quasi originariam descriptionem copiâ & expressione capitum accedit.

Occasio Fœderis & status Paciscentium.

ANtiochus bellum cum Romanis fidenter susceptum, infeliciter gesserat, terra marique clade affectus. Igitur ad pacis consilia versus, à Scipionibus (Lucio enim Africanus Frater Legatus aderat) in Asiam ad patrandum bellum missis, pacem petit. Cum displicerent conditiones, denuo confligitur, simili partium fortuna. Necessaria jam Antiocho pax erat, quam ante repudiaverat. Prætermisso itaque *Uno* eoque optimo *de pace agendi tempore, dum sibi utraq; pars confidit, & pares ambæ videntur; expertus est quod vix contentus sit æqua parte, qui superior videtur.* Non nisi cladibus extenuatus pacis mentionem intulerat: conditiones, tempori & fortunæ suæ pares asper-

Jul. Cæs. B. C. c. 3 p. 10.

 natus

natus primo, cupide postea ad eas recurrendum habuit. Quis hic Fœdus speret æquum? Perdit Principes sæpe opinio pudoris; dum pacis prima mentio dedecus habetur. Neque semper reconciliatores pacis, quos hodie *Mediatores* vocant, sese offerunt. Romanorum equidem animi magnitudinem *Trogus* laudat, *nihil ad superiores conditiones addentium, Africano prædicante, Neq; Romanis, si vincantur, animos minui, neq; si vincant, secundis rebus insolescere.* In summam scilicet, nec indecore, Patriæ gloriam, cui solus eo tempore pares animos tulit, commentatus est. *Appianus* tamen, *fœderi ex Scipionis sententia scripto, Senatum pauca*, quæ exprimit, *adjecisse*, refert. Sed quid de fœdere toto judicandum, Formula expensa docebit.

Justin. 31, 8, 8.

In Syriacis.

Formula Fœderis cum Interpretatione.

EXhibent Historici Fœdus hoc, primò *summatim*, deinde *expressis plenius legibus*: Præmitti fas erit quæ in summam memorantur. Leges à Scipione dictas *Appianus* ita signat: *Antiochus Europa abstineret, Asia cis Taurum decederet, finibus designandis: Elephantos omnes, naves, quot imperarentur, Romanis traderet, neq; in posterum vel Elephantos ullos, vel naves ultra præscribendum numerum, pararet: Obsides viginti à consule nominandos, D. talenta statim; M M D. cum Senatus Fœdus comprobasset, M. talenta æquis per annos XII. pensionibus, daret: Captivos & transfugas omnes redderet, Eumeni reliquam de eo, quod Patri ejus debebatur, summam numeraret.* Legatis ab utraque parte Romam missis, Senatum his confirmatis pauca addidisse; *Ut Antiocho terminus regni duobus promontoriis Calycadno & Sarpedonio definiretur, ultra quæ belli causa non liceret navigare; Ut naves bellicas tantum duodecim ad subjectorum fidem continendam haberet, ad repellendum vero bellum pluribus uti posset; Ut in ditione Romano-*

In Syr. pag. 112. edit. H. Steph.

manorum milites ne conduceret, neq; transfugas inde reciperet; Ut Obsides tertio quoque anno, excepto Antiochi Filio, mutaret. Apud *Justinum* brevius: *Ut Asia Romanis cederet: contentus Syriæ Regno esset: Naves universas, captivos & transfugas traderet; sumptumq; omnem belli Romanis restitueret.* Adhuc concisius *Valerius Maximus*, *Antiochus*, ait, *à L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus Asiam provinciam vicinasq; ei gentes amisit.* Et: *Lucius Scipio Antiochum totius Asiæ dominum, etiam Europæ victrices manus iniicientem, ultra Taurum montem summovit.* Oratorie *Florus*: *Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit; eo libentius quod tam facile cessisset.* Lib.31. c.7. IV.1,9. ext.I VIII. 1. 1. damn. II. 8, 18.

Pleniore formulâ, & τὰ κατὰ μέρος complexâ, ut jam ante dictum est, proposuere hoc Fœdus *Polybius* & *Livius*. Ex quibus repeti atque ἐκ παραλλήλου constitui omnia, insertâ brevi interpretatione, operæ pretium fuerit. *Polybius* ita orditur: Φιλίαν ὑπάρχειν Ἀντιόχῳ καὶ Ῥωμαίοις εἰς ἅπαντα „ τὸν χρόνον ποιοῦντι τὰ κατὰ τὰς συνθήκας. *Livius* reddit: „ *Amicitia Regi Antiocho cum populo Romano his legibus* „ *& conditionibus esto.* In Excerpt. Legat. C.35. lib.38. C.38.

Omnis pactio Fœderis habet se per modum *Conditionis*, quoad capita & leges, hoc sensu: Si ille & iste fœderatorum servat, quæ nunc convenere, erit amicitia & societas. Altero enim non stante promissis, dissoluta intelligitur pactio, nisi exceptio hujus rei causa peculiariter fuerit perscripta. Græca propius ad conditionem significandam accedunt, præsertim apud *Appianum*: ταῦτα Ἀντιόχῳ πράττοντι ἀδόλως δίδομεν εἰρήνην τε καὶ φιλίαν. *Si Antiochus hæc fecerit, pacem ei atque amicitiam sincere damus.* Et putes, ubi petenti datur pax, huic generi loquendi, validius causam & formam dari.

Si quis ex hodiernis moribus curiosus sit, & requirat; cur *Antiochus* præponatur, *Romanorum* nomen secundo loco exprimatur: illum non sinemus suspicari, in honorem *nominis Regii* hoc factum. Alia enim Romanis mens &

oratio: præsertim victoribus. Vel enim in promiscuis & fortuitis ista habebantur (quando in utrumque exempla suppeditant) vel ipsum genus fœderis, & formulæ huc ducit, ut, quis, quibus legibus in amicitiam receptus sit, significantius notetur.

vide Fœd. Rom. cum Ætolis. Polyb. excerpt. legat. p. 833.

Amicitia, hic *Paci* congruit, cujus natura postulat, ἅπαντα χρόνον sive *perpetuitatem*. Est enim hoc Fœdus, quo arma finiuntur, pax instauratur, quæ nisi perpetua sanciretur, dilatum non finitum bellum intelligeretur. In fœdere Prusiæ & Byzantiorum eodem modo: εἶναι Προυσίᾳ καὶ Βυζαντίοις εἰρήνην καὶ φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. Sed quamvis non adderetur perpetuitatis nota (solet enim prætermitti) ex natura tamen negotii & pactionis subintelligenda esset.

Polyb. lib. 4 p. 318. vide Fœdus Rom. & Carthag. apud Polyb. lib. 3. p. 177

lib. 15. p. 705

Ex conditionibus *Prima* favorem ex æqualitate habet. Ita enim alibi dividit *Polybius* ea, quæ in fœderibus decernuntur, ut *alia* sint τὰ φιλάνθρωπα *benigniora*, *favorabilia*; *alia* τούτοις ἐναντία, *his contraria*; odiosa ac *duriora* scilicet, quæ alteram partem premunt onerantve, citra reciprocationem. *Prima* igitur lex Fœderis nostri ita
„ exprimitur: Μὴ διϊέναι δὲ βασιλέα Ἀντίοχον καὶ τοὺς
„ ὑποτασσομένους διὰ τῆς αὐτῶν χώρας, ἐπὶ Ρωμαίους καὶ τοὺς συμ-
„ μάχους, πολεμίους· Μηδὲ χορηγεῖν αὐτοῖς μηδέν. ὁμοίως δὲ
„ καὶ Ρωμαίους καὶ τοὺς συμμάχους, ἐπ' Ἀντίοχον, καὶ τοὺς
„ ὑπ' ἐκεῖνον ταττομένους. *Livii* hæc est interpretatio: *Ne*
„ *quem exercitum, qui cum populo Romano Sociisq; bellum*
„ *gesturus erit, Rex per fines Regni sui, eorumve, qui*
„ *sub ditione ejus erunt, transire sinito; neu commeatu,*
„ *nec qua alia ope juvato. Idem Romani Sociiq; Antiocho,*
„ *& iis qui sub imperio ejus erunt, præstent.*

Plenum habet illa conditio Juris naturalis favorem, si amici amicorum hostes, neque transitu concesso, neque qua re alia suppeditata juvent. Idque reciproco officio. Nam illa θεωρητικώτερα in practicis persequi, nihil attinet: quàm periculosa hæc obligatio sit, quid enim? Si aliquis justissimam adversus fœderatum mihi, bellandi causam habeat,

beat, & à me transitum idonea cautione petat, an ei negem, id est, justa negando, & ipsius arma & fortunam in me provocem ac irritem? quippe hac disputatione in medium admissa, neque unquam ad liquidum perducenda, quæ fœdera firma aut certa erunt? Estque pars responsionis in *Temperamentis* hujus conditionis naturalibus & perpetuis *à Facultate & Voluntate.* Transitum enim prohibendi etiam volentibus non semper *facultas* adest: vel, quod improviso & furtim transiit hostis; vel quod tali loco transiit, ubi arcendi nulla præsidia, aut opportunitates; vel quia eo impetu transitum rapuit, cui resistere, id fuisset caput ruinæ subdere. De *ope quacunque hosti non præstanda*, non raro dubitatur. Quid si enim, Antiochi (ut in exemplo maneamus) cives, nullo ipsius jussu aut consilio, hosti Romanorum aliqua subministraverint, an pax rupta censebitur? Ita videatur: quia in fœdere dictum est, non modo de Antiocho, sed de *subjectis* quoque Antiocho. Sed intellige subjectos, quatenus *in potestate sunt* aut *ante factum*, aut *post factum*. *Ante factum* non videntur in potestate esse, qui aliquid inscio & inconsulto Principe faciunt. Prohibere enim quî potest, qui nescit? Post factum, *notitia & silentium* culpæ partem derivat demum in Principem. Et, si animadvertit in delinquentes, non censebitur pax rupta. Humanius quoque est, minutiora non urgere importunius. Posset fieri; ut quidam Antiocho subjecti, Romanorum hosti cibaria, aut vestimenta venderent, non illius consilia & facta bellica adjuturi; sed suas necessitates domesticas & inopiam quæstus sublevaturi. Alia fiet æstimatio, si loco hostili, penuriâ mox in Romanorum manus venturo, commeatus intulerint, deditionemque impediverint. Ab Romanorum parte, non ὑποτατθομένυς sed συμμάχυς, *socios* nominari videmus. Quamvis autem *sociorum* vocabulo, Romani etiam inæquali fœdere constrictos, aliquando & plena parendi lege subjectos, significare soleant: hic tamen satis apparet, si conferantur reliqua de sociis in Fœdere posita,

Socio-

Sociorum fœdere æquali aut inæquali junctorum caussam communicari cum Romanis; subjectis penitus locis, postea diserte expressis.

Unde sociis mox cavetur *lege secunda Fœderis*, in istis: Μὴ πολεμῆσαι δὲ Ἀντίοχον τοῖς ἐπὶ ταῖς νήσοις, μηδὲ τοῖς κατὰ τὴν Εὐρώπην. *Livius: Belli gerendi jus Antiocho ne esto, cum iis, qui Insulas colunt, neve in Europam transeundi.* Romani ista sui juris fecerant partim, partim societate

2, 8, 7. complexi erant. *Europa*, inquit *Florus*, *jam dubio procul jure ad Romanos pertinebat. hic Lysimachiam Urbem, in littore Thracio positam à majoribus suis, Antiochus ut hereditario jure reposcebat. hoc velut sidere, Asiatici belli mota tempestas.* Mox, cum ex Asia movisset, *occupavit statim insulas, Græciaq; littora.* Addatur *Livius lib.* 35. Hæc Romani armis recepta, in posterum ab Antiochi infestatione muniunt. In quo nihil iniqui apparet.

Tertia Lex Fœderis: ἐκχωρείτω δὲ πόλεων καὶ χώ-
„ ρας * μὴ ἐξαγαγέτω μηδὲν πλὴν τῶν ὅπλων ὧν φέρουσιν οἱ στρα-
„ τιῶται· εἰ δὲ τι τυγχάνουσιν ἀπενηνεγμένοι, καθιστάτωσαν
„ πάλιν εἰς τὰς αὐτὰς πόλεις. μηδ' ὑποδεχέσθωσαν τῶν ἐκ τῆς
„ Εὐμένους τοῦ βασιλέως, μήτε στρατιώτας, μήτ' ἄλλον μηδένα.
„ Εἰ δέ τινες, ἐξ ὧν ἀπολαμβάνουσιν οἱ Ῥωμαῖοι πόλεων, μετὰ
„ δυνάμεως εἰσὶν Ἀντιόχου, τούτους εἰς Ἀπάμειαν ἀποκαταστη-
„ σάτωσαν. Τοῖς δὲ Ῥωμαίοις καὶ τοῖς συμμάχοις τινὲς εἶεν * ἐκ
„ τῆς Ἀντιόχου βασιλείας * εἶναι τὴν ἐξουσίαν καὶ μένειν εἰ βού-
„ λονται καὶ ἀποτρέχειν. Quæ ab initio desunt in Græca
„ *Fulvii Ursini*, & *Casauboni* editione, cum ceteris hia-
„ tibus, explet *Liviana* metaphrasis: *Excedito Urbibus,*
„ *agris, vicis, castellis, cis Taurum montem, atque ad*
„ *Tanaim amnem, & à valle Tauri, usque ad juga qua in*
„ *Lycaoniam vergit. Ne qua præter arma efferto ex iis*
„ *oppidis, agris, castellisq;, quibus excedat. si qua extulit;*
„ *quæ, quoque oportebit, restituito. Ne militem, neu quem*
„ *alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum Ur-*
„ *bium Cives, quæ regno abscedunt, cum Rege Antiocho,*
„ *intraque fines ejus regni sunt, Apameam omnes ante diem*

certam

„ *certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos*
„ *sociosq; sunt, iis jus abeundi manendiq; esto.* Potuissent forte dividi, quæ conjunximus, ut sub uno conspectu esset, quibus locis, qua conditione, quoad arma & homines, excedendum Antiocho fuerit. Duriores conditiones hinc incipiunt: & amissis bello, quæ nuper bello acquisiverat, etiam parte imperii pristini exuitur Antiochus. Quod in summam ita defendit *Albericus Gentilis: Non ei lex ante dicta talionis, abstineret alieno, si possidere suum vellet? Non hæc est æquissima lex, ut qui concupierit & corripuerit de alieno multum, iste multum de suo perderet? Polybij* altius incedit philosophia, & ostendit, *Fortunam ab Antiocho impietatis, crudelitatis, avaritiæ, spectabiles & publicè exemplo futuras pœnas exegisse. Armorum* generali vocabulo *Livius* utitur: *Polybius* definit, *arma quæ milites ferre solent*; Ut cetera, quæ ad apparatum belli spectant, & armorum notione venire poterant, relinquenda in oppidis, agris, castellis intelligerentur.

de Arm. Rom. 2. c. 9. pag. 211.

Histor. lib. 16. p. 708.

De civibus absentibus non est mutuum, quod statuitur. Ad Romanos enim Sociosq; ex necessitate redeunt qui aberant: ad Antiochum, non nisi liberâ sponte.

Sicut & illud in favorem Eumenis præsentis & suas utilitates non negligentis, interjectum est: ne Antiocho fas esset, vel militem, vel quem alium ex Eumenis regno, non dicam conducere, aut pellicere, sed ne transire quidem & civitatem mutare volentem, recipere. Ita enim, ex comparatione ejus, quod postea, de Romanis sociisque aliis, sequitur, capiendum est. In *Fœdere Ætolico* apud
„ *Livium* legas: *Quæ urbes, qui homines Ætolorum ju-* *lib. 38. c. 11.*
„ *ris aliquando fuerunt; qui eorum L. Quintio, Cn. Do-*
„ *mitio consulibus, postve eos consules armis subacti, aut*
„ *voluntate in ditionem populi Romani venerunt, ne quem*
„ *eorum Ætoli recepisse velint.*

„ Quarta lege fœderis servi & captivi restitui juben-
„ tur: τὺς δὲ δύλυς ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων ἀποδότω
„ Ἀντίοχος, καὶ οἱ ὑπ' αὐτὸν ταττόμενοι, καὶ τὺς αὐτομολή-

 σαντας,

„ σαύτας, καὶ ὅντινα αἰχμάλωτον πόθεν εἰλήφασιν. *Livius* red-
„ dit: *Servos, seu fugitivos, seu bello captos, seu qui li-*
„ *ber captus, aut transfuga erit, reddito Romanis sociisq;.*
Reddi jubentur ab Antiocho & subjectis, vel sponte ad ipsum transgressi, vel bello capti liberi servique. Neque hîc idem ex parte Romana, Antiocho promittitur, nisi quod, qui apud Romanos sociosque erant, ex regno Antiochi, inviti non tenebantur, ut ante dictum est. quamquam an ad bello captos produci illa conditio possit, aliquid dubitationis datur.

Sociorum commoda Romanis curæ erant in fœderibus: ea enim amicitiæ fide gloriabantur, decusque nomini Romano, & firmamentum ex benevolentia sociorum, parare instituerant.

Disciplinæ autem intererat, *servis fugitivis*, & reliquis *transfugis* non impune esse suam fugam. Igitur inter solennes conditiones pacis & fœderum, non omittebatur ista res. Unde in Formula Pacis cum Carthaginensibus tertio bello Punico faciendæ, continetur, & producitur illa pactio ad longius tempus, & jubentur Carthaginenses δραπέτας ἀποδοῦναι ἐκ παντὸς τοῦ χρόνου, *fugitivos reddere, sine ulla temporis præscriptione*, ut *Casaubonus* reddit. Et in legibus Ætolis datis, additur, *ut, qui non comparebunt, quando quisq; eorum primum inventus fuerit, reddatur.*

apud Polyb. lib. 15. p. 705

Polyb. Exc. Leg. p. 832. & Liv. 38. 11.

In *captis* similis diligentia animadvertitur: sed huc favor rei vocat: itaque hi ad libertatem & pristinas partes, illi ad pœnam repetuntur.

Sequitur in *Polybio*, *quinta* conditio de Annibale &
„ aliis tradendis: Ἀποδότω δὲ Ἀντίοχος, ἐὰν ᾖ δυνατὸν,
„ Ἀννίβαν Ἀμίλκου Καρχηδόνιον, καὶ Μνασίλοχον
„ Ἀκαρνᾶνα, καὶ Θόαντα Αἰτωλὸν, Εὐβουλίδαν καὶ Φίλωνα Χαλ-
„ κιδεῖς, καὶ τῶν Αἰτωλῶν ὅσοι κοινὰς εἰλήφασιν ἀρχάς.
„ *Reddito Antiochus, si in ejus potestate fuerit, & Han-*
„ *nibalem Hamilcaris filium, & Mnasilochum Acarnanem,*
„ *& Thoantem Ætolum, Eubulidam & Philonem Chal-*

cidens-

„ *cidenses, & quicunque Ætolorum suam rempublicam*
„ *administrassint.* *Livius* non in serie Formulæ, sed post
„ cetera omnia ponit: *De Annibale Poeno, & Mnasimacho Acarnane, & Chalcidensibus Eubulida & Philone*
„ *dedendis, in hoc quoque fœdere ascriptum est.*

Nisi necessitas excusaret Antiochum in fœdere parum æquali, non poterat decore deditionem Annibalis promittere. Hannibal enim præclare de Antiocho meritus erat: quamquam, si absque tali merito esset, supplicem & confugii causa receptum inimicis dedere, parum regium foret: nisi fœdere aliquo prægresso præsertim mutua lege, aliquid ejuscemodi convenisset. Qua de re *Grotio* annotata videre licet. Romanos ipsos non valde decuit tam assiduus ab Annibale timor; tam pervicax ejus persequendi & expostulandi à receptatoribus acerbitas. Sed nunc quidem, gnarus Romani odii consiliique, satis sibi prospexit Annibal. Nam *Antiocho victo, verens ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem*, mature Cretam, & inde ad Prusiam profugit. ut *Cornelius Nepos* refert. In Græco verba fœderis valida sunt de dedendo Hannibale: ἐὰν ᾖ δυνατὸν Ἀντιόχῳ, *si possibile id esset Antiocho.* Videtur enim Antiocho necessitas imponi, operam dandi, ut Hannibal veniat in potestatem, etiamsi jam *non sit in potestate Antiochi.* Sed æquius est, ut de præsenti facultate verba accipiantur, neque ultra Antiochus obligetur.

I.B.2, 21, 5. & in Annot.

Hannib. 9. & 10.

De *dedendis belli concitoribus aliis & pacis turbatoribus*, non rara est in pactionibus mentio. scilicet, ubi altera pars petit, altera pro arbitrio dat pacem. Nam de cetero civitas sui arbitrii mavult esse hoc negotium, seu punire, seu reconciliare sibi & paciscentibus velit. præsertim ubi studio juvandæ patriæ ducti, à via aberrasse videntur.

Sexta conditio ad *Elephantos* pertinet. *Polybius:* Καὶ τοὺς ἐλέφαντας τοὺς ἐν Ἀπαμείᾳ πάντας (subaudi ἀποδότω) καὶ μηκέτι ἄλλους ἐχέτω. *Livius: Elephantos tradito omnes,*

neq; alios parato. Elephantorum in militia usus olim celebris; nec Romanis non formidatus. nam *fortuitus eorum impetus atque intolerabilis vis, signa sequi & servare ordines (in quo plurimum spei ponebant) Romanos prohibere* videbatur: ut verbis *Livii* dicamus. Unde & in le-
lib. 30, 35. gibus Pacis, qua Carthaginense bellum Tertium finitum est, postularunt Romani: *Elephantos traderent, quos haberent domitos, neq; domarent alios.* subtractis belli instrumentis, quàm infirmissimos volebant esse victos.

Quo & *Septima conditio* spectat, de *navibus bellicis tradendis.* Apud *Polybium*: Ἀποδότω δὲ καὶ τὰς ναῦς
„ τὰς μακρὰς, καὶ τὰ ἐκ τούτων ἄρμενα καὶ τὰ σκεύη, καὶ
„ μηκέτι ἐχέτω πλὴν, ι καταφράκτων. μὴ δὲ τριακοντήρωτον
„ ἐχέτω ἐλαυνόμενον. μηδ' αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ αὐτὸς κα-
„ τάρχῃ. μηδὲ πλείτωσαν ἐπὶ τάδε τοῦ καλυκάδνου ἀκρωτηρίου, εἰ
„ μὴ φόρους, ἢ πρέσβεις, ἢ ὁμήρους ἄγοιεν. *Livius* reddit:
„ *Tradito & naves longas armamentaq; earum: neve plu-*
„ *res quam decem naves actuarias (nulla plusquam tri-*
„ *ginta remis agatur) habeto: neve monerem ex belli*
„ *causa, quod ipse illaturus erit. Neve navigato citra*
„ *Calycadnum, neve Sarpedonem, promontoria: extra quàm*
„ *si qua navis pecuniam, stipendium, aut legatos aut ob-*
„ *sides portabit.* Discrepare *Livii* verba à *Polybio*, in aperto est. quomodo ad concordiam reduci debeant, explicando emendandoque, disquisiverunt eruditi. E quibus *Gronoviana* facile prætuleris aliis. Vide & Cl. *Schefferum*
pag. 82. *de Re Navali lib. 2. c. 2.* Hic locus non patitur longam dubitationem, ut de singulis sententiarum momentis, & *Appiani* παραλληλισμῷ agamus.

Pertinet conditio ista ad jus belli diminuendum. maritimis locis imperanti, apparatum navium bellicarum adimere, est nihil aliud quàm volucri alas incidere. hîc amplius etiam navigatio, quæ bellica videri queat, in arctum redigitur: quando naves illæ Antiocho relictæ, promontoria nominata excedere aut citeriora Romanis adire vetantur. Et sub hoc prætextu periculi bellici, etiam negotia-

gotiatio ac mercatura maritima interdicitur; in exceptis scilicet causis non expressa. Inter conditiones Pacis Carthaginensibus dictas, etiam legas: *Naves rostratas, præter decem triremes traderent.* ap. Liv. 30, 37.

Temperamenti modici instar habet, quod bellum *inferendum* ab *illato* distinguitur. Nam & *numerus* & *genus navium* apud *Polybium* & *Livium*, ad bellum restringitur, *quod Antiochus illaturus esset.* *Appianus* insuper addit: si bellum illatum propulsandum sit, pluribus etiam uti licere. *Octava conditio* sequitur: Μὴ ἐξέστω δὲ Ἀντιόχῳ, μηδὲ ξενολογεῖν ἐκ τῆς ὑπὸ ῥωμαίοις ταττομένης. μηδ' ὑποδέχεσθαι τοὺς φεύγοντας. *Polybium* ita expressit *Livius*: *Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi jus ne esto. ne voluntarios quidem recipiendi.* Omnia, quæ ad bellum pertinent, redduntur Antiocho intractabilia. Et Romani, militiæ magistri, nolunt suæ ditionis hominibus, licentiam alteri militandi, indulgere, aut delectum militum aliunde quàm à suo arbitrio pendere. Germanicæ nationi peculiare jus satis vetustum militiam externam permittit. Sed delectus militum ab externo in Imperio faciendus, sine venia, & cautionibus institui nequit, secundum formulas legibus publicis descriptas. R. A. Reigensp 1576. § 38. &c.

De *voluntariis* non recipiendis, dubitet aliquis. ita *Livius* reddidit τοὺς φεύγοντας. *Transfugas* enim in bello, non intelligi, superiora docent, ubi de transfugis abunde cautum est. *Casaubonus*, *exules*, transtulit. Cogitatio non improbabilis. Sed Liviana interpretatio non discedit à materia; delectus militum hîc spectabatur. Illi vel conducuntur, missis conductoribus: vel sponte veniunt in alienam terram, & suam operam offerunt. utroque genere Antiocho interdicitur.

Nona lege Fœderis Rhodiis consulitur, quorum magni fuit hoc bello opera. *Polybius* ita: „ ὅσας δὲ οἰκίας „ ῥοδίων, ἢ τῶν συμμάχων ἦσαν ἐν τῇ ὑπὸ βασιλέα Ἀντίοχον „ ταττομένῃ, ταύτας εἶναι ῥοδίων, ὡς καὶ πρὸ τοῦ * τὸν πό-

„ λεμον * ἐξήνεγκαν. καὶ εἴτι χρῆμα ὀφείλετ' αὐτοῖς, ὁμοίως
„ ἔςαι πεάξιμον. καὶ εἴτι ἀπελήφθη ἀπ᾽ αὐτῶν, ἀναζητηθὲν
„ ἀποδοθήτω. ἀτελῆ δὲ ὁμοίως καὶ πρὸ τῦ πολέμυ, τὰ πρὸς
„ τὺς ῥοδίυς ὑπαρχέτω. *Livius: Rhodiorum sociorumve*
„ *qua ædes ædificiaq; intra fines regni Antiochi sunt, quo*
„ *jure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorumve sun-*
„ *to. si qua pecunia debentur, earum exactio esto. Si quid*
„ *ablatum est, id conquirendi, cognoscendi repetendiq; jus i-*
„ *tem esto.* Omittit *Livius*, quæ de *immunitate Rhodio-*
„ *rum* Polybius addit.

Quamquam hæc quoque insignis est ad restitutionem rerum bello turbatarum complendam: quæ in hac pactione spectatur. οἰκίας plenius, & producto sensu, *Ædes ædificiaq;* interpretatus est. Nec fixa tantum sed & moventia, Rhodiis sociisque restitui jubentur. Tum pecuniæ creditæ, quæ non habentur pro bello quæsitis, nisi pactione ita conventum fuerit. Rerum enim creditarum solutio juris est naturalis, quod non extinguitur, aut remittitur bello, nisi disertis verbis id exprimatur. Ceterum ut Rhodiis hic consulitur, ita in fœdere cum Carthaginensibus Masanissæ cavetur apud *Polybium: Quas domos, a-*
lib. 15. Hist. p. 705. *gros, urbes, aut quodcunq; aliud tenerent* (Carthaginenses) *quod Masanissæ fuerit, aut majorum ejus, intra fines ipsis demonstrandos, omnia Masanissæ redderent.* In Pace Byzantiorum cum Prusia, redduntur Byzantiis, etiam *materia, marmora, lateres, tegulaq; è loco sacro capta*; tum *qua-*
Polyb. lib. 4 pag. 318. *cunq; Bithynorum nonnulli haberent è Mysiaco Byzantiorum agro rapta.*

Decima Fœderis conditio ad recipiendas urbes ab Antiocho aliis traditas pertinet. Εἰ δέ τινες τ̃ πόλεων,
„ ἃς ἀποδῦναι δεῖ Ἀντίοχον, ἑτέροις δέδωκεν Ἀντίοχος, ἐξαγέτω
„ καὶ ἐκ τύτων τὰς φρυρὰς, καὶ τὺς ἄνδρας. ἐὰν δέ τινες
„ ὕςερον ἀποςρέχειν βύλονται, μὴ προσδέχεσθαι. *Polybium Li-*
„ *vius* priore membro ita μεταφράζει. *Si quas urbes, quas*
„ *tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis*
„ *præsidia deducito, utiq; recte tradantur, curato.* posterius

rius

rius membrum omittit. Et videtur ſane jam ante ſatis cautum de hac re; quando Antiocho ademta indicatur omnis poteſtas recipiendi ſingulos Romanorum ſociorumque cives, nedum totas urbes. In Ætolico fœdere eadem conditio ineſt apud *Polybium & Livium*, ut ante notavimus. *Excerpt. Legat. 28. p. 833. Lib. 38. c. 11.*

Undecima lege, *pecunia* mulctatur *Antiochus*. Solet id fieri in bello, vel *ad ſimilitudinem pœnæ*, vel *reparandi damni titulo*. Æſtimatio utrobique non in infinitum patet: ſed temperamento juris bellici, quæ eſt æquitas quædam militaris, regenda eſt. Ex utroque conſiderandi modo, hodie *Satisfactionem*, voci antiquæ novam ſignificationem tribuentes, appellitant. Quamvis autem *pœnæ* ſimilitudo non habeat locum, niſi in eo, qui injuſtum bellum geſſit; idque non ſemper ad liquidum perduci poſſit: tamen victores, ſi poſſunt oſtendere, victos bellum ultro ſumſiſſe, neque monitos deſiſtere voluiſſe; in tantum juſtitiam cauſæ penes ſe verſari, & tanquam iniquos merito plecti adverſarios, nil dubitant aſſerere. Quod ſi tamen offenſa & laceſſita pars ſuccumberet, pars offendens, victos eodem crimine inſimularet. Juris nomina nimirum ſuperior ſibi vindicat. Sed hæc facti ſunt. *Reparatio* damni faciliores habet explicatus. Nam, & qui læſus eſt, ſi noluit accipere à lædente repenſationem damni, injuſtam habere cauſam incipit, & damni dati poſtulari poteſt. Sed adferenda ſunt verba hujus conditionis, ex *Polybio*;
„ ἀργυρίου δὲ δότω Ἀντίοχος Ἀττικοῦ ῥωμαίοις ἀρίστου τάλαντα
„ μύρια δισχίλια ἐν ἔτεσιν ιβ. διδοὺς καθ' ἕκαστον ἔτος χίλια.
„ μὴ ἔλαττον δ' ἑλκέτω τὸ τάλαντον λιτρῶν ῥωμαϊκῶν π' καὶ
„ τοῦ σίτου φ' καὶ μ' ἐυμένει τάλαντα ΤΝΘ' ἐν ἔτεσι τοῖς
„ πρώτοις ε' κατὰ τὸ ἔτος τῷ ἐπιβαλλομένῳ καιρῷ καὶ τοῖς
„ ῥωμαίοις. ἀποδότω καὶ τοῦ σίτου, καθὼς ἐτίμησεν ὁ βασιλεὺς
„ Ἀντίοχος τάλαντα ρκζ' καὶ δραχμὰς χιλίας σ' ὀκτὼ,
„ ἃς συνεχώρησεν ἐυμένης λαβεῖν χάριν ἐυαρεστουμένην ἑαυτῷ.
„ *Livio* redduntur: *Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos penſionibus æquis.*
„ *Talen-*

,, *Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus*
,, *pendat, & tritici quingenta millia modiûm. Eumeni re-*
,, *gi talenta trecenta quinquaginta intra quinquennium da-*
,, *to: & pro frumento, quod æstimatione fiat, talenta*
,, *centum viginti septem.* Discrepant à fonte, Latina:
quod *ibi* 359. talenta Eumeni, *hic* 350. rotundiore numero
destinantur: & in frumento æstimato, omittuntur drach-
mæ 1208. tum quæ de donatione Eumeni facta à Romanis,
& acceptatione signantius ibi exprimuntur. Nimirum pro
singulari fide & amicitia hoc bello, & alias, præstita, val-
de liberales fuerunt Romani, ut in alios, ita præsertim in
Eumenem; sicut amplius describit eam liberalitatem *Li-*
libr. 38. c. 39 *vius.* Et, ex eo, quod patri ejus debebatur, *reliqua* hæc
summa dicitur *Livio lib. 37. c. 45.*

Talenta hîc non Attica, sed Ægyptia intelligi, quo-
rum in Syria Ægypto vicinâ, usus, legendumque *argenti*
potius *Attici*, quàm *talenta Attica*, quæ sexaginta tantum
minis seu libris constabant, cum hic octoginta libris de-
de sestertiis finiantur, contra *Prisciani* explicationem, ostendit doctis-
libr. 3. c. 3. & 4. simus *Gronovius.* Firmatur sententia lege Fœderis Æto-
lici, ubi argenti μὴ χείρονος ἀττικοῦ, *quod Attico deterius*
Polyb. Excerpt. Legat. p. 833. *non est*, summa exigitur, apud *Polybium.* Diligenter e-
nim in his pactionibus & genus metalli, & pondus ac va-
lor (ut si *pro argento aurum* dare mallent Ætoli, *pro de-*
cem argenti minis, unam auri minam penderent) & locus
solutionis, ac periculum translationis (e.gr. ut *Ætoli Ro-*
mam quo deferretur tuto pecunia, ipsi providerent) expri-
mebantur. Nam de causa exactionis ante dictum est. In
pace Pharnacis cum Eumene, convenit: ut Pharnaces Eu-
Polyb. Exc. Legat. 59. p. 881. meni 300. talenta penderet *pro belli impensis*, τῆς εἰς πό-
λεμον δαπάνης. Mithridates autem Armeniæ præfectus jus-
sus est solvere 300. talenta, *quia bellum cum Ariarathe ges-*
Ibid. *sisset, contra fœdus quod cum Eumene habuit.* In nostro
exemplo, statim ab initio consultationis de pace petenti
Antiocho concedenda, *Romani impensam, quæ in bellum*
facta esset omnem, præstare regem æquum censebant, apud
Livium.

Livium. Temperamentum huic conditioni additum apud *lib.36. c.35*
„ Polybium : *ἐὰν δέ τι διαφωνήσῃ τῶν ἀποδιδομένων χρημά-* *& 45.*
„ *των, τῷ ἑχομένῳ ἔτει ἀποδότωσαν. In ſingulorum anno-*
„ *rum penſionibus, ſi quid à pactis diſcrepaverit, anno pro-*
„ *ximo pendito.*

Duodecima lex Pacis Antiocho datæ ad *Obſides* pertinet. Vincula pactionum, in rebus pignora; in perſonis, obſides ſunt. De his *Polybius* ita : *ὁμήρους δὲ διδότω Ἀν-*
„ *τίοχος, δι' ἐτῶν τριῶν ἄλλους ἀνταποστέλλων, μὴ νεωτέρους*
„ *ἐτῶν ιη' μηδὲ πρεσβυτέρους μ'.* *Livius* ad verbum, niſi
„ quod numerum addit : *Obſides Romanis viginti dato;*
„ *& triennio, mutato : ne minores octonûm denum anno-*
„ *rum, neu majores. quinum quadragenum.* Explicat conſilium paciſcentium Africanus : *Hæc, cum pepegerimus, facturos vos, ut pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus, ſi obſides viginti noſtro arbitratu dabitis : Sed nuſquam ſatis liquebit nobis, ibi pacem eſſe cum populo Romano, ubi Hannibal erit.* Sed de hujus, & ceterorum belli concitorum deditione ſupra actum. In obſidibus, omnia Romanorum ſecuritati comparata, Antiochum duriore nexu vinciunt : & quod *mutari* jubentur obſides ſingulis trienniis (ita enim plures pacis Romanæ guſtu & dulcedine imbuuntur; pluriumque conſcientia adſtringitur) & quod *Regis filius*, ut ſupra ex Appiano notatum eſt, *non permutatur* alio obſide (quis enim æquaretur?) & quod excluditur ætas, qua facilius & libentius caretur apud populos, expoſcitur valida & florens rebusque gerendis domi foriſque idonea. Adhuc plenius accuratiusque in *fœdere Ætolico*, exprimitur : *obſides dandos arbitratu Romani Conſulis, ne minores duodecim annorum, neu majores quadraginta; quorum nemo ſit prætor, præfectus equitum, ſcriba publicus, neu quis, qui ante obſes fuerit apud Romanos : hos obſides Romam tranſportandos opera & proviſu ipſorum Ætolorum : &, ſi quis diem ſuum obierit, alium obſidem ſubſtituendum.* Apud *Eunapium Sardianum*, Julianus à Chamavis non vult accipere obſides, ſive pro ob-

Liv.37.45.

apud Polyb. & Liv.

in Excerpt. Legat.

 ſidibus

ſidibus retinere, bello captos. *Hos enim*, inquiebat, *bellum ſibi tradidiſſe, quapropter ex fœdere, minime ſumere, ſed eorum, qui tunc temporis apud ipſos eſſent, nobiliores poſtulare, niſi quid doli in pace convenienda excogitarent.* Electio obſidum varias habet cautiones. interdum, qui eligere debent, jurejurando adiguntur ad electionem bonâ fide faciendam. Exemplum habes apud *Radevicum in Mediolanenſi pactione.*

Lib. 1. c. 41.

Decima tertia Pacis conditio permittit Antiocho, defenſionem jure naturali licitam adverſus oppugnantes; qui ex lege ſuperiori impugnari non poterant: reſtricto tamen hujus quoque belli, defenſionis cauſa ſuſcepti, effectu.
„ *ἂν δὲ τινες τῶν πόλεων ἢ τῶν ἐθνῶν, πρὸς ἃ γέγραπται μὴ πο-*
„ *λεμεῖν ἀντίοχον, πρότερον ἐκφέρωσι πόλεμον, ἐξέστω πολε-*
„ *μεῖν ἀντιόχῳ. τῶν δὲ ἐθνῶν καὶ πόλεων τούτων, μὴ ἐχέτω*
„ *τὴν κυρίαν αὐτὸς, μηδ' εἰς φιλίαν προσαγέσθω.* *Livius* ita:
„ *Si qui ſociorum populi Romani ultro bellum inferent An-*
„ *tiocho, vim vi arcendi jus eſto: dum ne quam urbem*
„ *aut belli jure teneat, aut in amicitiam accipiat.* ſupra jus belli in hos adimebatur; nunc exceptio additur; & jus fœderis eidem in eosdem adimitur.

Decima quarta conditio ad futuras controverſias ſpe-
„ ctat. *περὶ δὲ τῶν ἀδικημάτων τῶν πρὸς ἀλλήλους γινομένων,*
„ *εἰς κρίσιν προσκαλείσθωσαν.* Ita *Polybius*, congruente ad pleraſque pacis pactiones ſententiâ, ne ſtatim ad arma proſiliatur, ſi qua pars, pacem violatam queratur. *Livius*
„ optionem dat judicii, & belli: *Controverſias inter ſe*
„ *jure ac judicio diſceptanto, aut, ſi utriſq; placebit, bello.* *Judicium* quod aliud hîc intelligi poteſt, quam *arbitrorum*? *Jus*, de diſceptatione invicem per legatos & literas agitari ſolitâ, rectè acceperis. *Si utriſq; placebit*, uni præcipuè, qui detrectat jus & judicium. alter enim, his deficientibus, ad arma vocantem ſequi cogitur. An dicendum eſt; ſi alter bellum præferat, alter diſceptationem, nullam bello licentiam dari? Præhabenda eſt hæc interpretatio, ex natura rei. Romani hac conditione voluerunt oſtentare

tare

tate fiduciam ſui roboris, animumque bello, & paci paratum; ſi Antiochus, iterum fortunam potius tentare, quam præſenti rerum ſtatu vellet acquieſcere.

Ultimam legem *Polybius* in hæc verba refert: ἐὰν „ δέ τι θέλωσι πρὸς τὰς συνθήκας ἀμφότεροι κοινῷ δόγματι „ προστεθῆναι ἢ ἀφαιρεθῆναι, ἐπ' αὐτῶν ἐξέστω. *Si quid poſtea addi detrahive de communi ſententia placuiſſet, ut id ſalvo fœdere liceat.* *Livius*: *& ſi quid poſtea addi, demi mutarive placuiſſet, ut id ſalvo fœdere fieret.* Ita in fœdere Hannibalis & Legati Philippi Macedonis: ἐὰν δὲ „ δοκῇ ἡμῖν ἀφελεῖν ἢ προσθεῖναι πρὸς τόνδε τὸν ὅρκον, ἀφελοῦ- „ μεν ἢ προσθήσομεν ὡς ἂν ἡμῖν δοκῇ ἀμφοτέροις. Quæ clauſula, ut cœpimus dicere, niſi diverſum quid exprimatur, naturaliter ineſſe omni pactioni pacis videtur. Solet autem diſerte addi interdum, ſingularibus ex cauſis. e.g. ſi in poſterum videbitur utriſque, ex fœdere hoc particulari, univerſale poterit fieri. aut: ſi utriſque aliud, quàm nunc conſtitutum eſt, placebit, addentur & mutabuntur communi ſententia, citra violationem fœderis aut ceſſationem.

Polyb. lib. 7 pag. 505.

Judicium de complemento fœderis & eventu.

FIrmata eſt hæc pactio pacis *jurejurando partium* paciſcentium; tum impletis, quæ ex tempore impleri potuerunt. ſicut *Livius*, & *Polybius* tradunt, ac ſingillatim memorant.

lib. 38. c 39. Excerpt. Legat. 35. & 36.

In uno non poſſunt à dolo malo & cavillatione fœderis excuſari Romani, ſi Q. *Fabius Labeo, cum à rege Antiocho, quem bello ſuperaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes ſecuit, ut eum tota claſſe privaret.* memorante *Valerio Maximo*; & merito reprehendentibus *Alberico Gentile*, & *Hugone Grotio*.

lib. 7. c. 3. ext. 4. de J. B. 2, 4. de J. B. 2. 16, 5.

Quod moderate tulerit ſuam jacturam Antiochus, *& gratias agere populo Romano non diſſimulanter tulerit, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur*, Idem *Valerius* refert *lib. IV. cap.* 1. *fin.* Non pugnavit, ut Alexander: locutus eſt tamen ut Ariſtoteles. ſive in ſpeciem: ſive adverſa eum erudiverant.

Potuiſſet leviore diſciplina defungi, ſi Africano futura vaticinanti auſcultare voluiſſet apud *Livium XXXVII*, 45.

An Romani prudentius facturi fuerint, ſi Antiocho mitiorem pacem dediſſent, dubitari poteſt. Qui affirmare volent, altas magnanimasque rationes ſequantur oportet. Negantibus, proniora omnia: ſi mores, ingeniaque temporum ſpectentur. Sed utilitatis æſtimatio diverſa: vel ex tempore, vel in longius; in ſpeciem, an in ſolidum.

Inter multa imprudenter in hoc bello ab Antiocho facta, vel præcipuum eſt, quod ab Hannibale alienavit animum. Quod ſi tamen eo uſus eſſet familiarius & conſtantius, an propterea victurus Romanos ſive ſuperior bello futurus, credi poteſt? Non dixerim: quantum ad ſummam belli. nam prælio vicit etiam alibi Romanos Hannibal, bello victus eſt. Sed hæc, in transcurſu, & occaſione argumenti non inutilis hodie.

Pacificationum enim hiſtoriam noſſe, ſi non ſummam, partem tamen eximiam facit, in cognoſcendis Rerumpublicarum interioribus ſecretioribusque momentis. Rara imprimis hæc diſciplina. Vel Pacem Germanicam ſpectemus. Legimus, repetimus, adoramus capita & leges: conſilia paciſcentium, momenta deliberationum, molimina diſceptationum, deſideria, artes, ſucceſſus aut impedimenta concurrentium aut intercurrentium partium, plerumque ignorantur.

HISTO-



XL.

HISTORIA,

PRINCIPUM SCHOLA.

I.

MAximarum artium, rectissimique consilii res est, Historiam scribere. Quocirca pauci ab omni ævo sunt reperti, qui cum laude institutum tam nobile tenuerunt. nisi quod Romani & Græci veteres hujus quoque felicitatis apicem attigere. Quorum adversis & eversione aliquandiu sepulta jacuit tota isthæc gloria: præsertim ex quo translato in Orientem imperio Romanorum, publica quædam nubes, rerum gestarum expressiorem memoriam inumbravit. Tulerunt sane secuta tempora scriptores, quorum nec in judicando prudentia, nec in exponendo fides, nec in tractando peritia, cordato lectori posset apparere. Donec renascentibus paulatim litteris, & cultiore sæculo, non infeliciter resumta ea commentatio, aliquorum famam usque ad priscorum præstantiam celebravit.

Historici eximii pauci sunt.

2. Inter hos est *Philippus Cominaeus*, quem Polybio comparavit Lipsius: non sine magna ratione. Uterque enim observatione acutus, judicio solers, prudentia copiosus; &, quod omnibus ceteris laudibus sublimius raro apud alios deprehenditur, probitatis, conscientiæ, reverentiæ erga fatum & fatales eventus, perpetuis notis mixtissimus. Illud quoque commune habent, quod, ubi rei dignitas, cognitionis utilitas, usus & applicationis dexteritas, postulare moram videtur, subsistunt, lectoremque

Inter quos Cominaeus Polybio comparatur.

suum tanquam in re præsenti, cum cura & fide instruunt. Ejusmodi *Digressiones* apud Cominæum plurimas, summa cum voluptate & emolumento, passim videre est. Ut, cum de *Officiorum ac dignitatum nundinationibus*, *ortisq; hinc æmulationibus*, *ambitu*, *dissidiis* : de *bonis malisq; Principis artibus* : de *vitando Potentibus*, *componendarum coram litium ergo*, *congressu* : de *præpotentium in aula ministrorum cautione* : de *perfidia errore & pœna* : de *immissis fato belli calamitatibus* : de *miseriis vitæ principalis* : de *Statu & Imperio Venetorum* : quæque alia opportune immixta sunt, paulo copiosius & diligentius disserit.

Ejus Digressio, de Historia, commendata: 3. Cumprimis memorabilis est, quam libro 2. cap. 6. (in editione Barthiana) sive libri Tertii initio (secundum Sleidani distributionem) inseruit, *Digressio*. Ea ostendit, *quantum prosit viro Principi, & gerendis regendisq; rebus admoto, litterarum, ac præcipue* HISTORIARUM *cognitio*. Quod argumentum, licet apud veteres etiam, sæpe & graviter tractatum reperiatur, fit tamen nescio quo pacto, ut apud nostros hodie homines, præsertim, qui aulas & civilem vitam sectantur, plus auctoritatis, recentiora ejusmodi monita inveniant. *ad tractandum selecta:* Quocirca exercitationis publicæ caussa, deligenda nobis visa hæc materies; utilissima consideratu; disquisitu copiosa; grata, sui auctoris nomine; jucunda, quadam observationis novitate. Totam autem Cominæi orationem, quoniam is in omnium manibus versatur, apponere supersedimus: *rem ipsam per partes ordine expposituri.*

summatim proposita: 4. Ne tamen vel hac in parte aliquid desiderari ad perspicuitatem, & compendiariam intelligendi commoditatem possit, digressionis nobilissimæ sententiam breviter proponemus. Ait ergo: *Nihil æque adversum fortuita & inopinabiles asperosq; rerum casus firmare Principum animos, quam si ab ineunte ætate Historiam cognoverint. Ipso usu exemplisq; se didicisse, hinc potissimum sapientiam rebus gerendis, moderandisq; feliciter consiliis idoneam, copiosissime*

sime & maturrime peti. Tribus circiter mensibus in uno libro historico plus observari ab uno posse, quam à pluribus, ætate sibi invicem succedentibus (viginti nominantur) per experientiam actumq; vitæ, comprehendi queat. Ita instructum principem non hæsurum in ambiguis; non permissurum omnia alieno arbitrio; sed inter consiliarios prudentes & fidos, tanquam prudentiæ arbitrum; infidis vero & imperitis inaccessum ac impenetrabilem scopulum futurum esse.

5. Ut plenius res omnis expediatur, tria faciemus scriptionis nostræ membra. *I. Ad quid & quomodo Principi Historia prosit. II. Quæ illa & quatenus cognoscenda Principi aut seligenda. III. Quomodo disciplina Historiæ, primæ Principis ætati tradenda, & per ceteras firmanda sit.* Sequestrata interim quæstione: *an omnino Principi studia aliquid adjumenti adferant?* cum satis pridem *compertum* & adversum ruditatis fautores ipso usu comprobatum sit, *eruditionem, elegantiam, comitatem, præsertim Principibus necessarias esse: cum sine his natura bona, quasi incomta, aut etiam horrida despectui sint: contraq; ea Persarum regi Cyro æternam gloriam paraverint.* verbis Aurelii Victoris, de Cæsarib. 40, 7. vid. Lips. polit. 1, 10. Plutarch. ad Princ. indoct. Steph. Vinandi Pighii Hercul. Prodic. Conr. Rittershus. Specul. bon. Princ. Sarisber. de nug. Curial. 4, 6. & Politicos, passim. Neque quidquam officiunt, quæ Alberic. Gentilis, de legationib. 3, 9. disserit. *membratim disposita:*

6. Etiam elogia Historiæ universim, nequaquam hic duxi cumulanda. Quæ tot scilicet Veterum Historicorum (plerosque enim id factitasse, Polybius etiam observat, principio lib. 1.) tot recentium præfationibus, tot orationibus, dissertationibus abunde decantata, publicæ notitiæ obvia ubique extant. Nisi quis semel & verbo defungi nos posse existimat, allata Ciceronis commendatione, ex 2. de orat. 9. quæ & Bodino (in præf. method. Histor.) præ ceteris placuit: *Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, &c.* Cujus loci *Ingressus ad tractationem ab utilitate Historiæ in universum.*

loci rotunditatem imitari simul & evolvere voluit Fridericus de Marselaer, in Legati sui l. 1. diss. 24. *Historia est palæstra prudentiæ, stimulus sapientiæ, calcar virtutum, interpres dubiorum, memoria præteritorum, speculum futurorum, præsentium fax & moderatrix, breviarium experientiæ, scientiarum thesaurus, directrix disciplinæ bellicæ & togatæ: breviter compendium artis vivendi. Itaque videar commendasse* (addit) *eruditionem omnem, cum Historiam nominarim. Ejusq; studium habet id peculiare, ut & theoricam & practicam simul conferat.*

CAP. I.

Quo ostenditur, quid Principi & quomodo Historia prosit.

Historia est propria principis lectio.

ITaque ut ad primam partem accedamus propius, *hæc propria & peculiaris lectio ac palæstra Principum: se atq; otium hic exerceant, incredibili suo & alieno fructu*, monente *Lipsio*, not. ad lib. 1. pol. *Propria Principibus lectio*, ob hanc ipsam, de qua diximus, præstantiam, amplitudinem, copiam: *propria*, ob utilitates & institutionem imperantis: *propria*, ob emolumenta imperii & fructus publico destinatos. Complectar, quæ allata sunt, quæque adferri possunt una ratione, in qua ceteræ continentur: *Propria est Principi hæc lectio quia propria est ei prudentia civilis & politica.* Sine peritia gubernandæ navis, nemo meretur nauta dici: sine scientia tractandorum armorum, nemo gladiator. Prorsus ut imperantis nomine solus cum honore & dignitate appellatur, qui prudentia civili probe est ac copiose instructus.

quia civilis Prudentia Principi propria.

quæ tarde per experientiam acquiritur, & imperfecte.

2. At vero, quibus ad prudentiam civilem itur, viæ sunt omnino duæ: 1. *Experientia & actus*; tum 2. *studia*

dia & libri. Ac *Experientiam* quidem, haud dubie fortissimum discendi genus esse ac splendidissimum, omnes intelligunt: nisi quod *natura hominum*, & *necessitatibus regendi imperii*, non usque quaque est accommodata & sufficiens. De *natura hominum*, res clara. cujus enim ætas, licet longissima, varietati rerum civilium ac immensæ multitudini, par erit? Cujus vires, licet excitatissimæ, ferendis tot oneribus commodabuntur, quot perdiscenda sunt ei, qui arduum cuncta regendi onus, in se recepit? cujus observatio ad singula se intendet in rerum strepitu, quæ tranquillitate commentandi vix discernuntur? Dicam quod res est: potissima prudentiæ pars aliquando non potest; aliquando non nisi imperfecte potest per experientiam obtineri. Nam interiores uniuscujusque actus rationes; nec exteriores & obvias tantum circumstantias, quas vocant, sed penitiorem reconditioris naturæ indolem observare ac condiscere, sicut apex & summa laudis, civilisque imitationis & actus anima censetur, ita in solo opere versantibus, serissime, & plerumque nunquam, vere patescit hoc arcanum. Ostendit hoc egregie & large *Casaubonus*, in præfatione Polybiana: ad quam vere traheres Pindari τηλαυγὲς πρόσωπον, nisi ampliori totius operis, & exactæ tractationis elogio, digna esset. *1. resp. natura hum.*

3. Apposite & clare, similitudo spectaculorum & dramatum nobis aperiet, quod dixi. Actitatur tragœdia in theatro: implent sua munia, actitando quidem, qui personas dramatis induere; spectatores intuendo & judicando. Dubitas, uter melius, de repræsentatione & actione fabulæ pronuntiare judicium possit, exercitatus histrio, an peritus spectator? Histrio sane dum suarum partium satagit, de ceteris parum solicitus, proxima in singulis quædam considerat: singula in universis spectatori relinquit; qui, ut soli contemplationi; ita toti, & perfecte, vacat. Utemur propiore exemplo. Committit aliquis prælium ductu, conserit manu, adjuvat subsidio, accendit impetu, restaurat virtute? Ergo partibus interfuit: nam toti pugnæ *& perceptionis.*

 pugnan-

pugnantium nemo interest. Cujus propterea non observatio certior, quam milleformis forma. Ita semper ambiget de totius indole, qui particulis tantum rerum assuevit. Vide nuperum ad *C. Nepot.* comment. Ne de *occasionum raritate* aliquid hic dicam. Intelligenda est ea, non modo *quoad multitudinem cognoscendorum, sed quoad profunditatem cognitionis.* Scilicet is est rerum practicarum genius, ut, cum varietate diffusa, flexibus sinuosa, artibus recondita sint omnia, plus tamen negotii in observando exhibeant, quæ circa rem sunt; quam res ipsa habuit laboris in tractando. *L. Sicinius Dentatus centies & vigesies* (ut habet Valerii Maximi commemoratio 3, 2, 24.) *in aciem descendit*: admirando in ætatis humanæ angustiis exemplo. Verum repetita toties experientiæ prœliaris officina, nondum ad unius rei, id est, prœliorum naturam casusq; perdiscendos suffecerat, nisi profecta è principiis istorum actuum animi commentatio & solertia, in liquidiora agendorum consilia penetrasset. Sic in ceteris qui plurima exercitio actuque complexi videntur, si ad prudentiæ generosam amplitudinem referas, inter elementa substitisse cognoscentur.

& occasionis.

2. resp. necessitatum regendi imperii.

4. Quod si ad necessitates regiminis publici attendimus, amplius patebit, quid imperfectionis experientia, in comparanda civili prudentia, habeat. Princeps ut totus imperii, ita totius imperii est: omnis publicæ actionis curarumque caput & anima. *Ejus ditione nutuq; maria, terra, pax, bella regi debent*: ille *velocissimi sideris more, omnia invisere, omnia audire, & undecunq; invocatus statim, veluti numen*, expedito consilio & accincta ope, *adesse* debet *& assistere.* (*Plin. Paneg.* 4. & 80.) Atqui tam solers, copiosa, habilis provisio, non expectat seram experimentorum disciplinam: dubitesque utrum majus sit periculum, non didicisse ista experiendo ante principatum, aut in principatu & opere arduo, publiceque, prout tractatur, nociturо aut profuturo, prima discendi rudimenta capessere. Cum præsertim multa sint, quæ paucis unove experimento

com-

condiſci cognoſcique prorſum nequeant. Nam *in arena conſilium capere*, non tyronis ſed exercitati gladiatoris eſt. Ex quo ſequitur: aut immaturum principem admovendum imperio; aut maturum, fruſtra admovendum. maturus enim per experientiam rerum tractandarum non citius erit, quam ad res tractandas per ætatem ſit inhabilis. *Dices:* Si, minus peritiæ princeps habeat, aderunt periti conſultores, amici uſu rerum ſpectati: quorum opera facile ſupplebitur, quod in unius peritia deſideratur. *Amplius:* præſtantia naturæ ac ingenii nobilitas ea ſuppeditat; quæ alii ab experientia & ſtudiis expectant. Hæc qualia ſint, noſcetur infra commodius.

5. Nunc enim ad experientiam merito prævertimur. Cui ſuam interim laudem minime denegamus. Quinimo prudentiam, de qua ſermo eſt, non præcedet modo quandoque, ſed comitabitur fido & perpetuo ſatellitio. Dabit multa, etſi non omnia: magna, etſi non maxima. Proprium autem & ſummum operæ pretium, *in perficiendi & tractandi res politicas agilitate, dexteritate, promtitudine* libentes agnoſcimus. Sed & operum conficiendorum artes rationesque non parum lucis habent, cum in re præſenti æſtimantur. Sæpe cavetur diligentius & μεθοδικώτερον ſive compendioſius ac felicius, quod periculum aut damnum cautioni noſtræ ſerio commendavit. Denique, quidam generoſitatis ſpiritus, & fiducia, inter ipſa diſcrimina non hauritur modo, ſed educatur & confovetur. Quæ res tum ſemper alias, tum in bello præcipue, vix dici poteſt, quam ſit neceſſaria & utilis. Fac enim, principi venire neceſſitatem eundi in hoſtem, qui nunquam aciem, nunquam prœlia, aut vulnera viderit: ſc. *trepidabit, feſtinabit, ſumet aliquem ex ceteris monitorem officii ſui: evenietq́; adeo, ut, qui imperare debebat, is ſibi imperatorem alium quærat. Salluſt.* Jugurth. 85. Quali caſu & tempore non inepta ſit plane, experti alicujus Marii confidentia & exprobratio: *Quæ illi audire & legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi, quæ illi litteris, ea ego militando*

Non negantur interim commoda experientiæ.

tando didici. nunc existimate, facta an dicta pluris sint. Ibid.

Cum cautione necessaria & distinctione.

6. Quanquam dissimulandum non est, plerumque *Fiduciam experientiæ, plurimum trahere ex arrogantia: dum jactat partim ea quæ non habet; partim ut majora ostentat, quæ habet.* Hinc cautionis necessitas & distinctionis oritur apud recte judicaturos. qui semper respicere debent, *ad prudentiæ principalis partem principem, quæ in dirigendis, gubernandis, dispensandis, providendis, curaq́, ut sic dicam, universali complectendis rebus cernitur, & veluti animam negotiis ac spiritum infundit.* τὸ ἀρχιτεκτονικὸν καὶ διοικητικὸν καὶ προνοητικὸν τῆς ἡγεμονικῆς φρονήσεως dicerent Græci. Ejus loco & nomine exosculantur plerique experientiæ ostentarores, τὸ δημιουργικὸν, *illa quæ in externo opere & ministerio occupantur. Hæc* ut experientia proprie enitescunt, sic *illa* sublimis & imperatoria prudentia, cujus ingenium postea amplius declarandum erit, firmatur potius aut elicitur quam comparatur. Ex eodem fraudis principio, *homines quodam rerum actu exerciti, per alacritatem, & agendi strenuitatem, elegantiam, & species peritiæ similes,* affectationi prudentiæ student. Cujus ipsa ignoratio, persuasioni viam & securitatem aperit. Quo fit, ut nemo non militia exercitus perfunctusque regendæ statim militiæ scientiam animo præsumat. id quod exemplo *Liviani* Penulæ valde evidens fit: cui stolida persuasione experientiæ res magnas promittenti, non minus stolide creditum est: *tanquam eadem militares & imperatoriæ artes essent. Liv.* 25, 19.

Sed nec in studiis tantum præcepta possunt.

7. Ergo supplebunt *litteræ* & subministrabunt, quod ab experientia frustra expectatur. Verum instructus earundem atque disciplina sicut multis rebus aliis comparatur, firmatur, ornatur: ita duæ potissimum rationes eminent, quibus civilis prudentia creditur obtineri; *Præcepta & exempla.* Quæ proficiendi viæ cum aliis etiam studiorum generibus sint communes, in plerisque tamen haud paulo major præceptis vis inest, quam in doctrina civili.

civili. Hæc nullo modo comprehendi se aut explicari patitur brevibus libellis, aut quantacunque præceptionum mole, aut quantavis differendi subtilitate. Versatur enim proprie hæc prudentia *in iis, quæ artem non habent*, nullisque certis designari limitibus possunt, quod præclare scripsit *Aristoteles* (6.Eth.5.) *neq; generalia tantum*, circa quæ præcepta possunt & solent occupari, *sed singulorum etiam notitiam complectitur* (Id.6, 7.) ad quæ non tam regulis, quam observationis cujusdam propioris inspectione opus est. Variabilis est natura humanarum actionum, abstrusæ rationes consiliorum, subtilis observatio circumstantiarum, difficile judicium factorum, periculosa provisio faciendorum: quæ omnia si tu artis & præceptorum beneficio postules *ex incertis certa facere, id agas ut cum recta ratione insanias.* Non diffitemur sane multa etiam ex his penitioribus, observationum, cautionum, fundamentorum, distinctionum ope ad amplificandam in majores usus præceptionum disciplinam adferri posse (præivitque exemplum Aristoteles in incomparabili Politicorum opere, ubi non tam quid faciendum, sed quomodo, & quando, & quatenus &c. plerumque differit) verum tam multa illa, profecto pauca erunt, cum in rerum ipsarum devenitur penetralia. Ut nihil dicam, de Politicorum commentariis: in quibus nihil magis quam imitatio Aristotelis & hæc ipsa pars desideratur. Quo respectu, non dubitamus affirmare, *impossibile esse, ut solide, aut mature, aut feliciter, aut ad vitam & imperiorum regimen accommodate, inde potissimum civilis prudentia acquiratur.* prorsus interim nihil detrahentes cujusquam bene de hoc studio mereri cupientis industriæ: quam alicubi veneratione, alicubi æstimio, alicubi venia, ubique modestia & æquitate nostra prosequendam semper existimavimus. Est enim omnino hoc studium inter excolenda potius, quam exculta post renatas litteras, referendum. Ut vecordissimi fastus & plerumque ignorantiæ notam arbitrer; statim

ea, quæ minus tibi placent, aut imperfectione aliqua laborant, ad lutum & tenebras damnare.

8. Sapientis est, ni fallor, suum unicuique rei pretium ponere: neque, quia tantum non habet, nullum concedere. Quare præceptis nequaquam suum (de quo alibi) sed præcipuum locum hic negamus. Ut & illis scriptis, *quæ præceptis exemplisq́ constantia*, aliquis mixta, id est, plenissima perfectione excellere arbitretur. Equidem inter ista suspicimus magnopere, Veterum illa prudentiæ monumenta, qualium specimen *Tullius* in Officiis; *Plutarchus*, in præceptis gerendæ reipublicæ; *Seneca* in libris de clementia &c. aliique alibi dedere: quin & infra clarius hæc & talia commendabimus: at vero sicut in judicio de rebus informando possunt plurimum, ita rerum actuumque ipsorum indolem, sine cujus cognitione nihil hic procedit, segnius & obscurius attingunt. Nam quod ad recentiorum *dissertationes* sive *discursus* attinet, quibus Italorum præsertim & Gallorum industria censeri voluit; quis non videt, quam perfunctorie & oblectamenti ritu pleraque gerantur? in quibus haud raro deprehendas specimen & tædium cujusdam otii, & *nescio quid supervacanei, ex inscitia reipublicæ & umbratica illa doctrina, nonnullis nationibus adeo frequenti, ut posteaquam nugarum maximarum veluti delectum egerunt, eas opulenti thesauri titulo, atq́ indice venditare non dubitent*: quod ingenue & cordate fatetur *Julius Bellus*, in præf. digress. Tac. Idem de *Quæstionariis* plerisque licebit arbitrari.

aut commentationes politicæ ac discursus.

9. Veram itaque & solidam prudentiæ institutionem felicius & liberalius *Historia* profitetur: quodque præceptis deest, suggerunt efficaciter *exempla*. Vide quæ in comparationem utrorumque philosophatur *Paschalius* in Virtut. c. 28. Cujus rei veritas paulo altius repetenda est. Ac *primo* quidem omnium, aliquod instar illius prudentiæ, quæ & civilis & principalis & gubernatoria dici mereatur, animo concipiendum videtur & oratione figurandum. Ita scilicet vocamus *incorruptam animi facultatem, soler-*

quantum Historia.

Qua liberalior magistra

Prudentia.

solertia, judicio, consilio rerum in omni vita publice arbitrandarum, dirigendarum, suis temporibus & reipublicæ utilitatibus accommodandarum, tum naturæ felicitate excitatam, tum præsertim meditatis rationibus ad omnia exporrectam, assiduitate exercitam, provisu & opere expeditam. hæc initia rerum & caussas ab omnibus iis dignoscit, quæ ceteros mortales similitudine & vocabulis decipiunt: hæc progressus operum, non casu, ut pleriq; sed ratione quadam singulari; neq; quasi comitaretur aut eminus allaboraret, sed quasi interesset, moderatur: hæc fines rerum sectatur arte, assequitur industria, corrigit promtitudine, lucratur & permutat, invento, obscura perspicit, retrusa protrahit, fugientia moratur, obstantia discutit, implexa explicat, ardua expedit, falsa convincit, insidiosa eludit. ex prædestinato, instructe; ex abrupto, generose agit. ubiq; decoris, ubiq; dignitatis suæ memor, cui virtute efficaciam, virtutis constantia successum impetrat. ubi dignam suo fastigio occasionem nacta est, unam rem mille artibus; mille artes una opera expugnat. cumq; ad omnia se porrigat, nunquam à sceptro, nunquam à se discedit: peregrinis, domestico provisu; novis, consuetudine sapiendi intacta & major. non actionum magnitudine illustrior, quam agendi artibus copiosior: temporum, rerum, casuum non minus potens quam gnara: divinæ provisionis radius, divinarum actionum instrumentum, divinarum virtutum in terris pignus, arcanum, custodia.

10. Faciunt vulgo tres prudentiæ partes: *Memoriam, Intelligentiam, Providentiam*, (*Cic.*2 de invent. 53.) è quibus *illa* ex eventuum copia, ut è thesauro, prudenter tractandi exempla & rationes depromit: *ista* de præsentibus, quæ accurate & penitus perspicit, rectissime & verissime judicat: *hac*, sicut futura ex præteritis & præsentibus callidissime conjicit, ita prospicit de bonis, cavet de malis, vigilat ad incerta. Ubique *natura* aliquid potest: sed rudis est, sine exemplorum & actus institutione: qua proprie prudentia constat præsertim Imperatoria; cui illa omnia

Per omnes partes.

Memoriam enim informat

1. *Exemplorum copia.* mnia quidem, sed eminentiori quodam modo tribuenda sunt. Incipiamus à *memoria*: id est, à *multitudine exemplorum & ubertate*. Quæ tota & propria historiæ laus est: è qua ad prudentiam adferenda. *Prudentia nihil est aliud* (inquit *Casaubon*, in præf. Polyb.) *nisi multarum rerum memoria, & usus complurium negotiorum. ex quo fit perspicuum, quam sint non dicam affines, sed pene idem prudentia atq; Historia. Quid namq; aliud legitime scripta Historia agit, nisi ut res hominum, mores, instituta, gesta memoria commendet? vitam exemplis instruat? &c.* Idque tanta copia, quanta & hic opus est, & ab experientia nemini mortalium potest contingere. Gesserit Princeps aliquis decem, viginti, plura bella: commiserit multa & magna prœlia: nihil hæc ad copiam Historiæ, quæ ab omni ævo, in omni genere eventuum, ex omni parte rerum prudentiam instruit. Prope dixero nullas esse in prudentia civili MEMORIÆ partes, nisi instructissimæ. nam sterilitas aut paucitas exemplorum, hic pro ignorantia habetur, & agendi imperitia.

II. Hoc primum est ergo, in MEMORIA, quod attendimus, *exemplorum copiam*. Secundum bonum in
2. *Similitudine & comparatione.* propiori ad explicationem respectu, SIMILITUDINI & COMPARATIONI debetur: Tertium ORDINI. Sicut cum in gazophylaciis per thesaurorum genera opes disponuntur; similibus in unum locum conductis, loci ipsi sua serie, depromentis & recondentis juvant industriam: ita in magna exemplorum copia, onerosum & inhabile est, quicquid indispositum; disponit autem res quasvis similitudo & dissimilitudo, indeque orta comparatio. Et *copiam* & *similitudinem*, ea, qua nos, mente laudavit *Tacitus* 4. A. 33, 5. cum plurimum conducere ad prudentiam annales suos illo quoque argumento affirmavit, quod *eodem exitu caussa conjuncta* passim essent, *obvia rerum similitudine & satietate*. *Ordinem* quod attinet, conciliant il-
3. *Ordine.* lum. 1. *Temporum epochæ & termini*; 2. *Historiæ prudenti calamo dispensatæ concinnitas.* 3. quo pertinet *separatio*

ratio & distinctio eventuum rerumq; secundum species: quam sicut diligentia lectoris facile invenit, ita scriptorum aliqui, ut materiæ ordinem illustrarent, temporum ordinem sunt egressi. *Facilius enim cujusq; rei in unum contracta species quam divisa temporibus, oculis animisq; inhæret: Vellei.* 1, 14. 4. *Peculiaris illa judicii omnia distinguentis cautio, qua vere similia à specie similitudinis; & in veritate similitudinis, modus assimilationis; & in discretione, ratio, gradus, scopus discernendi, ex æquo attenduntur gubernanturq;.* Ita *similitudo* etiam & *comparatio*, id est, ordinis origo & anima obtinebitur facilius & usurpabitur felicius. Arduum alias hoc opus, & quod veterum nemo diligentius Polybio, ad commoditates vitæ, tanquam iter salebrosum, emunivit.

12. Veniendum nobis est in rem præsentem, ut speciminis alicujus evidentia intelligantur planius, quæ disseruimus. *Sit Principi bellum gerendum cum Hispanis.* Huic proposito tum innumera alia inservient, tum præcipue *indoles gentis, fortuna imperii, consilia regni, & aula*, adeoque *tota*, ut loquuntur, *hypothesis hostium* præcognoscenda erit. Unde hæc cognitio? ex crebro cum Hispanis commercio? ex quorundam actuum experientia? Longe latius patet hoc negotium: atque ut scias quam late, simul etiam fundamentum nostræ assertionis perspicias, *Polybium* auctorem dabo: qui inter initia gravissimi operis sui (lib. 1. c. 12.) præclare monet: *ut intelligatur ingenium gentis; natura, conditio, fortuna imperii alicujus, omnem superiorum temporum seriem alte repetendam: quo possit liquido judicari, undenam singuli populi, & quando & à quibus profecti primordiis, quibus usi consiliis ad præsentem statum pervenerint:* in quo aliter nil recte cerni potest, nullæ gestorum rationes discerni, nullæ gerendorum decerni. Hoc consilio ipse, ut lectores suos, modo veluti actores, modo velut arbitros & adjutores rerum faciat, repetita originum, progressuum, studiorum memoria, judicio rebus tractandis necessario viam sternit. Idcirco per Hispano-

Ostenditur quod dictum est exemplis.

rum monumenta circumferenti industriam & observationem, ante omnia constare debet: *Hispanorum animos, acres illos quidem & ad tractandas pacis belliq; curas non inhabiles, quamprimum à servitute tot retro sæculorum, & humilitate ea quæ servitutem sequitur, se expedivere, ambitionem rebus omnibus prætulisse: modicaq; initia, invitante successu insperato & repentino, ad immanium rerum spem, cum pertinacia propositi in hunc diem inexpugnabili propulisse. Igitur jam à sæculo amplius, bella, paces, fœdera, auxilia, amicitias, affinitates, commercia ad cupiditatem dominationis, tanquam ad fundamentum reipublicæ omnia relata: consilia in futurum callide structa, ac longissime porrecta: quæsitam verborum magnificentiam, quæ ad colorem, iniquis molitionibus; captiosis, ad fraudem; superbis, ad terrorem arcano ministerio inserviret. His rationibus suscipi bella; his suspendi; his differri; non enim finiri, antequam de dominio & servitute convenerit: exclusis pacis & compositionis & concordiæ & vicinitatis pacatæ consiliis, quæ inire bona fide nemo potest, qui de universali gentium dominatu, tam profundæ ambitionis spiritu semel consilia suscepit.* Quanquam illa secretiora sunt: *quod vehementer fallitur, qui cum Hispanis sibi potius, quam cum Jesuitis rem esse opinatur. Ex eorum hominum religioso atheismo suspensæ sunt omnes Hispanicæ artes & arcana: tam fatali miraculo, ut, cum satis constet, plurimos nefariæ dominationis omni ævo magistros, provisores, artifices fuisse, quorum instructissimam vafritie & malitia potentiam nemo poterat ambigere, nihil tamen simile vel scriptum vel pictum usquiam reperiatur, sed ad Lojolitarum instrumenta & machinas collata, in levibus habenda sint, quæcunq; aliquando maxima fuere. Hinc insidiarum & metus plenissima mille arcana alia, quæ sedem quasi & domicilium Hispanorum aulam sibi videntur delegisse.* de quibus alii.

13. Hæc & talia non tam *Thuanus* aliquis (cujus in hoc ulcere creberrimus unguis non est modo, sed esse debuit) quam omnis historia & gesta & consilia Hispanorum,

norum, copiose & accurate nec sine informatione futurorum actuum docebunt. frustra & nimis inepte reclamante *Nebrissensis* illius commento, qui sacris textibus & exemplis per abusum in speciem contendit: *iniquitatem illorum, quibuscum bella fuerint Hispanis, regnum adjuvisse, ut cresceret.* l. 1. de bell. Navar. Scilicet non exemplis suis, sed alienis hæc discenda sunt: neque committendum, ut aliquid eorum ignoremus cum periculo nostro, quæ cum, & ab Hispanis gesta, inter specimina ut detrimenti præsentis, quo ad alios: ita inter profuturæ, quo ad nos, disciplinæ instrumenta, Historia rerum & memoria temporum semel retulit. Quæ & altiori cautione interim Principem, quem diximus, imbuit: atque, ut cum Hispanis sigillatim perspectis prudentius agat, ex universo suæ copiæ apparatu etiam illud in aurem & mentem inspirat, *apud magnas gentes & prepotentes illos Principes id æquius, quod validius, neq; unquam satiari spes dominationis & cupiditatem potentiæ; quæ cum magnitudine imperii adolescit erumpitq;, qua potest.* quod de Romanis quoque non possunt, quin fateantur *Tacitus, Sallustius, Cicero, Florus*, aliique plures. His circa Hispanicam indolem institutaque, è memoria superiore per tot documenta cognitis, cautius nimirum & bellabit cum Hispano, cui bellandi necessitas venerit; & cum extra bellum versabitur, circa, aut prope, imo etiam longe ab eo, non extra periculum & odium se versari credet. à quo interim quisque sibi quanta potest præmunitione caveat: semper memor Magni illius Jacobi Britanniarum Regis, cujus apud *Cambden. in annal. Angl.* prudentissima vox extat: *se non aliud, ab Hispano beneficium expectare, quam quod Ulyßi Polyphemus promiserat: scilicet, ut ceteris devoratis postremus deglutiretur.* Scilicet, nisi fatum obstiterit, & maximis imperiis maxime imminens conversio. Neglectis contra aut ignoratis, tot aliorum casibus, futurum est, ut *non credulitati magis & securitati, quam memoriæ hominum illudat Hispanus*, sicut de eo loquitur Heins. in panegyr. Suec.

 14. *Sit*

14. *Sit fœdus ineundum cum potentiori; cum invalido; cum barbaro. Sit quæstio de variis, & intricatis pactionibus aliis. Veniat in deliberationem omne bellorum negotium: quibus caussis suscipienda; quo instrumento gerenda, trahenda, conficienda, moderanda. Quæ, cui, quomodo induciæ concedendæ. Deniq; actionum omnium pacisq; & belli operum suscipiatur cura Principe digna.* an sine historia poterit fieri? Quam frigent hic & vacillant præcepta atque commentarii? quam fallunt sæpe, quæ solertiæ soli innituntur consilia? Quam autem est ad eventum insigne & efficax: circumire per universam orbis memoriam, ibique tanquam in re præsenti, deligere exempla nostro instituto propinqua & congruentia, considerare exemplorum rationes, meditari imitationis artes, conquisitis ex tanta copia, quæ usquam huc pertinere videbuntur. Hic, ut ad priora redeam, deprehendemus: *fœdus cum potentiore aliquando præpropera spe initum, aut vindicta aliave lubidine, in exitium appetentis*; aliquando, *ex necessitate, in diminutionem*; aliquando, *ex prudentia & cautione & arte, in salutem cessisse: cum barbaro semper infidum; cum invalido gloriosum* alibi, alibi *periculosum*, alibi *necessarium fuisse: Ubiq; autem ingenium gentis, morum conditionem, arcana status, vel perspecta diligenter, viam consilio aperuisse; vel ignorata, occasionem periculo & casibus præbuisse. Sæpe propositum* fidei & constantiæ, pro fortuna fuisse: *calliditatem, vafritiem, pro jactura.* Et sic deinceps. Apprime huc pertinet gravissimus *Polybii* locus, è lib. 5. cap. 75. Parum abfuit quin Selga oppidum proditione intestina, specie induciarum, caperetur: dum milites hostium, familiarius è castris annonæ parandæ gratia in oppidum ventitarent. Hunc casum miratur valde Historicus, simul etiam illud: cum hæc calamitas adeo continue, adeoque evidenter multis inciderit, qui fiat, ut ad hujusmodi fraudes semper rudes & novi existamus. *Caussa autem*, inquit, *hujus rei est, quod priorum casus, à quibus in aliquo est offensum, ut in numerato habeamus & ad manum,*

num, operam non ponimus. sed frumenti quidem & pecuniæ copiam, itemq; murorum telorumq; fabricas, adversus incerta & inopinata casuum, vexatione magna sumtuq; nobis comparamus: rem vero omnium facillimam, omniumq;, ubi aliquid adversi increpuit, utilissimam, hanc omnes suiq; deq; habemus: cum præsertim facile queamus honesto fruentes otio atq; oblectatione animi, ex historia & curiosa diligentiq; rerum ante actarum notitia, hanc nobis peritiam ac prudentiam comparare.

15. De *Memoria* hactenus seorsim, sed ita locuti sumus, ut eam reliquis duabus prudentiæ partibus innectamus potius, quam adimamus. Nam & *Intelligentia* ad judicandum; & *Providentia* ad conjiciendum, opibus *Memoriæ* & ministerio opus habent. Quemadmodum & alias nihil ferme in toto prudentiæ negotio occurrit, quod separatim suam vim exerat: miscentur omnia, & coalescunt, & coalita demum ad effectum valent. Explicationis caussa tantum dividimus, quæ in opere dividi non debere, satis meminimus. Igitur de *Intelligentia* nunc ostendendum est amplius, *nullo magis illam, quam Historia magisterio informari firmariq;*. Quod ut planius fiat, per partes incedemus, cogituri primo, quantum proficiat Historia, *evidentia rerum* & *expositionis plenitudine*: deinde *observationis & applicationis dexteritate facilitateq;*: tertio, *indicij regula & animositate*: quarto, *solertiæ adminiculo & præsidiis.* quinto, *constantiæ & promtitudinis instrumento domestico, familiari, præsenti.* *Intelligentiam erudit Historia.*

16. *Evidentia rerum* & *expositionis plenitudo*, in comparatione præsertim obscuritatis & imperfectionis, quæ in experientia deprehenditur, hic accipienda est. Qui interest rerum actibus, perspicit particulas rerum, ut supra dictum est; & quædam quidem nunc, alia alio tempore & opere, nec in uno negotio denique pleraque, sed aliqua cognoscit. Historia plenissimo theatro, non manifesta modo ostentat, sed latentia aperit: neque in campo pugnas & bella; sed ex angulo bellorum consilia, & *1. Evidentia.*

 utro-

utrobique rationes explicat: non eventus modo, sed caussas; nec caussas solum, sed caussarum ingenia arcanaque suppeditat. *Experientia* rem ostendit; *Historia* rei contextum; *illa*, quæ adsunt; *hac*, quæ insunt, imo vero, quæ subsunt, declarat: *illa*, quæ extant; *hac*, quæ circumstant; *illa*, propinqua; *hac*, remota insuper; *illa*, exteriora; *hac*, intima: *illa*, alicubi; *hac*, ubique: *illa*, aliquando; *hac*, semper demonstrat. Atque hoc est illud, quod intelligit *Livius*, in exordio sui operis, cum *exempli documenta in illustri posita monumento* laudat: id est, efformatione plenissima figurata, & cognitioni penitiori evidentissima expositionis luce, & illustratione prudentis judicii, exposita. Neque aliud in animo habuit *Polybius*, cum ἐναργεστάτην διδάσκαλον, *evidentissima scilicet præsentissimaq; institutionis magistram* vocat Historiam, l. I.

quæ exemplis quodammodo delineatur.

17. Non adferam, exempli caussa *Punicas Romanasq;* acies; *Alexandri* prœlia; *Cyri* expeditiones: in quibus signate lucideque efferendis, & quasi regenerandis, eloquentissimorum Scriptorum industria desudavit. Consideretur ipsa *tota totius belli διχονομία & tractatio vere & evidenter pragmatica*, sicut à *Livio* aliquo, à *Curtio*, *Sallustio*, *Thucydide* &c. cernitur instituta. *Præmittuntur occasiones, prætextus, principia, caussæ*: quas in ipso rerum actu, solus sæpe, qui auspicio rem gerit, aut certe cum paucissimis novit & discernit. plerique etiam post eventum non satis intelligunt aut dijudicant. *eruuntur consilia partim è longinquo & olim provisa, partim in longinquum porrecta, partim in auxilium gerendorum expedita, partim in subita eventuum recondita. explanantur actus, rationes actuum, moræ, fata, successus, errores, cautiones. Quæ fuerit ratio præliorum, agminis, præsidiorum, obsidiorum, operum, machinarum, excursionum, non ut in se modo spectantur, sed ut se habent ad rerum summam, ad rationem belli, ad conditionem imperii, diligenter illustratur. Quid & cur feliciter tentatum; quid & quomodo effectum; quid ex vero aut per artem; quid ex jure aut pro more,*

more; quid bene aut secus tractatum (ipsa etiam fatorum & cœlestis providentia, observatione perpetua adhibita) luculenter modo innuitur, modo expenditur. Quæ totius belli eventum prospera adversaq;, gloriosa aut humilia, fiduciam aut metum habentia consecuta sint: horum nihil reticetur. Id est, hæc tot & tanta, tam ample diffusa, tam profunde abstrusa, deniq; pridem præterita, fiunt hac ratione prorsus præsentia, rursum geruntur, rursum tractantur gubernanturq;. Hic aciem disponimus, cornua, alas, subsidia, ordinamus; excitamus milites, consiliis instruimus & mandatis, imus in Darium, pugnamus cum Alexandro ad Arbella: occurrimus periculis, instauramus prælium, extorquemus pæne jam victori victoriam. sed & sine ulla transfugii infamia, quod militantium nemo potest, *in partibus Darii sumus: videmus eum multa timentem, multa dissimulantem, multa molientem. videmus nec consilia, nec virtutem, nec artes ipsi aut ducibus defuisse: falcatorum curruum damna, Mazæi incursum, Parmenionis pericula, Macedonum toties confusos & afflictos ordines, nihil profuisse Dario ad victoriam, cum stupore observamus: neq; possumus quin post tentata strenue omnia fugientem, merito elogio prosequamur: non enim tam cum hoste, quam cum fortuna bellavit. quæ omni ratione potentior, destinata salubriter* & tractata fortiter *sæpe discutit.* quod alibi Historicus monet. *Curt.* 3, 9. Amplius *intersumus concilio amicorum; cautiora quàm fervida consilia malumus cum Parmenione* (Curt. 4, 13.) *retentamus ardentissimi regis impetum, cum ceteris* (Curt. 9, 6.) *miramur alacritatem accincti, & e vultu ejus spem victoriæ auguramur* (4, 13.) *rimamur curas providentis & comparantis se ad ardua* (3, 8,) *adsumus ubiq;, comitamur, tuemur; sive imperat aliquid, audimus; sive animo agitat, per indicia quædam conjicimus: sive instat fugientibus sive resistentes dejicit, arbitros nos habet & spectatores. successum aliquando laudamus, aliquando non capimus sed stupemus. sæpe interim* animo agitantes illud Curtianum: *Quis neget eximiam quoque*

que gloriam sæpius fortunæ quàm virtutis esse beneficium? (8, 10.)

18. Rei militaris præcepta, & cumprimis opera, artes, morem, disciplinam, descripsere, *Onosander, Vegetius, Ælianus, Æneas, Apollodorus, Leo, Mauritius*, aliique, quorum labores desideramus. Verum ego plus tribuerim Historico (modo is debitam his rebus industriam ad scribendum attulerit) quàm ulli magistro militari. Nam & describit perspicue, quod hi præceptores: & in applicatione rei præsentis ad planiorem intelligentiam deducit lectorem suum, quam ulla scriptio, extra rei gestæ narrationem, potest. Ex *Polybio* sane aliquo, ex *Livio*, ex *Cæsare*, judicanda demum sunt, & interpretanda, quæ in typos alii & figuras retulere. Hinc, quid *Lipsius* in Militia & Poliorceticis; *Stevvechius* ad Vegetium, *Hugo* in Militia equestri &c. elaborarint, an & quomodo ubique assecuti sint, quod studuere, repetendum est. Quanquam satis novimus, hanc partem studiorum neque absolutam à quoquam hactenus, neque ab ullo absolvi facile & consummari posse. nisi quod haud dubie plurimum profecissent, duo illi Heroës litterarii, *Scaliger* & *Casaubonus*, nisi utrumque, antequam destinata efficerent, fatum suum prævenisset.

19. Unum adhuc, è medio belli discrimine, adferam: ut appareat quanta sit in Historiæ instituto evidentia. Quam in rebus, multa sui parte à conspectu remotis, ipsis pæne oculis subjecit, ut semper, ita in *Curionis* infelici exitu, *Julius Cæsar*. (lib. 2. de bell. civ.) *Præsidentia & temeritas*, quæ multis caussa exitii extitit, *præcipitavit hominem*. Sed quibus initiis, caussis, progressibus, casibus? Hæc non dicit, sed ostendit. Obsederat Uticam generosus Juvenis: amplissimaque potiundæ urbis spes undiquaque affulserat, cum subito nuntiatur, Jubam liberandæ urbis ergo adventare. Nulla debet in bello fama contemni: præstat vanos etiam & ineptos rumores non sine cura dimittere, ne verum semel negligamus. Sed Curio-

Curioni prima mali origo ex contemtu nuntii. Reportata nuper victoria, hostis perterritus & intra mœnia compulsus, nuntiatæ præscriptæque ex Hispania in Africam Cæsaris res secundæ, incredibile effecerant, ausurum hoc tempore & rerum statu quenquam lacessere partes victrices. Hoc est quod Cæsar ait: *tantam habebat suarum rerum fiduciam.* Item: *quibus omnibus rebus sublatus, nihil contra se regem nisurum existimabat.* Nihil extollit facilius animos, nihil spem cupidorum inflat magis, quam successus magni & multi, & concurrentes. Periculosa animositas: sed quam ad cautionem & tutiora mox redegit certior de adventu hostium notitia. comparat ergo castra, accersit auxilia, loco & tempore bellaturus, neque rem sub casum daturus. Hic vero rursum suas machinas rumor, sed vanus, admovet: revocatum Jubam finitimo bello, interim Præfectorum quempiam speciem universi venientis exercitus præbuisse. Qui nolebat vera dicenti famæ prudenter credere, temere credit mentienti. illa enim cum metu, hæc cum spe erat conjuncta: ad quam & pugnam omni cogitatione ferebatur Curio. *Multum ad hanc rem probandam adjuvat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendæ*, inquit Cæsar. Hæ faces, hi stimuli propellebant hominem in fatalem pugnam. Sed impulsus illi amplius noscendi sunt, & per incrementa notandi. præmissi equites, prospero tumultu de nocte adorti Numidas, cum successum, & nomen præfecti nuntiassent Curioni, *reliqua, studio itineris conficiendi, quærere prætermittit*, statim victoriam & prædam inclamans ad suos. Illi pridem fortuna suarum rerum inflati, novo instigamento concitant ducem. Quid dicam? militibus partim adhuc alibi morantibus, partim itinere nocturno confectis, omnibus modis impar ad hostem venit. Sed *ne hac quidem res Curionem ab spe morabatur.* simulat hostis fugam: rursum credit Curio; *addita ad superiorem spem præsentis temporis opinione.* prope desperationem jam venerant milites: Curio adhuc tentat &

molitur omnia. frustra. Rogatur, ut fugiat: abnuit cum dedecore commisso sibi exercitui superesse: *itaq; prælians interficitur.* Hæc qui ut oportet, legit, nonne animadvertit, præter ipsos Curionis actus, animum militari promtitudine excitatum, successu fidentem, spe instinctum, spei caussis ex se, ex fortuna partium, ex militibus, ex casu tumentem, audacia in securitatem abreptum, cœcoque jam impetu in adversa & interitum, in quo ipso non cessat virtuti suæ fidere, ruentem. nonne vultum quodammodo cernis, qualis erat cum hosti immineret? nonne ardentes in pugna oculi, & ultura suam mortem dextera se ostentat?

20. Existimet forte aliquis, facilius in rebus bellicis hanc *evidentiam* jactari, quàm in rebus pacis. Neque sane abnuerim, longe difficiliorem esse harum expositionem, quam illarum: quia actus ipse, ut est tranquillior, ita occultioris efficaciæ, & abstrusioris naturæ. quam ob caussam etiam prudentia civilis, militari habetur amplior & profundior. At enim, nequaquam hic deficit Historia, sed egregie suam laudem tuetur. Laudandus est hoc loco, *evidentiæ nomine*, qua minime vulgo censeri solet, *Cornelius Tacitus.* Ille, cum in annalibus suis, non bella & externos casus, sed domestica veluti ac interna tractet, ea dexteritate utitur, ut Senatui e. g. non interesse modo videatur, qui legit, sed observare possit plura, quam si interesset. *quid verbis velatum, fictum, adornatum, implicatum, suspensum; consilio reconditum; gestu adjutum, vultu simulatum; interpretatione deflexum, simulacris mitigatum, vi arcana intensum: quis ex omni curiæ parte affectus, quæ diversitas mentium, quæ inclinatio animorum, quæ artes sententiarum, quæ voluntatum invitamenta, qui fines studiorum: quo decreta tendant, quam facta respiciant metam: quis nexus cohærentium, quæ spes aut minæ consequentium: quæ fraus aut veritas exemplorum, quæ calliditas repertorum:* hæc & talia, ea arte sunt à Tacito prodita, cui neminis scriptionem comparari posse, facile dixerim. singula verba, aliquid momenti pragmatici inferunt:

ferunt: ipsa connexio, non rerum modo, sed dictionis; habet aliquid quo instruat lectorem negotiorum naturis intentum. *Dio* cum ambitu id agit, & in potioribus: sed ad reconditiora, neque is, neque, ad hunc modum, alius quisquam stilum porrigit. *Plutarchus* sententiis & philosophando, in Vitis suis, institutionem lectoris profitetur: *Sallustius* & *Marcellinus*, digressionibus & dictis sententiosis: *Livius* & *Polybius*, grandi illo prudentiæ apparatu, quem interpositis passim judiciis, observationibus, monitis, egressionibus instruxerunt. At vero, qui ad exemplum Taciti, toto dicendi charactere; tota compositionis arte, tanta sensuum copia, intensione, geminatione, insinuatione, rerum gestarum notitiam adjuverit, nominari ex antiquitate nemo potest. Hinc est, quod dixi, Evidentiæ laude illum præstare, neque aliunde rectius peti *intelligentiam rerum, ut sunt, non ut videntur, aut dicuntur, aut adornantur.* Sed opus est viro, & ingenio, & eruditione, ut in ceteris partibus, ita vel in sola dictione, quam rarissimi doctorum, minime autem omnium scioli & vani, quorum mores aversatur natura hujus scriptionis, satis capiunt.

21. Progrediendum est nobis ad cetera: videndumque *quomodo observationis & applicationis dexteritate facilitateq; intelligentiam juvet Historia.* Generatur hæc ex *Evidentia.* Sicut enim illa rem clare proponit: ita hæc clare propositam, plane & plene percipit, & liquide, καθαρῶς, perspicit. Tractavit Aristoteles libro 5. polit. de conversionibus & mutationibus rerum publicarum accurate, ut solet, atque ut in profundioris philosophiæ argumento decebat, subtiliter copioseque. At vero, si probe intelligenda sint, & citra nubem ἀπραγίας, sive otiosæ extra rem præsentem contemplationis, eundum est ad Rerumpublicarum Historiam: noscendumque, *qua potestatis insolentia Romanorum Monarchiam in tyrannidem corruperit; qua tyrannorum injuria tyrannidem efferaverint, quod odium civium everterit: quomodo & cur ad plures inde*

21. Observatione & applicatione.

Quod ostenditur exemplis.

Ccccccc 2 *trans-*

translata potestas : quid mixturam Aristocratica & Democratice potestatis tam diu impediverit : qua optimatum, qua plebis intemperantia, vitium statui dederit : qua libertatis abusio & seditiositas Oligarchian civitatis cervici imposuerit : que certamina ὀλιγαρχικῶν ad unius dominatum omnia reduxerint. &c. Eundum *Athenas* est, ibique Democratiæ fata ex Demagogorum ingenio & concertationibus observanda. In *Achajam* trajiciendum est, ibique notandum *quam periculosus & ad interitum reipublica efficax mixtorum corporum dissensus sit, præsertim ubi dissolutionis semina, intra viscera jam admissa sunt : qualia haberi par est, Potentium insidiosum favorem singulis conciliatum, natas ex studiorum diversitate factiones, victas metu & factione leges, & si qua sunt alia, qua effecere,* ut respubl. optimis melius instituta, pessimis minus esset diuturna.

22. Ita, *qua sint artes, molientium absolutum dominatum*, postquam ex *Aristotele*, collegeris, postquam *Clapmarii* arcana conjunxeris, præsentior erit observatio in prima Taciti pagella, qua breviter quidem, suo more, sed copiose & diserte, sub exemplo Augusti monstrat, quod quærimus. Addent Paraphrasin *Dio* & *Suet.* Imitationis specimen Medicæa historia dabit, Cosmi præsertim, qui Augusto sæpe comparatur. Legimus apud *Arist.* 5. pol. 11. arcanum & prudens monitum : *Si prapotentis alicujus nimis impotenter evecta vires, deprimenda sint atterendaq;, non faciendum istud esse uno impetu, omni potestate semel & simul ablata, sed paulatim ac sensim.* Ἐκ προσαγωγῆς, ut ipse loquitur. Hæc præceptio qualem vim habeat, non intelligitur rectius, quam si apud *Dionem* (l. 58.) legimus, quomodo Tiberius ad Sejanum evertendum paulatim & ita progressus sit, ut diu incertum relinqueret omnibus, amicitia an odio complecteretur virum. Qui & ipse, inter metum & confidentiam medius, in neutram partem audebat aliquid decernere. καὶ γὰρ ἐκολούετο : *diminutio enim jam erat facta de ipsius potentia.* Quidam Libonis apud *Tacit.* 2. A. 27. 28. & 29. casum huc trahunt ; & Asinii Galli,

Galli, apud Dion. (58.) quanquam non tam Aristotelicæ *προσαγωγῆς*, quam dissimulationis, occultati odii, dilatæ vindictæ præbeant exemplum. Ceterum, ne de singulis jam artibus dicam, *tota de rebuspublicis philosophia* non potest exacte, nisi per observationem exemplorum in singulis, tractari. Hoc consilio *Aristoteles* ipse, tum in secundo superstitis Politicæ libro, tum in singulari opere, descriptiones rerumpublicarum instituit. *Heraclides* quoque *Ponticus* & *Nicolaus Damascenus*, quorum fragmenta quædam habemus, hanc viam institerunt. Nostra ætate *Elzevirii*, laudabili consilio, *Rerumpublicarum complurium delineationes*, edidere. Sed *Auctores* earum valde discrepant; industria, judicio, proposito. Multum autem debebitur ei, qui ad scopum civilis prudentiæ, idonea ratione instructuque, *Rerumpublicarum Historiam* contexendam sibi sumserit. Valde enim fallacem habere cognitionem comperi pleraque, quæ in hoc genere passim eduntur: nam & omittuntur sæpe, quæ omitti non debuerunt, nec satis dijudicantur, quæ discretione aut designatione exactiori opus habent.

23. Instituta igitur ad hunc modum *observatione*, in re præsenti (talis enim habetur Historia) applicatio ad ipsos actus, tum facile, ob similitudinem perspectam; tum dextre, ob perfectionem cognitionis, suscipitur. Adgubernante præsertim hoc negotium *judicii regula & animositate*. quæ non minus Historiarum munus est. *Regulam* dico, ut intelligatur *διόρθωσις* & vera rerum tractatio effectioque, quæ judicio conformanda est: *animositate*, expedita, accinctaque & nullibi obhærens sententia intelligitur, sine qua judicium ad gerendas res ineptum conspicitur. Hic enim tanquam in speculo datur contueri *veram rerum indolem*, & demto, quod ajunt, velo arbitrari, quid in unoquoque negotio tale vel tale sit. Qui primum interest consultationi & curiæ, peregrina haud dubie de conditione consiliorum, de sententiis consiliantium, & ceteris censebit: qui sæpe interfuit, minus ab-

3. *Judicii regula & animositate.*

circa discernend. rerum indolem.

ſurde quidem, ſed tamen ita judicabit, ut videatur multa inſuper habere aut ignorare. Denique vix credi poteſt, quanta obſcuritate, res & actiones hominum, judicio moram aut fucum faciant: quantæque commendationis pariter & artis ſit, quod *Thucydides* & *Nepos* Themiſtocli tribuunt: *veriſſime judicare de præſentibus.* Quod elogium paulo fuſius explicat *Comment. Nep.* Judicare ingenium hoſtis (in quo *potiſſimum ad victoriam momentum Polybius* ponit 3, 81.) naturam loci in diſponenda acie (quem *ſæpe amplius prodeſſe quam virtutem*, *Vegetius* monet 3, 26.) occaſionum momenta (quibus *nihil velocius*, innuente *Tacito* 1. H. 83, 5. ut propterea, *non tantum præſentis, ſed vigilantis ſit, occaſionem obſervare properantem*, juxta *Senec.* ep. 22.) & quæ alia res agendas concernunt propius, profecto non eſt alterius, quam qui tot exemplis eruditus, nullibi jam aliena aut falſa poteſt concipere.

24. Obtenditur enim uniuscujusque negotii natura multis involucris & ſimulacris, quæ judicium haud raro fallunt. Utar magnis exemplis: *de Cæſaris potentia, imperiis, actis, nemo ferme ex vero, niſi cum jam ſerum eſſet, judicavit. Juſtiusne Pompejus aut Cæſar arma civilia ſumſerit, plerique ne judicarunt quidem, alii male judicarunt. Prudentiſſimus* Cato, licet non abſolveret plane Pompejum, tamen melius forte de eo ſperavit, quam debebat. Vulgo enim, cui & tribuitur, quam Catone digniorem exiſtimaverim opinionem, *manſuram fuiſſe ſub Pompejo Brutoque Remp.* (apud Tac. 1. H. 50, 4.) rectius judicio ipſius *Taciti*, aliis *occultior Cn. Pompejus, non melior*, dicitur 2. H. 38, 4. Equidem *de cauſſis bellorum*, cumprimis arduum, ſententiam ferre. Oſtendit hoc exemplo eorum, quos circa cauſſas II. belli Punici aliena arbitratio tenuit, *Polybius* 3, 6. ubi & diligenter jubet diſcernere *principia à cauſſis, cauſſas à prætextibus.* Adde *Thucyd.* 1. *Salluſt.* in Orat. Lepid. l. 3. h. fragm. *Sueton.* Jul. 30. *Flor.* 2, 2, 4. *Tac.* 1. A. 10, 1. Jam *regnorum proſpera & adverſa, magnos eventus, converſiones* &c. *ſub multa plerumque nube*

aſpicit,

aſpicit, primum *quidem providentiæ & fatorum ignoratio & neglectio*; deinde, *obviorum potius quam cohærentium aut attinentium conſideratio*; denique, *pertinax humanarum mentium malum, quo rerum caducitate fallaciq; varietate hebetari, atq; à rectiore philoſophia diſtineri ſe patiuntur.* Id ſicut ceteris ſolenne, ita nec doctis & prudentibus ſatis ubique evitatum. Caligat circa adverſa & clades Romanorum, perſpicaciſſimus alias ſcriptor *Tacitus*, non citra Providentiæ injuriam, quam tum quoque vix agnoſcit, cum agnoſcit. Animoſius eſt *Salluſtii* judicium, de calamitatibus, ex calamitatum cauſſis. Generoſus autem ſine exemplo *Polybius*, in ferenda tam de actionum eventibus, quam de actionibus ſententia, rectiſſimo incedit tramite, ut aliquando Chriſtianorum multos, quibus tamen ſolidam judicii magnanimitatem & ſollertiam, ipſa religio commendat ſuppeditatque, pudefacere queat. Si ad minora & quæ ſimpliciorem habent intellectum, perveniendum hic eſſet, cujuslibet moris actusque ſed & hominis, cenſura difficultatem nobis aliquam oſtenderet. Quid inter *popularitatem Fabii* alicujus, quam laudat *Livius* 2, 47. & *Cæſaris*, quam deſcribit, præter alios, *Salluſt.* Catil 54. ſive inter *lenitatem concionatorum, & animum vere popularem* (v. Cic. Catil. 4, 5.) reſpectu ſtatus, civitatum, temporum interſit, damnis ut plurimum ſuis admonitæ ſunt civitates Democraticæ. Imo, cum in *popularitate* noſcenda ſignandaque comitas tantum, ut ſolet, & liberalitas facilitasque attenditur, injuria ſane L. Caſſio, & ſimili ingenio præditis, fiet: Eum enim *ipſa triſtitia & ſeveritate popularem fuiſſe*, *Cicero* judicat in Brut. 25. Tyrannorum ingenia, qui ad unum modum exigunt, nec norunt ſuam ſervitutem plerumque, nec mitigant. Inter diverſa ſcilicet tyrannidis genera, diverſa cautione opus eſt. Cum aliter Cæſar, aliter Tiberius, aliter Caligula, aliter Domitianus, aliter Vitellius, aut obſervandi aut metuendi aut cavendi ſint. *Adeo ubiq; finis judicii non ab ipſis rebus, quæ facta ſunt pendet: verum à cauſſis & voluntatibus eorum,*

rum, qui fecere, & ipsarum rerum differentiis, inquit Polyb. 2, 56.

25. Duo sunt, ad quæ omnes nostras actiones, præsertim in republica dirigere debemus: *Utilitas & Honestas.* Hæc tam notæ familiarisque intelligentiæ vulgo putantur, ut naturæ obvia, disciplina nec indigere videantur. Sed falsam hanc persuasionem esse, vidit & monuit *Tacitus* 4. A. 33, 3: *quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus; utilia ab noxiis discernunt: plures aliorum eventis docentur.* id est: Nisi Historia hoc judicium suppeditaret, plerosque varius in diversa error traheret. Exemplis privata publicaque vita hominum nimium abundat. Horum cupiditas primo temeravit honestatem; mox temeritas, ab utilitate sejunxit, denique improbitas & vafrities extruxere infame simulacrum, quod cum à neutra aliquid participaret, utriusque speciem miris artibus ementiri debebat. *Prudentiam* ab initio; inde, *arcana & nova jura*; recentiores, *rationem status*, honora, ut videtur, appellatione dixere eam artem, qua honestum redigeretur, quicquid utilitatem aliquam gerendis rebus pollicebatur. utilitas autem erat, quicquid collibuisset animo, potestatis & dominationis irritamentis corrupto. Proditura haud dubie omnibus semet facilius hæc fraus erat, nisi quæ strenue quotidie fierent, facta strenue negarentur: nisi nomen quoque tam solicite obtegeretur, ut non possit non placere, depicta coloribus verborum, qui in re ipsa nusquam comparent, *ratio* illa *status*. Interim, quoniam satis animadvertitur, non posse penitus splendescere hujus idoli fœditatem; simul, ut, si qui viri boni ad aulas & rerum actum transferuntur, primo prætextu, deinceps consuetudine ab indeflèxæ honestatis studio demutentur, grande illud & horribile arcanum, tanquam irrefragabile decretum & fundamenti politici loco habendum commendatur: *necessarium esse dolum malum & iniquitatem ad publicarum rerum administrationem.* Atque huc trahitur *Cassianum* illud, ex Tac. 14. A. 44, 7: *quasi quæ adversum singulos*

utilitatem & honestas.

singulos committerentur, *utilitate publica rependi* putanda sint. quod principium eo usque evaluit, ut captivitates, sicas, venena, exilia, cædes plurimis illustribus & innocentibus viris pararit. Quanquam male judicet, male applicet locum Historici, qui aliquid tale exsculpere conatur. Atque ut melius judicari possit, πολιτικώτατος scriptorum Polybius audiatur, qui l. 13. excerpt. *minime convenire imperantibus & imperii negotiis malas artes*, cordate asserit. Idem qui alibi quoque viam sternit, ad deprehendendam recto judicio κακοπραγμοσύνην sine *versutiam Politicorum*, quæ sub casibus & consiliis *prudentia* περιστατικῆς, id est, ut sic dicam, *extraordinaria*, & *honesta* συνυποκείσθαι usque quaque latere cupit. Equidem hoc illud opus, hic ille labor est, in quo paucissimos incorrupte & sine confusione judicii versari videas. Adeo ut ipsum illud *salutis publicæ*, *boni publici*, *utilitatis publicæ*, tam salutare tam simplex & sincerum vocabulum, plenum morosæ & solicitæ intellectionis, fallacisque judicii, appareat. Qua de re amplissima dicendi series exsurgeret, si id jam ageremus.

26. Quod si autem jam de honestate propositi constat, nonne obtinet in ipsa tractatione, quod Tacitus prudentissime monet 1. H. 38, 4. ut *sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequantur?* Conceperat haud dubie justissimam adversus inciviles & oligarchicos homines iram M. Cato: nam imminui jura patriæ, opprimi libertatem, Cæsarem aut Pompejum plus posse rep. nemo bonus & cordatus existimabat tolerabile. At vero, qua usus est in illis insectandis & prohibendis vehementia, nec *tempestiva* jam erat, & *sine viribus vana*, & propterea *augendo malo quam restinguendo aptior.* Consulendi *Flor.* 4, 2, 9. *Heins.* in orat. de Cæs. Dictat. Jam quantopere & quoties applicatio exemplorum fallit? Ejectis Roma Tarquiniis institui libertas potuit. an etiam demoto cervicibus publicis Cæsare Julio? ita quidem sperabant, & fiducia hujus exempli præceperant Romani (v. *applicationē ad usum.*

 Suet.

Suet. Jul. 80.) verum finistre ratiocinatis nec exemplum nec imitatio exempli profuit. Quæ huc pertinent, disputata vide in eruditis ac prudentibus ad Tacitum *notis Forstnerianis* ad l. 1. A. Sic Galba, exempla veteris disciplinæ & militarem rigorem, ad corruptissimos suæ ætatis mores, infelicissime studuit transferre. notante Tacito 1. H. 18, 5. Quapropter diligenti commentatione ea res opus habet: ut perspectis in prudenti expositione veris rerum judiciis, neque casui & periculis terga patefaciamus, neque similitudine aut dissimilitudine capiamur.

4. *Sollertia adminiculis præsidiisque*

27. Atque hoc est, quod diximus: *ipsam* etiam, quæ naturæ munus est, *sollertiam* studio Historiarum *acui*, eventuum cognitione *excitari*, exemplorum luce *instrui atque veluti dirigi.* Nam & *vis* illa *perspiciendi*, in nobile & naturæ quodammodo cognatum argumentum incidit: & *penetrandi instrumenta* ab ipso scriptionis genio sumuntur: & *discernendi cura promtitudoq;* tam copioso apparatu, ipsaque rerum frequentia facile expeditur. Hinc est, quod inter legendum quidam præsentiæ sensus & experientiæ, animos habiles pertentat: quod comparatio perpetua, non tam quæritur quam subnata sponte usurpatur: quod in ipsa cognitione de usu, applicatione, applicandique consiliis, artibus, cautionibus, subitæ & subtiles & profundæ cogitationes oboriuntur. Talis fuit haud dubie industria L. Luculli: qui ad Mithridaticum bellum, missus à Senatu Romano, *cum iter omne sollerti lectione Historiarum consumsisset, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis*, teste Cic. l. 2. Acad. quæst. vel ut Nonius numerat, 4. Ita Homerum legisse Alexander existimandus est, v. *Plutarch.* in Alex. & de fort. Alex. Sic ipse Cicero in Græcis Latinisque Historiis excellentium virorum imagines meditatus est: ut scilicet eadem opera, ipse animum ad rempublicam gerendam, variosque actus civiles obeundos conformaret. Quod de se profitetur *orat.* pro *Archia c.* 6. Habet hoc præsertim locum, in ingeniis ad actum

rerum

rerum factis, & ad civilium negotiorum intelligentiam naturæ quodam munere promtis. nam qorum indoles in contemplationes potius fertur, illorum sollertia obtusius hic versatur, & alia omnia potius sectatur, quam inassueta suis desideriis studiisque argumenta.

28. Ex his generatur denique *Constantia & Promtitudo.* cujus instrumentum in assiduos, familiares, domesticos & præsentes usus, ut ita dicam, Historiæ rerumque gestarum cognitio, adornat. Non dubitat in arduis, non timet in adversis, non fluctuat in incertis, non hæret in implexis, qui tot negotiorum, temporum, casuum subita, magnis auctoribus feliciter expedita, promte tractata, non legit modo sed propemodum vidit. Intellexit hanc promtitudinem Polyb. lib. 3. per λογισμὸν ἑστῶτα καὶ γεννικὸν *prudens & constans de omnibus rebus judicium consiliumq;.* quod in expediendis gravissimis quibusque casibus, animum ad efficaciam sui operis, via incorrupta perducit. Hoc est quod Appianus de Pompejo dixit: οὐκ εἴων αὐτὸν ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ἐμπειροπολέμως ἐνσταθῆν. Non sinebant eum *judicio consilioq; suo, quod peritia bellorum notitiaq; satis instruxerat, constanter firmiterq; insistere.* Lib. 2. de bell. civ. Quemadmodum autem Pompejus tum temporis, ab hac decernendi judicandique de præsentium rerum statu, promtitudine & constantia, non sua sed aliena sponte est demotus: ita qui cognitione rerum carent, gestorumque destituuntur scientia, sua sibi imperitia perpetuam trepidandi labandique consuetudinem accersunt; sed & aliis ab hac facultate instructis magno sunt impedimento. Sicut in tempestate, *pavidi & casuum maris ignari, dum turbant nautas, aut intempestive adjuvant, officia prudentium corrumpere solent. Tac. 2. A. 23, 2.* 5. *Constantiæ & promtitudinis instrumento.*

29. Antequam concludamus hunc, de judicio per historiam informando, locum, adjiciemus obiter, *quibus artibus, præcipui Historiarum scriptores, utilitati lectoris, hac in parte, consuluerint.* Earum sunt quædam *mani-* *Quibus omnibus obtinendis serviunt, artes informandi judicii.*

 festio-

vel manifesta, *festiores & in obvia cognitione posita* ; quædam *reconditiores, arcana, latentes.* In *illo* genere ponimus ipsa Historicorum de rebus judicia & ἐπικρίσεις : quas *modo* præmittunt expositioni, præparandæ caussa intelligentiæ quoad exponenda ; *modo* immiscent, ut eorum quæ exponuntur, juvetur evidentia ; *modo* subjiciunt, ut expositorum usus clarius innotescat. Huc accedunt, ex opportunitate rei ac dignitate, *sententiarum*, *observationum*, *distributionum*, *distinctionum*, *orationum*, *admonitionum*, *locorum communium*, *egressionum*, *comparationum*, &c. adminicula : quibus id unice est propositum, ut naturæ rerum profunde exquirantur, particulatim consummentur, dilucide explanentur, id est, ut & probe intelligantur & dextre ad usum transferantur. Etiam *examinata aliorum fides*, *increpita credulitas*, *notati affectus*, *detecta imperitia*, *ostensa affectatio*, *tentata conciliatio*, qua tanquam *vel occulta.* *Crisi Historico-politica*, magnorum virorum opera animadvertas exornari, inter artes sunt. Sed *ex abdito*, non minora se præsidia emergunt, si quis attente & cum industria hic versetur. Huc refero 1. *institutum scriptoris & οἰκονομίαν scripti* sive *formam operis*, ad quam toties *Polybius* præsertim provocat : quaque ferme sola, ad amplius & sublimius judicium lectoris transferri animus potest. 2. *Dictionis indolem & genium* ῥητόρων. quæ plerumque tota est πολιτικὸς καὶ ἔμπρακτος, civilis & actui rerum propria, cujus & ingenium spirat. 3. *Connexionis interior illa structura*, qua non parum juvatur insinuaturque discretio rerum æstimatioque. 4. *Conjecturarum* peculiare est in Tacito *artificium*, quarum varietate, dissimulatur judicium Auctoris apud simpliciores ; prudentioribus & hoc agentibus cum apparatu instillatur. Nam & Historici interest, ne in ambiguis rebus & arduis, sine monumentorum fide disertim judicet : neque interim tam exercitati videtur Politici, in factorum nube cæcutire. quorum ut illud temeritatis ; ita hoc simplicitatis queat existimari. Interim nullum varietatis istius membrum, etiam

etiam cum removendum ab arcano ſcriptoris judicio eſt, etiam cum præter ſpeciem, quam innui, nihil videtur habere, uſu præclaro carere deprehenditur. de qua re alibi. 5. Eſt & profundiſſimæ philoſophiæ illa ratio obſervanda, præcipue in Tacito, *cum unius ſententiæ dictiq; ambitu & illud exprimitur quod ſpectandum erat, & illa ſubjiciuntur, quæ inter cauſſas, principia, affinia, ſeorſim expenſa, judicium præmunire poſſunt aut emunire.* quanquam hæc & talia, non niſi exemplis & in re præſenti innoteſcere liquido ſolent: quo nobis, brevitatis ſtudio, minime nunc eſt egrediendum.

30. Ivimus hactenus per *memoriæ intelligentiæq;* diſciplinam: quam ex Hiſtoria efficaciſſime peti, conſtare ex iis quæ dicta ſunt poteſt. Supereſt, ut nobiliſſimam prudentiæ partem, *Providendi* ſcilicet, *divinandi*, *conjiciendi de futuris facultatem*, pari inſtructu abſolvamus. Iphicrates imperatori pudendam vocem exiſtimavit, dicere, *non putaram.* (*Plut.* apophth.) Id nos de Principum regimine univerſim merito uſurpamus: ad quorum non pudorem modo, ſed detrimentum ſpectat, tantum ea quæ ante pedes ſunt cernere; eventura autem deinceps, non cura, non proviſu complecti, ſed cum evenere, ſecuritatem tantam & ſecuritatis damna, frigido ſolatio aut excuſatione inumbrare, *Quis putaſſet?* Pro quo dicendum erat, *Quis prudens & cautus non putaſſet?* quippe cujus officium eſt, *præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramq; partem: & quid agendum ſit, cum quid evenerit: nec committere ut aliquando dicendum ſit, non putaram.* Cic. 1. offic. 23. Licet enim humano conſilio provideri omnia nequeant, turpe tamen prudenti viro fuerit, revolutos toties rerum circulos, vicesque tam aſſidua exemplorum ſimilitudine alternatas ignorare. Quod ne uſu veniat, primum quidem ab ingenio & ſollertia (ſicut *Cicero* loco laudato monet) deinde ex rerum geſtarum commentatione, qua vis illa naturæ elicienda eſt ac firmanda, unice expectari poteſt

Providentiam inſtruit Hiſtoria varie.

est ac debet. Absolvitur autem hoc negotium *meditatione eorum, quæ expetimus & optamus*: 2. *quæ timemus & vitamus.* 3. *quæ intercursant varia connexionis ratione utrisq;.* Sive rectius fortean fuerit, hanc industriam exercere, 1. *in caussis caussarumq; affinibus & adminiculis, ad efficiendum agendumq; tendentibus*: 2. *in ipsius actus indole, facultate, difficultate, omniq; interiori conditione*: 3. *in casuum & eventuum istam seriem rerum interpellantium varietate, celeritate, efficacia, imagine*, perdiscendis.

Quo pertinet caussarũ ad effect. progressus & cum eodem connexio.

31. Est autem tota hæc cura, in duo commentandi genera divisa: si, nimirum, 1. *quid & quomodo alii bene recte, feliciter gesserint*; 2. *quid aberrarint, impegerint, minus ex sententia administrarint*, expendamus. Utrinque sperandi timendique caussas & artes, id est, ipsam Providentiæ disciplinam, hauriemus. Incipiemus à *caussarum ista meditatione*: quæ caput est hujus studii. Licet enim divelli hæc membra proprie nequeant, ordinis tamen caussa de singulis agendum est. Cum *Hannibal* aliquis in bello *omnia hostium haud secus quam sua* cognita habet Liv. 22, 41. (partim scilicet *sollertia divinandi, partim investigandi explorandiq; subsidiis* adjutus) cum quid unusquisque facturus sit, ex ingenio cujusque & occasionibus prævidet: victoriam consilio jam prius quam manu elaboravit. *Quid Flaminius animi, quid miles indignationis, quid utriq;, præcipitis consilii per mutua temeritatis stimulos capturi essent, circa Arretium, cum Hannibal multo ante vidisset, atq; ratiocinatus esset, nequaquam ejus inceptum frustra fuit*: secuto eventu, cujus imaginem ad votum plane suum animo peregerat dux callidissimus & assimilaverat. Legendus est, qui diserte ac cum politica hujus prævisionis interpretatione, rem exponit *Polybius* 3, 80, 81, 82. Sequitur, adversus Hannibalem Fabius, *Cunctatoris* nomen ex providentia adeptus. Is cum ingenium, vires, momenta, tempora, consilia Hannibalis considerasset: non minus quid passurus esset, commutata belli ratio-

ratione, quam quid acturus hostis, præcepit. Eadem Annibal de Fabio, veluti in certamine quodam providentiæ: quem cum videret ratione bellum non fortuna gerere (Liv. 22, 23.) jam tum timuit & conjecit, quod postea fassus est, *istam nubem, quæ sedebat in montibus, sollicitatam procella, imbrem daturam esse. Liv.* 22, 20. Cum *Cicero* aliquis in turbato reipublicæ statu, è *studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ non solum ea quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ postea usu venere, cecinit ut vates:* (*Corn. Nep.* Artic. 16, 4.) cum Monarchiam fatalem prædicens Romanis, *Neq; enim*, inquit, *ullus alius discordiarum solet esse exitus inter claros & potentes viros; nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum* (*orat. de harusp. resp. c.* 25.) unde istam quæso *conjecturam*, illum, ut ipse appellat, futurorum *sensum* hausit? sane, ex iis quæ accidere: id est, ex historia, tum *domestica*, quam Romanis suis, ut notiorem inculcat; tum *externa*, quæ à viro tam erudito minime ignorabatur. Infinita hic se dicendi panderet occasio, *de necessitate hujus provisionis, de providendi artibus & industria, de maximis in re togata bellicaq; speciminibus ac documentis*; nisi pridem nos, ad modum & brevitatem subnascentia ultro scripti incrementa vocarent.

32. Cumprimis, *de efficiendi gerendiq; res singulas facultatibus aut difficultatibus*, admonent nos efficacissime exempla eorum, qui per illas aut inter alias, prospere aut secus, ad destinata contenderunt. Pulchre sibi videbatur ad hostem vincendum vel multitudine sola & splendore exercitus sui instructus Antiochus: Annibali non videbatur. Ille enim præfidentiæ oculo; hic providentiæ utebatur. *Gell. noct. Attic.* 5, 5. Nec ob aliam caussam, Charidemus difficillimum existimavit, quod Darius facillimum: apud *Curt.* 3, 2. Aspice Galbas, Othones, Vitellios, nec occupandi, nec retinendi imperii facultates rationemque probe subducentes, partim nec cogitantes: & com-

& ipsius actus facultas difficultasq;.

& compara hanc imprudentiam cum cautissima Vespasiani meditatione apud *Tacit.* 2. H.74. &c. *Quantum sumi ex fortuna, quantum anticipari, quantum elici, quantum restaurari, quo rerum statu, ordine, progressu, regressuq; possit: quid parvum moretur magnas sæpe vires, quæ occulta labes inoriri, oboriri, suboriri queat, aut exorta sanari:* non nisi inter occupatos districtosque, in ipso actus fideliter repræsentati theatro discitur. Idem *de casuum fallacibus interventibus, superventibus, momentis,* in utramque partem, judicandum est. Percutiunt inopinantes & subvertunt, quæ à prævidentibus declinari uno sæpe motu solent, aut flexu. Hinc securitas, fatalis prosperarum rerum comes, & adversarum anteambula. Hæc ut jam vicisse sibi viderentur, qui mox vincendi erant, sæpe effecit. Qualem ἀϐλεψίαν sive futurorum negligentiam Pompejanis, sagacissimus venturæ sortis arbiter, *Cæsar* exprobrat l. 3. de bell. civ. *Non deniq;*, inquit, *communes belli casus recordabantur, quam parvulæ sæpe caussæ vel falsæ suspicionis vel terroris repentini, vel objectæ religionis, magna detrimenta intulissent: quoties vel culpa ducis, vel tribuni vitio, in exercitu esset offensum: sed proinde, ac si virtute vicissent, neq; ulla commutatio rerum posset accidere, per orbem terrarum, fama ac litteris victoriam ejus diei celebrabant.* Atque hoc pacto, suo erant exitio proximi miserrimi mortales, cum ab eodem se quam longissime abesse non crederent modo sed jactarent. Optabilis ergo inprimis & strenuæ, sed & ad degendam in magnarum rerum tractationibus vitam necessariæ disciplinæ res est, *præstare, ne quid ex his quæ eveniunt, subitum sit. Quicquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet. qui ad præparatos expectantesq; nihil adferunt novi: securis, & læta spectantibus, graves eveniunt.* (Libuit hoc verbis *Senecæ* dicere ex lib. de tranq. an. c. 11.) Nam *quæ acciderunt, accidere possunt*: Liv. 28, 41. imo

& casuum meditatio.

Cuivis

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest,
ut habet *Publii Syri* versus.

33. Pertinet huc tota *consultandi, deliberandi, statuendi*, sollertia. Nam ex iis, quæ olim recte consulta, recte suscepta sunt, decernendi in futurum regula nascitur ac methodus: ex iis, quæ animadvertimus offendisse, deerasse, exerrasse, aberrasse, cautionis oritur industria. Equidem *consilium Principis, consiliandiq; dexteritatem*, primo quidem, *Divinæ sapientiæ benignissime se immittens radius*: deinde *Historia*, divinorum in terris operum testis, ad salutem publicam informabit. Hæc, ne semel faciat, quod semper reipublicæ noceat, totidem monita, quot exempla suggeret: hæc, ne ad pauca respiciat deliberatio, periculis eorum, qui ad multa respexere quidem, sed neglecto ex præcipuis uno, sæpe nec ex præcipuis, sed ex pertinentibus, adversos exitus habuere, commonefaciet. *Enimvero in consiliis senes junioribus præferri solent, ob comparatam longo rerum usu prudentiam: At vero eam historiæ disciplina tantum antecedit, quantum multitudine rerum præstare, ab omnibus cognoscitur. Ideoque ad omnes vitæ casus utilissimam esse hujus applicationem merito quis statuerit. Adolescentibus enim senilem prudentiam confert: senibus experientiam cumulat. Privatos principatu dignos reddit: principes ad pulcerrima quæque suscipienda, proposita immortali gloria exstimulat.* Asserui hæc verbis *Diodori Sic.* cujus *Proœm. lib. 1. Bibl.* apprime ad nostrum institutum pertinet. Ex quo & illud intelligimus: *esse revera experientiæ cujusdam & quidem præstantissimæ genus, recte ac ordine institutam historiarum lectionem.* cui assentit *Polyb. 5, 75.* qualia loca, non exscribimus nunc explicamusve, sed indicamus.

totaq; consultandi dexteritas.

Est ergo historia, experientiæ quoddam genus;

34. Vidimus ergo, quam copiose, quam accurate, quam perspicue, politicam prudentiam tradat historia, tum ceteris lectoribus suis, tum Principibus: quibus, excellentiore quodam modo, propria est civilis prudentia, & propterea commendatior esse debet splendidissima eademque

commodissima ejus via. An autem, & quæ, talis sit existimanda, non adeo publicæ cognitionis est, ex quo historias plerique, ut fabellas, oblectationis caussa legunt: quidam, ne aliter mereantur legi, scribunt. Quocirca paulo fusius hic nobis agendum fuit. Cetera brevius expediri possunt: quæ de *celeritate proficiendi*, deq; *profectus illius peculiari utilitate*, *Cominaus* disserit. *Hac ratione*, inquit, *in uno solo libro, tribus solis mensibus, plus videbit unus homo, quam experientia, ususq; rerum, & conspectus vitæ, viginti integros docere possint, etiam si ordine suam alteri ætatem alter subjunxerit.* Sleidanus ita extulit: *in libris brevi temporis spatio plus videri potest atq; cognosci, quam multa hominum ætates ordine percipiant.* Gallica verba, quorum interpretatio duplex hactenus est allata, illa sunt: *& qu' aussi plus on voit de choses en un seul liure en trois mois, que n'en sçauroyent voir à l' œil, & entendre par experience, vingt hommes de reng, vivans l' un apres l' autre.* Assertio magna, & quæ prima fronte, ἐν σχήματι λόγου *cum figura rei attollenda*, videri queat sumenda: verum nos, sicut figuram omnem non excludimus, ita hyperbolen vix agnoscimus. Cum disputare volentibus eam rem, ultra potius progrediendi, quam citra regrediendi aut subsistendi occasio veniat. Quod ut recte æstimetur, redeundum est ad *copiam rerum*, quas historia paucis pagellis suppeditat; ad *earundem seriem contextumq;*, quem usus tardissime, & paucis quibusdam, ab omni ævo, suppeditare potuit: ad *consiliorum, monitorum, totiusq;*, qua scriptores utuntur *disciplinæ evidentiam & amplitudinem.* de quibus singulis satis egimus diffuse. Præclare in hunc sensum, *Ovvenus*:

quo celerrime proficiet Princeps.

Non tam multa, gravis rerum experientia longo
Tempore, quam parva te docet Historia.

id quod exempla ostendunt.

35. Quæ fuerit Reipublicæ Romanæ forma, institutio, administratio, qui sæpe Romam ventitabant, qui diu ibi hærebant, non dignovere accurate, nec tantum cognovere,

vere, quantum una *Polybii* digressio *lib. 6.* immerito nonnullis suggillata, spatio non unius horulæ nostræ considerationi offert. Cum Libonis Drusi fatum scripturus esset Tacitus, *Ejus*, inquit, *negotii initium, ordinem, finem curatius disseram: quia tum primum reperta sunt, quæ per tot annos rempublicam exedere.* 2. A. 27, 1. Ecce, illa quæ per tot annos non observata sunt Romæ, aliquot capitibus, tanquam momento observanda proponuntur. Usque adeo verum est; *usum & negotiosam in re præsenti vitam, non abundare occasionibus, & alicubi non pauciora ferme abstrudere, quam ostendere:* quæ inusitata sollertia paucissimi; ceteri exemplis docentur. Belli unius casus & prudentiam, sociata multorum industria, permultis annis, non perfecte videas cognosci. At in *Thucydide, Diodoro, Xenophonte*, paucis diebus, XXVIII. annorum bellum e. g. Peloponnesiacum, intimius perspicies, quam plerique eorum qui interfuere. De conversionibus Reipublicæ & imminentibus eventis (quæ pars prudentiæ civilis ut summe necessaria, ita plerisque ignorata, securitate aut judicii hebetudine transmittitur) nihil posse expediri, absque solida præteritorum alteque repetita notitia, rectissime *Polybius* judicavit. Hic vero plane deficit experientiæ auxilium: nam nec citra aut ultra suam ætatem erudiri quisquam potest, nec ex suæ disciplina tantum sumere, quod huic instituto sufficiat. Ergo inspicienda *καθαρῶς καὶ ἐν συνόψει*, liquido & velut in tabella tota Reipublicæ nostræ series, ætates percensendæ, fata comparanda: adhibito interim aliarum exemplo, ut aliquid in posterum provideamus statuamusve de nostris rebus. Atque hic vere celeritas profectus, multis hominum ætatibus antefertur. Nobis coercendus est calamus, propter ea quæ restant. nisi quod obiter, æstimari jubemus *Cominæi* i. e. hominis actu rerum, ut qui maxime, exerciti, ea contendentis, quorum utrinque gloria floruit (experientiam intelligo, & historiæ cognitionem) adversus eos, qui eruditos, affectata usus laude contemnunt, au-

ctoritatem. Ita hodie mores sunt: si eadem diceret *Polybius* aliquis aut *Thucydides*, utut majoribus pluribusque rebus admoti, tamen, quia præjudicio sæculi scholis relinquuntur, parum haberent fidei apud eos, qui nova nec comparare cum veteribus, neque hæc illis didicerunt antehabere.

Faciétq; hæc disciplina principem in agendo regno αὐτοπρόσωπον.

36. Pergendum est ad illa, *quæ Principis & principatus utilitatibus propria sunt*, ex Historiarum tractatione, indeque parata prudentia. Ubi ante omnia ingens illud minimeque vulgare *Cominæus* commendat, *ut Princeps sit αὐτοπρόσωπος & in regendo imperio ipse per se aliquid sapiat, consulat, gerat. Credas mihi*, inquit, *quicunque leges ista, Deum Regum Principumq; officia & dignitates nequaquam ideo instituisse, ut velut bestiæ aliorum sensibus prudentiaq; ii regantur, nec propter illos adeo, quibus gloriosum dictu est: non sum ego clericus, viderint consiliarii mei, his meum est, fidem adhibere: ut post has vices, nulla audita, neq; addita ratione, abeant ad consuetas delicias*. &c: Turpe sed verum dictu: inter eos etiam, qui religione vera sunt imbuti, inveniri principes, qui otio, ruditate, & ignava licentia, sui fastigii munus impleant: ut nemo magis in regni negotiis hospes sit, quam regnator ipse. Scilicet sumptuosius & exquisitius cenare, opibus & auro abundare, facilius tranquilliusque & delicatius vitam degere, quam ceteri: his rebus ceteros vincere, id est, principem esse, id est, principatus dignitate supra parentium conditionem eminere: cujus profanitatem sententiæ vel puer, è gentilibus, *Cyrus* coarguat, cujus apud *Xenoph.* (*l.1. de inst. Cyr.*) præclara & expedita sapientia est: *τὸ ἄρχοντα οὐ τῷ ῥᾳδιουργεῖν χρῆναι διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ προνοεῖν τε καὶ φιλοπονεῖν προθυμούμενον. non differre à parentibus imperantem facilitate vitæ ac mollitie, sed præstantia expeditæ prudentiæ, impigriq; laboris.* Addenda his sunt, quæ supra diximus (§. 9.) de prudentia principe digna: tum quæ de virtutibus principali fastigio decoris ac necessariis, in toto *Cyro* suo *Xenophon*; in Augusto

gusto suo *Suetonius* ; in Trajano, *Plinius* ; in Antonino, *Capitolinus* ; in Severo, *Lampridius* ; in Alexandro, *Curtius* ; in aliis, alii ; prisci recentesque ad memoriam posterorum & exemplum imperantium prodidere.

37. Quod enim ad consiliariorum opem & amicorum attinet, sunt illi vel *idonei aptiq;* ad munus, post principale fastigium, maximum ; vel sunt *inepti aut infidi.* Qualibus nulla facile aula caruit. *Cincti sunt*, inquit Noster, *principes identidem hominibus nihil aliud studentibus, quam ut dominis suis placere valeant, omnibus eorum inceptis ablandiri, cujuscunq; ea sint pretii, consuetis.* Et postea: *Non affirmem omnia Principum consilia stupidis malignisve, aut perfidis hominibus instructa esse, majorem tamen partem eorum, quos ego viderim, his nequaquam exoneratam fuisse, in me recipiam.* Ita omnino est, neque hic sola *Cominæi* experientia, sed omnium ætatum memoria, testimonium dicit. Adulatio, avaritia, perfidia, malignitas obstrepunt sinceris consiliis, neque quicquam vel tam parabile vel tam venale quam consiliariorum perfidia. Quæ interim plurimis obtenditur velis ac simulacris, de quibus alibi. *Cominaeus*, de ipsa sapientiæ simulatione meminit, & arte prætexendi juris : *Ad quodvis verbum*, inquit, *in ore habent legem aliquam, aut Historiam : Harum etiam optima nullo negotio torqueri in malos sensus possunt.* Quid faciet imperitus princeps? dum refellere nequit ac discernere, quod allatum est ; tacet, consentit, permittit, negligit. *Qui autem sapiet, legeritq; historias ipse* (sunt rursum verba Nostri) *nunquam his decipietur, neque quisquam tam audax erit, ut mendacium pro re gesta coram erudito Principe recenseat.* Nisi valde properaremus, esset hoc loco hodierna præsertim consuetudo excutienda, cum *Statistæ*, qui vocantur, multi, ut Dominis suis quidlibet persuadeant, unice Historiis abutuntur : tali ferme consequentia ; *Ille Princeps, cujus alias prudentia celebris est, hoc fecit : ille fedus fregit ob illam caussam ; ille bel-*

ac in consiliis de regno capiendis usum.

idq; 1. resp. consiliariorum infidorum aut ineptorum.

§

lum suscepit ob istam, &c. *Ergo tibi idem est faciendum, si prudens haberi velis aut esse.*

2. *resp. idoneorum & fidorum.*

38. Jam si *idonei* sunt & *fidi*, sæpe à pluribus imperitis vincuntur: ut plerunque vincit pars, non quæ melior, sed quæ major. Nonnunquam, fuga contentionum, & detrectatione turbarum aliorsum rapiuntur, aut distinentur à proposito. Nam *contra* ineptos infidosque, ait *Cominæus*, *si melius aliquid protuleris, omnia illico conturbasse existimabere.* Et *lib. 5, c. 18.* observat: cum pauci aliqui aut unus monet, quod ceteri studio placendi aliisve caussis dissimulant probantque, *à monitis præter indignationem ad bonos viros nihil redire, ipso Principe tamen ad consuetum morem vivente.* Adeoque *deesse solent, qui suadeant, ubi suasisse periculum est.* Curt. 3, 8, 6. Neque profecto statim in tanta fingendi simulandique vel necessitate vel occasione, quilibet princeps *intelligit ista, ut sunt magis, quam ut dicuntur.* Vide multa huc pertinentia in *Gruter. discurs. ad Tacit.* ad verba 1. A. 74, 6. *Quo loco censebis Cæsar* &c. Ergo hic opus erit, primo quidem, *consiliarios mortuos, id est, Historicos consulere:* hi sine affectu, flexuque; sine gratia & odio, quid recte aut secus tractatum à quolibet, quem & cur eventum habuerit, edissertabunt: tum vero *elicienda diversæ in unoquolibet negotio sententiæ, & elicitæ comparandæ. Tales* enim *sermones, ut purpura & aurum*, quod *Plato* alicubi ait, *melius dijudicantur, si conferas invicem.* Denique *non totus à consilio amicorum princeps pendeat, si quidem regni & suam majestatem sartam tectam cupit, sed ipse norit providere aliquid in medium, consiliis aliorum addere, demere, moderari: ea inflectere, temperare, gubernare.* Alias turpiter audiet cum Claudio apud Tacit. 12, 3, 4. *cui non judicium, non odium, nisi indita & jussa.* statimque in promtu erit Horatianum illud: *Ducitur ut nervis alienis mobile lignum. Tempore urgente* (rursum Cominæi verba continuo) *vidi sapientiores Principum potuisse quærere prudentes præ ceteris, & eorum consiliis citra moram & que-*

& querimoniam uti. dum ſcilicet non infelicius dijudicant, quam exquirunt conſilia. Atque hæc omnia Hiſtoriarum beneficio potiſſimum obtineri omnes intelligunt. Cyrum filium monuit prudentiſſimus pater, *ut augurandi ſcientiam, vel ob hoc ipſum diſceret, ne ab auguribus tantum penderet*, ſicut auctor eſt *Xenoph.* 1. de inſt. C. Ita nos principem, Conſultandi artem, ne à ſolis conſultoribus agatur ducaturque, ex Hiſtoria petere arbitramur debere.

CAP. II.

Quæ Hiſtoria & quatenus cognoſcenda principi aut ſeligenda.

I.

EXpoſitum eſt quantum Principi, Hiſtoriarum cognitio proſit; non quidem ſicut ubertas argumenti poſtulabat, ſed prout ratio temporis noſtri & Cominæana digreſſio monebat. In hoc capite dicemus, *quæ Hiſtoria & quatenus ad tam præclaram cognitionem parandam faciat.* Cominæus ſane indefinite, *les Hiſtoires anciennes, Hiſtorias veteres, ſive veteris ævi*; Item, *les choſes paſſées, res præteritas* commendat. Ceterum, in tanto Hiſtoricorum rerumque numero, licet nihil præteriri dignum ſit, quædam tamen brevitati vitæ & negotiis condonari; quædam prudentiæ & neceſſariis uſibus ſeligi par eſt. *Legenda autem eſt Principi.*

2. Ante omnia, *Hiſtoria Univerſalis* hic eſt facienda mentio. id eſt rei, quam commendant omnes, nemo exhibet. Palmarium prudentiæ civilis præſidium haud dubie in eo reponitur, ſi, *quæ rerum in univerſo orbe facies, connexio, conſecutio, progreſſus, ab initio uſq; ad ætatem, qua vivitur, fuerit*, liquide & ordinate teneatur. Intelligenda eſt autem hæc cognitio, ſicut in chartis univerſi orbis typus depingitur: ubi plurima de ſingulis præter- *1. quidem Hiſtoria univerſalis:*

prætereunda sunt, ut universi formam complectamur. Dum divina providentia ita dispensat hoc negotium, ut plurima nos voluerit plane latere, quædam, pœnæ caussa, jam litteris prodita eripuerit; tantum tamen ad nos siverit pervenire, quantum ad informationem nostram, adeoque ad eum finem, cujus ergo nobis tota Historiæ disciplina communicata est, sufficit. Interim hæc quoque catholica Historia, sicut respectu nostrarum occasionum & monumentorum definita est ac limitata, nondum, quod tuto & certo affirmari potest, ab ullo tam accurate est tradita, sicut magnitudo rei flagitabat. Loquor hoc citra cujusquam detractionem: quod facile æstimant eruditi, quorum nemo, ut arbitror, dubitat, tantam esse talis operis difficultatem, ut nec præsidiis hic abundent instructissimi; neque tempore, assiduissimi; neque judicio, solertissimi. Ne nunc dicam, de gentilium ignoratione, qui, ne quid tale efficerent, inopia cognitionis circa primæva mundi tempora, abstinebantur. Recentiores autem, quot Historiæ tacentis, aut imperfecte, est ubi fabulose, loquentis, hiatus ab ejusmodi consiliis remorantur. Utendum igitur ea disciplina est, pro captu nostræ facultatis, rerumque ad nos transmissarum, copia. Quæ non parum scil. Principi in suarum alienarumque rerum tractatione lucis dabit.

è qua totius prudentiæ practicæ solida fundamenta petuntur.

3. Hinc enim demum intelligitur, *Quam potens, sapiens, assiduus omnium regnator DEUS, regna instituat, destituat; amplificet, extenuet, extollat, deprimat; opponat, componat; convertat, evertat. quod sola pietate firmentur sceptra, virtutibus ornentur coronæ; impietate confringantur illa, ista vitiis deturpentur. præsertim imperantium mores vel stabiliendo imperio, vel labefactando plurimum posse. tum administrationis modum calliditate ad exitium; justitia prudentiaq; ad salutem proficere. Ambitione & avaritia non tam proferri regna, quam efferri ac velut sepeliri fundamenta boni status. Felicitatem malarum artium, neq; ipsis, neq; diu tribui; sed dum plectantur,*

tur, quibus illa flagella erant destinata. Splendoris & inanium admiratione rationis usum obfuscari; mox accedente vanitatis studio, in simias, canes, ursos, & quicquid vel ridicularum vel turpium bestiarum numeramus, transmutari homines. Ita fieri, ut orbis iste sit & fuerit, officina flagitiorum, amphitheatrum insanientium, fabrica machinarum, quibus perdant invicem & pereant miseri errones mundani: rebus secundis elati, indomiti, luxuriantes; adversis queruli, timidi, & aliquando stupidi. Alternari ergo crimina & criminum pœnas, donec illa quidem, finis abruperit ultimus; has autem æternitas ultrici perpetuitate protraxerit. Inter hæc pusillum agmen, Deoq; familiare & gratum, ut rosam inter spinarum aculeos, ut radium nitidæ lucis, in opaca nocte, florere, splendescere, nulloq; neglectu impetuq; adversantium probiberi, quo minus perituro orbi supervectum perennet. Atque ita per virtutum & scelerum bella perpetua ac certamina, ad illarum triumphos, horum autem supplicia & cineres, id est, ad auctorem utriusq; judicii Deum recte ac ordine perveniri.

4. Hæc & similia non percipiuntur accurate, id est, non cognoscitur mundi indoles & fatum, nisi Historia mundi, per seriem, quà licet, & contextum universalem eventuum, viam muniverit. Post quam cognitionem, danda est opera, ut Historia *particularis* quidem, sed initio ea, *quæ ad universalem proxime accedit*, pertractetur. Tales sunt, quæ plurimarum gentium res exponunt, ut *Diodori Siculi* & *Justini* opera. Item; quæ principali argumento, connectunt ea. quæ ratione gestorum cohærere possunt & solent: qualis *Polybii* expositio, quam universalem propterea quodammodo dici posse, doctis notum est. *Herodotus* quoque Græcorum, Ægyptiorum, Medorum, Persarum, Lydorum res conjunxit. Exempli loco, laudaverim etiam hic *Thuani* institutum; qui res toto orbe gestas scripturus, ante omnia, quis status rerum habitusque apud gentes fuerit, præsertim autem populorum ceteros præminentium fortunam, exposuit: nimirum ut

2. *particularis*

universali quadam cognitione præparatum lectorem per singula facilius deduceret.

5. Succedit *singularium gentium Historia*, inter quas, communi suffragio prudentum, *Romanorum Græcorumq;* eminet auctoritas. quorum gesta copiosius & splendidius litteris consignata, multam proficiendi occasionem suppeditant. Interim, præsertim hodie, minime suadenda Principi fuerit certarum gentium præteritio. Quin, ut olim Romanum Græcumque nomen prævaluit, ita propioribus sæculis, *Galli*, *Hispani*, *Germani* meruerunt aliis ante haberi. Sed quid parce & anguste de re tam ampla loquimur? *Plerarumque gentium, saltem mores, indoles, instituta noscenda:* non tantum, ut actionum principia inde facilius judicentur, sed ut bonorum malorumque delectus queat fieri expeditior. Qua de re multa differit *Bodinus in method. histor. c. 5.* Optandumque fuisset, ut ad eam formam, quam tersissimus *Barclajus*, in quorundam populorum natura describenda tenuit, ceterorum quoque indoles explanata foret. Nam ille labor, fortasse non una ratione superat, notos aliorum in hoc argumento commentarios. Est unicuique genti aliquid, quod vel utiliter vel jucunde comperias. Etiam illas intelligo, quæ alias nec adeuntur tam avide, nec, ut reliquæ, celebrantur. Tale est, quod nationum plurimarum peritissimus vir *Hubertus Languetus epist. 6. ad Sidn.* scribit: *Pervagatus sum plerasq; orbis Christiani provincias, sed nullius itineris mihi est jucundior recordatio, quam illius, quod ad extremum septentrionem suscepi: multa enim ibi vidi, quæ nemo in nostris regionibus docere me potuisset, nec etiam credidissem, si ex alio audivissem.* Quem locum ideo tantum produxi, ut ostenderem, sinistram esse eorum opinionem, qui præcipuas quasdam nationes intuentes, reliquarum cognitionem tanquam vilem aut minus utilem, extra suam curam ponunt. Porro in ipsa gentis alicujus Historia, non omnia parem diligentiam postulant, aut fructum promittunt. E. g. in Romanis rebus fertilissima esse

variæ

variæ profundæque cognitionis, tempora Cæsaris, Augusti, Tiberii; splendidissima, Scipionis & æqualium, haud absurde dixeris.

6. Cum autem *Vetus Historia* omnino diligenter evolvenda sit (alias enim & comparationis ad nostra instrumento, & dexteritate judicandi, quam copia & similitudo eventuum firmat, destituetur Princeps) valde tamen errant, qui *vetera tantum extollunt, recentium incuriosi.* Tac. 2. A. 88, 5. Quæ diligentia ut scholis forte aptior (quæ & ipsæ tamen utilius recentia veteribus miscent) ita negligentiæ notam subit, cum de Principe aut constituto in civili actu homine loquimur. Cui, tum *propiora sæcula*, quibus scilicet è nostro assimilantur multa; tum *recentissima quæq;* explorata ac in promtu esse debent. Magna pars prudentiæ est, cum de exitu negotii deliberatur, respicere ad initia, pensitare media &c. Atque ut hodie recte consulas, advertenda sunt, quæ heri, imo ante ipsum tuæ consultationis exordium, evenere. Concutitur jam plusquam vicennali rerum perturbatione Germania: ejusque rebus, serius, ocyus innexa exterorum consilia & arma, varia in utramque partem momenta adferunt. Judicare igitur de præsenti statu; aliquid deliberare de futuris, nemo feliciter poterit, nisi cui tota rei scena ab initio, usq; in hunc diem, cum suis caussis & prætextibus, innotuerit. Id quod arduum, & illis tantum concessum, qui propius rebus gerendis interfuere, deficiente adhuc publicæ Historiæ accurato subsidio. nam quæ è commentariis partium vulgata novimus, fortasse non sufficiunt. multo minus aliquid sani habent nonnullorum breves libelli, quibus nihil aliud, quam ineptam veterum imitationem, aut declamationes scholasticas, aut studium partium, tanquam illuderent orbis cordati judiciis, publicavere.

3. *Vetus & nova.*

7. Præsertim vero in *domesticis Historiis* versatissimus sit Princeps: *Ne sit Peregrinus domi.* nam & istiusmodi exempla propius eum attingunt. sicut in hanc mentem disserit *Jacob. R. A.* in δωρ. βασιλ. *lib.* 2. Igitur *commen-*

4. *præcipue domestica.*

mentaria regni, *registra publica*, *acta*, diligenter consulenda. quorum ob id magnam curam haberi par est. Sic, *cum Romæ publicorum commentariorum quidam omnino periissent, quosdam vetustas ad usum ineptos reddidisset, tribus senatoribus negotium datum, ut & qui extarent describerentur; & qui abessent aut laterent, conquirerentur. Sed & incendio correptis quibusdam non Tiberius modo, sed Livia etiam succurrit.* Dio 57. Ceterum cum occurrere omnibus casibus difficulter possit humana industria, unicum & (accedente utique typographiæ adminiculo) certum subsidium relinquitur: *cura & manus prudentis Historici.* quem ego tam necessarium magno Principi credo, quam summorum ministrorum quisquam habetur. Sane & foris prudentiæ laudem invenit, & domi magno suarum rerum adjumento pollet ornamentoque, qui diligenter talium virorum operam sibi comparat. quod in Serenissimis Danorum Regibus, longa serie commendat, ejus, qui nunc imperio feliciter præest, Historiographus, *Jo. Meursius, in frontispicio Hist. Dan.* Nota sunt exempla Principum, qui Historiæ scribendæ manus ipsi admovere. id quod adhuc hodie tum præcipue fieri consultum esset, ubi recentissima quæque celare, aliquanto inter artes imperii est. Quid nonnulli curiose formidolosi, hic argutentur in contrarium, non ignoramus: sed festinationi nostræ convenientius fuerit, in ipsum disquisitionis exercitium hæc & talia reservare.

5. *Selecti prudentiæ magistri præteriti.*

8. Præter hanc considerationem Historiarum, quæ ex rebus ipsis earumque delectu petitur, *quidam Historici* merito & vel maxime Principi commendantur, *ob scribendi prudentiam artemq; singularem; tanquam duces periti civilis sapientiæ & familiares præceptores.* Eorum Catalogum, magno judicio adornavit *Lipsius ad cap. 9. lib 1. Polit. suorum*: quem non exscribimus. Addideris illis cum venia & ratione, *Dionem Cassium, historicum profecto prudentissimum, & immerito à Lipsio in catalogo prudentiæ Doctorum præteritum*, ut rectissime autumat Magnificus

ficus vir omnique civili cognitione actuque prælustris, *Christ. Forstnerus, in not. ad* 1. *An. Tac.* Sed & *Herodianus*, haud dubie inter præcipuos prudentiæ consultos, & incomparabiles rerum conditores, nisi me omnia fallunt, ponendus est. Recentiorum quoque numerum, tum alii, tum præcipue augusti calami scriptor *Thuanus*; & accuratæ circumspectionis vir, *Sleidanus* augere possunt ac debent. De ceteris non opus est, ut multa dicamus, quorum nec ignorantur publice laudes, & electio, merito instituto cujusque ac tempori relinquitur. Christiano Principi, post *annales sacros*, quorum perpetua lectio repetitioque requiritur, frequens comes *Josephus* esto: & piorum acta Principum, ut Constantini M. Theodosii &c. diligenter cognoscantur. fructum ostendit & commendat *Eusebius, l* 1. *d. Vit. Constant.* 6.

9. Unum superioribus addimus, brevem indiculum, *Historicorum & Historiarum, quas nonnulli Principum ac Imperantium, præ ceteris amasse lectitasseq; feruntur.* In sacris occurrit nobis exemplum *Ahasveri, qui nolens insomnem noctem otiose terere, sed operi ad utilitates regni sui pertinenti tribuere* (οὐ βουλόμενος ἀργῶς ἀπολέσαι τὴν ἀγρυπνίαν, ἀλλ᾽ εἴς τι τῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ διαφερόντων αὐτῷ ἀναλῶσαι, *inquit Josephus*) commentarios regni, sive Historiam de actis regum (quod ex Joseph. discimus) per anagnosten jussit sibi prælegi. *Esth.* 6, 1. *Herodoti* libros, in Olympicis recitatos ludis tota didicit amare Græcia (*Lucian. in Herodot.*) *Thucydidem* Demosthenes octies descripsit, referente *Lucian.*, *in eum qui multis. libr. superb. & Agath. lib.* 2. *extremo.* Alexandro descripta ab *Homero* Trojani belli Historia placuit, *Plutarcho & Dion. Chrysost. &c. testibus.* Scipio ille Africanus *Xenophontis* Cyropædian de manibus non ponebat. *Cic. ad Q. F.* l. 1. ep. 1. c. 8. *It. Tuscul. quæst.* 2, 26. Cæsar Julius *rerum Alexandri Historiam* diligenter legit. *Plut. in ejus vita.* Alphonsus Arragonius *Livium & Julium Cæsarem* adamavit, & in expeditione secum habuit. *Panormit.* 4. Eundem *Cæ-*

Exempla principum Hist. amantium.

ſarem Selymus Turcarum Imperator in ſuam linguam juſſit transferri. *Jov. in e. vit.* eundem filio *ſuo*, inter profanos, unice commendat *Jacob. R. A. δωρ. βασιλ. libr. 2.* *Thucydidem & Cominæum* Carolus V. Imperator maxime ſuo ſtudio dignos æſtimavit. Sed & Sleidanus *Cominæum* vel maxime Eduardo Angl. Regi conciliat, *præfat. in Claud. Seſell. de rep. Gall.* *Tacitum* Hiſtoricum Imperator Tacitus maximi fecit, deſcribique juſſit ſæpius ac in Bibliothecis conſervari. *Vopiſc.* 10. Sed ad metam.

CAP. III.

Quomodo diſciplina Hiſtoriæ primæ principis ætati tradenda & per ceteras firmanda ſit.

I.

EXcrevit juſto longius noſtra diſſertatio: igitur quod ſupereſt, perſtringendo ſummatim non explicando exhibebimus lectori. Primo omnium *Mature tradenda eſt pueris, in ſumma rei ſpem natis educandisq;* (quod & Cominæana digreſſio innuit) *Hiſtoriarum ampliſſima diſciplina:* ut *ſuavitate* ejus, primæ ætatis oblectatio; *copia vero*, annorum adoleſcentium induſtria; *prudentia* denique, maturioris judicii ævique profectus excitentur alanturque. 2. *Faciendum ab Univerſali hiſtoria initium*, ſed *contracta quam poterit fieri breviſſime; diſtincta notiſſimis & celeberrimis epochis lucidiſſime; inſtillata familiari colloquio jucundiſſime, repetita frequentiſſime.* 3. *Statim Geographiæ ſceleton* (nam Chronologiam ſub initia neceſſariam, ſub epochis complexi ſumus) *præmiſſa terminorum, partiumq; univerſi quadam notitia in expreſſis fideliter mappis; & præſertim figura orbis ejusq;* conne-

connexio, in globo demonstretur. Nihil serium aut magnum concipiet de reconditiore Philosophia Historiæ, qui, nec loci nec temporis conditionem ad res gestas judicandas attulerit. 4. *Quemadmodum Universali Historia non modo temporis, sed prudentiæ terminos epochasq; convenit adjungere: ita in particulari, ad Universi fata contextumq; semper respiciendum, resq; omnes suis quibusdam notis illuc sunt referendæ.* 5. *Nihil minus, quam solæ sententiæ & bona dicta sunt commendanda, sed potius sententiarum in re præsenti usus, applicatio, tempestivitas, caussa, urgenda.* 6. *Semper Diathesis Historici, judicium, scopus, disciplina, inculcanda.* 7. *Rerum genius non modo ex iis quæ adsunt, sed quæ subsunt, vestigandus.* 8. *Ipsæ res ad suas classes politicas vocentur, non confuse & crasse, sed subtiliter & distincte.* 9. *Ostensis scilicet subinde fundamentis cautionis, discriminis, modi, artis, varietatis, circumstantiarum, observationum &c.* sine quibus vagum & erronea fluctuatione plenum est politicum studium. 10. *Adjumenta jucunditati servientia erunt, figuræ & imagines mathematicæ, mechanicæ, poliorceticæ, &c.* quibus perspicuitas cognitioni; & memoriæ, fidelioris pignus custodiæ additur. 11. *Comparationis quoq; magna vis est, longius, propius; ex re nata, & profectuum ratione instituendæ. ubi regimen & mores patrii in oculis habendi, crebro & prudenter.* 12. *Cognita serii Historici arte, inspiciendi etiam nugatores, vani, mendaces: cum detestatione manifesti vitii, occultorum autem revelatione, dubiorum examine.* 13. *Varia eruditio e.g. physica, ethica, politica, juridica, theologica, ad suas disciplinas exigenda.* 14. *Si quid peculiarem artem instituto scribentis aut usu legentis habet (e.g. descriptiones personarum & elogia plerumq; magno judicio & philosophia abundant) si quid auctori proprium & domesticum* (qualia in Tacito supra tetigimus cap. 1. §. 29.) *moneatur expliceturve.* 15. *Conjungenda autem perpetua Universæ Politices disciplina cetera:*


qua-

quædam etiam addenda Juris notitia ; ne exemplorum varietate vacillet aliquando judicium aut distrahatur. Plura alias.

Corollaria.

I. *An recte statuat Livius* (9, 17, 18, 19.) *Imperium Romanum, si Alexander id petiisset bello, invictum fuisse perstiturum ? A.*

II. *Rectene apud Tac. 2, A. 73. Germanicus Alexandro Magno comparetur ? D.*



XLI.

DE UTILITATE EX HIstoriæ Universalis contextu capienda.

NOn esse semper facile, *inscriptionem rotundam ac brevem* libellis præfigere, vel hæc Dissertatio, quam paramus, ostendat. Qui *Historiæ Polybianæ Excerptis* lemmata apposuere, ita exprimunt : *ὅτι ἡ καθόλου τῶν πράξεων ἱστορία πολὺ διαφέρει*, *quod universalis Historia rerum gestarum longe sit præstantissima.* Scilicet, si cum particularibus historiis conferatur. *Casaubonus*, intentus illi sensui, quem Polybius hîc, & alibi sæpe operosius explicat, ita convertit: *De utilitate Historiæ universalis.* Sed, qui hæc legit auditve, generaliter concipiat necesse est, utilitatem Historiæ universalis : quam nemo ignorat aut in dubium vocat. At Polybio potius est propositum, interiorem aliquam & singularem, neque cuivis obviam intellectamque utilitatem, ex Historiæ universalis pragmaticâ & exquisitâ scripturâ demonstrare. Ipsa enim est *οἰκονομία καθολικῆς* ἱστο-

Lib. VIII. p. 513. c. 3.

ἰτοείας, unde hæc utilitas emergit. Latinè, *diſpoſitionem*, *ordinationem*, *ſeriem*, *contextum*, voces licet; ſemper minus, & pæne aliter, quàm Græca vox poſtulat, dixeris. Incipit Hiſtoria à ſingulis; deducitur ad plures; pertinet ad populos: contrahitur denique ſcribendo in quandam univerſitatem genus humanum. Verùm non tam iſta univerſæ hiſtoriæ congregatio, quam ars contexendi conſerendique momenta, coaptatio, habitus inter ſe rerum, neceſſitudo & repugnantia; hæc, inquam, atque talia ſunt, quæ judicio comprehenſa, erudito lectori pariunt eam utilitatem, cujus perpetuus eſt laudator *Polybius*. Si dicendum eſt ſimplicius, gloriatur, & non ſine oſtentatione quâdam prædicat, lectoribusque ut ſpecimen ſuæ, & inſtrumentum alienæ prudentiæ, ſi non ſummam, commendat hoc proficiendi meditandique genus, ne velint in partibus rerum hærere, ſed quo ordine, conjunctione aut disjunctione, concurſu aut diſcurſu, viribus, operibus, auxiliis, cauſis, rationibus, mutationibus, viciſſitudinibus, conſiliis, caſibus, univerſa induerint unam unius corporis, ut ita dicam, faciem, uno nec obſcuro confuſoque conſpectu intueri.

An recte ita ſenſerit *Polybius*, abunde perſpicietur, *ſi* ante omnia mentem ejus paulo accuratius expoſuerimus, *deinde* exempla illuſtris ſcripturæ Hiſtoriæ univerſalis conſideraverimus; *tum* rationes ejus artis varias ſingillatim requiſiverimus. Sic enim conſtabit, non eſſe vulgarem, ſed eruditis ac prudentibus propriam utilitatem, quæ ex Hiſtoriâ univerſali, non ut diſtribui in multas partes poteſt, ſed ut cohæret ex multis partibus, & in unum habitum aptatur, peti poteſt.

An Polybius Historiam universalem scripserit: sive, quid illi hoc nomine veniat. Quid Ethnicorum alii, nomine Historiæ universalis intelligant. Quid Christianis sit Historia universalis. Sententia Polybiana quomodo Historiæ universali excellenter sic nominatæ conveniat.

Excerpt. Lib. VIII. p 514. c. 4. Lib. III. pag. 187. c. 32. Lib. I. pag. 4 cap. 4.

Καθολικὴν καὶ κοινὴν ἱστορίαν vocat Historiam, quam conscripsit, POLYBIUS; *generalem & communem historiam*: τὰ γραφέντα καθόλου, *generaliter scripta*: τὴν τῶν καθόλου πραγμάτων σύνταξιν, *res in historiam universalem compositas*. Complexus autem erat suo opere, cujus hodie exiguam partem tenemus, insignia illa incrementa Romanæ potentiæ, *ab initio belli secundi Punici, usq; ad finem belli & regni Macedonici, per quinquaginta & tres circiter annos.* quibus deinde alia nonnulla addidit. Et quanquam primario populi Romani facta componere voluit; quia tamen aliarum quoque, toto fere orbe tum notarum nationum, res inseruit temporibus, copulavit argumentis; non præter rem videbatur, amplitudini operis magnificum historiæ universalis elogium adhiberi. Inprimis propter conserendi, & vinculis unius contextus illigandi, quæ segregata & sibi invicem aliena haberi solent, artificium. Quod sibi gloriosius uni, certe primo, vindicat. Constet licet, HERODOTI MUSAS ante illa tempora, nequaquam τῷ κατὰ μέρος ἱστορίας τρόπῳ, *particularis historiæ mensurâ taxari* debere: quippe quæ non *Barbarorum* minus, ut vocabant, quam *Græcorum* res memoratu dignas *per ducentos viginti annos* complectuntur, Europæ-

Lib. I.

Herodot. lib. I. cap 1.

Dionys. Halicarn. Epist. ad Cn. Pompej. Christodor. Poet. lib. 5. Antholog. Gr. Epigram.

ropæque & Asiæ pleraque, (nam Africæ non æque magna illis temporibus in publicis magnisque ac celebribus negotiis sors & connexio erat) varietate scripturæ contextuque mirifico denarrant. Sed Polybius, aliquid singularis & ad ἐπίςασιν πολιτικὴν seu observationem & animadversionem rerum civilium referendæ laudis sibi deberi putat. Quo nomine credo *Casaubonum*, liberalius, & infra dignitatem Herodoti pronuntiasse in *Dedicatione Polybii: Magnus sane scriptor Herodotus, & sine controversia Historiæ pater: sed qui ad πολυμάθειαν & rerum antiquissimarum cognitionem plurimum; ad eam vero quam quærimus prudentiam non multum sit collaturus.* Nimirum & *Casaubonus* hîc eximium illud disciplinæ civilis genus animo conceperat, quod spectat τὴν καθόλε καὶ συλλήβδην οἰκονομίαν τ͂ γεγονότων, πότε καὶ πόθεν ὡρμήθη καὶ πῶς ἔσχε τὴν συντέλειαν. *universam illorum quæ ad summam rerum conferunt administrationem in iis quæ acciderunt, quando & à quibus principiis quæq; sint profecta, quove modo hunc tandem finem res sint nactæ.* Quod ipsi est, τὰ ὅλα συνθεᾶσθαι, & συνθεάσασθαι τὴν τ͂ ὅλων οἰκονομίαν, *Summæ rei notitiam quasi uno conspectu adipisci:* ita tamen, ut eadem cognitione, non modò τὸ μέγεθος τ͂ γεγονότων, *magnitudo rerum gestarum*, sed τὸ συνέχον, *ratio quâ cohærent & aptantur, comprehendatur.* Nam haud aliam esse viam autumat, *quâ res gestæ verè in clarâ luce ponantur, & admirabiles appareant, dignamq; sua nobilitate & prudentia lectoris observationem consequantur.* Sive, ut Græca habent: οὕτως ἂν εἴη μόνον σαφῆ τὰ γεγονότα καὶ θαυμαςὰ, καὶ μάλισ' ἂν οὕτω τυγχάνει τῆς ἁρμοζούσης ἐπιςάσεως. Quæ observatio prudentium, à cognitione minus perfecta, præclaris elogiis distinguitur, atque ἐπιςήμη, γνώμη, ἀτρεκὴς ἐμπειρία, πίςις, *scientia, experientia, quæ liquidam & indubiam rerum notitiam & fidem præstat*, appellatur. Sicut enim is, qui in tabella aliquas urbes & regiones inspexerit, nondum de totius orbis figura, situ, ordine judicare potest; nec, qui partes animalis disjectas singillatim oculis subjecerit,

Polyb. lib. 1. *Lib. VIII. pag. 514.* *Ibid.* *Ibid.* *Lib. 1. p. 5. c. 5.* *Ibid.*

de totius statim animalis forma & virtute idoneam adeptus est opinionem: Ita etiam ex particularibus historiis, sive particulatim traditis narrationibus non paratur accurata illa rerum publicè gestarum cognitio, quæ Divinæ providentiæ negotiosam per omnia dispositionem, hominum proposita, consilia, molimina, successuum, casuumque varias rationes, in eodem fati, ut ita dicamus, theatro contemplatur. Merebatur, quod suscepit *Polybius*, argumentum, ut, sicuti fortuna Romanorum longè latèque per gentes se explicabat illis temporibus, ita eo demonstraretur scribendi genere, quod non hæreret in diverticulis & particulis, sed summam rerum, totamque imperii increscentis imaginem exhiberet. Hæc ἐπίστασις καθολικὴ sive observatio civilis in universa tendens, quin *Polybio* sit & adhuc maneat, certo quodam modo propria, non negaverit, qui Polybii lectioni assueverit. Quare non præter rem *Gerardus Joannes Vossius* judicat: *Polybius non contentus prodere sui temporis historiam, simul* πρᾶξιν *tradere instituit civilis doctrinæ, tum ejus quæ in administranda Republica versatur, tum quæ ad militarem disciplinam pertinet: quibus duabus partibus politice absolvitur.* Fuit sane & aliis Historicis pragmaticis hoc propositum. Sed Polybio placuit peculiaris quidam & amplior modus: tum quod in universa semper porrigeret suam observationem; tum quod apparatu subsidiorum uberiore uteretur, qualem sibi ceterorum nemo permisit.

De arte Hist. cap. 22.

Majus opus animo concepit, & in multis exquisitam Polybii curam, interdum & stylum, quamvis in genere scribendi pressiore & magis conciso, imitatus est Diodorus Siculus. cujus *Bibliotheca*, *universalis Historiæ*, in quantum Ethnicis pertingere licuit, nomen, jam insignitè meretur. Orsus est enim à rebus antiquissimis, & ex illo tempore, quod Ethnicis, ignoratione sacræ, id est, omnium vetustissimæ historiæ, non immerito ἄδηλον sive obscurum fuit, multa tamen, ex auditu veluti per umbram repetens, usque ad Julium Cæsarem, opere dili-

gen-

gentissimo, cui elaborando triginta annos impenderat, omnium fere gentium nationumque res per undecim amplius sæcula executus est. Ingens thesaurus, nisi pleraque periissent. *Non defuisse paucos quosdam, fatetur, qui ab ultima* (intellige, Ethnicis cognita) *antiquitate Historiam universalem, ad sua cujusq; tempora deducerent.* ὀλίγοι δ' ἀπὸ τῶν ἀρχαίων χρόνων ἀρξάμενοι, τὰς κοινὰς πράξεις ἐπικεχείρησαν ἀναγράφειν μέχρι τῶν καθ' αὐτοὺς καιρῶν. Sed *alios horum lucem chronologiæ non adhibuisse, alios barbarica pleraque neglexisse, ac historiam fabularem*, cui multa veritas subest, *transilivisse*; *nonnullos & fato præventos, certè non ultra Alexandri M. successores processisse*, annotat. Quibus omnibus suum opus præstare, non vane prædicat; & de cætero non minus magnifice de instituto Historiæ universalis sentit, quam *Polybius.* εἰ γάρ τις τὰς εἰς μνήμην παραδιδομένας τοῦ σύμπαντος κόσμου πράξεις, ὥσπερ τινὸς μιᾶς πόλεως, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἀρχαιοτάτων χρόνων, ἀναγράψαι κατὰ τὸ δυνατὸν μέχρι τῶν καθ' αὐτὸν καιρῶν, πόνον μὲν ἂν πολὺν ὑπομεῖναι δηλονότι, πραγματείαν δὲ πασῶν εὐχρηστοτάτην συντάξαιτο τοῖς φιλαναγνωστοῦσι. *Si quis enim*, inquit, *memoria proditas res gestas totius orbis, tanquam unius civitatis, & Reipublicæ generis humani, initio ab antiquissimis temporibus ducto, ad sua usq; tempora pro virili portione componat; is profecto & ardui laboris plurimum exantlasse, & opus omnium utilissimum studiosis lectoribus elaborasse, censendus est.* Nec omittit comparationem historiæ particularis, & cetera, quæ ad imitationem elogii Historiæ universalis Polybiani pertinent.

Diodor. Sic. lib. 1. Hist. p. 3. edit. Rhodoman.

Diodor p. 4.

Atque huic *Diodori Siculi* operi, quod per omnia æquari possit, nihil licet ex antiquitate Græca vel conjectare vel nominare. Nam Apollodori *Bibliotheca*, *XXIV. libris* minimum constans, sicut ex *Photio* discimus, ante Diodorum quidem Historiæ universalis consilium habuit: sed fortasse congerendo potius, quam dirigendo rem gessit; si *Sopatri* judicium attentius legimus. Nam, illi *tres libri*, qui hodieq; circumferuntur *Apollodori* nomine, extrema

Cod. 151.

 parte,

parte; non magnâ tamen, defecti, à vetustissimis temporibus, ethnicorumque theologiâ orsi, ad Ulyssis usque errores, etiam historiæ universalis proposito æstimari debent: quanquam paucissimis ratio connexionis cognita est. Hactenus etiam, non male *Græcus epigrammatistes* apud *Photium*, carmen suum clausit de illo libello:

Cod. 186.

Εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Invenies in me quicquid hic orbis habet.

An autem *Photius* erraverit, quod *Apollodori* nomen huic quoque libello convenire credidit (sicut contendit doctissimus *Tanaquill. Faber*) an verò *Epitomator* aliquis, nomen Apollodori suis excerptis ad eum qui dictus est finem, per 650. annos, adjecerit; aut hi tres libri ἀποσπασμάτιον majoris operis haberi debeant, quod *Vossio* visum est; nunc quidem in medio relinquimus; & *Diodori* exemplum, ut unicum, in iis quæ supersunt amplectimur.

in Not. ad Apollodor. pag. 262.

de Hist. Græc. lib. I. *cap.* 21.

Cui suppar in *Latinis* TROGUS POMPEIUS, itidem *orbem terrarum aggressus, suis libris omnium sæculorum, regum, nationum, populorumq; res gestas, usque* ad Augustum complexus est. *Hic*, inquit *Bongarsius*, *à Nino, qui primus τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, ad Augustum Cæsarem, non ut Atticus apud M. Ciceronem septingentorum, sed ut Corn. Nepos omne ævum, id est, duûm millium annorum memoriam, uno libro colligavit.* Et *Trogi* quidem Epitomen *Justinus* fecit, & ad posteros transmisit.

Justin. in præf.

CORN. NEPOTIS autem, paulo ante Trogum clari, nullum hujus curæ specimen ad nos pervenit. salivam tamen movit *Catullus*, qui notitiam sibi cum Nepote contractam, hendecasyllabis prædicat, ipsum alloquens:

Carm. I.

Jam tum, cum ausus es, unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Juppiter, & laboriosis.

Con-

Conciso scribendi genere & brevi usum esse, vix dubites.

Christiani autem, verissimi possessores sacrorum codicum facti, & temporum computandorum peritiores, quam cæci eorundem voluminum custodes; *Historiam universalem* non agnoscunt, nisi quæ ab orbis conditu, auctoritate divinarum scripturarum originem capit; & ad fontem Biblicæ, id est, omnium & certissimæ & sanctissimæ historiæ, reliquas totius orbis res corrivat; atque ubi desinit illa, ex aliis Ecclesiasticis & civilibus scriptoribus supplet pertexitque, usque ad tempus, quo scribitur. Antiqua hujus generis opera, utinam possemus multa laudare. Eusebii *Chronici Canones*, à Julio Africano multum mutuati, *παντοδαπῆς ἱστορίας*, quasi universalem seu omnimodam historiam dicas, nomen gerunt. Hinc Georgium Syncellum, & Georgium Cedrenum pleraque descripsisse, monstrat, *principio animadversionum Eusebianarum Josephus Scaliger.* Et *Eusebium quidem*, Latinè convertit, interpolavit, & supplevit *Hieronymus*. Ex *Syncello*, Eusebii Græca, quæ supersunt, repetenda fuerunt. Quæ scripta *συναγωγὴν ἱστοριῶν χρονολογικὴν*, *collectionem historiarum notatione temporum* circumscripserunt: prætermissis expositione ulteriore & contextu rerum civili. *Cedrenus*, amplius institutum secutus est, & universalis historiæ nomine dignius. Sed, quantum ex minore parte ingentis operis, quæ sola ad nos pervenit, intelligitur, non raro ambages serit, & in aliena digreditur, ne non tam philosophus, quam historicus videatur. Joannes quoque Zonaras, in *præfatione* operi præmissâ, satis ostendit, sibi in animo fuisse, *καθολικήν τινα ἱστορίαν*, *universalis quoddam historiæ corpus* concinnare, à condito scilicet orbe usque ad Alexii Comneni obitum, id est Ann. Chr. 1118. *Delegit autem sibi non omnium, sed præcipuarum gentium historias; neq; eas omnes, sed vel præcipuas, vel eas, quæ ad Ecclesiæ seriem perspiciendam facere videbantur, consilio judicioq; suo:* ut *Interpres* ejus fatetur.

Hieron. Wolff. præf. in Zonar.

tetur. Sed hi omnes, ſicut ad Hiſtoriæ univerſalis propoſitum aſpirarunt, ita in citeriore gradu ſubſtiterunt. Minus etiam Zonarâ præſtitit, quamvis idem conſilium intra ejusdem argumenti limites præ ſe ferens Michael Glycas, totus παρεκβατικὸς, digreſſionibus & diſputationibus deditus, & legum hiſtoriæ immemor.

Cur *Joſephi Judæi* nullam fecerimus mentionem in hac annotatione, ultrò intelligi par eſt. Licet enim is à primæva mundi ætate orſus, hiſtoriam usque ad ſua tempora pertexuerit; & in poſteriore parte ſuæ ἀρχαιολογίας, Aſiaticas & Ægyptiacas & Romanas res miſcuerit; quia tamen ad Judæos pleraque retulit, inter eos potius referendus eſt, qui hiſtoriam univerſalem ſcripturo, plurimum poſſunt adjumenti adferre, & non modicam materiæ partem ſubminiſtrare.

Pauci omninò fuerunt, à tot ſeculis, qui formam hiſtoriæ univerſalis vel animo complecti, vel ſtilo ſignare auderent. quanquam neceſſarium, ſi quod, tale opus, non ignorarent. Ad *compendia* quædam, ut vocant, vel *chronologica* vel *hiſtorica* decurſum eſt. *Quidam* ad ὕλην ἐκκλησιαστικὴν animo converſo, vix alia, quam quæ ad Eccleſiæ fata pertinebant, ſibi requirenda exiſtimârunt, quotiens magni operis hiſtorici pomœrium ducere aggreſſi ſunt. *Alii* ad conficiendam certam quæſtionem, adverſariis oppoſitam, hiſtoriæ latius conſignandæ rationes & excerptiones retulerunt. *Nonnulli* ſuæ nationi & affinibus locis rebusque ſi advigilarent, huic inſtituto ſatis eſſe, opinati ſunt.

Cum tamen *Hiſtoria univerſalis*, ſi hodie deſcribenda ſit, non poſſit aliter vel animo concipi, vel hoc elogio publicari, quam ut res omnium ætatum ac populorum, inde ab origine temporis, id eſt, ab orbe creato usque ad hanc noſtram ætatem, in Eccleſia & Republica, collectas ſedulo, diſpoſitas ordine, contextas prudenter, ad contemplandam Dei omnia regentis ſapientiam & potentiam, hominumque ex conſiliis, operibusque varie ordinatos

dinatos eventus observandos, Deoque gloriam, lectoribus artem vivendi comparandam, comprehendat & exhibeat.

Tali operi, quin accuratè conveniat, & eximiè, quæ *Polybius* suo instituto, utut longe longeque angustiori, splendidis laudibus accommodavit, nullum relinquitur dubium. Sed, si ad mensuram Polybianam scribendum esset, immensa volumina nascerentur. Ille enim non multum supra dimidium sæculum complexus, quadraginta libros, ingenti opere construxit. Hîc sexaginta fere sæcula condenda essent uno historiæ complexu. Non cogitavit de formâ & consilio operis Polybiani proprio doctissimus *David Chytræus*, sed deflexo in similitudinem quandam sensu, etiam epitomen quamcunque honoravit illa commendatione: *Quisquis igitur* (inquit) *in lectione historiarum utiliter versari cupiet, is initio, juxta Polybii preceptum, universam mundi historiam, ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν καὶ σωματοποιεῖν, uno intuitu complecti, & velut in corpus redactam, animo comprehendere studeat. ut enim in cæteris artibus, initio summa totius doctrinæ in compendium contracta, rectissime discitur: sic in historiarum etiam lectione, principio Epitome brevis seu chronicon, complectens seriem omnium temporum & Imperiorum, & præcipuarum generis humani mutationum, ex libello Carionis, vel simili, accuratè cognoscendum est.* De quo genere libellorum deinde aliquid dicendum est. *De Lectione Histor. Instit. ad Princip. Jul.*

Exempla conatus ejusmodi scripturæ; & successus. non sine distinctione: & inquisitione historica: per seriem temporum.

De exemplo Historiæ universalis apud ethnicos incomparabili, Diodori scilicet Siculi Bibliotheca, antea, ut ostenderetur, quid hoc nomine intelligendum esset,

 agen-

agendum fuit. Accessit & de illis aliqua Dissertatio, qui in arctiore instituto, citra illum finem, ad quem votum adjecisse satis erat, restiterunt. Pertexenda nunc sunt consilia talis operis, dispare destinatione successuque instituta, ubi perpetua fere confusio *chronicorum* seorsum ita dictorum, & *historia explanata demonstrataq;*, occurrit. ita, ut, qui hoc affectaret, optaretque, ad illud delatus, eove quomodocunque perfunctus, causam sibi ultra dicendam non putaret. In *Ecclesiasticis* quoque & *Civilibus*, utramque laudem sibi trahebant, qui in alterutra paululum processisse videbantur. ut &, qui partem aliquam studiosius tractasset, de toto, quamvis præscripto promissoque, respondendi causam detrectabat.

Paulum Orosium ponunt etiam in iis, qui universali historiæ animum adjecerunt. Nec alienus est ab hac sententia *Andreas Schottus*, dum *Orchestram* putat inscriptum esse hoc opusculum, *ceu theatrum rerum gestarum*: & historiarum lectionem, ab eo compendio auspicandam, arbitratur. Admodum liberaliter ita judicant de conciso libello, & ex singulari occasione, ad certum scopum ac hypothesin relato. Et *Orchestra* illa, fortè tam nihili est, quam *Hormesta* & *Ormesia*, aut *Hormathus* aliave deliramenta, circa indicem libri.

in Epist. ad Pet. Cholin.

Nec enim *Cassiodori Chronicon*, ab orbe condito usq; ad Theodoricum Regem, quisquam huc retulerit.

Godefridi Viterbiensis Pantheon, operi Pistoriano insertum est.

Voss. de Hist. Lat. l. 2. c. 54

Vincentius Bellovacensis, usque ad annum Christi 1244. deduxit *speculum Historiale*. in quo multæ nugæ.

Voss. de Hist. Lat. l. 2. c. 59

Henrici VII. temporibus, *Anonymus* quidam scripsit *Chronicon de septem ætatibus mundi*, haud dubie Historiam universalem molitus. sed quantum ex descriptione *Vossii* constat, compilatio mera est.

De Hist. Lat. lib. 2. c. 63.

Ita etiam inscripsit suum opus *Richardus Grasdale*, *de ætatibus mundi*.

Lib. 3. c. 5. p. 559.

Nec

Nec aliud, quam excerpta sapit *Henrici de Erfordia* opus, de factis illustribus ab orbe condito usque ad annum Christi 1355. *Lib. 3. c. 1.*

Ranulphi Hygden Polychronicum, videtur æstimatores reperisse: cui etiam auctarium addidit *Thomas Walsinghamus.* *Lib. 3. c. 2.* *Lib. 3. c. 9.*

Florilegium tantùm Historiæ universalis ipso nomine profitetur *Matthæus Westmonasteriensis.* *Lib. 3. c. 2 f.*

Balduinus parochus Paderbornensis ab orbe condito usque ad 1418. historiam universalem reliquit. *Lib. 3. c. 5. p. 550.*

Chronodromon Joannis Brandonis huc videtur aspirâsse. *Lib. 3. c. 5. p. 551.*

Ut &, *Anonymus* sub Sigismundo Imperatore.

Cujus temporibus etiam *Gobelinus Persona* Cosmodromium suum composuit. *Lib. 3. c. 9. p. 801.*

Aniani Flandri Casselensis chronicon universale, an supersit, ignorat *Vossius.* *Lib. 3. c. 6.*

Petri Ranzani, de omnium pæne gentium rebus Annales, quales fuerint, superstes de 61. libris fragmentum ultimi ostendit. *Lib. 3. c. 6. p. 567.*

Werneri Rolevinq de Laer, Fasciculus temporum, operi Scriptorum Germanic. *Pistoriano* insertus, qualis sit, in propatulo est. *Lib. 3. c. 6. p. 569.*

Hartmanni Scedel Chronicon Norimbergense notissimum est.

Blondus Flavius ab Arcadio Honorioq; Cæsaribus (quo tempore inclinâsse Romanum Imperium memorant) usque ad ætatem suam, universalem scripsit historiam, opus certe laboriosum & utile; verum expolitore emendatoreq; dignum. Ita Jo. Gobelinus. *Lib. 3. c. 7. p. 586.*

Antonini Archiepiscopi Florentini opus multa continet, quæ nemo historicarum artium peritus probaverit. *Lib. 3. c. 7. p. 587.*

Referunt alii, scriptores Historiæ universalis, numerosius: *Bodinus sub finem methodi, Chytraus, Bolduanus, &c.* Sed non desunt causæ expungendi quosdam: & nobis aliud fuit propositum. Quanquam ex enumera-

meratis modo, vix quicquam est, quod valde huc faciat.

Joannis Naucleri opus Historiæ universalis, multum
Lib. 3. c. 10. debet limæ Philippi *Melanchthonis:* annotante *Joachimo*
p. 646. *Camerario in vita Melanchthonis.*

Lib. 3. c. 12. *M. Antonii Sabellici Enneades undecim, usque ad Annum Christi* 1504. pertingunt.

Hi duo longe supra priores, quibus vel temporis vel ingenii consuetudo minus propitia fuit, in historia universali profecerunt. Ad legem tamen contextus Polybiani non aspirarunt.

Imo multis, in parte consilii fuit, exuere illam solicitudinem, & de ordine cogitare, qui erudita ordinis mysteria excluderet; ut ipsi quidem sperabant. Ita longè facilius fuit, in *Quatuor* summa Imperia, sive *Quatuor Monarchias* partiri universitatem Historiæ; & , quæ ad hos titulos referri possent, jam satis disposita, satisque
Voss. de Hist. Lat. Lib. 3. c. 6. p. 566. contexta credere. *Rudolphus Agricola*, cum ratione & gravitate huc descendit, quando Principis sui petitioni satisfaciendum esse vidit.

Sleidani quoque libellus hoc nomine præscriptus, quantum in illa exiguitate fieri potuit, auctoris prudentiam abunde prodit. Fontes historiæ, opportuna annotatione *Meibomius* eruditè adjecit.

Institit hanc viam *Chronicon*, quod vulgo *Carionis* vocatur: est autem à *Philippo Melanchthone* compositum, & à *Peucero* continuatum. In hoc ea sunt, ad summam rerum, & historiæ universalis contextum spectantia, judicia, monita, præcepta, ut de alio hujus generis & instituti volumine, similia polliceri nemo facile queat.

Quanquam de cætero ad usum communem, epitomicum tamen, uberior sit & frequentior *Ludovici Gotfridi Historia universalis, Quatuor Monarchiarum elogio comprehensa.*

Christianus Matthia, suavitate & novitate quadam methodi, sua ad monarchias excerpta adornavit.

Omni-

Omnium autem in hoc genere curas vicit nobilissimum opus *Reineri Reineccii*, sive, *Syntagma Historiæ Juliæ:* acerba auctoris morte, quantum ad ultimam partem attinet, interruptum.

Joannes Cluverus, *Epochas Biblicas* & *Propheticas*, aliter judicio & contextu sequitur: in quantum habuit, qui præirent. Aut, si dicendum clarius est, Historiæ Ecclesiasticæ aptavit, quicquid ad connexionem rerum pertinet.

Pezelii & *Micralii* opera, docentis ingenio accommodari auditoribus visa sunt. Ceteris haud æque τῆς ἁρμοζούσης ἐπιστάσεως, quam in Historia universali Polybius spectat, copiam præbere putantur.

Aliqui contexendi facilitatem quæsiverunt in *Ætatibus Mundi*, ex vulgata opinione. Ita *Dresserus* historiam universalem per *sex Millenarios mundi* distribuit. Et *Jacobus Usserius Armachanus* in *septem ætates* digessit *Annales suos*.

Sicut & ille modus ei, ad propositum historiæ universalis visus est congruere, si *Historiæ Sacræ*, externa subtexerentur. Ita in *Annalibus Veteris*, & *Novi Testamenti* diligenter pleraque conseruit, ex reliqua orbis historia.

Quod & *Jacobus Salianus*, *in Annalibus veteris Testamenti* præstitit.

Et à Christi nativitate, Historiam Ecclesiasticam professi, *Centuriatores Magdeburgici*, *Hottingerus*, & alii.

Illud quoque in expedito videbatur, ab *Epocha Imperatorum*, ad cujusque Imperatoris tempora, quicquid est in universo ὕλης ἱστορικῆς, referre.

In *sæcula*, sive centenaria annorum spacia, partiri hoc argumentum, obviæ itidem commoditatis habebatur. Cujus viæ aditum muniunt *Tabulæ Helmstadienses*, *Lambeciana*, & alia scripta.

Chronicorum institutum, in quantum à contexta Historia differt, apparet nos exclusisse. itaque nec *Ubbonis*

Emmii Chronologicos Canones, nec *Calvisium*, aliosque plurimos, nominavimus. Et nunc ab hoc excessu redeundum est, ad illum interiorem artificii contextum historiæ universalis, de quo ad mentem Polybii potissimum, agendum erat.

Hujus generis exempla quædam notabilia annotabimus, primò *extra historicorum opera*, deinde, *in Historicis*.

Extra *Historicos* hæc scientia se prodit in istis *libris*, qui, exempli causâ, unius & alterius nomine exprimi possunt. Talis est, *Trutina Statuum Europæ Ducis Rohanæi.* Tali certe notitiâ rerum instructus esse debet, qui historiæ universali manum vellet & animum accommodare. Ita *Lydius Lapis Trajani Boccalini*, ut & alia ejus scripta, speciminibus talis cognitionis voluerunt celebrari. quanquam is, nimium sæpe conjecturis suis permisit, & confidentius aliquando ambulat. Denique, sicut ad res summas in Republica gerendas, hoc illud lumen est, quo paucorum & magnorum virorum virtus, orbem illustrat; ita ad scribendam historiam ex plurium gentium rebus contextam, hic tubus opticus nisi oculis adminiculetur, caligo & tenebræ facile abducent aut seducent eum, qui hoc agere decrevit.

Præcellunt hoc peritiæ genere *Boteri* & *Forstneri* scripta.

Doctissimus autem *Johannes Strauchius* Jurisconsultus, in *Exercitationum Exotericarum primâ statum totius Europæ, currente sæculo XVI.* ita exhibuit, ut consiliorum rerumque gestarum contextus, eo subsidio melius ordinari comprehendique posset.

Davidis quoque *Chytræi præfatio* ad Lectorem, præmissa *Saxoniæ*, ea disserit, quæ hujus meditamenti genuinum specimen præ se ferunt. Sicut & in eo ipso opere longe plus præstat, quam titulus promittit, nec Arctoi orbis modo, sed Europææ historiæ instruendæ idonea con-

conducendo, proximè ad historiæ universalis superioris sæculi consilium accedit.

In ipsis *Historicis*, hujus curæ exempla indicanda sunt. Et opus quidem *Historiæ universalis* ab ortu rerum primo ad proxima tempora, syntagmate modico conscriptum, iis tamen artibus, quæ scriptori amplioris operis necessariæ sunt, laudatur facilius hactenus, quàm reperitur. In amplitudinem autem diffundere res gestas, more Polybiano, non est unius hominis aut ætatis. Quare prudentioribus placuit, *Historiam universalem, certi nec longi temporis aggredi.* Fecit id singulari brevitatis genio *Ludovicus Guicciardinus*, etiam in angustiore ambitu: qui suum consilium (interprete Kerckhovio) ita explicat: *hoc ad extremum deliberatum fuit, ut devorato omnium difficultatum tædio, sigillatim certi temporis memoriam uno libro colligarem, & quasi in epitomate, summam duntaxat earum rerum, quæ in Belgio, jam inde à pace illa apud Cameracum inter Carolum V. Imperatorem & Francisc. I. eo nomine Franciæ Regem facta, exactis plus triginta annis, passim aliquando evenissent, λακωνικῶς perstringerem: eodemq; intertexerem datâ occasione, quicquid alicubi gentium, maximè verò, in Europa clarum, insigne ac memorabile interim accidisse compertum esset. quippe perspiciebam, res ambas naturâ ita comparatas esse, ut hæ cum illis quodam quasi affinitatis vinculo copulatæ, non solùm facile invicem cohæserint, sed non minimum etiam convenerint ad amplificationem, fundamentumq; justæ historiæ, quam à me delibatam, perficiendam gravioribus ingeniis relinquo.* Non ignoravit contextum rerum eruditè tractandum: sed cavit sibi, veniæque consequendæ rationes ex eo disposuit, si Belgii spatio præcipuè suam narrationem clausisse, cetera non eodem studio, sed securius, &, ut sub manum succederent, subtexuisse videretur.

Julius Cæsar Bulengerus, *historiam universalem* non nisi *sui temporis*, describendam suscepit.

Nec ulterius patet *Natalis Comitis*, *Veneti*, institutum,

rum, qui ab anno 1545. usque ad 1581. historiam universalem edidit: non valde illam quidem exactam, aut artibus, quæ hîc spectantur, copiosam; non omittendam tamen in hoc transcursu.

Et quando tempora, quæ *Natalis* componit, in *Jacobi Augusti Thuani* opus congruunt, qui ab anno Christi 1543. usque ad 1607. sexaginta annorum historiam universalem condidit; non poterit utilior & exactior *κρίσις* institui, quàm si quis illius scripturam cum hujus expositione conferat, consilia consiliis, artes artibus scribendi comparet, & quid ingenio prudentiâque valeat uterque, interiore curâ dignoscat. Fallor, aut magno exemplo constabit, duo cum faciunt idem, non esse idem: & uno eodemque argumento ingenia decora cœlo tenus assurgere; imparia, inter conandum hebescere & obhærescere. *Thuanus* enim est, cui nemo historiarum scriptor, ex eo quo vixit tempore, per omnia potest comparari. Præsertim illis artibus, quas Polybii exemplo, universali historiæ coaptandæ, unice validas & idoneas existimamus.

Lib. 1. pr. Atque *Thuanus* quidem palam professus est, se *res orbe toto gestas* annis designatis & expressis, *posteris traditurum*. Insequentia tempora *Gabriel Bartholomæus Gramondus* scribenda suscepit, sed intra Gallicarum rerum fines. *Historiam ætatis nostræ Gallicam posteritati tradam*, inquit. Rhetoris more loquitur ad Lectorem: *scribere se res suorum temporum Gallicas, eoq; nomine Europæas.* & in *Dedicatione*: *Ætate qua vivimus, res Gallicæ, Europæ historiam faciunt.* Quæ figurâ non carent. ne nunc de Asiaticis, Africanis, Americanis rebus, quas Thuanus complectitur, aliquid dicamus.

Lib. 1. pr.

Interdum *Editores* operum, indicem libri eo usque extendunt, quo *Auctor* ipse nec cogitavit. Accidit hoc *Emmanueli Meterano*, qui, cum universalem historiam nec aggressus nec professus esset, illi tamen, qui anno hujus

sæculi

ſæculi 40. iterarunt editionem, tali elogio volumina præſcripſerunt.

Ab erudito illo conſilio contexendi hiſtoriam univerſalem, plurimum abſunt, tumultuarii illorum labores, qui *Mercurios* orbe toto diſcurſuros emittunt, & *Relationes*, ut quidq; audiunt accipiuntq; curioſitati paſcendæ, ad horas & nundinas conficiunt. Aliud nimirum eſt, ſcribere quæ ætatem ferre queant, &, componere quaſi ad uſum ſpectaculi alicujus temporarium opus: quod *Thucydides* præclarè monet. *Lib. 1.*

Hinc eſt, quod *Mercurios Ultramontanos*, ſatis contemtim ridet *Victorius Sirius*, longeque alio inſtructu ſuum *Mercurium* adornat. Hic enim vir eſt, qui veras artes hiſtoricas edoctus; ab anno 1635. orſus; Italico ſermone, operis æternam famam habituri illuſtre ſpecimen dedit. Sed id apparebit clarius, ex iis, quæ jam de ipſis illis artibus, hiſtoriæ univerſali pragmaticæ condendæ deſtinatis, ſingillatim adumbrare conabimur. *Il Mercurio overa hiſtoria de' correnti tempi. tom. 1. praf. ad Lectorem.*

Artes, ſive leges quædam, Hiſtoriæ univerſalis, pragmatico contextu ordinandæ, ſingillatim attinguntur.

HOc loco, ante omnia, I. ſciendum eſt: *quæcunq; hiſtoriæ pragmaticæ etiam particulari convenire putantur, ea ab hiſtoria univerſali, Polybiano ſenſu ſcribenda, abeſſe nequaquam poſſe.* Neque enim hîc nuda expectatur rerum & eventuum conſignatio, ſicut in antiquorum Annalium more, & *diario* quodam, ſive ephemeride fieri ſolebat. hoc enim eſſet, ſi *Sempronium Aſellionem* audimus, *fabulas pueris narrare, non hiſtorias ſcribere.* cum potius id agendum ſit, *ut non modò caſus eventusq; rerum, qui plerumq; fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſæq; noſcantur.* *Nobis enim*, inquit Aſellio, *non ſatis eſſe video, quod factum eſſet* *Gell. lib. 5. c. 18.* *Tacit. 1. Hiſt. 4. 1.* *Lib. 1.*

id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta
lib. 3. p. 163. *essent, demonstrare.* *Polybius* in hac sententia animosius, *quorsum*, inquit, *ægroto medicus, qui ignoret causas affectionum humani corporis? quæ item viri illius utilitas, qui ad tractandam rempublicam accessit, & nescit dignoscere, quomodo, quare, & unde singula, quæ eveniunt, causam cur fierent sint nacta? Siquidem, ut medicus ille nequaquam, ut oportet, rectam curandis corporibus rationem inierit; ita neque vir pragmaticus aut in gerendâ republicâ occupatus, quicquam eorum, quæ tractanda offerentur, recte subducta ratione susceperit, absque earum, quas diximus, rerum cognitione. Quare nihil æque oportebit curare & requirere, quam omnium eventuum causas.* Id quod *Casaubonus* in *Dedicatione* operis Polybiani magnifice exequitur.

II. *Magno animo aggrediendum est opus historiæ universalis, & extra tricas posito, quiq; veritatis eruendæ ac dijudicandæ peritiâ sit præditus.* Ab animo parvo & pravo nihil expectatione dignum prodibit. Corrumpitur enim, ut in vase parum sincero, quicquid incidit in malignas & minutiis assuetas animas. *Thuani* eximia prorsus virtus, ubique præclarissimo operi, genium infudit, & vigorem.
lib. 127. pag. 989. Quippe *obfirmato contra calumnias & obtrectationes animo, conscientia* tutus, iter tenuit ambitione & periculis vacuum. Ab iis, qui livore pleni nunquam rectis oculis aspicere negotia possunt, quid tu purum aut historici officio consentaneum speres? Quid de iis, qui etiam in historia, loco maxime alieno, neminem, in religione diversa sentientem, vel nominare nisi *hæretici* convitio verberatum possunt, contra morem civilis vitæ & stilum legum publicarum? Magnus non potest cuiquam contingere animus, absque divino beneficio. Dubitavit *Livius*, an Historicos deceret, more Poëtarum divinam opem exposcere, & *orsis suo-*
lib. 1. pr. *rum operum successus prosperos* impetrare. At majoris animi est pietas, neque moris, sed officii viro prudente digni esse existimat, cœptorum laborum primordia precibus
fine lib. 1. honestare. *Thuanus*, de suo instituto præfatus, graviter addit:

addit: *quod ut nobis concedat omnium gratiarum largitor Deus, eum toto pectore per generis humani propitiatorem, qui cum spiritu consolationis per sæculorum æternitatem regnat,* JESUM CHRISTUM, *etiam atque etiam rogamus.*

III. Et quando pars est cautionis necessariæ, *explorata tradere*; primas quidem partes experientia sibi vindicat, de qua magnifice *Polybius*, partem rerum à se scriptarum commemorans, ad hunc laborem se maximè ea re impulsum gloriatur, *quod non spectator modo plerorumq;, sed adjutor, & nonnullorum auctor administratorq; extiterit.* διὰ τὸ τῶν πλείστων μὴ μόνον αὐτόπτης, ἀλλ' ὧν μὲν συνεργὸς, ὧν δὲ καὶ χειριστὴς γεγονέναι. Quia tamen id non omnibus nec semper potest contingere, proximum est & experientiæ instar habet, ab actoribus auctoribusque rerum, eorumque commentariis, aliisque probatissimis monumentis, magno delectu judicioque conquirere, quæ in hos usus valeant. Quare *Diodorus Siculus* valde commendat, τὴν ἐν Ῥώμῃ χορηγίαν τῶν πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὑπόθεσιν ἀνηκόντων, *ea quæ Romæ ipsi suppeditata sint ad argumentum historiæ pertinentia*: ut & τὰ παρ' ἐκείνοις ὑπομνήματα ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένα, *commentarios rerum à longo tempore ibi asservatos. Thuanus*, qui & ipse multis rebus publicis interfuit, & in peregrinatione sua plurima futuro operi, quod meditabatur, conducibilia collegit, etiam *singulis libris nominatim præmisit, quibus usus esset subsidiis,* quod ante eum, *Aventinus* fecerat. Operæ pretium est, audire ipsum, optimum probæque mentis & orationis virum in apologia operis Historici. *Eodem tempore*, inquit, *inchoatum historicum opus, ante* XV. *annos animo conceptum, comparata ad id undiquaque per totum illud tempus materiâ, & per peregrinationes in adolescentia, virorum illustrium tota Europa aut per literas aut coram contracta familiaritate, ac nostrorum imprimis, qui res magnas sub regibus gesserunt, commentariis item illorum qui præcipuis legationibus functi sunt, & ipsorum* IIIIvirûm *à secretis epistolis, scriniis diligentissime pervolutatis: etiam*

Lib. 3. p. 161. cap. 4.

Lib. 1. p. 51

Commentar. de vit. sua. lib. 5. p. 81.

libris (nam nihil dissimulandum) qui factionum ardente incendio utrimq; publicati sunt, in consilium adhibitis, sed ad eorum, qui rebus ipsis interfuerunt, fidem religiosè postea examinatis: ut non ex rumoribus & sparsis libellis, quod injuriosè Thuano à malevolis exprobratum est, sed ex ipso veritatis fonte hausisse, quæ scripsit, merito asseverare possit. Addantur sequentia, & illud, quod subjicitur: *hoc & observabat religiose, sicuti ex ipso audivi, ut præter orationes, quas quisq; fidelium mane surgens ad Deum concipere tenetur, peculiarem pro instituto opere faceret, & non nisi expiata per preces ab affectibus mente ad scribendum accederet, numen invocatum venerans, ut sibi præsenti auxilio adesse dignaretur, & lumen menti præpanderet, quo inter factionum & odiorum æstus latentem veritatem eruere, & in apertum citra livorem & adulationem educere sibi liceret. &c.* Sed, ut virtus & ingenium *Thuani* singularis est exempli; ita delectus & judicium in sequendis aut non sequendis, quæ alii consignaverunt, ad summum laudis profecit. *Natalis Comes* in principio sui operis promittit quidem: *servabimus tanquam jurisjurandum, ne quid scientes mentiamur.* Sed parum solicitus fuit, de testium testimoniorumque delectu: sicut, ne alia nunc attingamus, vel ex iis locis patet, ubi *Surium*, citra examen, describit.

IV. *Principium* in arduo & magno opere Historiæ universalis, sicut in ædificio fundamentum, *summa cura oportet constituere, & quodammodo in solido locare.* Facundus est de hoc artis genere *Polybius* & magniloquus. Ponit primo communem regulam:
Lib. 1. p. 5. cap. 5. ληπτέον δὲ καὶ τοῖς καιροῖς ὁμολογουμένην καὶ γνωριζομένην ἀρχὴν παρ᾽ ἅπασι, καὶ τοῖς πράγμασι δυναμένην αὐτὴν ἐξ αὐτῆς θεωρεῖσθαι. *Sumendum autem est principium, quod & tempora certa, ac apud omnes nota habeat, & res ejusmodi, ut ipsum per se possit intelligi.* Ne scilicet, si aliunde pendeat, & per ambages demonstrari opus habeat,
Ibid. ἀνυπόστατος ἡ τῆς ὅλης ὑποθέσεως ἀρχὴ γίνεται καὶ θεωρία, *totius argumenti explicatio suo quasi demonstra-*

monſtrationis fundamento careat. Deinde, *apparatum* ipſum hujus curæ, & quomodo in fundamento tali conſtituendo verſandum ſit, oſtendit in illis mox ſubſequentibus ac cohærentibus verbis: *κᾂν δέῃ τοῖς χρόνοις βραχὺ προαναδραμόντας κεφαλαιώδη τῶν μεταξὺ πράξεων ποιήσασθαι τὴν ἀνάμνησιν. etiamſi oporteat repetitis paulo altius temporibus, medii intervalli res geſtas ſummatim in memoriam revocare.* Denique *duos integros libros operi ſuo præmunit*, donec libro tertio ad res ipſas, quas ſuſcepit ſcribendas, accedat, & principium jam in luce poſitum exhibeat; repetitâ & denuo inculcatâ hujus conſilii philoſophiâ. *Lib.2. & 3.* *Lib.3.cap.1.* *confer lib.4 cap.2.*

Gemina his *Thuanus* orditur: cujus totus *liber primus* ad conſtituendum accuratè principium & habitum argumenti refertur. In quo labore, *Hæc*, inquit, *quamvis altius repetita commemorari breviter neceſſarium duxi, quando ea, quæ deinceps ſcripturi ſumus, ab illis veluti continuata ſerie pendent, & ad conſiliorum & eventuum, qui deinde ſecuti ſunt, intelligentiam conſenſione quadam pertinere viſa ſunt.* An ſatis diſertum Polybii interpretem hæc verba produnt? *Lib.1.p.22.*

V. *Singularis eſt Polybio* & propria diligentia, ad contextum rerum omnium demonſtrandum, in eo, quod poſt apparatum illum ampliſſimum, *inſuper lectorem ſuum jam ſatis præparatum, ſummâ totius hiſtoriæ inſtruit, & quaſi in toto contueri jubet, quæ ſingillatim & per partes inde cognoſcenda daturus eſt.* Quæ *προέκθεσις* ſive *contracta in unum prænarratio argumenti, ita confecta eſt, ut ſit ἀκόλουθος τοῖς εἰρημένοις* ſive *cum ante in apparatu expoſitis cohærens.* Cui ſtudio vix eſt, quod uſquequaque compares. Nam *breviaria & lemmata*, quæ ſingulis libris apud *Thuanum* præmittuntur, ad conſpectum quidem argumenti, in partibus, ſed alio quodam modo valent. *lib.3. capp. 2.3.4.5.*

VI. Non tantum autem *in illa præmunitione principii*, (quanquam hîc potiſſimum) ſed etiam *locis aliis opportunis & ad magna argumenta tendentibus, judicio exacto habitus rerum animorumq; undecunq; ad contextum hi-*

storiæ pertinentium signari, & in conspectu poni debet. Thuanus, indicato historiæ argumento, *quod antequam aggredior*, inquit, *conveniens institutæ narrationi videtur esse, ut prius, qui status rerum, quæ consilia & vires principum, qui motus animorum tunc essent, breviter sed altius ducto initio, explicetur. Itaq; à Gallis & Hispanis, penes quos rerum summa & reliquorum principum fortunæ erant, auspicabimur.* Ita *Victorius Sirius* Historiæ suæ præmittit statum rerum in Europa, anno 1635. unde orditur: *quæ fuerint dispositiones, paratus, regulæ, consilia, rationes utilitatis*, apud *Hispanos, Gallos, Pontificem, Venetos, Genuenses, Sabaudum, Florentinum, Mantuanum, Parmensem, Mutinensem, Helvetios, Hollandos, Imperatorem & Domum Austriacam, Ligam Catholicam, Principes Protestantes, Reges Sueciæ, Daniæ, Hungariæ, Poloniæ, Angliæ.* Vide, & mirare diligentiam & prudentiam scriptoris. Hoc est, quod *Polybius* dicit: πρὸς δὲ τούτοις τὰς ὁρμὰς καὶ τοὺς ζήλους ἐξηγητέον, τίνες παρ' ἑκάστοις ἐπεκράτουν καὶ κατίσχυον, περί τε τοὺς καθ' ἰδίαν βίους καὶ τὰς κοινὰς πολιτείας. *dicendum insuper* (ita *Casaubonus* reddit) *de animorum inclinationibus & studiis, quæ apud singulos populos, tum in vitiis privatorum, tum in publicis consiliis obtinebant ac præcipuè vigebant.* Addi debent, antecedentia & sequentia.

libr. 1. pr.
tom. 1. lib. 1.

VII. *In magno argumento, sunt omnino quædam spatia & intervalla, ut in via lapides, constituenda.* Est hæc res judicii majoris, quàm prima specie apparere potest. Adeò ut magnus & singularis in hoc genere haberi debeat *Diodorus*. Hic non tantum ab initio statim designat, quam periodum *primis sex libris*, quam *sequentibus undecim*, quam item *tribus & viginti reliquis*, complexus sit: sed singulis deinceps libris, quo progressus, quo progressurus sit, nova partitione ostendit: *Hæc de rebus Ægyptiis satis sit dixisse; nunc Assyriorum res persequemur.* Et sic in ceteris. *Libro quarto, novo insuper exordio* utitur; & *res prioribus libris traditas*, & *hoc tradendas* clare recenset. Libri *quinti* principio, & *regulam* hanc tradit, & exem-

lib. 1. p. 5.
lib. 1. f. p. 89 & lib. 2. pr. pag. 90.
add. lib. 3. pr. pag. 143.
lib. 4. pr.

conf. l. 15. p. 328. & 403. lib. 5. p. 285. & seq.

exemplis declarat, & *modum* ita scribendi disertius exprimit: *Historiarum scriptores omnia quidem ad ejusmodi scriptionem utilia probe decet observare, tum in primis studiosos esse*, τῆς κατὰ μέρος οἰκονομίας, *bene distributi in singulis partibus ordinis. Sicut enim bene ordinata ratio in re familiari plurimum ad conservandas & augendas opes confert: ita in historiis, scriptoribus non parva præstat adjumenta.* Taxato subinde *Timæo*, *Ephorum* laudat, non *componendis magis, quàm disponendis rebus passim gestis insignem.* τῶν γὰρ βίβλων ἑκάστην πεποίηκε κατὰ γένος περιέχειν τὰς πράξεις. *Partes* scilicet *singillatim, neque per tempora sed per species exequebatur, quò distinctius demonstrari cognosciq; possent.* ut verbis *Suetonii* huc apposite pertinentibus utamur. *unicuique libro certum rerum genus attribuit.* in Aug. c. 9.
quo exemplo *Diodorus*, illum ipsum librum quintum, *insularem* nominavit. Certum quidem tempus unicuique parti rerum definire solet, sed prout res se invicem con- lib. 12. p. 73.
sequuntur complentque, ut divelli non debeant, ante complementum. Quo sensu *Curtius*: *Quæ interim ductu im-* lib. 5. c. 1.
perioq; Alexandri vel in Græcia, vel in Illyriis ac Thracia gesta sunt; si quæque suis temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ. Quas utique ad fugam mortemq; Darii universas in conspectu dari, & sicut inter se cohærent tempore, ita opere ipso conjungi, haud paulo aptius videri potest. Et *Tacitus*: *Hæc, quanquam à duobus* 12. Annal.
proprætoribus plures per annos gesta, conjunxi, ne divisa cap. 40.
haud perinde ad memoriam sui valerent. Nunc ad temporum ordinem, (qui in Annalibus per annos signatur) *redeo.* Hoc est *Diodoro*, τὸ συνεχὲς τῆς ἱστορίας ἀναλαμβάνειν. lib. 11. pr.
Historici enim est, res gestas integre exhibere, à principio usque ad finem, πράξεις αὐτοτελεῖς, ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέ- Diodor. lib.
λους. οὕτω γὰρ μάλιστα διαλαμβάνομεν τὴν ἱστορίαν εὐμνημόνευτον 16. pr.
καὶ σαφῆ γενέσθαι τοῖς ἀναγινώσκουσιν. *Ita enim præcipue historiam credimus facilius memoriâ comprehendi posse, & perspicuam lectoribus fieri.* Ad novum ejusmodi intervallum signandum, *interseri solent* aliquando *præfationes aliquæ*

lib. 13. pr. *quæ*. quas *Diodorus*, studio brevitatis non consectatus, aliquando tamen *opportune & ex utilitate argumenti adhibet*. *Polybium* studiosius hoc fecisse, ex iis, quæ supersunt, licet colligere.

& lib. 12. pr. & lib. 14. & lib. 15. & lib. 19. pr & lib. 20. pr.

Thuani huc pertinent, *libri octavi initium*: ut & *libri vicesimi, vicesimi quarti, quadragesimi, quadragesimi secundi, quadragesimi tertii, quadragesimi octavi, quadragesimi noni, quinquagesimi primi, sexagesimi septimi, septuagesimi quarti, septuagesimi septimi, & sequentis, octogesimi primi, octogesimi quarti, nonagesimi, nonagesimi septimi, centesimi quinti, centesimi decimi, centesimi decimi quarti, centesimi vicesimi secundi, centesimi vicesimi quinti, centesimi vicesimi septimi, centesimi trigesimi, centesimi trigesimi quinti, centesimi tricesimi septimi.* præter alia in ipso opere loca, nam quædam tantum in exemplum posuimus.

VIII. Ex proposito illo, contexendarum, quæ historiam universalem constituunt, rerum, etiam ista peculiari quodam & proprio modo fluit, *judicandi, digrediendiq; Polybiana consuetudo*. Omnis quidem historia pragmatica eam admittit: sed singularis forte character animadverti potest, quo ampliori historiæ universalis instituto attemperatur. Qui *judicium* scriptoris interponi non debere historiæ, existimant; non meminerunt, scribi omnino aliter historiam non posse. judicet enim recte de rebus oportet, qui scripturus est, & sui judicii notas in scriptura tota exprimat. secus à scopo aberrare videbitur. Etiam, qui modesto *commentariorum* nomine utantur, vitare hoc non possunt. Nam, si Julium Cæsarem, judicium suum premere in historia crederem, judicio uti non viderer. Idem de *Sleidano*, imitatore tituli Cæsariani dixeris. *Orationes* & conciones interpositas, *Vossius* judicii partem facit, & in historia defendit; *Polybianasque* consignat. Est autem magnum discrimen inter *orationes Veterum*, & quæ *novissimis historiis* inseruntur. Veteres enim sæpius, non quid dictum sit, sed quid dici apposite & convenienter potuerit, multo eloquentiæ ingeniique

de art. Hist. cap. 20.

cultu

cultu composuerunt At *Thuanus*, & qui hodie artem historicam intelligunt, ex ipsis actis publicis, commentariisque, quid revera consultatum peroratumque sit, plerumque exponunt. Quæ res aliam quandam, eamque insignem, dignitatem habet. Ob *digressiones* alias vehementer reprehensus est *Polybius* à *Sebastiano Maccio*; defensus autem strenue à *Gerardo Joanne Vossio*. qui tamen pro prudentia qua valebat, hanc tanquam ἰδιοπραγίαν in *Polybio* non excusari modo sed laudari posse, eo, quod non aliter aut alibi digrediatur, nisi ubi rei intelligentia & commoditas postulat, cum dixisset, notabiliter addit: *Nec propterea necesse puto, hac semper parte Polybium potius imitemur, quam ceteros, qui in digrediendo & parciores sunt & breviores.* De arte Hist. cap. 22.

IX. Valere potest & debet hoc judicium, quando vix negari potest, Polybium singulari prorsus instituto usum, omnes scribendi rationes non minus quam decebat illuc accommodasse. Ex eo genere est etiam illa sententia, quæ nobis *Descriptionem Reipublicæ Romanæ incomparabilem* peperit. *Ibi*, inquit, *narratio nostra subsistet, & sermonem in describenda Romanorum Republica occupabit: ut ex consequenti, demonstretur, quod plurimum Romanis ἡ τοῦ πολιτεύματος ἰδιότης, illa qua usi sunt propriæ Reipublicæ forma, profuerit, non modo ad Italiam & Siciliam recuperandam, Hispaniamq; & Galliam subigendam, sed etiam ad orbem terrarum suæ ditioni adjiciendum.* Vera, sine dubio, sed ex reconditis civilis prudentiæ penetralibus deprompta sententia; quam etiam tentavit, *Sallustius* non uno loco. *Thuanus* nihil horum ignoravit. Igitur opus ejus plenum est *Digressionibus*, *Descriptionem variarum totius orbis Rerum publicarum, Regnorum, imperiorum, statuum, continentibus.* Qua in re, ut semper, magno judicio delectuque versatur. Exemplo esse potest *Descriptio S. Romani Imperii*, qua ad Germanos pertinet. Licet enim aliqua sint, quæ aliter describi possunt & debent, judicio tamen usus est tam candido rectoque, Lib. 6. Lib. 3. c. 2. p. 158. Lib. 2.

ut pudorem incutere possit multis Germanorum, qui oculis longe minus illuminatis isthæc talia aspexerunt. Quanto sit inferior *Natalis Comes*, ingenio, judicio, diligentia, peritia, licet intelligere ex conatu illo, cum *Comitia Imperii* describere aggreditur. Sed id jam ostendit erudita
Lib. 16. p. 341. censura magnum quondam hujus Academiæ ornamentum *Caspar Bitschius Jurisconsultus*; cujus *Animadversiones in Natalem*, qui pluris faciunt, quam ipsum Natalem, non habeo quî refutem.

X. Eodem pertinent, non tam laudationes quam pragmaticæ *descriptiones virorum Principum, administrorum, doctorum, artificum*; qui suam famam industriamque, partem sæculi & Reipublicæ fecerunt. Cur enim inventa illustrium ingeniorum, varias apud nationes, extra commercium communium utilitatum in Republica humani generis in medium conferendarum, seponantur, aut segregentur? Illorum quoque, quorum res gestæ in historia certi temporis utramque paginam faciunt, memoria & quasi imago, ad extremum uno conspectu, & in summa vitæ, exhiberi debet. Quæ diligentia in *Thuano* eximiè eminet.

XI. Vulgo vix bene cognitum est, *quantum universa mercaturæ & negotiationis ratio, ejusq; bona & mala, ad rempublicam pertineant.* At in contextu, quem totiens hactenus laudamus, ordinando, hic locus quam commendatissimus esse debet Historico, qualem optamus. Rara & pæne intacta palma, in medio constituitur, si quis periculum velit facere. Non enim in magnis tantum illis Societatibus ratio, quam indicavimus, obtinet,
Hist. lib. XI. pag. 429. sicut de *Indicana Societate* apud Belgas, *Grotius* annotat, quod post initium hujus sæculi *magna pars reipublicæ cœperit haberi*: sed in partibus quoque minus amplis diffusisque, reipublicæ commodis incommodisque miscentur, quæ recte aut secus circa mercimonia suscipiuntur constituunturque.

XII. *Po-*

XII. *Polybio* non minima ubique cura fuit, etiam *rei militaris rationes, per omne genus tractandorum armorum, accuratius persequi.* Quare *Lipsius de Militia Romana* scripturus, hunc sibi fundum fecit, & quasi commentarium in Polybii militaria adornavit. In quo tamen opere, multa desiderasse *Josephum Scaligerum*, testatus est, qui postremæ ejus valetudini diligenter assedit, *Daniel Heinsius.* Optandum erat, ut *Casaubonus* absolveret, quos destinaverat animo commentarios; de quibus *Bongarsius* in antecessum spem fecerat: *Politica & rem militarem diligenter excutit: recentioribus aptat illa vetera, magno labore, majori judicio.* Sed illa quidem spes decollavit, sicuti & altera de doctissimo *Schelio*; cujus *Notæ in castra Polybiana*, & *Dissertationes aliæ in capita digesta*, satis ostendunt, quantum in arduo hoc labore ab eo sperandum fuerit. *Salmasium* quoque Princeps Arausionensis ad scribendum de *Militia Romana* extimulaverat. sed *fragmentum* tantum *posthumum* ad quædam, quæ tempus in Militiâ Romanâ mutavit, pertinens, in dias luminis auras exivit. Multa autem superesse, quæ in militaribus Polybii, nondum sunt ad liquidum perducta, id vero inter eruditos constat.

in epist. ad Lingelsh. msc.

in epist. ad Lingelsh. an. 1605.

Salmas. epist. 83. ad Peyresc.

Et sane, cum militia semper aliquid novi adferat, in historia universali scribenda, non sequendæ sunt schedæ eorum, qui res novas & eventus varios pretio emunt venduntque; sed ex literis ducum præfectorumque militarium, & diariis castrensibus, ita colligendæ sunt res gestæ, ut mos militiæ cujusque temporis, stilo & ritu proprio peritisque usitato exprimatur. Ponamus exempli loco, *Machiavelli libros de arte militari*, ubi inventa militiæ parvis sæpe temporum intervallis immutata, usumque variis momentis distinctum, demonstrat. Quo accedere potest *Hermanni Hugonis Militia Equestris.* Similis aliqua peritia, Historico necessaria est. Et quoniam hodie pleraque omnia ad tractationem militiæ pertinen-

nentia vocabulis Gallicis & peregrinis exprimuntur, dederunt operam, ut Latina idonea, ex comparatione antiquitatis, vel ex re & necessitate præsenti conquirerent, *Daniel Heinsius in obsidione Sylvæ Ducis*; *Hugo Grotius, in Obsidione Grollæ*; *Hermannus Hugo in Obsidione Bredana*, *Famianus Strada, in Belgicis.* quæ tamen non statim ad obviam intellectionem ita expromta videbantur, quin *indiculo aliquo*, *sive glossario*, aut *adjectione marginali*, Latinis peregrina compararentur.

In re & militia navali, multis mutationibus in hunc diem innovatâ, nondum extat similis industriæ exemplum in Historia. *Thomas* enim *Rivius* in *Historia Navali, Antiqui* & *Medii ævi*, ad summam rei gestæ respicit; neque singulis motibus congressibusque navium, & pugnæ artisque nauticæ molitionibus intentus est. Si leges, quid *superioris sæculi anno octogesimo octavo inter Hispanicas Anglicasq; classes* actum sit, apud *Meteranum*: facile intelliges, *Stradam*, & *Camdenum*, ea secutos esse, quæ prælii eventa summatim signarent. Nec multum ultra, *Grotius* processit. *Thuanus*, Meterani vestigiis institit.

lib. 15. dec. 2. lib. 9. part. 3. Histor. lib 1. lib. 89.

XIII. Non possunt in Historia Universali omitti, quæ ad Statum Religionis pertinent. Quare *Thuanus*, ex *Sleidano*, quæ in annos certos congruunt, diligenter mutuatur. Hujus enim viri candorem, prudentiam, fidem, ex merito æstimavit. *Acta* quoque *Colloquiorum* de religione institutorum, & alia eodem pertinentia scripta sedulo evolvit, ut posset, quamquam brevem summam exhibere. Et quia utrinque scripta & dicta cognoscere & narrare potius, quàm præter officium historici alteram partem insectari voluit; tum etiam, quia acerbius in alteram partem facta, non laudanda suscepit; odium gravissimum incurrit hominum maleferiatorum; testatum famoso libello; cujus titulus erat: *Jo. Baptistæ Galli Notæ in Historiam Thuani*, qui liber sententiâ

7. lib. 28. & 29. & 127.

tiâ Curiæ Parisiensis, manu carnificis crematus est.

XIV. *Pietatis* non leve ad scribendæ historiæ facultatem momentum esse, jam ante professi sumus. Sicuti autem pars pietatis utilissima est, divinæ providentiæ, in rebus humanis, publicis, privatisque, occupationem, diligenti oculo scrutari atque venerari: ita *Historiam præsertim universalem, valde decet observatio illa perpetua, quomodo DEUS suum in magnis publicisq; negotiis regimen ac moderamen conspici voluerit.* Ut verè fiat, quod *Diodorus* quamvis ethnicus extulit: Historicos, *ὥσπερ τινὰς ὑπουργοὺς τῆς θείας προνοίας, tanquam administros* & quodammodo imitatores *divinæ providentiæ esse.* Lib. I. *Cominæus* in hoc propsito pietatis diligens & assiduus est, ut & *Thuanus.* Quanquam hic locus erudita & theologica cautione indiget, ne vel scrutari nimis humanæ observationi exemta, vel rectæ religioni minus probata pronuntiare, quis ausit. Facilis enim lapsus est: ut multis exemplis constat.

Sed quid singula consectamur? Artes condendæ Historiæ Universalis, non tam est facile stilo explicare, quàm erudito & subacto judicio observatas, intra animum reponere. Igitur ne ludibrium debeamus iis, qui, ubi multa dixerimus, pauca à nobis esse exposita, non sine ratione credent; ingeniis reconditæ doctrinæ capacibus pleraque relinquentes, rudiore tantum Minervâ magnitudinem ardui operis, non in speculo, quod verum & justum rerum modum, justove majorem; sed in eo, quod minora longe quam sunt exhibet omnia, velut ex intervallo & in umbra, quodammodo designare, satis habebimus.

Diximus supra, scripturo Historiam Universalem opus esse cognitione accurata, Regularum, respectuum, consiliorum, rationumque interiorum, quibus regnorum, principatuum, rerumpublicarum status, tanquam

sibi propriis, gaudet fruiturque. Sed hoc prudentiæ genus, quam latet in abdito? quàm periculose quæritur? quàm ægrè reperitur? Dicam verbis *summi summarum rerum tractatoris & actoris*, ut lucidius fiat, quod obscurum est. *Distinguendum reor*, inquit, *in scripturis de eo quod regum rerumve publicarum interest, inter* VERITATEM *&* OPINIONEM. *Nam* ALIUD *forsan Germaniæ Galliæq; status postulat*, ALIUD *rerum potientibus postulare videtur. Vir prudens & judicio valens, accedente præsertim cognitione geographica, de* VERA CUJUSQUE NATIONIS UTILITATE, *satis ad rem respondere potest. quin & de eo*, QUOD REGNANTIBUS REVERA UTILE EST: *sed de eo*, QUOD REGNANTIBUS UTILE APPARET *& commodum videtur, is demum exactè judicat, & accuratè arbitrari aptus erit, qui ipsorum regnantium & primariorum administrorum personas indolesq; & veluti characteres satis perviderit. Ex qua pragmatica ethices parte omnis hic politicorum Ratiocinatorum habitus pene dimanat. Rohaneus ipse magis de eo loquitur, quid facere rectores populorum debeant, quàm quod faciunt aut facturi videntur. Sed* ILLUD *sine* HOC *nosse, ad praxin non sufficit. neque de eventibus ex vera sed apparente cujusque utilitate pronuntiari convenit. Per est difficile, quid constanter de eo, quod facti est, apparente nempe principum bono, scribi. quum in annos, imo in horas, pleraque varientur. Polybius, Tacitus, Cominæus, Possevinus, & ad rationalem, ut ita loquar, historiam propiores reliqui, hic usui erunt, juxta eum Machiavello in Florentina, Herberto, Historiâ Exscensus Anglorum in Insulam Ream, Verulamii, in Henrico VII. adde Ulicovium Demonstrat. polit. pro elig. Reg. Pol.* Hæc ille, ex medio rerum usu tractuque. Opportunum sane est, quod de *Ulicovio* affertur. Indagavit ille *utilitates Regni Poloniæ*, tam exquisito ratiocinationis ac demonstrationis genere, ut simile exemplum forsan nominari nequeat. Multum negotii frustra susce-

ex epist. msc.

ſuſcepturus erat, qui ante Electionem Novi Regis, contradicere inſtituiſſet. Sed poſt electum Piaſtum, fortaſſe non defuturæ eſſent rationes, quibus argumenta ante valere viſa in contrarium verterentur. Adeo commutabilis eſt ſapientia, quæ de regnorum commodis incommodisque, demonſtrationes ſectatur. Scriptores nominati, ſui quisque temporis bona malaque indicaverunt. Aliud tempus alios mores, aliud judicium poſtulat. Commendavimus ſupra hoc nomine etiam *Victorium Sirium*. Et poſſunt addi *Scriptor Miniſteriorum Cardinalis Richelii*, & *Mazarini*; ubi non moratur in locis communibus: & *Domini de la Cour Belgica*, *Conſideratien* van Staat / *Intereſſe* van Holland / &c.


Jam fingamus, *ſcribendam eſſe Hiſtoriam Univerſalem hujus ſaculi, ab initio nimirum usque ad annum ſeptuageſimum, quem ingreſſi ſumus.* Quanto apparatu opus? Collecta extent in una Bibliotheca, ad hoc ſæculum ſpectantia omnia volumina hiſtorica, acta, itineraria, relationes, navigationes, monumenta, variis linguis typisque Europæis vulgata. Et erit hæc ſane ampla & numeroſa ſatis librorum congeries: quamvis nonnullæ nationes parcè ſe adhibeant in ſuis rebus publicandis. Quanti in his omnibus hiatus? quàm multa manca, mutila, alterius partis relatu defecta, diligentiâ exiguâ, judicio nullo congeſta? Qui non intelligunt, quid ſit hiſtoriam ſcribere, nimium ſibi eſſe ſubſidiorum credent. At prudentes ubique invenient, quod deſiderabunt. modo huc, modo illuc oculos adjicient, & interrogabunt, quis nobis fores hujus aut illius archivi recludet? quis legatorum relationes, negotiatorum commentarios, miniſtrorum literas, aularum ſecreta & conſultationes nobiſcum communicabit? Pudebit loqui, ubi hæreas: pudebit tacere, ubi contextus rerum, vocem poſtulat. Tum, quantam ſcientiam hæc Sparta poſtulat? cujusque gentis jura & mores accuratè noſſe, quam non ſit res obvia, *Hortlederus* monſtravit in Exteris, Germanica ſcribere volentibus: nec *in præfat. Act. publ.*
eſt,

eſt, quod contingere non poſſit Germanis, externa ſcribentibus. Interiora rerumpublicarum ſtatuumque propoſita, conſilia, molimina, ut non ſemel jam dictum eſt, in numerato eſſe debent. Geographiæ emendatæ peritia, rei nauticæ, militariſque & mercatoriæ intellectus, itidem non abeſſe poteſt. Notitia ingeniorum animorumque, vel ut in populo, vel ut in ſingulis: judicium de actionibus, vel ut oſtenduntur; vel ut deſtinantur: proviſio ejus, quod in ſummam, aut quod ſeorſum conſequitur: examen veritatis, inter ſtudia odiaque diversè tractæ: delectus alieni judicii, ubi proprium expediri non poteſt: obſervatio inclinationis temporum, mutationis rerum: diſcretio occaſionum: connexio momentorum: denique omnis prudentiæ civilis in multam abditiſſimarum artium amplitudinem patens complexio, hîc velut in unum conducitur acciturque: ne ſcriptor tanti operis vel ad pauca reſpicere, quod Ariſtoteles in philoſopho tolerare non potuit, vel hoſpes ubivis eſſe, qui ubique patriam agnoſcere debebat, credatur.

Atque in his omnibus & ingenii & prudentiæ artibus, ſine dubio nihil eſt exquiſitius, nihil rarius, nihil difficilius, quàm res ita animo concipere, ut cohærere & copulari poſſunt, & ita contexere, ut anima explicationis & demonſtrationis in colligatione illa conſtitui videatur. Pauci ita ſcripſerunt ſcribentque: Pauci ita intellexerunt intelligentque. Experientia, mille teſtes.

Quod ſi unum & alterum de commilitonibus ad legendum hoc modo intelligendumque, *Polybium* & *Diodorum* ex veteribus; *Thuanum* ex junioribus, excitare poſſemus; jam conſtaret nobis abunde ratio ſuſceptæ hujus operæ: cui veniam apud æquos lectores paratam, nulli dubitamus.

Corol-



Corollarii loco adjecta.

I.

Quaterniones, ſive ſchemata Quatuorviratus Imperii, non habere fundamentum authenticum, verius videtur.

II.

Explicatio vocabuli Gleſen ſeu Gleven in catalogis Imperii, quibus miles indicitur membris Imperii, ut Goldaſtus affert in Bohem. *lib.* 2. *c.* 17. §. 2. non videtur ſatis certa.

III.

Dignitas Equitum, à Ducibus ante vel poſt prœlium olim creatorum, virtutis demonſtrandæ vel demonſtratæ cauſa, apud pleraſque nationes Europæas, conſenſu recepta & æſtimata eſt.

IV.

Judiciorum occultorum, quæ & Weſtphalica dicuntur, uſus approbatus & legiti-

gitimus, hiſtorice non videtur demonſtrari poſſe: quando, quæ fide digna ſuperſunt acta & documenta, potius ad tempora & exempla abuſus improbati & vetiti, pertinent.

V.

Libertas externis militandi, ut eſt lege deſcripta, utrum plus proſit an obſit Imperio, dubitatum eſt. ſed videtur prius affirmari poſſe.


VI.

Bodinus accuſat Polybium (*in methodo hiſtoricâ*) quod Rempublicam Romanam male deſcripſerit. Nobis ratio idonea ſuadet defendere Polybium.

VII.

De Polybio, nihil magis arduum quæri dubitarive poteſt, quam an recte ſtatuat, ob res ſecundas & artes adminiſtrandi imperii, Romanorum imperio reliquas nationes omnino ſe ſubjicere debuiſſe. (*lib.* 3. *c.* 4.) In gratiam invictæ à Romanis nationis Germanicæ (*vid. Taciti German. c.* 37.) contrarium defendetur.

INDEX



INDEX

Rerum in hoc Volumine præcipuarum.

A.

Abelis nomen quid significet. pag. 371
Abolitionis vox, de Amnestia, quo sensu usurpata. 450
DE ACTIS CIVITATIS. 859
Acta Civitatis in Aristocratico regimine considerantur. 890
in Democratia. 891
in mixto reipubl. statu. 892
Acta Civitatis quæ sint inter mutationes reipubl. manente ejus forma. 878
Acta Regis sunt acta Civitatis, in regnis verè talibus. 888
Acta Cæsaris, post collatam in eum cum dictatura perpetua summam potestatem, fuerunt acta Civitatis. 868
de Actis Tyrannorum, quæstiones. 865
pro Actorum publicorum editione, contra Historiam pragmatico opere contextam, quæ dici possint. 655
Actionis adversus Ingratos exempla. 933 938. 939. 943
Adjutores Principum, à Scriptoribus qui nominentur. 770
Adoptio Principum nulla sine Electione. 704
sæpe Electionis titulo prætexitur. 704
Adoptio Trajani, & ejus rationes. 696
quid præ reliquorum Principum adoptionibus habeat singulare. 698
de Adoptione Pisonis per Galbam facta, judicium. 704
Adorandi Reges ritus unde. 154
de Adulatoribus Aulicis. 777
Adulatores secundum characteres morum describuntur. 778
item, secundum conditionem fortunæ. 781
Adulatorum genus duplex. 778
artes, quibus irrepunt & surrepunt aulis. 782

Adulatoribus quinam delectentur. 779
adversus Adulatores remedia. 788
de Adulationibus avaris & calumniis fiscalibus. 791
Adulatio flagitiosis dominationis artibus aut initium aut fomentum suppeditat. 787
Adulationes avaræ quid sint. 791
quam noxiæ Principi, si auscultet. 803
Adulationis avaræ speciosa velamenta. 792. 796
ministri. 793
Adulationes necessariæ & coactæ. 791
Adulationi vicinæ artes, in aulis usitatæ, quæ. 789
Æneas Sylvius, postea Pius II. P. Passagii studiosissimus. 582
Æneæ Sylvii oratio de Passagio habita Romæ, nomine Friderici III. Imp. 581
Æqualitas, anima commutationum. 899
Æquitas duplex, intrinseca & extrinseca. 221
ipsius Juris partem & nomen constituit. 220
Æquitatis fontes indagantur. 222
ratio inprimis habenda in Judiciis. 635
Æschyli (in Furiis) loca quædam examinantur. 211. *seqq.*
Aërem esse rerum omnium principium, Anaximenis opinio. 312
Ætas quæ Principi auctoritatem paret. 721
Affectus malus est nomenclator. 468
Agoranomi, qui fuerint magistratus ap. Græcos. 900
Ahmedus Arabschæ fil. scriptor Arabicus, Timuri Historiam consignavit. 284
Alienare civium partem invitam quatenus liceat civitati. 838
Allocutio Imperatoria Cassii ad milites, ante prælium Philippense. 422
Ambubajarum vox unde derivetur à nonnullis. 376
de Amicis Principum. 769
Amici Principum qui vocentur. 769
à Principe quales sint deligendi. 770
Amicos Princeps quomodo sibi conciliare queat. 772
& quomodo iis uti. 773
de Ammiano Marcellino judicium. 116
DE AMNESTIA. 437
Amnestia Athenis auctore Thrasybulo sancita, laudatur & defenditur. 459. 463
propriè adversus interna dissidia adhibetur. 447
universalis esse debet & perpetua. 460
temporaria quando usum habeat. 460
sola discordiarum civilium finiendarum ratio. 457
quibus argumentis suaderi, si res ferat, possit. 467
post necem Julij Cæsaris suasu Ciceronis decreta, cur sine successu. 465
Claudiani Imperii initiis componendis adhibita. 466
Amnestia publicorum delictorum decreta sub Aureliano. 466
Amnestiæ origo, inventum, auctor. 437
inventæ utilitas planè divina. 455

descri-

descriptio & etymologia. 446
finis. 454
tempus. 457
exempla quædam quæ vulgo feruntur. 463
Amnestiæ s. abolitionis præteritorum formula. 451
Amnestiæ quæ adversentur. 461
circa Amnestiam solennia. 453
contra Amnestiam objectioni respondetur. 456
de Amnestia orationes Matthiæ Berneggeri. 474
Ἀμνησικακία *an idem quod* Ἀμνηστία. 446
de Amoribus Principum noxiis, dissertatio moralis. 434
Amplitudo locorum quatenus conferat ad potentiam civitatum. 265
Anaximenes statuit aërem esse rerum omnium principium. 312
Annales Sultanorum Turcicorum à Leunclavio editi & explicati. 284
Antiquitatis studium peregrinatori commendatur. 14. 34
Antonii Triumviri ingenium. 560
cum Octavio Cæs. inimicitiarum series. 524
in bello Parthico errata. 557
item in bello Actiaco. 562
de Apollodori Bibliotheca, & ejus superstite, quod dicitur, fragmento, judicium. 1161
Aquæ supracœlestes an congelatæ s. chrystallus. 317
an nubes in media aëris regione. 318
Aquarum in suos alveos congregatio utrum secundæ an tertiæ diei creationis conveniat. 320
Aquam esse rerum omnium principium, Thales statuit. 312
Arati Sicyonij factum an amnestiæ nomine possit notari. 464
Arbitri compromissarij ex mediis populis principibusque electi. 1016
Arboris Vitæ, & Cognitionis boni & mali, singularia. 338
Aristocratiæ duo genera. 890
firmamentum præcipuum quod sit. 71. 1066
in Aristocratia quid egisse Civitas existimanda sit. 890
Aristocratica prudentia ex quibus Scriptoribus haurienda. 1070
Aristoteles & Plato inter primos qui civilem doctrinam tradiderunt. 734
Aristotelis loca, de eo quod Civitas egit, excutiuntur. 859
locus de Mensura Pretii (Nicom 5, 5.) examinatur. 897
Arma ad parandam servandamque potentiam Civitatis faciunt. 270
sub Armorum nomine quid contineatur. 271
Arnisæus notatus. 893
Artes auctoritatem Principis adjuvant. 725
Astris vim tribuentes convertendi aut evertendi imperia, exploduntur. 521
Astrologia divinatoria improbatur. 29
an ex Gen. 1, 14. afferi possit. 322

de Asylis ad alliciendam hominum multitudinem institutis, judicium. 260
Atheniensium Civitatis status sub XXX. *Tyrannis.* 441
Auctores, ex quibus cognitio reipubl. popularis & prudentia Democratica repetenda. 66
ex quibus Aristocratica prudentia hauriri potest. 75
quorum in eloquentia civili usus. 105 *seqq.*
de *Auctoritate & Majestate Imperantium.* 716
Auctoritas rogata & bellica, domestica & externa. 731
Auctoritatis descriptio. 717
causa efficientes. 720
effectus. 729
Aves an ex aqua producta in creatione. 323
de *Augusto Cæsare, ad Flori lib.* 4. *c.* 3. 516
Augustus & Tiberius laudatus à Philone. 387
Augusti moderata potentia & civilitas. 680
eloquentia. 92
dominationis in populos firmanda inventa & consilia. 565
Augusti bella civilia &c. non excusantur, cum pacis secuta felicitas laudatur. 522. vid. *Octavius.*
Augusti nomen complementum omnis honoris Octavio Cæs. datum. 568
Augusti vocabulum, planè auspicio Imperatorio proprium, consideratur. 182
de Aula. 749
Aulæ ministri. 757
Instrumentum. 758
Aula alliciunt peregrinos. 261
Aulici, quales nunc maximè aulas Principum possidere solent, describuntur. 755
Aulicorum in obsequiis & officiis subtilitates. 493
potentia raro sempiterna. 775
Auri pretium ex naturali nobilitate. 903
DE *AUSPICIO* REGIO. 132
Auspicium quid. 133
Auspicium Regium quid sit. 141
peculiari significatu dicitur de illis, penes quos est summa imperij. 135
Auspicium à Deo adjunctum est Regibus. 144
Auspicii Regii se manifestantis exempla. 164
Auspicii Regii fortuna & vis etiam sceleratis Regibus præsto est. 170
ubi maneat quando Rex regno dejicitur. 171
Auspicii Regii symbola. 173
consideratio quem in Vita Civili usum habeat. 190
Auspicium indicantes figuræ & typi. 189
Auspicio alicujus gestum quid esse quo sensu dicatur. 135
Auspicia reipubl. ac summi imperii. 135
magistratuum. 134. *ducum.* 135
Auspicia imperiorum & imperantium quid suo significatu complectantur. 138

de An-

de Auspiciis diversa ipsorum Gentilium sententia. 133
'Αυτοχειρίας genus an ullum sit, quod veniam mereatur. 547

B.

Baarrecht / Græcis αἱματόδειξις, quid, & an probari possit. 633
Baconis de Verulamio Historia Henrici VII. Angl. R. commendatur. 103
Bajazethes à suis Gilderun, à Græcis Λαίλαψ vocatus. 209
Constantinopolis obsidionem solvit. 300
Barclaii Argenis laudatur. 120. 491
Icon animorum commendatur. 409
Basilii Magni de Animalibus Paradisiacis sententia notata. 351
Bdellium quid sit, disquiritur. 343
de Belgarum potentia judicium. 265
de Belisario excæcato & stipem mendicante, fabula exploditur. 947
Belligerantes partes an ad pacem vi intentata cogi possint à tertio potentiore. 996
an in pacatis locis ac juri quietorum subjectis suas offensas exequi possint. 1007
Bellorum civilium compositio difficillima. 455
in Bello Civili an liceat neutras partes sequi. 991
de Bello civili Cæsaris & Pompeij (ad Flori lib. 4. c. 2.) 510
Belli civilis inter Cæsarem & Pompejum causæ examinantur. 511
de Bello Mutinensi (ad Flori lib. 4. c. 4.) 523
ad Belli Mutinensis historiam ἀξιομνημόνευτα πολιτικά. 526
de Bello Perusino, (ad Flori lib. 4. c. 5.) 528
Belli Perusini causa. 532
memorabilia. 533
de Bello Cassii & Bruti. (ad Flori lib. 4. c. 7.) 542
de Bello cum Sexto Pompeio, (ad Flori lib. 4. c. 8.) 549
de Bello Parthico (ad Flori lib. 4. c. 9. & 10.) 554
de Bello cum Antonio & Cleopatra (ad Flori lib. 4. c. 11.) 560
Beneficium non petenti datum an eum obliget. 941
an obliget accipientem, quando sibi ipsi præstitit is qui dedit. 942
Brutus & Cassius inter se comparati. 547
de Bruti & Cassii exitu judicium. 547
Bruti voces ultimæ. 548
de Bruto & Cassio judicia variant. 548

C.

Cadavera captivorum an auro repensari debeant. 968
Cæsaris nomen quantum contineat venerationis. 181
Cain, si, quod Josephus ait, pondera, mensuras & limites agrorum invenit, an ideò meritò reprehendatur. 375
Caini historia non defendit judicia prævata. 624
nomen quid significet. 371
metus ne occideretur à quocunque, an de feris intelligendus. 374
de Caini parricidii pœna. 374

Caius Caligula quomodo paulatim ad eam insaniam progressus sit, ut Deus haberi voluerit. 384
Caji Caligulæ mores. 389
eloquentia. 94
facinora narrat Philo. 382
CALCULUS MINERVÆ 200
quid, & unde sic dictus. 200
utrum pares calculos faciendo, an paribus additus absolvat. 204
Calculum Minervæ commenti, quid voluerint. 207
Callicrates (ap. Polybium) Achæorum legatus mandata suæ civitatis transgressus est. 888
Callidus temporum, elogium conveniens viro verè civili. 52
Calumniæ & Juris cavillatoriè subversi exempla. 541
Calumniæ fiscales. 791. 794
Captivi à privatis redimuntur non sine gloria. 964
Captivi militis favor augetur, si neque per ignaviam neque per aliam suam culpam captus est. 966
Captivorum in bello fuga an probanda. 969
numerus redemtionem difficilem reddit. 972
redemtio inter opera charitatis Christianæ commendata. 960
Captivis militibus quæ favorem concilient. 959
quæ invidiam & odium contrahant. 971
Captivis redimendis an urbes, munimenta &c. tradi debeant. 986
Captivos redimere civitates quædam ad gloriam & utilitatem suam pertinere judicaverunt. 963
Captivos liberandi modi. 969
in Captivos receptos severitatis exempla. 976
circa Captivos casus difficiliores. 985
& quæstiones discutiendæ. 988
pro Captivis alterius Civitatis liberandis an bellum alia Civitas gerere possit. 987
Captivitatis ærumnæ. 961
de Carionis Chronico judicium. 1168
Castella ex interfectorum capitibus exstructa. 298
Cassiodori locus (lib 2. Var. Ep. 26.) explicatur. 921
de Cassiodori Variis judicium. 120
Catilina quid hominis fuerit. 504
de Catilinaria conjuratione. ibid.
Catilinaria conjuratio quomodo detecta & vindicata sit. 507
Catilinariæ conjurationis socii. 505
causa. 506. occasio. ibid.
Cavillatio Romanorum circa conditionem fœderis cum Antiocho. 1103
Cautiones quædam, circa calumnias fiscales & avaras adulationes observandæ. 805
Character Principis superbè imperitantis. 688
de Characteribus, s. descriptionibus hominum per notas morum. 408
Characterum genera. 409
Chosrois Persarum Regis superbus titulus. 186

Cicero an unicè sequendus Latinè scripturo. 123
Politicæ eloquentiæ studioso commendatus. 117
Patris Patriæ nomen accipit. 510
quàm rectè se erga Octavium, & item erga Antonium gesserit, disquiritur. 527.
post necem Julii Cæsaris amnestiam suadet. 465
Cicero proscriptus. argumentum scriptionis elaboratum. 418
Ciceronis in perspicienda reipubl. declinatione hebetudo & credulitas notatur. 875
Ciceronis locus (Philipp. 1. c. 1.) ventilatur. 445
loca alia (3. Off. c. 12. 13. & 16.) illustrata. 916. 917. 918
Civilis prudentia. vid Politica.
Civilis vir. vid. Politicus.
de Civilitate Principis. 677
Civilitas Principis quo sensu accipiatur. 677
quid complectatur. 679
Civilitas honores moderatur. 682
an Imperanti conveniat. 679
Civilitas in cultu. 683
in admissionum facilitate & colloquiorum humanitate. 684
Civilitatis principalis omne fundamentum in communis æquabilitate juris. 685
monarchicæ exemplum. 691
aristocraticæ & democraticæ exemp. 692
Civilitatis naturam quibus vocibus Græci expresserint. 689
Civilitatem constanter servare difficile. 692
Civitas quando eadem dicenda sit aut alia. 862
an eadem sit dicenda mutatâ reipubl. formâ. 862
an egisse censenda, ubi non referuntur omnia ad communem utilitatem. 864
in provinciæ formam redacta tenetur debitis in statu libero contractis. quoad externos. 865. 894
an alia fiat mutatis locis. 881
an fiat alia mutatis hominibus. 882
una, an alteri juncta maneat eadem. 882
Civitatis appellatione quid accipi debeat. 860
Civitatis forma mutata, an conventiones cum ea ante mutatam formam initæ, sint servandæ. 862
à Civitate agenda qui sibi vindicat, reus majestatis est. 894
Civitates inique agentes. 895
Civium partem invitam alienare quatenus liceat civitati. 838
Claudii Cæs. eloquentia. 94
CLEARCHUS ET SATYRUS PRIMI HERACLEÆ PONTICÆ TYRANNI. 1072
Clearchi, tyranni Heracleensis, ingenium, mores, studia. 1074
tyrannis & tyrannicæ flagitia. 1079
Exitus. 1081

Cleopatræ conatus in fascinando Cæsare irritus. 564

Clerici an summæ potestati & judiciis eximi potuerint. 622

Clericorum exemtio non restringit dominium eminens. 856

de Cluveri Histor. Univ. judicium. 1169

Cœlum an solidum. 317

Cognitio, prima Jurisdictionis pars. 628

an in quibusdam casibus à Judice omitti possit. ibid.

Cognitionis in judiciis diligentia. 630

nimia asperitas & rigor improbatur. ibid.

Cognitionis appellatione Græci & Latini Scriptores peregrinatoris occupationem complexi sunt. 4

DE COLLOQUIIS ET CONGRESSIBUS PRINCIPUM. 1018

Colloquia Principum ante bellum. 1019

apparato jam bello. 1020

Colloquia Principum conficiendis negotiis suis dissuadet Cominæus. 1024

Colloquia Principum casu coacta. 1028

Colloquia & Congressus Principum Germanorum comendantur. 1029

Colloquium Friderici III. Imp. cum Carolo Burgundo. 1025

ejusdem Friderici III. cum Alfonso Arragoniæ Rege. 1026. *Maximiliani I. Imp. cum Regibus Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ.* 1027 *Rudolphi Habspurgensis, postea Imp. cum Abbate Sangallense.* 1027. *Philippi Castellæ R. & Henrici VII. Angl. R.* 1028

Colloquium vitando bello qui petunt vel admittunt, quid juris consequantur debeantve. 1019

Colloquii militaris inter Cæsarem & Ariovistum historia examinatur. 1021

Colloquiorum militarium inter duces Principesve varia exempla. 1023

Collybus quid sit. 926

Coloniæ aliæ manent pars civitatis, aliæ novam constituunt. 885

longinquæ an prosint. 265

Colossus Caji in templo Hierosolymitano positus. 388

Columnæ & obelisci, antiquissimum memoriæ genus. 30

Columnæ, lapidea & lateritia, à Sethi posteris erecta. 378

Cominæus commendatus & Polybio comparatus. 1105

Cominæi digressio de Historia, laudata & ad tractandum selecta. 1106

Comites unde dicti à nonnullis putentur. 750

de Comitiis Imperii Romano-Germanici quædam notantur. 1029

COMMENTATIONES PLINIANÆ. 661

Commerciorum copia & commoditas ad conciendam hominum multitudinem valet. 261

Commerciorum jus pacatis & mediis civitatibus inter partes bellantes liberum. 1004

COM-

COMPARATIO HISTORICORUM COMMENTARIORUM, quæ Acta hodie vocantur, CUM CONTEXTA HISTORIA. 655
Compensatio Dominio Eminenti naturalis & intrinseca haberi debet. 848
quomodo instituenda. 850
Confirmatio Rumoris. 410
Confirmationum & destructionum Rhetoricarum genera. 412
Congressus Principum officiosi, negotiosi & mixti. 1018
Conjurationis in Cæsarem Julium errata & flagitia. 543
Consiliarii inprimis eloquentia politica instructi esse debent. 98
infidi aut inepti. 1145
Contractus contra bonam fidem facti. 915
Contractuum inæqualitas quomodo corrigatur. 914
Conversatio cum eximiis in unaquaque gente viris, vera peregrinatoris schola. 25
quorum hominum fugienda peregrinatori. 39
Corona Regum quid significet. 187
de Coronis Imperatoris. 588
de Coronatione Imperatoris per Pontificem obiter quædam notata. 587
Cuniculorum vi pulveris pyrii disjiciendorum inventor, quis. 273
Curiosis artibus attendere peregrinatores, improbatur. 29
Curtius insigniter laudatus, & cum Livio comparatus. 108
Curtii locus (5. 9.) illustratus 171. & alius locus. (7, 7, 24.) 194. & alius (4, 14.)) 519. & alius (10, 6, 5.) 198. & alius (6, 8, & 11.) 631
ad Curtii locum (3, 12.) observatio politica. 489
ad Curtii locum (8, 2, 12.) quæstio proposita & ventilata. 790
Custodia latens & occulta. 534

D.

Decemviri scribendis legibus non mutarunt formam civitatis Rom. 880
Deditio innocentis an unquam jure supereminentis dominii defendi possit. 831
circa Deditos casus difficiliores. 984
Demagogi in Democratia, quod in regno adulatores. 61
Demagogorum descriptio. 64
Democratia nisi aristocratice temperata vix datur. 49. 65. 892
Democratiæ arcana & simulacra. 65
in Democratia quid egisse civitas existimanda sit. 891
Democraticæ prudentiæ summa, interior in Democratia reipubl. cognitio. 58
Democratici status regula s. leges. 64
Destructio Rumoris &c. 411
Destructionum & Confirmationum Rhetoricarum genera. 412
Deus secretum cum Regibus commercium habet. 147

Dei singularis circa Reges providentia. 149
Deorum nomine qui vocentur in S. Literis. 570. 578
Deorum gentilium flagitia. 384
Dii Regii & Principales, qui ap. Ethnicos. 155
Διάλεξις ἠθικὴ de noxiis Principum amoribus. 434
Dictatura Romana quid, & an temporarium regnum. 879
non mutavit statum reip. 880
Dignitas in eloquentia politica requiritur. 87
Diodori Siculi Bibliotheca quatenus Historia universalis nomen mereatur. 1160
commendatur. 1160. 1165
Διοτρεφεῖς quo sensu Reges vocarit Homerus. 149
Disciplina militaris severitas captivorum causam maxime premit. 971. 978
Discursus Politici, à quibusdam hoc titulo scripti, notantur. 1114
DE DOMINIO EMINENTE. 825
Dominium eminens quid sit. 825
an summi Imperii voce possit exprimi. 826
ex quibus fontibus derivetur. 827
cum Juribus fisci confundi non debet. 828
nec cum Dominio universitatis 829
nec cum Dominio jurisdictionis, protectionis, administrationis. ibid.
à rapinis tyrannicis distinguendum. 831
Dominii eminentis vis & exercitium circa personas. 836
circa jura personarum & actiones. 839
circa bona civium. 843
in oppignoranda aut vendenda parte civitatis. 852
Dominii eminentis temperamenta. 850. 856
Domitiani Imp. fastus, Dei sibi titulum tribuentis. 177
Donationes Principum an revocari jure eminentis dominii possint. 840
Dreppelius (Corn.) microscopiorum inventor. 8
de Duellis quibus controversia publica discernuntur, judicium. 854

E.

Eden an sit nomen proprium. 335
an sit idem cum Paradiso. 340
Efficacia actus Regii. 160
Electio aliqua est vere commendabilis. 713
in Imperio Romano-Germ. salutaris. 714
Electionis (ad Imperium) origo 706
nobilitas. 707. fructus. 708
Electionis cum successione comparatio. 709
contra Electionem dicta à Barclaio refutantur. 710
de Electione Trajani. 693
Electionis Trajani causa & necessitas. 694
Electorum Principum conventus collegiales. 1032

DE

DE ELEGANTIA MORIS CIVILIS ET AULICI. 475
Elegantia moris civilis & aulici distinguitur ab arcanis & simulacris politicis. 476
Elegantia moris civilis & aulici in legibus ferendis. 477
in deliberationibus consultandis. 478
in magnificentia & munificentia dispensanda. 482
in humanitate, comitate, officio & obsequio aulico, cærimoniis, quas vocant, & titulis. 488
Elogium Augusti. 405
DE ELOQUENTIA VIRI CIVILIS. 79
Eloquentia quàm necessaria politico. 79
Eloquentia politica varia, pro varietate negotiorum, temporum, personarum. 90
consiliatricis prudentiæ proprium telum. 98
legatis necessaria. 99
Eloquentia in orationibus Principum & scriptura publica qualis esse debeat. 96
Eloquentia forensis distincta ab eloquentia politica. 81. 90
Eloquentiæ politicæ Schola Athenis. 82
Eloquentiæ politicæ habitus hodierna consuetudine non ingratus quis sit. 102
Eloquentiæ politicæ an etiam hodie, qui priscis temporibus usus esse possit. 97
Eloquentiam in loco spernere maximum eloquentis argumentum. 79. 122
Emericus Ungariæ Rex vi regii auspicii ex hostibus supplices facit. 166
Emtio & venditio nomine civitatis facta multum favoris habet. 913
Emtionis & venditionis contractum quibus legibus & cautelis veteres circumscripserint. 919
Ἐπιβολὴ, tributi genus in orientali Imperio quale fuerit. 851
Epistola ex persona Antonii ad Phraatem Parthorum Regem. 430
Epistolæ Senecæ sunt potius declamationes. 120
in Epistolis magna pars eloquentiæ politicæ hodie versatur. 120
Epistolicus character qualis sit. 433
Equitum aurei velleris comitia & congressus. 1035
Petr. Eremita, primus suasor Passagii. 605
Dan. Eremita, Itali, iter Germanicum notatur. 12
Eruditionis vitiatæ genius notatur. 1057
de Erythræi Pinacotheca judicium. 404
Ethnici quoque crediderunt, regna & Reges à Deo dari. 146.
vid. Gentiles.
Ethopœia, qualia verba potuerit Cæsar facere, viso Pompeii capite. 397
Ethopœiarum utilitas. 400
Eumenides cur Furiæ dictæ, quæ ante Erinnyes. 208
Evocationes virorum celebrium an licitum medium sit ad augendam civium frequentiam. 260
Euripidis (in Oreste & Electra) loca quædam examinata. 216. seqq.
de Eusebii Chronico judicium. 163

Exactiones nimiæ. 795
invidiosæ ratione objecti. 799. ratione temporis. 800
Exactionum ministri. 801
Exactiones nimias qui Principes oderint aut represserint. 803
Executio sententiæ in judiciis, & quæstiones circa eam insigniores. 639
Exempla auspicii regii se manifestantis 164
Exempli auctoritas ad æquitatem in judicando valet. 224
Exempli mali consequentia, in proscriptione notata. 540
EXERCITATIONUM RHETORICARUM SPECIMEN. 392
Exercitationes Rhetoricæ ex Historia Belli Mutinensis & ejus Scriptoribus. 413
Exercitationes stili quæ eloquentiæ politicæ studiosis commendandæ. 128
Experientia auctoritati parandæ valet. 726
non sufficit ad comparandam civilem prudentiam. 1109
multum tamen confert. 1111
comparatur cum cognitione historiæ. 1122
Expiationis ritus in prætextum æquitatis inventus. 225
Exterorum bona & jura an supereminenti dominio subjici fas sit. 847

F.

Fabula de Iphigeniæ immolatione moraliter explicata. 835
Fabula de Nectare & Ambrosia ex Arbore vitæ occasionem traxisse creditur. 370
Fabula Martis in Areopago judicati explicatur. 206
Fabulæ de Calculo Minervæ mythologia. 208
Felicitas auctoritatis in Principe conciliatrix. 724
Felicitas publica Imperii Romani quid sit. 382
Fiscus quid proprie vocetur. 793
AD FLORI LIB. IV. ANNOTATIO. 504
de Fluviis Paradisiacis quædam disputantur. 339
Fœdera potentiæ causa contracta. 274
Fœdus clientelare. 274
FOEDERIS ROMANORUM CUM ANTIOCHO ICTI FORMULA. 1086
Fœderis Rom. cum Antiocho occasio. 1087
formula cum interpretatione. 1088
de Fœderis Rom. cum Antiocho complemento & eventu, judicium. 1103
Fœminis imposita tributa. 542
Forma & habitus auctoritatem Principi conciliant. 722
Forma regiminis ex omnibus temperata, censetur optima. 675
de Forma reipubl. non ex verborum specie aut exteriore administrationis habitu judicandum. 49
Formas reipubl. mixtas quidam non agnoscunt. 47
in Formis reipubl. discernendis Politicorum dissensio unde oriatur. 674
Formula Pacis Antiocho à Romanis data. 1086
Fortuna publica arcessitur à Principe. 157

Fortuna Regia. 155
Fredum quid vocaverint Germani. 922
Frequentiam civitatum augendi modi illiciti. 262
Fridericus III. Imp. Passagium urget. 581
Fulviæ, M. Antonii uxoris, virilis animus & militares functiones. 529

G.

Galliæ ob multitudinem & oportunitatem fluminum prærogativa. 264
Gehon, inter fluvios Paradisiacos, an sit Nilus. 346
Gellii locus (N. A. lib. 1. c. 13.) integra Dissertatione illustratus. 238
ejusdem locus (lib. 14. c. 2. & 4.) illustratus, excussis ibi propositis quæstionibus. 634. 636. 637
Genealogicum studium peregrinatoribus commendatur. 13
Genii populorum fatales. 156
Gentilium de hominis è terra creatione cognitio confusa. 329
de origine rerum & universi, quæ ex Geneseos Mosaicæ principio ad ipsos dimanavit, opiniones vagæ & obscuræ. 312
in Gentilium scriptis quædam vestigia Paradisiacæ vitæ & lapsus Protoplastorum. 368. vid. *Ethnici.*
G ographiæ notitia in peregrinatore requiritur. 10
Germanorum eloquentia politica insignis. 99
Germanicam linguam novitatis & confusionis studio corrumpentes, notantur. 100
Germanici peregrinatio. 1. 5
Gotfridi Historia universalis laudatur. 1168
Græci inter primos corrupere sanctitatem administrandæ reipubl. 734
Gratulatio civis ad patriam periculo liberatam. 392
Graven *germanica lingua dicti, an quod essent viri graves, moribus principalium liberorum formandis appositi.* 750
ad Grotii locum (de I. B. & P. 2, 26, 4 & 5.) strictura. 247
Gygis annulo Plato Politicorum tenebras præfigurasse videtur. 748
Gynecæum Principis. 760

H.

Helicon Ægyptius Caio gratus, Judæorum accusator. 387
Heraclea Pontica quæ fuerit urbs. 1073
Heraldi officium ap. nonnullas gentes quale fuerit. 500
Herodoti Musæ an Historiæ universalis nomen mereantur. 1158
Hispanorum indoles & instituta superioris avi. 1118
HISTORIA PRINCIPUM SCHOLA. 1105
Historia magistra prudentiæ. 1114
est propria Principis lectio. 1108
experientiæ quoddam genus. 1141

potissi-

potissimum noscendæ reipubl. instrumentum. 54
instruit memoriam. 1116. & intelligentiam s. judicium. 1121. & providentiam. 1131
Historia gentium peregrinatori precognoscenda. 10. 15
Historia Universalis verè sic dicta quid sit. 1164
Historia universalis nondum ab ullo accuratè est tradita. 1148
Historiæ utilitas in universum. 1107
Historiæ evidentia, ad formandam intelligentiam valida. 1121
item observationes & applicationes. 1127
Historiæ disciplina quomodo primæ Principis ætati tradenda, & per cæteras firmanda sit. 1154
Historiæ universalis nomine quid intelligat Polybius. 1158. quid Ethnicorum alii. 1160. quid Christiani. 1163
Historiæ universalis opus laudatur facilius quam reperitur. 1171
Historiæ universalis pragmaticæ ordinandæ artes s. leges. 1073
ex Historia celerrimè proficit Princeps. 1142
ex Historia universali totius prudentiæ practicæ fundamenta petuntur. 1148
pro Historia Pragmaticè scripta, contra commentariorum s. Actorum publicorum editores, quæ dici possint. 658
Historici, consiliarii mortui. 1146
inprimis politicæ eloquentiæ exempla suppeditant. 104
Historici eximii pauci sunt. 1105
Historici selecti, qui Principi commendantur. 1152
Historicum an deceat orationes & literas aliorum αὐτολεξεὶ referre, an verò sententiam, ut libitum erit, exponere. 534
Historicorum artes quibus judicium legentium informant. 1135
de Historicis quibusdam, universalem Historiam scribere aggressis, judicia. 1165
Historiographus tam est necessarius magno Principi, quàm summorum ministrorum quisquam. 1152
Honesta triplicis sunt generis. 242
Honestorum & utilium mixtura. 745
in Honestatem civium Civitas nullum jus nisi ad tuendum habet. 833
de Honoribus ab extero Principe collatis disputatio. 485
Hortensiæ cujusdam, tributa fœminarum deprecantis constantia. 542
Hospitibus quæ debeatur gratia. 952

I.

Ignis Græcus. 563
Imitationis artificium sub quibusdam exemplis declaratum. 126
Imitationis arcana non traduntur præceptis. 125
Imitationis vitia. 126
Imitationum & imitatorum nobilia quædam exempla. 127
Imperator Germanicus non habet potestatem regiam & illimitatam. 1045
Imperator quali juris divini humanique intelligentia instructus esse debeat. 1040

Impera-

Imperator Dei gratia : quo sensu dicatur. 179
in Imperatore Germanico quæ laudanda & optanda sint. 1059
Imperii Rom. Germ. status an sit monarchicus. 1051
an merè aristocraticus, secundum Bodinum. 1054
Incivilis Principis, s. Domini, character. 687
Indigentia est mensura pretii, sed rectè explicanda. 901
& non sola. 903
Ingenium quale Principi auctoritatem conciliet. 720
DE INGENIIS OPTIMATIUM. 1061
Ingrati Juris naturæ auctoritate damnantur. 929. *& gentium civiliorũ judicio.* 930
Ingratorum flagitia quædam notantur. 953
Ingratorum exempla ficta & vera. 933. 938 939. 943. 944
Ingratus animus genuinum superbiæ germen. 1076
Ingrati animi crimen duabus præcipue rebus cernitur. 952
Inquisitio Hispanica inter calumniæ fiscalis genera refertur. 796
Inscriptio sepulcralis tumuli Pompeiani. 401
Inscriptionum character quis. 401
Insigne regni Saturno à Deo Taauto excogitatum. 189
Insignia regia auspicii majestatem declarantia. 187
Intelligentia nullo magis quàm historiæ ministerio informatur firmaturque. 1121
Interpretium quid. 920
circa Interpretium quæstiones nonnullæ excutiuntur. 923
de Inventione & Inventoribus rerum quædam observationes. 378
IN FL. JOSEPHI ANTIQ. JUDAICAS EXERCITATIO. 309
Josephus notatus, quod ab accuratæ interpretationis legibus discesserit. 314
in descriptione Lapsus Protoplastorum maximè Judaicas nugas admittit. 348
in causa improbati sacrificii Caini à vero aberrat. 374
Cainum ob agriculturæ inventionem absurdè vellicat. 373
à quibusdam castigationibus Saliani defensus. 358
quid per πνεῦμα ἄνωθεν ἐπιθέον intellexerit. 311
an historiam universalem scripsisse dicendus sit. 164
Josephi in opere ἑξαημέρου describendo aberrationes quædam à sensu literarum Mosaicarum, notantur. 310. seqq.
Josephi παρόραμα. 355
Jovis Caligulæ dedicatio. 381
de Iphigeniæ immolatione fabula moraliter explicata. 835
de Ismeniæ Thebani, Regem Persarum simulata adoratione venerantis facto, judicium. 496

ΙΣΟΨΗΦΊΑ, S. CALCULUS MINERVÆ. 200
Ἰσοψηφία. vid. Lex de paribus tabulis.

de Itinerariis judicium. 12
Jubal Apollo Gentilium. 376
Judæi divinos Caii Calig. honores admittere recusant. 386
JUDEX UNUS ET MULTI, S. DE JUDICIIS. 615
Judex verè & plenè, unus est in monarchia. 615
Judex majoris an minor esse possit. 619
Judex in præsumtionibus s. conjecturis non nimis secure agere debet. 629
an judicare secundum acta & probata contra propriam scientiam possit. 636
an in cognitione dubia, ex moribus reum vel condemnare vel absolvere possit. 637
Judices multos esse necesse est in plurium regimine. 615
Judices apud multos odium & invidia valet. 642
Judicum subdelegatorum potestas dependet à majestate. 616.627
Judicare unum est ex juribus majestatis. 616
Judicia in regno expeditiora. 640
privata nunquam fuerunt licita. 625
Judiciorum administratio diversa consideratur. 640
Judiciorum jus oppugnantes exploduntur. 621
de Judiciis tum generatim, tum singulorum populorum qui scripserint. 627
Judicium à privatio usurpatum. 625
Judicia scriptoris an interponi debeant historiæ. 1180
Judicia de Auctoribus Latinis plerisque 105. seq.
Judicium de Danielis Eremitæ, Itali, libro, cui tit. Iter Germanicum. 12
de Scriptis, quæ descriptiones rerumpubl. promittunt. 56
de Scriptis Geographicis P. Merulæ. 11
Judicium quomodo per historiam informetur, prolixè ostenditur. 1121
Jurandi per nomen Principis mos. 198
Jurisjurandi formula ap. Athenienses in confirmanda amnestia. 453
Jus belli circa vitam civium quomodo temperari debeat. 834
Jus naturæ damnat ingratos. 929
Jus extremæ provocationis pars est Juris judiciorum, non totum. 618
Jus magistratuum creandorum & Jus judiciorum distincta sunt. 616
Jus majoris partis explicatur. 226. seqq.
Jus Civile Rom. quid præsidii ad eloquentiam politicam adferat. 121
Julius Cæsar an Civitatis nomine bellaverit cum Ariovisto. 887
Julius Cæsar iniquissimè interfectus. 465
Julii Cæsaris acta an post ejus mortem rescindi jure potuerint. 867
Julii Cæsaris Commentarii laudantur. 195. etiam ob dictionem. 91
Julii Cæsaris locus, de Colloquio inter ipsum & Ariovistum, (B. G. lib. 1. c. 34. seqq.) illustratus. 1021

K. Ka-

K.

Κακοπραγμοσύνη quid ap. Polybium significet. 744

L.

Laborum pretium. 924
Læsio ultra dimidium legibus correcta, tam ad emtorem sublevandum, quàm ad venditorem pertinet. 912
Latina eloquentia cur hodie in vita politica, usuque civili non adeo floreat. 101
Latinus sermo in Imperio Rom. custodiendus. 101
Laudationum (in personis) potiora genera. 404
Legationis male gesta actio. 254
Legationis Judæorum ad Caium Cæs. occasio. 385
Legatorum sanctitas unde. 154
Legatorum magnorum commentarii politices studioso legendi. 33
Legatis quàm necessaria eloquentia. 99
LEX QUA INGRATI DATUR ACTIO. 929
Lex adversus Ingratos an certis in civitatibus fuerit prodita. 930
an sit ferenda. 931. 954
Lex Regia veterum Romanorum an in Imperio Germanico locum habeat. 1045
Lex oblivionis. 445
Lex de non redimendis captivis ap. Romanos nulla fuit. 981
Lex Solonis de amplectendis partibus in seditione, examinatur. 992
Lex non omnibus rebus pretium statuere semper potest. 899
Lex majestatis quid sit. 809
à Romulo lata. 811
ejus historia à condita Urbe usque ad Regifugium. 808
Lex Mosaica quæ ad Judicia pertinebat, an adventu Christi sit abolita. 625
Lex de paribus tabulis. 205. 207
cognata cum lege de Jure majoris partis. 226
ejus causa & æquitas expenduntur. 230
ejus exercita & allegata exempla. 236
contra eam quæ objici possint. 234
Lex, principium ἀρχιτεκτονικὸν in Democratia. 62
DE LEXICIS. 645
Lexica Græca à Photio commendata. 646 seqq. item alia recentiora enumerantur, addito judicio. 651
Lexica aliarum Linguarum, præc. Latinæ, item ad scopum peculiarem respicientia, enumerantur. 652
Lexicon politicum. 127
Lexico satis erudito satisque copioso in Latina Lingua destituimur. 653
Lexicorũ varia genera & instituta. 645
in Lexicis scribendis labor difficilis. 654
Liberorum in parentes gratitudo legibus cauta. 948
Liberorum Principalium educatio solicitè curanda. 750

Litera ex persona Antonii formata, ad Phraaten Parthorum Regē. 430
Livius laudatur. 107
Livii locus (lib. 24. c. 25.) explicatus. 60
ejusd. alius locus (lib. 32. c. 21.) illustratus. 1001
Locus ad potentiam Civitatum quid conferat. 263
Lytrum captivorum militum duplici nomine invidiosum. 975

M.

Macronis exitium, & in Caium Calig. merita. 383
Magistratus & potestates minores an actus Dominii eminentis exercere possint. 843
Mahumedanorum Islimicorum & Gingis-Chanicorum diversæ sectæ. 303
Majestas quid sit. 141
Dei munere datur, etiam Gentilium Imperatoribus & Imperiis. 732
quidquid agit id à civitate actum censeri debet. 893
Majestas Imperantium. vid. *Auctoritas.*
Major pars in sententiis dicendis quæ dicatur. 229
Mandata à præceptis, quæ Philosophia præscribit, distinguuntur. 241
strictis juris sunt, 246
fieri debent, ut intelligi possint. 243
& in astricta & accurate definita formula. ibid.
Mandata quibus negotium aliquod conficiendum curandumve alteri committitur, examinata. 248. *eorum religionem fides socialis sancit.* 249
Mandatum jubendi potestatem & exequendi necessitatem continens, explicatur. 240
à lege quomodo differat. 244
fieri debet in re honesta & possibili. 241
Mandati transgressio non omnibus eodem modo cessit. 246
Mandatorum duo genera. 240
Mandatorum mensura est voluntas mandantis. 243
Mandatorum strictè observatorum vel secus, exempla ex historia. 251
Mandato an obsequendum, si de honestate ejus dubites. 247
Mandator & mandatarius. 248
Mandator facto ejus qui mandatum accepit quatenus teneatur. 245
Mannus Germanorum, idem qui Adamus. 329
Manupretium. 908
Maritimis gentibus prona maximè ad potentiam via. 263
Martis in Areopago judicati fabula explicatur. 206
Mathematicas scholas institui è re civitatum esset. 261
Matrimonia fratrum & sororum ab initio necessitatis & indulgentiæ fuerunt. 372

Mauritii

Mauritii Imperatoris, captivos parvo redimere recusantis, factum reprehenditur. 963
Mediatorum, quos vocant, officium. 1015
Medii in bello ferè invisi. 994. vid. *Neutras partes sequuti.*
Memnon Historicus qualis fuerit, 1072
Memnonis statua qualis & à quibus descripta. 34
Memoria quid & quomodo ad prudentiam civilem conferat. 1116
Mens quieta, ap. Tacitum quid significet. 1042
Mens divini humanique Juris intelligens quid complectatur. 1039
Mensa Principis. 764
DE MENSURA PRETII. 897
Mensura pretii quid sit. 898
Mensura pretii an sit indigentia. 901
circa Mercaturam consilia à nonnullis venditata, notantur. 269
Merula scripta Geographica laudantur. 11
Metius Fufetius an deserendo Romanos crimen majestatis commiserit. 816
Michaël Angelus (statuarius Italus) artem novam antiquæ cedere quomodo ostenderit. 7
Microscopiorum inventor quis. 8
MILES CAPTIVUS. 958
Milites in onere totius Civitatis sustinent partem maximè arduam. 959
Militia terrestris majorem exercendæ virtutis & artis militaris occasionem, quàm navalis suppeditat. 554
Ministeria aularum qualia esse debeant. 751
Minister gloriam rerum gestarum non sibi, sed domino tribuere debet. 192
Minister obtentu Regii nominis publica usurpans. 889
Ministri qui arcanis imperii incubant, notantur. 195
Ministrorum cura circa auspicium domini sui. 196
Ministris Principum est quædam divinitus adjuncta fortuna. 169
Misericordiæ ara Athenis constituta. 209
Mixta ex tribus formis respubl. vix datur. 47
Mixtas reipubl. formas quidam non agnoscunt. 47
in Mixto statu ex Monarchia & Aristocratia, utra præponderet difficile est judicare. 1054
Mixtura status reipubl. à temperamento ejusd. distinguenda. 892
Μνημονεύειν & *μνησικακεῖν inter se distinguenda.* 450
Μνησικακία πολιτικὴ *pugnat cum amnestia, & variè exercetur.* 462
Monarchia Græca post Alexandri mortem divisa, in diversas Civitates abiit. 886
Monopolia Civitatis. 913
Morum innocentia in Principe esse debet. 761
de Moribus hominum rectè judicare debet peregrinator. 37
Multitudo hominum quid conducat ad potentiam. 258

quibus modis in Civitate procuretur. 259
Multitudinis hominum modus sit in Civitate. 262
item, ordo & dispositio civilis. 263
Mutationes, quibus efficitur ut Civitas non sit eadem. 885
Mutationes circa locum an efficiant, ut sit alia civitas. 881
Mutationes reipubl. occultæ. 874
Mutationes reipubl. pleraque cum vi & cruore & clade conjunctæ. 519
Mutatio reipubl. omnis periculosa. 441
Mythologia Mercurii, mandatorum Philosophiam exhibens. 254
fabulæ Martis in Areopago judicati. 206
fabula de Calculo Minervæ. 208
fabula de Iphigeniæ immolatione. 835

N.

Naama lanificii inventrix, credibiliter Gentilium Minerva. 377
Nabidis Lacedæmoniorum R. cum Romanis controversia (ex Livii 34, 31. & 32.) excutitur. 870
Nabothi historia, vineam suam Achabo vendere recusantis, excutitur. 844
Natura ad eloquentiam civilem comparandam plurimum confert. 85
circa Naufragia Jus dominii eminentis. 848
Necessitas diversimode consideratur. 259
Necessitas & ejus gradus, quatenus in civilibus actionibus consideratur. 856
Negligentia quadam diligens. 88
Corn. Nepos commendatus. 105
Nepotis, locus (Thrasyb. 3, 2.) integra dissertatione explicatus. 437
Nervæ imperium remissum. 673
Neutrarum partium se profitentes ad quid sint obligati. 1002
Neutras partes sequuti an liberum jus commerciorum inter partes bellantes habeant. 1004
an jure cogi possint, ut partibus accedant. 994
an transitum armatum permittere debeant. 1003
Neutralium (ut vulgo vocant) callidè quiescentium concilia & eventus, sub exemplis notantur. 1000. 1013
eorum officium, ut studeant reconciliare sibi invicem bellantes. 1014
in Neutrales, (ut vocant) non bona fide agentes, quid liceat. 1013
Neutras partes sequi quibus facile, quibus consultum sit. 993
in bello civili an liceat. 991
de Nomine primi Hominis. 327
Nominum impositio primæva sapientiæ & regni Adami indicium. 330
DE NOTITIA REIPUBLICÆ. 45
Numulariorum negotiatio qualis. 917

O.

Oblivionis vox. ubi de amnestia sermo, quid complectatur. 450
Obsessi an semper teneantur expectare extremam necessitatem, antequam deditionem faciant. 583

Obsides

Obsides ex civibus dandi jus quale civitas habeat. 837
Obsidum electio. 1101
Obsidum etiam vita obligatur. 836
Octavius an prudenter adierit hereditatem Julii. 526
Octavii Caesaris contra Antonium favor ap. Romanos. 524
ejusd. felicitas & prudentia in victoria de Sexto Pompeio moderanda. 553
vid. etiam Augustus.
Oligarchiam per monarchiam fere corrigi, qua cautione additâ verum sit. 702
Oligarchicus character. 74
Opes Principum auctoritatem intendunt. 721
Opes nativae locorum, verum solidumque potentiae firmamentum. 264
Optimates & Senatus ap. Romanos iidem. 1062
Optimatium singulorum ambitioni obex quibus mediis ponatur. 72
Optimatium concordiae quibus artibus consulatur. 1067
Optimatum virtutes. 1063
ingenia & character. 67. 72. 1068.
exempla nonnulla insigniora ex Rom. historia. 1068
inter Optimates & populum, legitimum intervallum. 1063
Oraculum Clarii Apollinis descriptum. 26
Oratio sequitur mores. 102
Oratio politica non debet semper ad puritatem stili exigi. 122
Oratio Æneae Sylvii de Passagio, habita Romae nomine Friderici III. Imp. 581
Oratio Legatorum Lucii (Antonii) ad Caesarem, formata ex Floro & Appiano. 415
Oratio ex persona Maecenatis ad Augustum Caesarem, belli Siculi victorem. 426
Orationes Historicorum Politicae studiosis commendantur. 118
Orationes Historicorum veterum & recentiorum quomodo differant. 1180
Ordines Imperii an sint Consiliarii tantum Imperatoris; an comparandi Senatui Rom. sub Caesaribus. 1050
Orestis ob parricidium judicati & absoluti fabula. 200
pro Oreste parricida, & contra Orestem quae dicta sint & dici possint, examinantur. 210
de Orosio judicium. 1166
Otium turpe viro Principi. 766
Ovidius commendatus ad politicam orationem instruendam. 121

P.

in Pacatae civitatis cives, orto bello intra praesidia hostium deprehensos, quid liceat. 1012
Pacatum in solum quid liceat bellantibus. 1010
Pacificatio in civilibus discordiis difficillima. 455
Pacificationum historiam nosse quam sit utile. 1104
Pacis prima mentio dedecus habetur ap. Principes bellum gerentes. 1088
Pax Augusti quomodo ab eodem procurata sit. 967

de Pa-

de Paradiso dubia quædam, & diversorum opiniones excutiuntur. 334
Parthici belli ab Antonio gesti causa. 555
Parthicorum Regum in titulis fastus. 175
DE PASSAGIIS. 581
Passagium quid sit. 589
Passagii descriptio. 591. 596
causæ. 597
utilitas & honestas. 603
dignitas. 585
indulgentia & privilegia. 593
apparatus & instrumenta. 611
spes & fiducia eventus, quibus argumentis nixa. 612
impedimenta. 613
Passagii jus & cura ad quem spectet. 586
Passagii primus suasor Petrus Eremita. 605
Passagiorum instituendorum consilia & subsidia qui Scriptores exposuerint. 611
sub Passagiorum prætextu interdum alia latent causæ. 604
Passagia avium. 596
Patris Patriæ nomen Ciceroni tributum. 510
Patronis quæ gratia debeatur. 950
Pecuniæ consideratio quatenus est vel pretium vel merces. 926
Pecuniæ copia aut penuria pretia rerum auget minuitve. 906
Pecuniæ publice parandæ modi usitatiores. 269
Pecuniæ vis inter instrumenta potentiæ. 268
Peloponnesiaci belli brevis delineatio. 439
Perduellio quid significet. 815
PEREGRINATIO GERMANICI. 1
reprehenditur & defenditur. 2
ejus occasio, & peregrinantis studium. 2
Peregrinatio quorundam infructuosa, quare. 43
Peregrinationum Academicarum abusus notatur. 17
ad Peregrinationem benè dirigendam monita quædam. 40
ex Peregrinatione quæsitæ cognitionis fructus. 41
Peregrinator quibus disciplinis instructus peregrinationem cum fructu suscipere possit. 9
an studiis vacare quoque possit. 35
de moribus hominum recte judicare debet. 37
quo morum colloquiorumq; temperamento uti debeat. 38
qualium hominum conversationem fugere debeat. 39
diarium sibi conficiat. 21
Peregrinatores curiosi potius quàm studiosi, qui. 6
Peregrinatori proposita cognitionis argumentum. 22
Peregrinatoribus quæ cautela observanda circa religionem. 27
Permutatio captivorum. 975
Persarum Regibus occultatio sui ad majestatem facere visa; an meritò? 729
Persarum Regis reditus pro modo ditionum parvi. 269
Perspicuitas in dicendo in quo consistat. 86

in eloquentia civili maximè requisita. 86
IN PHILONIS JUDÆI LEGATIONEM AD CAIUM, SCHEDIASMA. 380
Philo inter præcipuos auctores copiosæ adornataque orationis commendandus. 387
Philonis Judæi libelli de Legatione ad Caium summa. 380
singularis in rebus Rom. & aula Caji peritia. 382
Philosophia tyrannidi contraria. 1078
Philosophicus stilus & termini artis quatenus in politica oratione tolerari possint. 122
Phison, aliis Ganges, al. Nilus. al. [illegible]phasis &c. 342
Pignora imperii. 188
Pilati descriptio ap. Philonem. 388
Plato & Aristoteles inter primos civilem doctrinam tradiderunt. 734
Platonicorum opinio de animo mundi unde orta videatur. 313
Plinius in prædicanda electione Trajani mirificum se oratorem præstitit. 699
de Plinio & reliquis Panegyristis Lat. judicium. 117
Poëtæ an aliquid ad civilem eloquentiam conferre possint. 120
Politica s. civilis prudentia quam multa complectatur. 18
Principi propria est. 1108
tardè per experientiam acquiritur ac imperfectè. 1108
minus per præcepta. 1112
Politica genuina labefactata, à quibus. 735
Politica doctrina antiquissimis temporibus non tam libris, quam responsis prudentum constitit. 734
Politicæ prudentiæ descriptio. 1114
commendatio. 250
Politica studium peregrinatori commendatur. 18. 32
de Politica s. Civilis prudentiæ abusu, querela. 1055
Politica oratio non semper ad puritatem stili exigi debet. 122
Politica orationis forma quæ. 85
Πολιτικὸς λόγος ap. Græcos sæpe forenses notat orationes. 83
Politici hodierni acriter perstringuntur. 736. seqq. 774
Politici aulici diversum à scholasticis sentiunt. 737
Politici elogium quidam falsò sibi tribuunt. 53
Pollucis onomasticon commendatur. 64. 650. 654.
Poloni munitiones urbium cur negligant. 273
Polybius an historiam universalem scripserit. 1158
Polybii digressiones. 1181
Pompeius an prudenter fecerit, quod relictâ Urbe Italiaque Dyrrachium petiit. &c. 572
Πονηρόπολις Philippi Macedonis. 895
Pontificum in causa Passagiorum artes notantur. 592
Popularitas non unius generis. 1131
quænam vera & salubris. 63

Popularitatis & civilitatis discrimē. 687
Populus an in Regno aut Aristocratia supremus judex sit. 623
Possibilia quæ? 242
DE POTENTIA CIVITATUM. 255
Potentia quibus rebus definienda sit. 256
Potentiæ firmamenta ex justitia, fide, &c. 277
Potentiæ studium Civitatibus & Principibus an dissuadendum. 257
Præcepta ad prudentiam civilem comparandam parum proficiunt. 1112
Præceptoribus quæ gratia debeatur. 949
Prædiorum pretium redituum modus metitur. 902
Prælii Pharsalici historia considerata. 513
Prælii Philippensis historia. 544
Præmii promissio mandatis addita quam vim habeat. 245
Prærogativa Principum in cærimoniis contentiosè observata & defensa. 497
Præsumtionū in Judiciis difficultas. 629
Preces imperantium quam vim habeant. 246
Pretium rerum quodnam sit justum, & quod iniquum. 912
Pretium laborum. 924
Pretii fundamentum an sit indigentia. 901
an utilitas rei & necessitas. 902
Pretii variandi causa. 904
Pretium rebus constituere, cujus sit. 900
Pretium rebus multis luxuria constituit. 905
Pretium rerum plerumque metitur communis opinio & consuetudo. 904
Pretium auget minuitve copia aut inopia rerum. 906
item, pecuniæ copia aut penuria. ibid.
raritas rei, quæ ab inopiâ & indigentia distinguitur. 907
ars. 907. *opinio de rebus decori futuris habenti.* 908
cupiditas rem habendi. ibid.
tempus. 909
casus fortuiti. 910
Pretio definiendo adhibetur & natura rei. 903
Pretia rerum augendi artes fraudulentæ. 926
Princeps auspicii sui conscius an omnia procul per ministros suos acta sibi vindicare possit. 191
Princeps legibus subjectus. 669
Princeps sit αὐτοπρόσωπος, & in [illegible]*ndo imperio ipse per se aliquid sapiat.* 1144
Principes plerumque aliena eloquentia utuntur. 96
an per internuntios & ministros potius, quàm suo ipsi congressu & colloquio rectius conficiant negotia sua. 1024
Principis mores quales esse debeant. 761
Principis lectio propria est Historia. 1108
Principis imperitia quantum mali reipubl. adferat. 772
Principis nomen ambiguè ponitur ap. Panegyristam (Plinium) 669
Principi an studia aliquid adjumenti adferant. 1107
quæ historia & quatenus cognoscenda. 1147
& qui Historici seligendi. 1152

Princi-

Principum historiam amantium exempla. 1153
Principatus proprie dictus definitur. 663. 674
explicatur uberius. 665
leges certas habet. 670
Principatus propriè dicti finis est, cura & ministerium salutis publicæ. 671. *& libertatis restitutio & conservatio.* 672
ejus imago & simulacrum dominationis arcanum ap. Cæsares Rom. 665
Principatus notitia quibusdam notis indicatur. 76
Principatus *cum aristocratia conjuncti exempla duo.* 674
cum democratia conjuncti exemplũ. 675
Privilegia *concessa an interrumpi aut revocari, vi dominii eminentis, possint.* 841
Probationes *innocentiæ rudioribus seculis usurpatæ.* 633
Procuratores *qui dicantur.* 248
Proscriptiones *amnestiæ adversæ & detestatione dignæ.* 461
Proscriptio *triumviralis examinatur & improbatur.* 461. 537
Providentia *quomodo instruatur ab Historia.* 1137
quibus partibus potissimum absolvatur. 1138
de Providentia Divina *egregiè philosophatur Philo.* 382
Prudentiæ *partes tres.* 1115
Prudentia *civilis descriptio.* 1114
IN PSALMUM LXXXII. PHILOLOGIA. 568
P*salmi LXXXII. Historia.* 568
οἰκονομία, consistens ἐν τῷ ἀμοιβαίῳ sermonis. 570
Latina & Græca paraphrases ac metaphrases examinantur. 572. *explicationes quædam examinantur.* 572
P*salmi LXXXII. Paraphrasis Bœcleriana.* 579
P*syllorum vis in exugendis venenis.* 564
P*ythagoræi minimè ineptum inter Sapientiæ Studiosos genus.* 1043

Q.

QUIES IN TURBIS. 991
Quieta mens ap. Tacitum quid significet, & quomodo contingat Imperatori. 1042
Quintiliani locus (Decl. 254.) illustratus. 233. 234
ejusd. Declam. 333. examinatur. 938
ad ejusd. Decl. 365. observatio. 237
T. *Quintius Cos. tanquam ex Optimatibus optimum exemplar laudatus.* 73

R.

Raritas rei pretium auget. 907
Ratio status, quæ vocatur, graphicè describitur. 1132
Regimentum Imperii an in locum congregationis Electorum suffectum dici possit. 1034
Regna & Reges à Deo dari, Ethnici quoq; crediderunt. 146
Reineri Reineccii Syntagma Historiæ Juliæ, laudatur. 1169
DE RELIGIONE MANDATI. 238
Remus an transilitione murorum majestatem violaverit. 810
Respublica mixta ex tribus regiminis generibus

neribus fingi potius quàm formari potest. 47
Reipublicæ notitia quàm sit utilis & necessaria. 57
Reipubl. notitia interior varietate temporis metienda. 51
Rerumpublicarum historia. 1129
Rerumpublicarum descriptiones, & de iis judicium. 56
Rex imago Dei. 146
Rex, qui non nomine sed jure regio imperat, an possit habere judicem. 620
Rex indignis munere moribus utens, non statim contemni aut impugnari potest. 153
Reges an divinis appellationibus & elogiis rectè ornentur. 174. 178
Regis nomen an aliquid altius contineat, quam Imperatoris, Cæsaris & Augusti. 184
Regis acta sunt acta civitatis, in regnis verè talibus. 888
Regum cum Deo secretum cōmerciū. 147
Regum Sanctitas. 154. fortuna. 155
circa Reges cura & Providentia Dei singularis. 149
Regii actus efficacia. 160
Romanæ Reipubl. forma post Reges expulsos ad Cæsarum principatum quæ fuerit dubitatur. 46. 49. imprimis à Gracchanis tumultibus ad principatum. 51
Romani in republ. administranda religiosiores quàm Græci. 734
Romanus populus quibus ex causis libertatem recuperare, interfecto Cæsare & Pompeio non potuerit. 516
Romulus an legem majestatis tulerit. 811

S.

Sabini à Romulo in civitatem recepti, non manserunt civitas, sed pars civitatis facti sunt. 883
Sacerdotes an in Psalmo LXXXII. vocentur Dei. 569
Sacra regni ap. Tacit. (2. A. 65, 3.) quid sint. 166
Sacrificium Caini cur improbatum sit à Deo, causam non genuinam assignat Josephus. 374
de Salustio judicium. 106
Salus publica quid, & an quidvis ejus causa fieri debeat. 739
Samarcanda Timuri regia ab eo exornata. 304
Sanctitas Regum. 154
Satisfactio in pacificationibus, i. e. pecunia quam exigere solent victores à victu. 1099
Satyri, tyranni Heracleensis ingenium, tyrannis, exitus. 1084
Scævolæ Sammarthani Elogia Illustrium Gallorum, laudantur. 404
Sceptri Symbolum. 188
Joh. Schiltbergerus Monacensis de Timuri temporibus Germanica lingua scripsit. 284
Scholæ nobiles ad multitudinem hominum conciendam faciunt. 261
Scripta recentiorum cum vett. comparanda. 129
Securitatis præstatio. 854
Senecæ locus (7. de Benef. c. 4. 5. 6.) explanatus. 830
Senecæ Epistolæ sunt potius declamationes. 120

de So-

de Seneca Stilo judicium. 119
Senecæ Rhetoris locus (2.Controv.13.) illustratur. 933
& alius ejusd. locus (4.Controv.24.) 939
Sententias quales admittat Politici oratio. 89
Sententiis quàm verbis ornatior esse debet Politici oratio. 89
contra Serpentes auxilia pro homine & remedia. 367
Servorum adversum dominos delationes à Rom. alias non admissæ, à Caligula permittuntur. 390
Sexti Pompeii ingenium. 553
M. Silani cædes à Caio patrata. 383
Sinceritas dictorum factorumque à Principe requiritur. 762
ab aula fere exulat. ibid.
Societatis desiderium in homine. 255
Societatis bellicæ declinatio. 991
Sociorum vocabulo quos significare soliti Romani. 1091
Solennis voce quid notetur. 453
Solennia circa amnestiam. 453
Sophoclis quædam loca (in Electra) examinata. 213. seqq.
Spartianus & reliqui Scriptores Historiæ Aug. commendati. 114
Statius Virgilii imitator. 127
Statii locus (Thebaide ultima) laudatus. 209
Stili curiæ, particulatim singula exponentis prolixitas, an merito reprehendatur. 451
Stoici Regũ contemtores. 196. (tor. 35
Studiis an possit quoque vacare peregrinator.
Subtilitates politicæ & aulicæ. vid. Elegantia moris civilis & aulici.
Successionis cũ Electione comparatio. 709
Suetonius commendatus. 113
Suetonii locus (Aug.7.) illustratus. 182
Suidæ locus correctus. 337
Sullæ acta an rescindi potuerint. 867
Supplicum jus. 224
Symbola Auspicii regii. 173
de Symmacho judicium. 120
Συνυπόκεισις πολιτικὴ Polybio quid vocetur. 744. 747

T.

Taautus Deus. 189
Tacitus commendatus. 54. 78
& à quorundã censura vindicatus. 110
evidentiæ nomine laudatus. 1126
Taciti locus (1.A. 38.) explicatus. 253
ejusd. locus. (3.A.10.) illustratus. 615
ejusd. loc. (4.A.33.) illustratus. 1061
ejusd. loc. (4.A.38.) illustratus. 1037
ejusd. loc. (2.H.20.) illustratus. 475
ejusd. loc. (4. H. 4.) explicatus. 448
ejusd. loc. (Agric.8,1.) explicatus. 745
de Tacito judicium. 737
Tamerlanes. vid. Timur.
Tempus quid valeat in augendo minuendove rerum pretio. 909
Thales aquam omnium rerum principium statuit. 312
Theologia peregrinatori cõmendatur. 20
Theophrasti characteres laudantur. 408
Theramenes inter XXX. tyrannos Athenis libertatis patriæ fautor. 442
THRASYBULUS PACIFICATOR, s. Dissertatio DE AMNESTIA. 437
Thrasybulus amnestia inventæ gloriam reportavit. 444

Thuani historia laudatur. 1172.1174
Thiberius & Augustus laudatus à Philone. 387
Tiberii Cæs. votũ ipsius culpa irritũ. 1038
eloquentia. 93
TIMUR vulgò TAMERLANES. 284
Timur altero crure debilis. 285. Hoseinum Regem victum & supplicem occidit. 287
magnus Princeps appellatus à suis. ibid.
aliis titulis insignitus. 305
Ali-Schirum regni socium per insidias tollit. 287
foris præsidia potentiæ circumspicit. ib.
Chorasmios aggreditur. 288
Geiatheddinum Hoseini fil. in regia suâ expugnatum servat. 288
Chorasmiæ regnũ sibi obnoxiũ facit. ib.
Diarbecram occupat. 293
Distanos aggreditur. ibid.
occasionem belli adversus Bajazethem arripit. 296. 298
pacta cum præsidiariis Sebastiæ conventa eludit. 296
contra Syriæ præfectos & Sultanum Ægypti expeditionem suscipit. 297
Bajazethem captum clathris ferreis includit. 302
Timuri patria & pater. 285
prima spes ex somnio aviæ. ibid.
defectio ab Hoseino Rege. 286
crudelitas in volones Samarcandæ. 287
conjugium. ibid.
literæ ad Regem Persidis. 290. in bello contra Schahmanzurũ Persam pericula. 290. inexorabilis sævitia. 292. literæ ad Syriæ regulos. 294. victoria adversus Indos. 295. literæ ad Bajazethẽ. 299. prælium cum Bajazethe. 300. cum Bajazethe capto colloquiũ memorabile. 301. religio, mores, consuetudines. 303. magnificentia. 304. ingenium. 305. mors, ætas, statura. 306. magnitudo futura ostentis denuntiatur. 303. uxores, filii, honores ei post mortem habiti. 307
Titulorum eadem vocabula, ætate non eadem non valent idem. 502
Titulorum Regiorum excogitatio & emphasis. 185 (499
circa Titulos Principũ solicita observatio.
Tormenta improbantur quibusdam, non sine causa. 632
Trajanus principatum gessit sine diminutione potestatis aliorum. 668
Trajani electio. 693
Trajani electio & adoptio temporis opportunitate commendatur. 700
Trajani moderatio in magnificentia aulæ.
Trajani vitia notantur. 768. (758
Transitus hosti concessus an semper pro pacis ruptura haberi debeat. 1091
de Transitu permittendo à neutras partes sequentibus, disquisitio. 1003
Translatio gentiũ de suâ sede in alias terras, inter duriora stabiliendæ dominationis inventa refertur. 566
Tribunitia potestas variè incusari potest. 64
Tributa rebus minimis, inhonestis, aut maximè necessariis imposita. 800
de Triumviratu, ad Flori l.4.c.6. 535
Triumviratus in publicorum nexu fatorũ consideratus. 539
qualis sit societas. 537

Triumviratus (Antonii, Octavii & Lepidi)
origo. 535
praetextus speciosi. 536
flagitia. 537
pactio injusta in remp. inter ipsos pacifcentes infida. 537
memorabilia notantur. 540
Tubalcain, Gentilium Vulcanus. 376
Turni Herdonii historia consideratur. 822
Turcicae potentiae fundamenta quae sint, inquiritur. 278
Tyranni Philosophiae & Philosophis infensi. 1079
literas & sapientiae studia abolere nituntur. 1080
Tyrannorum acta an civitatem, in libertatem restitutam obligent. 865
Tyrannorum ingenia non ad unum modum exigenda. 1131
Tyrannorum propria, saevitia & superbia. (1075
Tyrannorum quae sit sapientia. 1078
Tyrannicidarum nimia privilegia ap. Graecos. 869. 1083

V.

de Valerio Maximo judicium. 110
Varietas & distinctio hominum, non sola multitudo, potentiam civitatum auget.
de Velleio Paterculo judiciũ. 109. (262
Venetorũ respub. vere aristocratica. 46. 75
Ventidius, Antonii legatus, laudatur. 556
Veritatis occultatio ap. Subditos, an ad jus dominii eminentis pertineat. 842
Versiones orationum Graecarum in Latinum sermonem commendantur. 418
Vestitus Principis & aulicorum. 763
Victus facultas parabilis ad augendam civium frequentiam valet. 261
Vigor auspicii Regii. 163
Vindiciae virtutis & boni publici. 733
Virgilii locus (Ecl 4.) explicatus. 158
ejusd. locus (Æn. 10.) cõmendatus. 995
ejusd. locus (Æn. 11.) illustratus. 998.
in Vitam Civiũ quod sit jus Civitatis. 834
circa Vitam Civium jus belli, & ejus temperamentum. 834
Ultio an aequitate intrinseca excuset homicidium. 222
Ulysses boni peregrinatoris exemplum. 16
Uncti Domini cur, & quanta cum efficacia dicantur Reges. 180
Unio Civitatum. 884
Unus, pro primo, non in Hebraea tantum, sed & aliis linguis. 316
VOTUM IMPERATORIUM. 1037
Urbium origo. 375
Urbium exornatio & amplitudo quatenus prosit. 266
Urbium situs qualis commodissimus. 267
Utilium & Honestorum mixtura. 745
Utilitas in re civili vel ad incolumitatem, vel ad reliquam commoditatem pertinet. 858
DE UTILITATE EX HISTORIÆ UNIVERSALIS CONTEXTU CAPIENDA. 1156
Vulgi natura & tractatio. 59. 61

W.

Weregildus s. Weregeld quid? 922

Z.

Zonaras scripturus historiam universalem, hunc finem non est assecutus. 1163

FINIS.

Corrigenda.

Pag. 11. *lin.* 9. *leg. itineris. p.* 23. *l.* 21. *varietate. p.* 37. *l.* 4. *supellex. p.* 32. *l.* 28. *patebunt. p.* 35. *l. penult. chartaceam. p.* 52. *l* 34. *temporum. p.* 55. *l. penult. Ægypto. p.* 58. *l.* 14. πολιτεύεσθαι. *p.* 60. *l.* 19. *Hinc p.* 63. *l.* 33. *Thucydidis. p.* 73. *l.* 16. *vere. p.* 87. *l.* 27. *amoliretur. p.* 97. *l. ult. civile. p.* 110. *l.* 9. *commoda. p.* 121. *l.* 21. *JCtum. p.* 123. *l.* 2. *præfracte. p.* 149. *l.* 5. *operæ pretium. p.* 150. *l.* 25 *Regna. p.* 153. *l.* 12. *Theophylactus. p.* 154. *l.* 9. *Sancti. p.* 157. *l. ult. modulantur. p.* 158. *l.* 18. *Ipsa. p.* 165. *l.* 29. *sceptrumque. p.* 166. *l.* 30. *injustam. p.* 169. *l.* 22. *Parmeniones. p.* 173. *l.* 16. τῶν. *p.* 176. *l.* 15. *Quanquam. p.* 180. *l.* 10. *post, elogia: leg. magis quam Joves. p.* 186. *l.* 27 *affectationem. p.* 188. *l.* 19. *acturi. ibid. l. penult. imperii. p.* 189. *l.* 17. *adumbranda. p.* 191. *l.* 7. *ultrò subjicit. p.* 194. *l.* 1. *haberi. p.* 197. *l* 11. *ministros. p.* 213. *l.* 24. *Apollo. p.* 233. *l.* 18. ἀπὶ *ibid. l.* 21. *publica. p.* 245. *l.* 28 *quidque. p* 225. *l.* 2. *provecti. p.* 261. *l.* 27. *Geographicos. p.* 262. *l.* 28. *eis. p.* 269. *l.* 12. *merito. p.* 273. *l. antepen. pectus. p.* 276. *l.* 28. *honestate. p.* 281. *l.* 15. *acerrimum. p.* 285. *l.* 20. *crure. ibid. l.* 24. *fecit. p.* 287. *post. necem, leg. vindicare. p.* 290. *l.* 14. *Timuri. p.* 292. *l.* 13. *Ahmedus. p.* 294. *l.* 26. *tergiversantibus. p.* 295. *l.* 18. *furore. ibid. l.* 31. *quidam. p.* 302. *l.* 1. *quoque ibid. demum. p.* 304. *l.* 17. *quaque. p.* 305. *l.* 27. *quem. p.* 307. *l.* 26. *descripsit. p.* 313. *l.* 25. χήματι. *p.* 314. *l.* 14. *conditam. p.* 317. *l.* 11. μεταποιεῖσθαι. *p.* 320. *l.* 7. *est. dist. p.* 322. *l.* 30. *conjunctionis. p.* 325 *l.* 11. ἡμέρα. *p.* 329. *l.* 16. *occultari. ibid. l. ult.* πρωτόπλαστος. *p.* 330. *l.* 32. *imposuit. p.* 331. *l.* 19. μαρτυρίας. *ibid. l.* 30. *vocavit. p.* 332. *l.* 12. *autumat. p.* 333. *l.* 22. *invicem p.* 338. *l.* 13. χαχῶ *ibid. l.* 29. *existimamus. p.* 340. *l. ult. sive. p. p.* 345. *l.* 11. *Hebraicum. p.* 347. *l.* 1. *contigua. p.* 353. *l.* 20. *deleatur: dicit. p.* 357. *l.* 11. *apparitione. p.* 363. *l.* 15. ἀπατήσαντος. *ibid. l.* 24. τιμωρία. *p.* 364. *l.* 21. *ergo. p.* 373. *l. antepen.* προαίρεσιν. *p.* 374. *l.* 23. *subaudiatur. p.* 390. *l.* 21. ἀνθρωπίνης. *p.* 425 *l.* 27. *esse. p.* 429. *l.* 25. *Appianus. p.* 439. *l.* 30. *Peloponnesiacum. p.* 442. *l.* 26. *remote. p.* 447. *l.* 22. *societatis. p.* 492. *l.* 32. *secus. p* 495. *l. penult. Genevensis. p.* 496. *l.* 2. *ab Hist. p.* 516. *l.* 24. *appellemus. p.* 532. *l.* 32. *æmulatione. p.* 578. *l.* 22. *imperare p.* 616. *l.* 31. *Polit. p.* 622. *l.* 32. *eum. p.* 629. *l.* 12. *ancipitis. p.* 632. *l.* 7. *imbellia. p.* 637. *l.* 14. *magistratuum. p.* 641. *l.* 19. *Leges. in titulo pag.* 645. *præfixo leg. JUDICIIS. p.* 650. *l.* 16. *accuratique. p.* 706. *l.* 15. συνωνυμίας. *p.* 713. *l ult persona. p.* 723. *l.* 26 *illa. p.* 746. *l.* 11. *honestorumque. p.* 765. *l.* 30. *ut. p.* 774. *l penult. longeque. p.* 787. *l.* 1. *ipsi. p.* 825. *l.* 14. *Dominium. p.* 856. *l.* 10. *exemtione. p.* 880. *l.* 1. *dictatura. p.* 882. *l.* 23. *Tatium. p.* 887. *l.* 14. *Posthumius. p* 906. *l.* 3. *Valere. p.* 914. *l.* 31. *initio. p.* 930. *l.* 12. *crudeles. p.* 931. *l.* 1. *mentio. p.* 947. *l.* 3. ἁμαρτίας. *p.* 950. *l.* 16. *medico. p.* 952. *l.* 14. *Macedonia. p.* 953. *l.* 32. *reperiri. p.* 963. *l.* 13. *Cedreno. p* 966. *l.* 27. αὐτῶν. *p.* 977. *l.* 1. *opere Martio. p.* 980. *l.* 27. γένηται. *p.* 988. *l.* 1. *minuunt. p.* 991. *l.* 5. *se &. p.* 1005. *l.* 14. *At. ibid. l.* 16. *fortunarum. p.* 1009. *l.* 32. *pacatarum. p.* 1112. *l.* 2. *incertos. p.* 1053. *l.* 28. *ipsarum. p* 1055. *l.* 2. *sive. p.* 1069. *l.* 23. *principe. p.* 1086. *l.* 21. *etsi. p.* 1101. *l.* 14. *pepigerimus. p.* 1128. *l.* 2. *Democratica. p.* 1133. *l.* 10. *sive. p.* 1139. *l.* 10. *Attic. p.* 1176. *lin. penult.* ἀνυπόστατος. *p.* 1185. *l.* 14. *proposito.*





